BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XX
C
2
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPUT XIII.

DE LEGITIMATIONE ET ADOPTIONE.

SUMMARIA.

ſitio ad legitimationem & adoptionem §. 1.
imatio mero jure naturali eſt incognita §. 2.
omano fit tribus modis §. 3.
gitimandi hodie eſt penes Cæſarem & Status
perii §. 4.
quivis illegitimi legitimantur §. 5.
mationis effectus §. 6.
antes ſine actu legitimationis illegitime na-
pro recte natis habere poſſunt §. 7.
pſorum liberi naturales legitime natis æ-
pollent §. 8.
amen ultra limites imperii paterni §. 9.
tra voluntatem patris & nonnunquam ho-
um privatorum §. 10.
m imperii liberi naturales quo loco haben-
. 11.
ionis indoles & diverſitas §. 12.
Eſt illa omnibus gentibus communis §. 13.
Arrogationis §. 14.
Et adoptionis modus §. 15.
Requiſita adoptantium §. 16.
Et optandorum §. 17.
Effectus arrogationis & adoptionis plenæ §. 18.
Operatur in ſpecie jus agnationis non cognatio-
nis §. 19.
Quod exemplis declaratur §. 20. 21.
Hodie etiam adoptio cognationem producere vi-
detur §. 22.
Effectus adoptionis minus plenæ §. 23.
Uſus adoptionis hodiernus §. 24.
Adoptioni ſimilis eſt unio prolium §. 25.
Adoptiones Imperantium juri privato non ſub-
ſunt §. 26.

§. 1.

Iberi ex juſtis nuptiis procreati, non tantum, pro hominibus bene natis, habentur, ſed & in poteſtate Patris, ſi adſit, exiſtunt. Aliquando vero quis liberos, ex illegitima, vel minus ſolenni conjunctione oriundos, & ad hominum recte natorum conditionem, evehere, & in patriam poteſtatem redigere, vel etiam os alienos in familiam & poteſtatem adſciſcere cupit: prius fit per *imationem*, poſterius per *Adoptionem*, quarum uti *c. 10. §. 4.* feci-mentionem, ita hic illæ ſpecialius nonnihil conſiderandæ ſunt.

. 2. Legitimatio eſt *actus, quo liberi illegitime nati, recte natis ex-ntur.* Mero jure naturali nulla, quoad homines natos, videtur lifferentia, ſive patriam poteſtatem, ſive conditionem civilem es: licet enim laudatum jus quamvis propagationem, extra legi-m matrimonium (de quo pro diverſo ſtatu, diverſimode erit ju-

Digitized by Google

dicandum) factam, prohibere nobis videatur, attamen liberi nati nihil peccarunt, adeoque nulla apparet ratio, quare illi, in patria poteſtate, quatenus naturaliter competit, exiſtere, ac aliorum jurium humanorum capaces eſſe non debeant. Omnis igitur hominum diverſitas, hac in parte, à lege civili, quoad ſubditos, vel à pacto, quoad liberas gentes, deduci debet, ex quo ultro conſequitur, legitimationis vim quoque, ex iisdem fundamentis, eſſe derivandam.

§. 3. Jure Romano legitimatio fit (1.) per *ſubſequens matrimonium*, etiam in articulo mortis, cum matre liberorum, contractum *v. l. ſ. 10. 11. C. de natur. lib. §. fin. J. de nupt. l. 30. de R. J. Nov. 89. c. 8. 11. 12. §. 4. v. c. 6. X. qui fil. ſint legit.* modo nuptialia inſtrumenta ſint confecta *d. ll.* quæ tamen hodie non requiruntur (2.) *oblationem curiæ §. fin. J. de nupt. l. 3. 4. C. de natur. lib. Nov. 89. c. 2. ſeqq.* ſed hic modus in Germaniam non eſt receptus (3.) *Reſcriptum Principis*, vel ad patris, vel liberorum petitionem, datum *Nov. 89. c. 9. 10. Nov. 74. c. 2. §. 1.* Patris vero (4.) *Nominatio*, non peculiaris legitimandi modus, ſed legitima ſaltem alicujus modi probatio eſt *v. Nov. 117. c. 2.*

§. 4. Hodie jus, per reſcriptum legitimandi, ad reſervata Cæſarea referri ſolet, qui illud Comitibus Palatinis nonnunquam concedit *v.* CARPZ. *p. 2. C. 6. D. 16.* Sed videtur hoc referendum eſſe, ad Territoria Statuum minorum, ut & ad ea, in quibus legitimatus, tempore legitimationis, non fuit ſubditus. Alias Statibus imperii majoribus, jus ſuos ſubditos legitimandi, rectius aſſeritur *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 3. c. ſ. §. 38. l. ſ. c. 3. §. 52.* quo tamen legitimatus, etiam extra Territorium, pro tali habeatur, legitimatio Cæſarea non male adjungitur.

§. 5. Jure Romano legitimantur tantum liberi *naturales*, i. e. ex concubina ſuſcepti *§. 2. J. de hæred. quæ ab inteſt.* ſed hodie *omnes illegitime nati*, etiam *adulterini* & *inceſtuoſi*, quod fruſtra, ex rationibus juris civilis, à nonnullis negatur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 28.* ſubeſt etiam manifeſta æquitas, nam liberi, ex turpiſſima licet conjunctione oriundi, nihil peccarunt, hinc eorum ſtatus adjuvandus potius, quam opprimendus eſt, ne melioris conditionis deſperatio, ad inhoneſtum noxiumque vitæ genus invitet, aut potius impellat. In hunc cenſum videntur etiam referendi, *liberi expoſiti*, cum enim raro legitima proles exponatur, ideo in dubio infantes expoſiti, magis illegitimi

Digitized by Google

mi & legitimationis indigi, quam legitimi erunt præſumendi, licet alii diſſentiant *v.* DN. STRYKII *diſſert. de liber. natur. Reg. & Princip. hab. Halæ 1700. c. 1. n. 44. ſeqq.*

§. 6. Effectus legitimationis, per ſubſequens matrimonium factæ, eſt quod legitimati, per omnia, pene natis pares habeantur. Hinc accipiunt teſtimonia natalitia, *geburtsbrieffe v.* CARPZ. *p. 2. C. 6. D. 15.* ſunt in patria poteſtate *§. fin. J. de nupt.* Patris conſequuntur dignitatem CARPZ. *J. E. l. 2. D. 11.* ad opificia, aliaque munera & dignitates admittuntur CARPZ. *d. l. 2. D. 236.* Patri cæterisque cognatis ſuccedunt non tantum in allodialibus *Nov. 74. in præfat. Nov. 89. c. 8. pr.* ſed & ex receptiori ſententia, in feudis CARPZ. *p. 3. C. 28. D. 17.* Idem dicendum, de legitimatis per reſcriptum Principis, ſi primum excipias, & ſucceſſionem ad allodialia, in quibus aliis certum jus nondum quæſitum, regulariter reſtringas *v. Nov. 89. c. 9.* CARPZ. *p. 2. C. 6. D. 27.* conf. LAUTERB. *C. J. de his qui ſui vel alien.*

§. 7. Cæterum hactenus dicta pertinent ad privatos, cum vero illa omnia ſint juris poſitivi, hinc, Imperantes iis non ſubeſſe, manifeſtum eſt. Poſſunt igitur hi, homines illegitime natos, pro hominibus recte natis, ſine prævia legitimatione, habere, iisdemque ea omnia tribuere, quæ his competere ſolent, non tamen in præjudicium jurium, aliis quæſitorum; Et licet, ipſa collatione legitimationem quoque tacite fieri, dicas, attamen illa aſſertione minime opus eſt, cum directe illa, ab Imperante, fieri queant.

§. 8. Inprimis exinde conſequitur, quod Imperantium liberi naturales, de quibus extat Diſſertatio DN. STRYKII *§. 5.* citata, juribus hominum legitime natorum fruantur, id quod experientia etiam ſatis confirmat, hinc legitimatione illi non indigent, licet illa ultro interponi queat: Neque etiam id injuſtum cenſeri debet, per ea, quæ *§. 5.* notata ſunt, quamvis legitima illa liberorum conditio, delicta parentum nunquam tollat vel excuſet, utut Imperantes, qui omnia ſibi licere exiſtimant, nihil deliquiſſe videri velint.

§. 9. Illud tamen non minus liquet, legitimum illum liberorum naturalium ſtatum, ultra limites imperii paterni, non poſſe extendi. Liberum ergo eſt aliis gentibus, naturales ejusmodi liberos, pro legitimis agnoſcere, & non agnoſcere, maxime quoad collationem eorum,

Digitized by Google

quæ ab illarum arbitrio dependet. Ex quo etiam ſequitur, eos nec in regno poſſe ſuccedere, cum ſucceſſio ab arbitrio populi, & legibus fundamentalibus dependeat, niſi regnum ſit patrimoniale, tum enim, voluntate patris, ſuccedere poterunt.

§. 10. Eſt etiam, quoad ſtatum liberorum naturalium, ſpectanda voluntas Patris, cum in iis quoque, quæ ipſius arbitrio ſubſunt, naturales, per omnia legitime natis, exæquare non ſoleat: Denique voluntas privatorum, in nonnullis, liberos naturales, à legitime natis ſeparare poteſt. Sic ſi quis liberis Regis aliquid leget, in dubio, recte natos intellexiſſe videtur. Ex hiſce fundamentis omnia fere repeti & recte decidi poterunt, quæ vage nimis, circa liberos Principum naturales, diſputari ſolent.

§. 11. Quod in ſpecie attinet liberos naturales Statuum imperii, illi quoque, in Territorio, pro hominibus recte natis erunt habendi, hinc in ſpecie, patria poteſtas, quoad eos, merito aſſeritur *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 9. §. 8.* Quia tamen libertas civilis Statuum imperii, apud omnes, non eſt extra controverſiam poſita, ideo quo naturales alibi etiam pro hominibus integræ conditionis habeantur, Cæſaris legitimatio accedere ſolet *v.* VITRIAR. *J. J. P. l. 3. tit. 2. §. 13.* quamvis ad effectum ſuccedendi in Germaniæ Territoria, nec illa legitimatio ſufficiat *v.* ITTER. *de F. J. c. 14. §. 15. 6. 7. 8.* conf. SPEC. JUR. PUBL. *l. 4. c. 4. §. 10. l. 5. c. 3. §. 66.*

§. 12. Adoptio eſt *actus legitimus, quo extranei, tanquam liberi, in familiam aſſumuntur v. l. 1. 4. 25. §. 1. l. 37. 43. 44. ff. l. fin. C. de adopt. l. 7. C. de hæred. inſtit.* Diſtinguitur in *arrogationem*, qua homo ſui juris, Principis autoritate, & *adoptionem in ſpecie*, qua filiusfam. coram Magiſtratu competente, adoptatur *l. 1. §. 1. l. 2. de adopt. v.* GELL. *N. A. l. 5. c. 19.* Hæc iterum eſt vel *plena*, quæ filium fam. & *minus plena*, quæ ſaltem filium facit *§. 2. J. de adopt. l. pen. C. eod.* ſed hæc proprie non eſt adoptio, nec ei definitio data convenit.

§. 13. Invaluit adoptio potiſſimum ob defectum liberorum naturalium, quæ ratio cum omnibus gentibus ſit communis, inde facile liquet, adoptionem Romanis non eſſe propriam, ſed omnibus potius populis communem, quod etiam DN. MÜLDNER. *in Diſſert. de adopt. & emancip. Princip. ſub præſid. B.* KULPIS. *Argentor. 1686. hab.* variis exem-

Digitized by Google

exemplis §. 2. n. 11. *seqq.* illustravit. Interim Romani adoptionem legibus suis specialius determinarunt, inprimis fictionem non exiguus hic creditur esse usus, sed potest, sine illis ineptiis, res hæc solidius & explicari & intelligi.

§. 14. Fit arrogatio utriusque consensu, & arrogandi quidem voluntas expressa etiam requiritur *l. 2. pr. l. 24. de adopt.* Olim fiebat illa in Comitiis, postea vero autoritate Principis *l. 2. 6. C. de adopt. v.* MULDN. *d. dissert. n. 14.* quæ hodie quoque videtur esse necessaria *v.* PHILIPP. *Us. Pract. Inst. Eccl. 73. n. 4.5.* licet NORICUS *in not. ad §. fin. J. de adopt.* competentis Magistratus autoritatem sufficere, sed sine autoritate & ratione, asserat. In arrogatione impuberis insuper exigitur (1.) causæ cognitio, quæ consensum tutorum quoque involvit *l. 17. ff. l. 2. C. de adopt. l. fin. C. de autor. tutor.* (2.) satisdatio de bonis restituendis, arrogato ante pubertatem mortuo *§. 3. J. de adopt. l. 18. seqq. ff. l. 2. C. eod.* In arrogatione minorum, curatorum consensus requiritur *l. 8. de adopt. l. fin. C. de autor. tut.*

§. 15. Adoptio in specie, fit adoptantis, & patris naturalis vel adoptivi consensu, accedente filii voluntate tacita *l. 5. l. 37. §. 1. ff. l. fin. C. §. 8. J. de adopt.* agnatorum consensus haud est necessarius *l. 7. ff. eod.* filii tamen ejus, qui adoptat, consensus, certo modo, requiritur *l. 6. 11. 43. 44. eod.* De cætero olim diversis modis, nempe per *testamentum, baptismum, arma, capillum* & *matrimonium* adoptiones fuerunt peractæ, quorum omnium tamen hodie exiguus vel nullus videtur esse usus *v.* MULDN. *d. dissert. n. 15. seqq.* Diem non recipit adoptio *l. 34. de adopt.*

§. 16. In adoptantibus requiritur (1.) *aptitudo generandi*, licet morbo temporario impediatur *l. 2. §. 1. l. 40. §. 2. de adopt. l. 39. §. 1. de jur. dot.* aut non exerceatur *l. 30. de adopt.* Excluduntur ergo castrati *§. 9. J. de adopt.* quibus tamen Leo *Nov. 26.* hoc jus etiam concessit (2.) *justa ætas*, juxta definitionem *§. 4. J. l. 40. §. 1. de adopt.* (3.) *capacitas habendi patriam potestatem*, hinc fœminæ adoptare nequeunt *§. 10. J. de adopt. l. 5. C. eod. l. 39. §. 3. de inoff. testam.* Leo tamen ipsis hoc etiam permisit (4.) *præsentia*, hinc per procuratorem adoptio fieri nequit *l. 25. §. 1. ff. l. fin. C. de adopt.* (5.) *probabilis liberorum naturalium defectus l. 15. §. 2. l. 17. §. 2. 3. eod.* (6.) *defectus su-*

Digitized by Google

ſpicionis, de utroque illo requiſito cognoſcit judex *l. 17. l. 32. §. 1. l. 37. §. 1. eod.*

§. 17. Adoptantur extranei, id eſt, extra familiam conſtituti, præſentes & conſentientes *l. 24. ff. l. fin. C. de adopt.* maſculi & fœminæ *l. 21. ff. l. 8. C. eod.* modo non impediantur, ut, ratione arrogationis, furioſi *l. 2. pr. eod.* vel prohibeantur, ut ſervi *v. §. fin. J. de adopt.* & à patre adoptivo emancipati *l. 37. §. 1. eod.* plures quoque, ſine cauſæ cognitione, ab uno adoptari nequeunt *l. 15. §. 3. eod.* De cætero adoptandus quis eſt in numerum liberorum, non fratris *l. 7. C. de hæred. inſtit.* illud nihil refert, ſive quis in locum filii, ſive nepotis adoptetur *§. 5. ſeqq. J. de adopt.* ſed ultimum hodie exigui eſt uſus, cum patria poteſtas in filios, tamdiu hodie non duret, ac olim apud Romanos duravit.

§. 18. Arrogati, cum liberis ſuis, rediguntur in poteſtatem patris arrogatoris *§. 11. J. l. 2. §. 2. l. 15. pr. l. 40. pr. de adopt.* adoptati quoque ab aſcendente, patris adoptivi poteſtati ſubjiciuntur *§. 2. J. l. 40. pr. ff. l. pen. C. de adopt.* Porro tam illi, quam hi conſequuntur adoptantis dignitatem *l. 13. 35. de adopt. l. 5. 6. 10. de Senator. l. 4. C. de decur.* quod etiam de hodierna Nobilitate nonnulli aſſerunt *v.* MULDNER. *d. diſſert. n. 6. 16.* Suſtinet interim pater onera filii *l. 45. de adopt.* quem tamen emancipare, vel alii in adoptionem dare poteſt *l. 13. 14. l. 31. ſeqq. ff. l. 9. C. §. 3. 8. J. de adopt. l. 8. §. 15. de inoff. teſtam.*

§. 19. In ſpecie arrogatio & adoptio plena, tribuit jus familiæ & agnationis *l. pen. pr. §. f. C. de adopt.* quod tamen ita intelligendum, ut ſolum adoptatum, cum liberis, quos in poteſtate habet, agnationi adoptantis inſeri dicamus: Cognationem vero in ſpecie ſic dictam, adoptio non operatur *l. 23. de adopt.* Hinc poteſt quis ſororis adoptivæ filiam, uxorem ducere *§. 3. J. de nupt.* cum enim filia illa non fuerit in poteſtate matris ſuæ, hinc manſit extra familiam adoptantis.

§. 20. Porro datur amita adoptiva, non vero matertera *§. 5. J. de nupt.* aut avunculus adoptivus *l. 12. §. 4. l. 17. in fin. de R. N.* nam ſi mas prolem adoptet, eam ſuæ familiæ inſerit, eique in ſpecie, fratrem & ſororem ſuam conjungit, hinc patruus & amita adoptiva exiſtunt, ſoror tamen adoptantis uterina, adoptatum non attinet *l. 12. §. 4. in fin.*

de

Digitized by Google

de R. N. est enim saltem cognata, & extra adoptantis familiam. Ulterius si mas, liberos habens, arrogetur, tum hi, ob patriæ potestatis nexum patris sui fratri aut sorori adoptivæ, velut patruo vel amitæ, conjunguntur.

§. 21. Econtrario cum fœmina adoptare nequeat, ideo neminem hac ratione familiæ suæ inserere, ac in specie, fratri vel sorori suæ, tanquam avunculo aut materteræ, conjungere potest: Quodsi autem fœmina, liberos habens, ab aliquo adoptetur, tum liberi, propter defectum patriæ potestatis, manent extra familiam & agnationem adoptantis, adeoque matris suæ fratrem vel sororem adoptivam, avunculum aut materteram dicere non possunt.

§. 22. Cæterum quod sola agnatio, per adoptionem, constituatur, id videtur ad tempora antiqua, quibus illa jus succedendi unice tribuebat, pertinere, postquam vero cognatio agnationi, quoad successionem, exæquata est *Nov. 118. c. 4.* non improbabile videtur, si adoptione cognatione etiam constitui dicamus, adeo ut adoptatus, tam cognatis quam agnatis adoptantis, succedere possit. Sed uti hoc aliorum discussioni ulteriori relinquimus, ita certum est, quod, ad effectum succedendi in feuda, adoptio nihil operetur *II. f. 26. §. adoptivus* nam feuda solum, pro liberis naturalibus concedi solent.

§. 23. Adoptio minus plena, quæ fit ab extraneo, qui scilicet inter ascendentes non occurrit, neque patriam potestatem, neque jus agnationis operatur, sed adoptatus nihil aliud consequitur, quam ut in domo patris adoptivi alatur, eique ab intestato succedat *§. 2. J. l. pen. C. de adopt.* Idem forte dicendum de adoptione imperfecta fœminæ *§. 10. J. de adopt.* quamvis tali adoptato, jura successionis ab intestato fortè tribuere non liceat, sed ille comparandus videatur filio, per conventionem assumto *l. 132. de V. O.*

§. 24. Jura adoptionis hodie quoque observantur, licet usus eorum non adeo frequens sit *v.* MULDNER. *de adopt. & emanc. Princ. n. 1. seqq.* Possunt etiam decreta positiva mutari, nam Romanis visum est, adoptionem attemperare naturæ *§. 4. J. de adopt.* sed cum illa, in hujus subsidium, invaluerit, non incongruum est, si à regulis naturalibus, adoptio quandoque abeat, quod Imperator Leo respexit *v. §. 16.* Prout ergo visum fuerit, ita jus erit, in dubio interim, pro autoritate juris Romani, pronunciandum videtur.

§. 25.

§. 25. Adoptioni hodie comparari ſolet *Unio prolium*, quæ eſt *actus, quo liberi diverſorum matrimoniorum, quoad jus ſuccedendi, exæquantur v.* HAHN. *de jur. rer. Concl. 73.* EKHOLT. *ad ff. de adopt. §. 10. ſeqq.* LAUTERB. *C. J. de adopt.* CARPZ. *l. 5. Reſp. 6.* STRAUCH. *exerc. 4. §. 23.* Conſiſtit adeo ſimilitudo in eo ſolum, quod liberi, ratione parentum diverſorum, æquale ſuccedendi jus conſequantur, patriam vero poteſtatem aliosque adoptionis effectus, unio illa non producit *v.* SCHILT. *ad ff. exerc. 3. §. 17.* MULDNER. *d. diſſert. n. 2.*

§. 26. Hactenus de adoptionibus dicta, ad ſummos Imperantes, & Status imperii germanici, ſuo modo, applicari poſſunt, nam & illi, tam in uſum regni aut Territorii, quam privatæ rei familiaris, alios adoptare poſſunt & ſolent, quod variis exemplis illuſtravit DN. MULDN. *d. diſſert. §. 3. n. 22. ſeqq.* Uti autem, in ejusmodi adoptionibus, tam publicis, quam privatis, primario leges fundamentales, ſi quæ occurrant, obſervari debent, ita leges Romanæ præciſe non ſunt attendendæ, hinc in ſpecie matrem vel fratrem, Imperantes adoptare poſſunt *vid.* MULDNER. *d. diſſert. §. 5. n. 54.* nec aliud dicendum de Statibus imperii germanici, etſi nonnullis aliter videtur *vid.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 9. §. 10. ſeqq.*

CAPUT XIV.
DE SOCIETATE DOMESTICA.

SUMMARIA.

Origo Societatis domeſticæ §. 1.
Ejus habitus in ſtatu naturali & civili §. 2.
Officium parentum & liberorum §. 3.
In ſocietate domeſtica etiam occurrunt ſervi & miniſtri §. 4.
Officium famulorum mercenariorum §. 5.
Ob juſtam cauſam ante tempus diſcedere poſſunt §. 6.
In Saxonia ruſtici operas coactas præſtare debent §. 7.
Officium domini erga ſervum §. 8.
Mortuo ante tempus domino vel famulo quousque merces debeatur §. 9.
Operæ famulorum aliis locari nequeunt, nec ſubſunt illi regulariter domini coercitioni, aliquando ejus forum ſortiuntur §. 10.
Privilegia ratione mercedis famulis competentia §. 11. 12.
Liberis operas ſerviles præſtantibus quando debeatur merces §. 13.
Famulis aliquando accedunt miniſtri §. 14.
Eorum & dominorum officium §. 15.

§. 1.

Digitized by

§. 1.

SOcietatem conjugalem, ex voto Parentum, ſequitur paterna, liberis ſuſceptis; Si conditio & opes id permittant, ad expedienda negotia domeſtica, famuli & miniſtri alliciuntur, ex quibus ſocietatibus, *ſocietas domeſtica* ſive *familia* exiſtit. Varia quidem hoc ultimum nomen ſignificat *v. l. fin. de cap. minut. l. 4. de his qui ſui vel alien. l. 195. 196. de V. S. v.* FABR. *Lexic. in* voc. *familia.* Sed ſenſu juris Gentium, ipſis etiam Romanis non incognito, ſocietatem domeſticam notat, quamvis hæc non ſemper tres illas ſocietas ſimplices requirat, ſed aliquando etiam ex duabus, imo una conſtet, ejus igitur habitum hic breviter delineabimus.

§. 2. Si familiam in ſtatu naturali ſpectemus, tum eſt inſtar Reipublicæ vel Corporis liberi, hinc hujus jura, ei non male tribuuntur *v.* OBSERV. PUFEND. *Obſ. 515. 539.* Si autem, in ſtatu civili, eam conſideremus, tum pertinet ad ſocietates dependentes & ſubalternas, in quas ſubditi, quo commodius imperium civile diſpenſari queat, digeſti ſunt. Uti igitur eos, qui familiam conſtituunt, ea facere oportet, quæ bonos cives decent, quod generale omnium ſubditorum eſt officium, ita inſuper eo conniti debent, quo ſocietatis ſuæ utilitas innoxia conſervetur & promoveatur.

§. 3. Pater itaque & materfamilias domeſticos ſuos, ad virtutis exercitium, ac inprimis ad laborem & parſimoniam revocare, iisque exemplo ſuo præire debent. In ſpecie conjuges, mores ad concordiam prudenter attemperare tenentur, ac uxor in parte curarum domeſticarum capeſſenda, marito adjutorio eſſe, operasque in uſum familiæ, præſtare debet *v. l. 48. de oper. libert. l. 31. de donat. inter V. S. U. v.* CARPZ. *p. 2. C. 25. D. 15.* Porro liberi recte ſunt educandi, de quo *c. 11.* dictum, ſicut horum officium eſt, pro virili, operas utiles parentibus exhibere. Sæpe interim diſciplina domeſtica maxime corrupta eſt, ac omnes inertia & luxu ita diffluunt, ut eos honeſti laboris pudeat.

§. 4. Quod in ſpecie eos attinet, qui ad expedienda negotia domeſtica aſſumuntur, poſſunt illi in *ſervos* & *miniſtros* diſtingvi, nam non omnem libertatis reſtrictionem, involvere ſervitutem, adeoque

eos, qui, ex obligatione, operas quasdam præstare tenentur, diversæ esse conditionis *l. 3. c. 2. §. 6. seqq.* ostensum est, hinc, notandæ diversitati, termini illi adhiberi possunt. Servitus in universum est vel *legalis*, quæ, occasione captivitatis bellicæ, per legem introducitur, & *pactitia*, quæ ex locatione & conductione dependet.

§. 5. Servitus legalis apud Romanos valde fuit usitata, ejus indolem breviter exposui *l. 2. c. 1. §. 11. seqq.* conf. OBSERV. PUFEND. *Obs. 526. seqq.* sed cum illa hodie non sit in usu, ideo opus non est, ut de ea quædam hic dicamus. Pactitia vero ex iis, quæ de locatione operarum *l. 4. c. 6.* dicta sunt, fere intelligi potest: Debent scilicet famuli mercenarii operas diligenter præstare, ab omni infidelitate abstinere, damnum sua culpa datum resarcire, ac reverentiam dominis exhibere, nec ante tempus conventum discedere, alioquin ipsis non tantum merces, pro rata temporis, negari potest, sed & illi insuper id, quod interest, præstare debent. *v. l. 15. §. 6. 8. locat.*

§. 6. Ob justam vero causam, v. gr. dominorum duritiem, famuli ante tempus discedere possunt *v. §. fin. J. de his qui sui vel alien.* talis tamen causa non est si dominus, calore iracundiæ, famulum jubeat domo exire, & ad eam nunquam reverti, nam ex inconsiderata locutione, obligationis remissio colligi nequit: argumentum, quod, rei huic probandæ, vulgo ex *l. 1. §. 4. de migrand. l. 42. de V. O. l. 13. §. 8. de A. E. V. l. 1. C. de serv. fugit.* desumitur *v.* LAUTERB. *C. J de fugitiv.* nimis longe petitum, & invalidum est.

§. 7. Jure Saxonico vel consvetudine obtinere quidem putant, ut famulis ante tempus discedentibus nulla plane merces sit solvenda *v.* COLER. *Dec. 201. n. 13.* CARPZ. *p. 2. C. 51. D. 13.* quod tamen non satis certum. Illud certius, quod rustici, in Saxonia Electorali, operas coactas pro æqua mercede dominis suis, per biennium, nisi justæ causæ, ut nuptiæ, avocaverint, præstare debeant *v. Sächs. gesinde ordnung tit. 3.* CARPZ. *p. 2. C. 51. D. 9. l. 1. Resp. 58. 59.* Si tamen dominus prædium alii locaverit, ac conductor operis coactis utatur, tum illi, extra prædium habitanti, nullæ amplius præstandæ sunt *v.* OBSERV. LAUT. *Obs. 586.*

§. 8. E contrario dominus, in exigendis servitiis, humanitatis rationem habere, mores famulorum placide, sine acerbitate & jurgio, corrigere, ac eorum insciticæ, dextra informatione, in iis quæ ad officium

Digitized by Google

cium pertinent, succurrere tenetur. Inprimis alimenta, merces & quicquid alias promissum est, bona fide famulis præstari debent: Damnum tamen, quod in servitio acceperunt, à domino non est resarciendum, nisi ex humanitate CARPZ *p. 2. C. 51. D. 14.*

§. 9. Mortuo, ante finitum tempus, famulo, merces saltem, pro rata temporis debetur, quod jure Saxonico approbatum *Landr. l 1. art. 22.* CARPZ. *d. l. D. 12.* COLER. *Dec. 201. n. 14. 15.* si vero dominus ante tempus famulum, sine causa, expellat, integram mercedem ei solvere tenetur *Landr. l. 2. art. 32.* CARPZ. *d. l. D. 13. n. 6.* COLER. *d. l. n. 11. seqq.* Mortuo domino, hæredes mercedem saltem, usque ad mortem domini, jure Saxonico solvunt, ac ab hac, usque ad diem tricesimum, alimenta præstant *Landr. l. 1. art. 22.* CARPZ. *d. l. D. 11.* si tamen integra merces famulis jam fuerit soluta, post mortem domini, nihil reddunt COLER. *d. l. n. 9. 10.* Sed hæc omnia videntur esse accipienda de eo casu, quo, ex conditione domini, famuli satis intellexerunt, eo mortuo, locationem esse exspiraturam. Alias standum videtur regulæ in *l. 10. C. de locat. §. fin. J. eod.* traditæ.

§. 10. Operas famulorum, aliis locare dominus non potest, nam certa persona electa est *v. l. 12. §. 5. de us & habit.* nec valet argumentum ab usu rerum *v. l. 7. ff. l. 6. C. locat.* ad usum operarum, quod aliqui urgent *v.* LAUTERB. *C. J. locat. lit. O.* verb. *operæ.* Coercitioni quoque dominicæ, famuli delinquentes non subsunt, nisi domino alias jurisdictio comperat *v.* CARPZ. *p 2. C. 51. D. 16.* Aliquando etiam famuli, domini sui forum fortiuntur *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 1. §. 12. in fin. ibique* STRYK. *in not.*

§. 11. Ratione mercedis, varia jura famulis competunt (1.) non tenentur domo domini antea excedere, quam ipsis merces exsoluta CARPZ. *p. 2. C. 25. D. 22.* (2.) in concursu creditorum gaudent privilegio prælationis CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 24. seqq.* & nihil refert, sive tempore concursus, in domo debitoris adhuc sint, sive non, licet prius exigat CARPZ. *d. l. D. 25.* nam eadem utrobique est ratio, in contrahendis obligationibus, tempus contractus inspicitur, hinc sufficit, quod eo tempore famuli in domo domini fuerint, tempus secutum ad accidentia pertinet, nec jus quæsitum mutare potest.

§. 12. Præterea famulis mercedem petentibus (3.) non obstat exceptio induciarum quinquennalium, (4.) quantitatem etiam mercedis,

dis ſuo juramento probare poſſunt *Landr. l. 1. art. 22. §. verleugnet man* modo conſtet (1.) *eos fuiſſe in ſervitio*, quod quidem non juramento ſuo, ſed aliis mediis probare debent, quia ſcilicet talis probatio non facile eſt defutura (2.) *de pretio conventum ſit*, quod ex primo præſumitur (3.) *verbotenus ſaltem, ſine inſtrumento confecto, conducti ſint* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 34. 35.* ſi tamen inſtrumentum perierit, juramento utique locus erit concedendus.

§. 13. Si filii aut filiæ, in domo Patris, operas ſerviles vel ancillares præſtent, tum bonorum adventitiorum fructus, à Patre exigere quidem nequeunt, mercedem tamen, Patre illis bonis fruente, recte exigunt *v. c. 45. in fin. c. 12. qu. 2. c. 10. X. de Simon.* CARPZ. *p. 2. C. 10. D. 8.* ſed privilegio prælationis non gaudent, niſi certa merces promiſſa ſit. Quodſi bonis adventitiis deſtituti, à Patre, ex propriis bonis, alantur, mercedem, ſepoſita promiſſione, petere omnino non poſſunt CARPZ. *p. 2. C. 28. D. 31. 32.*

§. 14. Famulis vel ſervis, pro conditione Patris & Matrisfamilias, aliquando accedunt *Miniſtri v. §. 4. h.* qui non vilia munera aut duros corporis labores ſubeunt, ſed munera honoratiora, cum exiſtimatione quadam ſuſtinent, eoque nomine ſalaria non contemnenda accipiunt. In hunc ergo cenſum omnes referri poſſunt, qui in ditiorum, Nobilium, perſonarum illuſtrium, Principum apanagiatorum, imo ipſorum Imperantium familiis ſeu ſocietatibus domeſticis, functiones quasdam obeunt, quos licet magnus ſplendor nonnunquam circumfulgeat, attamen illi rationes privatas non excedunt, adeoque non male huc referuntur *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 5. c. 7. §. 9.*

§. 15. Varietatem, conſtitutionem & officium horum miniſtrorum ſigillatim perſequi, nimis longum & à noſtro inſtituto, alienum foret. In genere igitur notaſſe ſufficiat, quod homines probi & idonei muneribus illis ſint adhibendi, quodque tam domini, quam miniſtri fidem ſervare, adeoque officio ſuo rite fungi debeant. Præterea tam illi qui prolixiores familias alunt, quam qui eas conſtituunt, debebant meminiſſe, quod, legibus divinis & Reipublicæ utilitate id exigentibus, ultra vires non nitendum, ac honeſto labori & parſimoniæ vacandum ſit. Sed quantopere otium ignavum & luxus ſocietates illas domeſticas, magno Reipublicæ damno, corruperit, notius eſt, quam ut hic prolixe commemorari debeat.

CAPUT

CAPUT XV.

DE TUTELA CONSTITUENDA.

SUMMARIA.

Origo tutelæ & curæ §. 1.
Jure romano differunt, sed germanico fere coincidunt §. 2.
Tutela generaliter & specialiter accipitur §. 3.
Specialis tripliciter supponi potest §. 4.
Ejus juxta significatum principalem indoles & varietas §. 5.
Defert tutelam pater §. 6.
Si requisita quædam deficiant, aliquando confirmatur, quæ confirmatio semper hodie est necessaria §. 7.
Deficiente testamentario tutore sequitur legitimus §. 8.
Si post susceptam tutelam ille deficiat, quid juris §. 9.
Tutela legitima est ordinaria §. 10.
Et extraordinaria §. 11.
Quæ defertur matri & aviæ §. 12.
Positis certis requisitis §. 13.
Deficiente tutela testamentaria & legitima, sequitur dativa §. 14.
Quæ hodie constituitur à Magistratu competente §. 15. 16.
Vel ex officio vel ad aliorum petitionem §. 17. 18.
Defertur personis habilibus §. 19. 20.
Quæ eam suscipere tenentur §. 21.
Datur tutor pupillis §. 22.
In specie pater liberis tutorem constituit §. 23. 24.
Modus deferendi tutelam, pro diversitate personæ deferentis, est diversus §. 25.
Delatum tutelam sequitur acceptatio & decretum Magistratus §. 26.
Confectio inventarii §. 27.
Vel privatæ consignatio aut jurata specificatio §. 28.
Juramentum & satisdatio §. 29.

§. 1.

MOrs sæpe patrem liberis aufert, antequam hi ad illam pervenerint ætatem, ut actiones suas recte moderari queant. Æquitas igitur & utilitas exigit, ut, in demortui locum, alius velut surrogetur, inde invaluit *Tutela* & *Cura*, quas adeo non Romanis proprias, sed omnibus gentibus communes esse, facile liquet *v. §. pen. J. de Attilian. tutor.* In multis etiam partibus, communi jure naturali, illæ reguntur, sed, in quibusdam, leges civiles certæ alicujus Reipublicæ, specialius eas efformant, quæ apud alias gentes non indistincte obtinent.

§. 2. Apud Romanos, ætas *impubes* & *minor*, quoad res agendas, discernebatur *v. l. 2. c. 1. §. 9.* hinc apud eos *Tutela* & *Cura* accurate etiam fuerunt distinctæ, utut nihilominus, in multis capitibus, eadem utriusque sint jura. *v. l. 13. pr. de excus.* Sed in Germania, utraque ætas eodem fere loco habetur, adeoque tutelæ & curæ differentia vel nulla vel modica, sæpe certe non alia est, quam quæ, ex

Digitized by Google

præjudiciis juris Romani, asseritur *add.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 7. c. 26.* Interim nihilominus utramque seorsim considerabimus, nam illa tractandi ratio extra reprehensionem erit, quamcunque etiam assumas sententiam: Si enim tutelam & curam distinctas putes, separata tractatione omnino opus est, si vero illas coincidere existimes, nihil tamen impedit, quo minus eandem rem, sub diversis nominibus, pro diversitate ætatis imperfectæ, bis consideremus.

§. 3. Tutela generaliter accepta, notat quamvis defensionem *l. 3. de J. & J. l. 15. de impens. in rem dot.* Specialiter vero defensionem ætatis imperfectæ, quo sensu tamen iterum vel latius accipitur, ut curam quoque comprehendat, *v. l. 101. §. 2. de condit. & demonstr. l. 5. C. de curat. furios.* vel ad ætatem impuberem unice refertur, hoc respectu dicitur *vis & potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui propter ætatem suam sponte se defendere nequit, jure civili data ac permissa l. 1. ff. §. 1. J. de tutel.* conf. *l. 5. de offic. assessor. l. 26. pr. in fin. de fideicomm. libert.* GELL. *N. A. l. 5. c. 19. l. 1. c. 7.*

§. 4. Sed ut penitius tutelæ indoles intelligatur, videtur illa tripliciter accipi posse (1.) pro *actu*, quo tutor constituitur, hoc sensu ad contractus, inprimis hodie, recte refertur *v. l. 23. de R. J.* utut, alio respectu, quasi contractum, compilatores Institutionum effinxerint *§. 2. J. de oblig quæ quasi ex contr.* (2.) pro *jure* & *obligatione* tutoris, quo respicit definitio vulgaris, (3.) pro *officio* quod inde profluit, sive pro ipsa defensione, aut directione & administratione, cui sensui nomen ipsum maxime convenit.

§. 5. Medius significatus, principalis est, eoque sensu tutela rectius dicitur *Jus & obligatio, pupilli actiones recte dirigendi, ejusdemque bona administrandi.* Dividitur (1.) *à modo constituendi*, in testamentariam, legitimam & dativam *v. l. 52. C. de episc. & cler.* (2.) à *fine* in honorariam *l. 3. §. 2. de admin. tutor.* adjuvantem *l. 32. §. 1. de testam. tutel. l. 14. §. 6. de solut.* & administrantem *l. 14. §. 1. de solut.* De cætero tria summatim circa tutelam considerari possunt (1.) quomodo constituatur (2.) quid constituta operetur, & (3.) quomodo impediatur vel tollatur.

§. 6. Constituitur tutela mutuo consensu sive *delatione* & *acceptatione*, accedentibus iis, quæ ex regulis æquitatis & utilitatis, lex posi-

poſitiva inſuper requirit. Primo defert tutelam pater liberis impuberibus, in ejus poteſtate exiſtentibus *l. 1. pr. l. 11. de tutel. teſtam. l. 9. §. 1. de tutel. & ration. diſtr. l. 7. pr. C. de curat. furioſ. l. 3. §. 1. de admin. tutor. Nov. 118. c. 5. l. 4. §. 2. de in jus voc. l. 51. de V. S.* & quidem teſtamento, vel codicillis eodem confirmatis *l. 1. pr. l. 3. de tutel. teſtam.* non alia ultima voluntate *l. 1. §. 1. ff. l. 2. C. de confirm. tutor.* ſufficit tamen teſtamentum privilegiatum, nam & hoc perfectum eſt *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 802.* In genere autem requiritur, ut teſtamentum validum ſit, nec ex poſtfacto corruat *l. 9. de teſtam. tutel.* datio tamen, in teſtamento inofficioſo, facta *v. l. 8. §. 16. l. 13. 28. de teſtam. inoff.* hodie valet *Nov. 115. c. 3. in fin.*

§. 7. Quodſi ea deficiant, quæ ad ultimam voluntatem, tutelam vel curam, in genere ſunt neceſſaria, tum datio tutoris plane eſt inutilis *v. l. 26. pr. de teſtam. tutel. l. 55. de legat. 1.* ſi vero ea deſint, quæ tutelæ teſtamentariæ propria ſunt, ut ſi Pater filio emancipato *§. fin. J. de tutel.* vel liberis puberibus *l. 1. §. fin. de confirm. tutor. l. pen. de curat. furioſ.* aut mater tutorem det *l. 4. de teſtam. tutel. l. 4. C. eod. l. 2. de confirm. tutor.* vel datio non fiat in teſtamento *l. 1. §. 1. l. 3. ff. l. 2. C. de confirm. tutor.* tum eam Magiſtratus confirmat *l. 1. §. 2. l. 2. §. 8. 9. 10. eod.* qui tutor confirmatus, magis teſtamentarius, quam dativus eſt. Hodie omnium tutorum confirmatio eſt neceſſaria *Ord. polit. A. 48. tit. 31. & 1577. tit. 32.* hinc ſcrupuloſitas juris civilis, nullius eſt uſus *v.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 804. 805.*

§. 8. Deficiente tutore teſtamentario, à lege immediate aliquis conſtituitur, qui *legitimus* dicitur. Sunt tamen hic diverſi caſus ſeparandi: Si nullus tutor teſtamento ſit conſtitutus, aut datus ante teſtatorem moriatur, vel ſe, à tutela oblata, excuſet, tum ſine dubio legitimus admittitur *l. 6. de legit. tutel. §. 2. J. eod.* ſi vero in teſtamento, tutor ex certo tempore, vel ſub conditione datus ſit, interim non legitimus, ſed dativus tutor tutelæ præeſt *§. 1. J. de attil. tutor.* Quodſi certum evadat, teſtamentarium exiſtere non poſſe, tum legitimus admittendus erit *arg. l. 11. pr. de teſtam. tut.*

§. 9. Si poſt ſuſceptam tutelam, teſtamentarius deficiat, tum, excluſo legitimo, ſemper dativum ſequi, aliqui volunt. Sed rectius diſtinguitur utrum tutor teſtamentarius *moriatur vel etiam, elapſo tempo-*

Digitized by Google

tempore, aut existente conditione, à tutela abeat, an vero *se excuset vel removeatur*, illo casu, legitimus, hoc, dativus admittitur *l. 11. §. 1. 2. 3. de testam. tutel. l. 6. de legit. tutor.* nam primo casu, testator tutorem testamentarium, ut temporarium saltem, consideravit, hinc ea intentione illum non constituit, ut legitimum perpetuo excluderet, sed secundo casu, ut perpetuum & legitimos semper excluſurum, eum dedit *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 807.*

§. 10. Est autem tutela legitima, vel *ordinaria*, vel *extraordinaria.* Illa defertur cognatis habilibus, qui in successione ab intestato proximi sunt, si plures sint ejusdem gradus, omnes admittuntur, sed ita ut unus vel aliqui, periculo omnium, administrent *v. l. 10. §. 7. de excus. tutor. l. 9. 10. 11. de Legit. tutor. Nov. 118. c. 5.* In Saxonia, agnati cognatis in tutela censentur esse potiores, ita quidem ut, inter pares, Seniori eadem debeatur *Landr. l. 1. art. 23. v.* PHILIPP. *us. Pract. l. 1. Eclog. 81.*

§. 11. Hæc, sive extraordinaria, defertur matri vel aviæ *Nov. 118. c. 5.* Olim hæc tutela erat dativa, dum, præter regulam *l. 1. C. quand. mul. tut. offic.* laudatis personis judex eam aliquando deferebat *l. 2. 3. C. eod. l. fin. de tutel.* Hodie vero illæ, ex legis præscripto, omnibus collateralibus, non vero ascendentibus legitimis, præferuntur *d. Nov. 118. c. 5. l. 2. 3. C. quand. mul. tut. offic.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 13.* tutores testamentarii *d. Nov. 118. c. 5.* & consequenter confirmati *v. l. 27. de testam. tutel.* matre quoque aut avia sunt potiores.

§. 12. Defertur hæc tutela à lege, matri &, hac deficiente, aviæ, vel duabus aviis simul *l. 9. de legit. tutor. Nov. 118. c. 5.* verb. *hæreditatis ordinem* non etiam Novercæ, nam & verba & sententia legis, quoad eam, deficiunt *v. l. 69. de legat. 3. l. fin. C. de his qui ven. ætat.* nec aliis fœminis *d. Nov. 118. c. 5.* De cætero sola testatoris prohibitio tutelam maternam excludere non videtur, cum enim hæc, deficiente testamentaria, locum habeat, ideo, hac omissa, testator, alio modo, matri jus quæsitum auferre non potuit *l. 11. de R. J.*

§. 13. Uti autem hæc tutela, ad liberos etiam naturales pertinet *l. fin. C. quand. mul. tutel. offic. Nov. 89. c. 14.* ita in genere requiritur, ut (1.) mater sit habilis, *arg. Nov. 118. c. 5.* debitrix tamen aut creditrix quoque admittitur *Nov. 94. c. 1.* (2.) futuris nuptiis, SCto Vellejano aliis-

aliisque privilegiis fœmininis, jurato & judicialiter renunciet *l. 2. 3. C. quand. mul. tutel. offic.* ſed juramentum poſtea remiſſum eſt *Nov. 94. c. 2. Nov. 118. c. 5.* in genere etiam renunciatio ſecundarum nuptiarum eſt fruſtranea & tuto poteſt omitti, cum ſufficiat, quod mater nubens, à tutela poſſit excludi *Nov. 94. c. 2.* (3.) mater ultro tutelam ſubeat *Nov. 118. c. 5.* verb. *permittimus* (4.) in Saxonia, eandem Curator, in adminiſtranda tutela, quandoque adjuvet *v.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 11. 12. 14.*

§. 14. Si actu non adſit tutor teſtamentarius vel legitimus, tum Magiſtratus tutorem, qui *dativus* dicitur, vel in ſubſidium, vel principaliter conſtituit. *v. pr. §. ſeqq. J. de attil. tutor.* Ordine illo neglecto, datio eſt nulla *l. 9. C. qui dar. tutor.* quod tamen hodie tam rigide obſervari non videtur, quamvis id etiam conſiderandum ſit, quod ſæpe tutor à Magiſtratu detur ideo, quod legitimi non ſint idonei, aut excuſentur, vel nulla moveatur contradictio. Id de jure Romano non ſatis expeditum, utrum, certis in caſibus, tutor vel curator ſit conſtituendus *v. l. 27. de teſtam. tutel. l. 9. C. qui dar. tutor. l. 9. C. qui pet. tutor. §. 5. J. de curat. l. 17. de tutel. l. 39. §. 8. de admin. tutor. l. 21. §. fin. de excuſ. tutor. l. 12. 15. de tutor. dat. t. t. C. in quib. caſ. tutor. vel cur. hab. v.* HUBER. *prælect. l. 3. c. 19.* cujus ſollicitudinis hodie nullus eſt uſus.

§. 15. Jure Romano ille ſolum Magiſtratus tutorem conſtituere poterat, cui ſpecialiter illa poteſtas lege erat conceſſa *l. 6. §. 2. de tutel.* ſed hodie ex jurisdictione civili ſive inferiori, jus eandi dependet *v.* FRANSK. *l. 1. Reſ. 16 n. 4.* Requiritur tamen, ut Magiſtratus ſit competens, tam ratione pupilli *v. l. 27. de tutor. dat. l. un. C. ubi pet. tutor. vel curat.* quam tutoris *l. 1. §. f. l. 3. 4. de tutor. dat. l. 5. C. qui dar. tutor.* municeps tamen præciſe, tutor conſtituendus, eſſe non debet *l. 10. de tut.* cum incolatus vel ſimilis ſubjectio ſufficiat *v. l. 239. §. 2. de V. S.*

§. 16. Eſſe autem competentiam hodie, non ex legibus Romanis, ſed Statu Territoriorum germanicorum, ac legibus provincialibus judicandum, ultro liquet, hinc eorum, quæ in *l. 24. de tutor. dat. l. 21. §. 2. de exc. tutor.* habentur, hodie nullus eſt uſus. Illud etiam aliquando fieri ſolet, ut ab incompetente judice tutor conſtituatur v. gr. civis Academicus à Conſiſtorio, quo caſu etiam foro, intuitu tutelæ, renunciari ſolet, cujus ratio, ex conſenſu eorum, quorum intereſt, repeti debet.

Tutor, in loco domicilii constitutus, etiam bona alibi sita administrare potest, nisi diserte aliud constitutum sit.

§. 17. Debet autem Magistratus vel ex officio *l. 2. §. 2. qui pet. tutor l. 6. C. qui dar. tutor. Ord. polit. 1548. tit. 31. 1577. tit. 32. Decis. Saxon. 41. in fin.* vel, ad petitionem aliorum, tutores constituere. Et mater quidem tutores idoneos, quoties alius tutor deficit, petere tenetur, sub pœna amittendæ successionis *l. 2. §. 1. l. 4. qui pet. tutor. l. 2. §. 23. ad SCt. Tertull. l. 3. 6. C. cod. l. 10. C. de legit. hæred.* modo liberi intra pubertatem decesserint *l. 3. C. ad SCt. Tertull. l. 10. C. de legit. hæred. l. 8. §. 1. de jur. Codic.* ac mater intra annum non petierit tutores *§. 6. J de SCt. Tertull. l. 2. §. 43. ff. cod. l. 10. C. de legit. hæred.* & major sit *l. fin. C. qui pet. tutor. l. 2. C. si adverſ. delict.* nec tutores testamentarii vel legitimi præcedant *l. 9. C. qui pet. tutor. v.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 17.*

§. 18. Sub eadem pœna alii cognati, qui spem succedendi proximam habent, tutores petere tenentur *l. 10 C. de legit. hæred.* Ultro autem, aut saltem sine metu pœnæ, eos petunt cognati remotiores aliique amici *l. 2. pr. qui pet. tutor.* qui etiam sumtus, in petitionem factos, à pupillo repetunt, nisi alius, gratis illo officio functurus, concurrat, *l. 2. C. de N. G.* si ex his nemo petat, illi quorum interest, v. gr. Creditor contra pupillum actionem moturus, officium illud subire debent *l. 2 §. 3 qui pet. tutor. conf.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 808. 809.*

§. 19. Defertur tutela personis *habilibus*, quales sunt omnes, qui usu rationis gaudent, commoda pupilli promovere possunt, nec, ob rationes speciales, per legem positivam, ab hoc munere, arcentur; Regulariter quivis præsumitur habilis donec probetur contrarium, hinc etiam v. gr. vitricus *l. 32. §. 1. de adopt. l. 2. C. de interd. matrimon. inter pup. l. fin. C. de contrar. judic. tutel.* & infamis, tutor constitui potest *l. 1. §. 6. 8. de postul. l. un. C. de infam.* sed de hoc forte non facile quæstio incidet.

§. 20. Natura ergo tutores esse impediuntur furiosi similesque *v. l. 40. de R. J. l. 1. §. 2. 3. de tutel.* testatori tamen, in spem & eventum reconvalescentiæ, tales etiam constituere licet *l. 11. de tutel. l. 10. §. 3. de testam. tutel.* Legibus autem prohibentur minores *l. fin. C. de legit. tutel.* (qui tamen à testatore iterum dari possunt *§. 2. J. qui testam. tutor.*) mulie-

mulieres *l. fin. de tutel. l. 1. C. quand. mul. tutel. l. 2. de R. J. l. 18. C. de procur.* excepta matre & avia *Nov. 118. c. 5.* prodigi *l. 1. de curat. furios. l. 12. §. 2. de tutor. dat. l. fin. C. de legit. tutel. v.* CARPZ. *5. Resp. 80. n. 23.* milites *l. 4. C. qui dar. tutor.* Clerici *l. 52. C. de episc. & Cler.* quod hodie non obſervatur; Creditores & debitores *Nov. 72. c. 1. ſeqq. v. l. 8. C. qui dar. tutor. l. 7. C. de excuſ. tutor.* LAUTERB. *C. J. de tutel.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 19. 20.* FINCKELTH. *Obſ. 28. Deciſ. Saxon. 34. 35.*

§. 21. Debent autem perſonæ habiles tutelam oblatam ſuſcipere *l. fin. pr. C. de admin. tutor.* à qua neceſſitate, tutela, *munus publicum* dicitur *pr. J. de excuſ. tutor. v.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 799.* De cætero uti nihil refert, utrum abſens an præſens, unus vel plures conſtituantur *l. 5. 23. de tutor. dat.* ita magiſtratus illum ſaltem conſtituit, qui ejus jurisdictioni ſubeſt *v. §. 15. 16. h.* ſed teſtator *l. 32. de teſtam. tutel.* & multo magis, lex, ad certam aliquam jurisdictionem, non adſtringuntur; Verum cum hodie Magiſtratus confirmatio ſemper requiratur, illud vix obſervatur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 803.* A teſtatore prohibitum, vel alias ſuſpectum, magiſtratus tutorem non conſtituit *l. 21. §. 2. 5. 6. de tutor. dat.*

§. 22. Dantur tutores *pupillis eorumque bonis l. 12. ſeqq. de teſtam. tutel. l. 239. de V. S.* conf. *l. fin. §. 2. de V. O. l. 4. C. de neceſſ. hæred. inſtit.* nec illius ſubtilitatis, qua *perſonæ principaliter, bonis minus principaliter tutor dari perhibetur*, hodie aliquis videtur eſſe uſus *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 800.* Solent autem ætatis pupillaris tres gradus aſſeri *v. §. 9. J. de inutil. ſtipul. l. 111. de R. J. l. 23. de furt. l. 18. C. de jur. delib.* CARPZ. *pr. crim. qu. 143. n. 30. ſeqq.* cujus tamen diſtinctionis, quoad rationes adminiſtrandæ tutelæ, nulla hodie eſt neceſſitas. De cætero tutores dantur pupillis præſentibus & abſentibus, ignorantibus etiam ac invitis *l. 5. 6. de tutor. dat.*

§. 23. In ſpecie Pater dat tutores liberis ſuis, cujuscunque ſexus & gradus, natis & naſcituris *l. 1. pr. §. 1. de teſtam. tutel.* neque tamen ſemper omnibus liberis, tutores dediſſe cenſeri debet, hinc circumſtantiæ voluntatis, & verborum ſignificatus, probe conſideranda ſunt *v. l. 5. 6. l. 16. de teſtam. tutel. l. 45. de legat. 2. l. 56. 84. 201. 220. de V. S. §. fin. J. qui teſtam. tutor. dar.* Requiritur autem, ut liberi ſint (1.) impuberes, ac (2.) in poteſtate teſtatoris exiſtant *l. 1. pr. de teſt. tut.* quod tamen hodie,

ob generalem confirmationis neceſſitatem, non adeo attenditur *v. §. 7.* nec (3) poſt mortem teſtatoris, in alterius poteſtatem, recidant *l. 1. §. fin. de teſt. tut. l. 73. §. 1. de R. J.*

§. 24. Illud nihil refert, ſive liberi à Patre hæredes inſtituantur, ſive exhæredentur, ſed mater, tutorem conſtitutura, liberos quoque inſtituere debet *l. 4. 10. §. 2. l. 31. de teſt. tutel.* ſi poſthumo tutor datus ſit, datio utilis eſt, licet vivo teſtatore, ille naſcatur *l. 16. §. fin. de teſt. tut.* ſi vero, mortuo patre, tutor bona interim adminiſtret, ac poſtea poſthumus, mortuus naſcatur, tum non actio tutelæ, ſed negotiorum geſtorum, contra illum datur *l. 19. §. 2. de teſt. tut. l. 29. de N. G.* quam ſubtilitatem, redolere ſuperſtitionem fori Romani, nec hodie alicujus eſſe uſus, ſatis videtur manifeſtum.

§. 25. Teſtator tutorem dare poteſt pure, ſub conditione, ad conditionem, ex certo tempore, & ad certum tempus *l. 8. 11. de teſt. tut. l. 14. §. 3. 5. de tutel.* Sed leges tutelam tantum pure deferunt, quo modo etiam judex tutorem conſtituere debet *l. 6. §. 1. de tutel.* Poſſe tamen hodie tutorem, à Magiſtratu, etiam cum adjectione conditionis & temporis, ob juſtam cauſam, conſtitui, modo, ſi opus, alius interim detur, non videtur dubitandum. De cætero, omni tempore & loco tutor dari poteſt *l. 3. §. 3. de tutel. l. 8. §. 2. de tutor. dat.*

§. 26. Delatam tutelam futurus tutor *acceptat v. §. 6. h.* quo facto actus conſtitutionis naturaliter eſt perfectus, ſed, ex regulis utilitatis, alia adhuc accedere debent *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 810.* Nimirum requiritur (1.) *Decretum Magiſtratus Ord. Polit. 1548. tit. 31. 1577. tit. 32.* antea geſta, ſunt nullius momenti, quatenus pupillo nocent *v. l. 7. pr. de admin. tutor.* Probando decreto, requiritur *tutorium*, quo tamen, coram ipſo Magiſtratu conſtituente, non indiget tutor *v. c. 3. X. de teſt. cog.* CARPZ. *3. Reſp. 14.*

§. 27. (2.) *Confectio inventarii l. 7. pr. ff. l. 24. C. de admin. tutor. Ord. polit. 1548. tit. 31. §. 3.* Ante acta ſunt nulla, niſi utilitatem pupilli reſpiciant, ac tutor, inventarium omittens, ad intereſſe, jurejurando in litem, determinandum, tenetur *l. 7. pr. de admin. tutor.* & inſuper tanquam ſuſpectus removeri & puniri poteſt *l. fin. §. 1. C. arbitr. tut.* Ob juſtam cauſam, v. gr. prohibitionem patris, *v. d. l. fin. §. 1. C. arbit. tut. l. 2. C. de alim. pup. præſt. l. 2. quand. & quib. quart. pars deb. lib. 10.* inventa-

ventarium omittitur *l. 7. de admin. tutor.* niſi nihilominus judici aliter fuerit viſum *v. l. 8. 10. de confirm. tutor. l. 1. §. 1. ubi pup. educ. deb.*

§. 28. Omiſſo autem inventario, privata rerum conſignatio eſt facienda CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 4.* In Saxonia etiam omiſſio inventarii, jurata ſpecificatione poteſt ſuppleri, ad quam edendam mater quoque obligatur CARPZ. *d. l. D. ſ. 6. 7.* non vero Pater, bona liberorum, Curatoris loco, adminiſtrans *Deciſ. Saxon. 21.* Eſt tamen in arbitrio pupilli, poſtquam adolevit, vel juratam ſpecificationem à tutore exigere, vel in litem jurare *v.* BERGER. *in reſol. ad* LAUTERB. *C. J. de adm tutor.*

§. 29. (3.) *Juramentum* de fideli adminiſtratione *Ord. polit. 1548. tit. 31. 1577. tit. 32. §. 3. Ord. Cam. p. 1. tit. 76. v. l. fin. §. 5. C. de curat. furioſ.* Sed hoc hodie exigi non ſolet, *v.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 6. n. 4.* (4.) *Satisdatio*, qua tutor, datis fidejuſſoribus, promittit, rem pupilli ſalvam fore *l. 7. de prætor. ſtipul. l. 4. §. 1. rem pup. ſalv. for.* Præſtant illam ſaltem tutores legitimi, & ſine inquiſitione dati, ut & protutores, non vero teſtamentarii, nec ex inquiſitione dati *v. pr. J. de Satisd. tutor. l. 4. §. 2. rem pup. ſalv. for. l. 2. 3. de confirm. tut. l. 8. de curat. furioſ. l. 7. §. 5. C. eod. l. 13. §. 2. in fin. de tutor. dat.* niſi ex pluribus, unus velit adminiſtrare *l. 17. ſeqq. de teſtam. tutel. l. 3. §. 6. de admin. tutor.* conf. *Lanär. l. 1. art. 23.* Hodie in nonnullis locis rerum immobilium poſſeſſores, à ſatisdatione, ſunt immunes, cæteri ſatisdare debent, aut ad tutelam non admittuntur *v.* CARPZ. *ſ. Reſp. 82. conf.* LAUT. *C. J. de tutel. ſeqq.*

CAPUT XVI.

DE EFFECTU TUTELÆ CONSTITUTÆ.

SUMMARIA.

Obligatio tutorum eſt diverſa §. 1.
Officium tutoris adminiſtrantis §. 2.
Pupillus, apud matrem eſt educandus §. 3.
Niſi juſta cauſa aliud exigat §. 4.
Adminiſtratio aliquando uni, aliquando pluribus conceditur §. 5.
Eſt illa ad pupilli utilitatem dirigenda §. 6.
Obligatio tutoris circa exigendas uſuras §. 7.
Et rerum alienationem §. 8.
Hæc deficientibus requiſitis eſt nulla §. 9.
Exceptis tamen certis caſibus §. 10.
Autoritas tutoris §. 11.
In quibusdam negotiis interponitur §. 12.
Eſt illa aliquando neceſſaria ratione pupilli §. 13.
Et tutoris §. 14.
Uſus hodiernus §. 15.
Tutelæ adminiſtrationem varia jura & obligationes conſequuntur §. 16.

Rem pecunia ſua comparatam pupillus ſibi aſſerere poteſt §. 17.
Contractus tutoris pupillo imputantur §. 18. 19.
Ipſe tutor quousque ex illis obligetur §. 20. 21.
Inter tutorem & pupillum datur actio tutelæ §. 22.
Verum ejus fundamentum §. 23.
Directa competit pupillo adverſus tutorem §. 24.
Plures tutores quomodo teneantur §. 25.
Datur actio ad rationes reddendas §. 26. 27.
Quo in loco tutor conveniendus §. 28.
Actio contraria datur tutori adverſus pupillum §. 29.
Pupillo in ſubſidium tenentur fidejuſſores & magiſtratus §. 30.
Obligatio protutoris & falſi tutoris §. 31.

§. 1.

POſtquam Tutela legitime conſtituta, id eſt, jus & obligatio peculiaris, Tutori impoſita eſt, deinde utriusque effectus ſpectari debet, qui ſane naturalis eſt, nam, juxta menſuram factæ delationis & acceptationis, tutor aliquid facere poteſt & debet, hinc alia conditio eſt tutoris adjuvantis, honorarii & adminiſtrantis. Ille alios admonere & inſtruere *l. 14. §. 6. de ſolut.* iſte cæterorum actiones obſervare, ac pravos mores Magiſtratui indicare debet *l. 3. §. 2. de admin. tutor.* poteſt etiam, ſi velit, adminiſtrare, niſi teſtator id prohibuerit *l. 49. de A. O. H. l. 14. §. 1. de ſolut. l. 4. de autor. tutor.* Hic vero pupillo ejusque bonis recte præeſſe tenetur.

§. 2. Summatim tutoris adminiſtrantis obligatio naturalis, jure civili probata, in eo conſiſtit, ut (1.) *pupillum probe educet* (2.) *ipſum, in rebus adminiſtrandis, negotiisque gerendis, repræſentet*, vel *ei aſſiſtat* ſive, ſtilo juris Romani, *adminiſtret*, vel *autoritatem interponat. v. l. 1. §. 2. 3. de admin. tutor.* Ex quibus principiis, plures concluſiones ſpeciales fluunt, quas adeo Romanis præciſe non debemus, licet horum confirmationem & additamenta poſitiva non immerito agnoſcamus.

§. 3. Educari debet pupillus regulariter apud matrem cui etiam, hoc nomine, aliquod jus recte tribuitur, adeo ut, quamdiu illa ſe ſuſpectam non reddidit, ſine injuria, pupillus ei auferri nequeat *l. 1. C. ubi pup. educ. Nov. 94. c. 1.* ſi autem vitricum ſuperinducat, tum liberi apud alium ſunt educandi *d. l. 1. C. ubi pupill. educ. v. l. 22. circ. fin. C. de admin. tutor.* ſed de hoc, ex circumſtantiis, amplius ſtatuendum erit, neque enim ſolæ nuptiæ ſecundæ matrem faciunt ſuſpectam *v.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 42. 43.*

§. 4. Quodſi mater deficiat, aut ſuſpecta ſit, tum pupillus vel apud ali-

Digitized by Google

aliquem cognatum, vel ipsum tutorem, vel tertium educari debet, modo ille, cui educatio committenda, suspicione vacet *l. 1. §. 1. l. 5. ff. l. 2. C. ubi pup. educ.* electus autem, si justam excusationem non habeat, pupillum recipere tenetur *l. 1. §. 2. ff. l. 1. C. eod.* Præterea tutor curare debet, quo pupillus recte educetur, eoque nomine alimenta aliaque impendia, pro modo facultatum, præstare, qua in re, judicium & definitionem Magistratus, tutissime sequitur *v. l. 2. §. 1. l. 3. 4. ubi pupill. educ. l. 12. §. 3. de admin. tutor. l. 2. C. de alim. pup. præstand.* si de suo aliquid præstitit tutor, id repetere potest, nisi modum excesserit *v. l. 2. in fin. C. de alim. pup. præst. l. 2. §. 1. ubi pup. educ.*

§. 5. Administrationem quod attinet, solet illa uni concedi, licet plures tutores sint *l. 3. §. 6. de admin. tutor.* & ille omnibus præfertur, qui provocatus satisdationem offert *§. 1. J. de Satisdat. tutor. v.* CARPZ. *s. Resp. 82. in fin.* Si vero omnes administrare velint, admitti debent *l. 3. §. 3. de admin. tutor.* & tum quidem vel *pro diviso*, vel *indiviso* administratio peragitur, illo casu singuli suam partem administrant *l. 3. §. 9. l. 4. de admin. tutor. l. fin. C. de autor. præst. l. 2. C. si ex plur. tutor.* hoc vero, omnes & singuli aliquid gerere possunt, modo reliqui non contradicam *l. 3. pr. l. 24. §. 1. de admin. tutor. l. 4. de autor. tutor. l. fin. C. de autor. præst. l. 1. C. si ex plur. tutor. l. 7. §. 3. de curat. fur.*

§. 6. Uti autem tutor pupillum regulariter, in omnibus negotiis, repræsentare potest *v. l. 1. §. fin. l. 22. 23. 27. de admin. tutor.* ita summa administrationis lex est, ut pupilli utilitatem promoveat *v. l. 7. §. 3. pro emtor.* Regulariter ergo donare nequit *l. 22. de admin. tutor. l. 16. C. eod. l. 16. C. de præd. & al. reb. min.* nisi conditio personæ, vel alia justa causa id permittat *v. l. 12. §. 3. l. 13. pr. de admin. tutor. l. 7. §. 3. de donat. vid.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 48.* In utilitatem pupilli, tutor recte transigit *v. l. 46. §. fin. de admin. tutor.* debita exigit & solvit *l. 15. l. 46. §. fin. de adm. tutor.* adhibito nonnunquam Magistratus decreto *l. 25. C. eod.* actorem constituit *l. 5. §. 3. l. 55. pr. de admin. tutor.* novum opus nunciat *l. 7. §. 1. de nov. op. nunc.*

§. 7. Inprimis cavendum est tutori, ne pecuniam pupillarem, sinat otiosam, alias ipse usuras præstare tenetur *l. 7. §. 3. l. 15. 49. de admin. tutor.* modo occasio pecunia utendi adfuerit *l. 7. §. 3. l. 12. §. fin. eod. l. 3. C. de usur. pup.* quod probandum pupillo, satis vero probat, si, tutorem propri-

proprias pecunias bene collocaſſe, docuerit *v. l. 13. §. 1. l. 10. 33. de adm. tutor.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 22. 23.* Quodſi tutor ipſe pecunia pupillari utatur *v. l. 9. §. 5. 7. eod.* tum uſuræ ſingulis annis ſolvendæ, ſortis vicem ſubeunt, adeoque de his iterum uſuræ ſunt ſolvendæ, licet cum aliis diſſentiat CARPZ. *p. 2. C. 30. D. 32.* nam tutor debebat uſuras ſingulis annis ſolvere, easdemque, ex affectu pupilli, in novam ſortem convertere, hoc dum non fecit, ipſe merito, ad præſtationem ejus, quod neglexit, adigitur *v.* DN. D. MENCKEN. *diſſert. de tutor. ad uſur. ex debit. uſurar. oblig. hab. Lipſ. 1703.*

§. 8. Res pupilli mobiles, quæ ſervando ſervari non poſſunt, tutor privato arbitrio, non tantum poteſt, ſed & debet alienare *l. 7. §. 1. ff. l. fin. §. f. C. de admin. tutor.* eas vero, quæ ſervari utiliter poſſunt, ut & immobiles, non aliter alienat, quam (1.) ob juſtam & neceſſariam cauſam *l. 22. C. de admin. tutor. l. 5. §. 9. ff. eod. l. 5. §. 9. 14. de reb. eor. qui ſub. l. 6. 12. C. de præd. minor. l. 61. §. 1. de jur. dor. v.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 28.* (2.) interveniente cauſæ cognitione, & (3.) judicis decreto *l. 5. §. 9. ſeqq. de reb. eor. qui ſub. l. 6. 12. C. de præd. minor. v.* BERLICH. *p. 1. D. 29.*

§. 9. Alterutro horum deficiente, alienatio, ex voluntate pupilli, eſt ipſo jure nulla *§. 2. J. quib. alien. lic. l. 3. §. 13. de ſuſp. tutor. l. 6. 12. C. de præd. minor.* hinc rem alienatam vindicat, refuſo tamen cum uſuris pretio & reſtitutis impendiis *l. 16. C. de præd. minor. v.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 28. 29. 30.* Alii cenſent, pupillum, ſine refuſione pretii & impendiorum, ſuum repetere, emtorem vero, à venditore, id quod præſtitit, exigere debere RICHTER. *p. 1. D. 13. n. 12.* quæ tamen ſententia generaliter admitti non debet.

§. 10. Aliquando alienatio, ſine illis requiſitis, valet (1.) ſi defunctus rerum immobilium alienationem permiſerit *l. 1. §. 2. l. fin. de reb. eor. qui ſub. l. 3. C. quand. decret. op. non* (2.) ſi ex jure quæſito alius rem repetat *l. 3. §. 2. de reb. eor. qui ſub. l. 1. pr. de fund. dot. l. 13. fam. erciſc.* (3.) ſi Princeps alienationem permittat *l. 2. C. quand. decret. op. v l. 19. C. de teſtam.* Nonnunquam alienatio invalida convaleſcit, ſi major factus eam ratihabuerit expreſſe *l. 6. C. arbit. tutel. l. 2. C. ſi maj. fact. v. l. 25. ff. l. 6. C. de LL.* vel tacite, dum, poſt majorennitatem, alienationem oneroſam, intra quinquennium, lucrativam, decennium vel vicennium, non impugnavit *l. 2. 3. C. ſi maj. fact. l. 1. 4. C. ſi quis ignorem*

Digitized by Google

rem. minor. v. CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 30. 31.* conf. OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 835. ſeqq.*

§. 11. Sicut autem tutor res pupilli ſeorſim adminiſtrare, ita aliquando ei gerenti aſſiſtere poteſt, quo ipſo autoritatem interponere dicitur, hæc ergo eſt *expreſſa ejus, quod cum pupillo inter vivos licite geritur, à tutore præſente, pure & incontinenti facta approbatio §. 2. J. de autor. tutor. l. 8. ff. eod.* Interponit eam tutor, aliquando vero ejus vices ſupplet Magiſtratus *l. 7. §. 2. de minor. l. 7. C. qui admitt. ad bonor. poſſeſſ. l. fin. C. ſi propt. public. penſ. l. 1. §. 5. quod falſ. tutor.* quo caſu tutor, ob negligentiam vel contumaciam, conveniri poteſt *l. 17. de autor. tutor.*

§. 12. Interponenda eſt autoritas à tutore, animo & corpore præſente *l. 1. §. 1. l. 9. §. 5. l. 14. de autor. tutor. l. 25. §. 4. de A. O. H. l. 31. pr. de uſurp.* Requiritur vero (1.) ut pupillus non ſit infans *v. l. 32. §. 2. de A. A. P.* (2.) ut geratur negotium licitum & inter vivos *v. l. 5. de R. J. l. 32. pr. de H. J. l. 3. qui teſtam. facer. poſſ.* ſive judiciale *l. 4. C. de autor. interp.* ſive extrajudiciale *l. 9. §. 2. 3. ff. eod.* hodie tamen in minoribus criminaliter accuſatis, autoritas vel conſenſus curatoris haud exigitur (3.) ne reſpiciat ipſum tutorem *l. 1. 7. 22. de autor. tutor. l. 34. §. f. l. 46. de C. E. V.* ſi vero pupillo alius aſſiſtat, tutor cum eo recte contrahit *l. 5. §. 2. l. 6. de autor. tutor. v.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 33.*

§. 13. Toties autem, ratione pupilli, eſt neceſſaria autoritas tutoris, quoties ille obligari debet, alios vero ſine illa, ſibi valide obligat *l. 9. §. 2. 3. de autor. tutor. pr. J. eod.* Neglecta autoritate, negotium, ratione pupilli, eſt ipſo jure nullum, neque pupillus naturaliter inde obligatur, niſi ſit locupletior factus *l. 13. §. 1. l. 14. l. 41. de condict. indeb. l. 59. de O. & A.* Interpoſita vero autoritate, negotium ipſo jure valet *l. 15. de autor. tutor.* læſus tamen pupillus vel à tutore damni reſtitutionem petit, vel in integrum reſtituitur *l. 1. C. ſi tutor. vel curat. interv. v.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 814.* hinc in genere tutor, in interponenda autoritate, ea obſervare debet, quæ circa adminiſtrationem neceſſaria diximus *§. 6. v. l. 1. §. 1. 2. de tutel. & ration.*

§. 14. Tutori regulariter liberum eſt, utrum adminiſtrare, an autoritatem interponere velit, aliquando tamen, etiam ejus intuitu, autoritatis interpoſitio eſt neceſſaria (1.) ſi procurator, ante litem conteſtatam,

ſtatam, ſit conſtituendus *l. 11. C. de procur. l. 24. de admin. tutor. l. un. C. de actor. à tutor. vel cur. dat.* (2.) hæreditas adeunda *l. 90. de A. O. H. l. 9. §. 3. de autor. tutor.* ſi tamen pupillus adhuc infans ſit, tutor, ejus nomine, ſolus adire hæreditatem poteſt *l. 18. §. 2. C. de jur. delib.* quemadmodum etiam, ſub nomine bonorum poſſeſſionis, eam ſemper acceptare poteſt *l. 8. 11. de bonor. poſſeſſ.*

§. 15. Hodie, ratione tutoris, nulla interponendæ autoritatis neceſſitas occurrit, ſed tutor omnia adminiſtrare poteſt & ſolet, hinc fere etiam nihil, de autoritate illa, in foro auditur. In ſpecie mandatarii judiciales, ſub nomine *Actorum*, forte tamen non ſemper ſatis ad mentem juris Romani, à tutoribus conſtituuntur, & ſolet etiam quandoque diſputari, num *tutor procuratorem conſtituere poſſit?* quæ tamen diſputatio, cum ad ſolum nomen pertineat, futilis & inepta videtur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 88.* niſi forte utile eſt, ex nomine mandatarii, ſtatim intelligi, cujus auſpiciis proceſſus geratur. Ratione vero pupilli, ſi quid ille gere velit, autoritas hodie quoque eſt neceſſaria *v.* BERGER. *in reſolut. ad* LAUTERB. *C. J. de autor. tutor. in fin.*

§. 16. Ex adminiſtratione tutelæ, plura jura & obligationes naturaliter ſequuntur, quæ ſummatim vel *pupillum* & *extrancos*, vel *pupillum* & *tutorem eosque qui huic accedunt*, reſpiciunt. Primo reſpectu iterum duo caſus ſeparandi ſunt, vel enim *tutor ſuo quidem nomine, ſed pecunia pupillari, contraxit*, vel *pupillo gerenti adſtitit, aut, ejus nomine, negotium celebravit.*

§. 17. Primo caſu, tutori quidem jus & res acquiritur *arg. l. 6. C. de R. V.* pupillus tamen actione tutelæ, pecuniam cum uſuris legitimis repetere *l. 3. C. arbitr. tut. l. 7. qui potior in pign.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 109.* vel rem ipſam vindicare poteſt *l. 2. quand. ex fact. tutor.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 21.* ob eandem æquitatis rationem, nomen, pecunia pupillari contractum, ad ipſum pertinet CARPZ. *d. C. 11. D. 38.* ſed utrumque ſaltem in ſubſidium obtinere putem, alias ſi tutor pecuniam cum uſuris pupillo reddere paratus ſit, tum rationes ejus non erunt turbandæ, ſed res & nomen ipſi potius relinquenda *v.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 816.*

§. 18. Secundo caſu iterum intereſt, utrum *pupillus, tutore autore, contraxerit*, & tum non dubitatur, quin illi directe jus acquiratur, ac ipſe aliis obligetur, an *tutor, ejus nomine, negotium geſſerit*, hoc caſu, pupil-

Digitized by Google

pupillo & contra eum, tantum actiones utiles dantur *l. 1. 4. C. quand. ex fact. tutor. l. 5. §. 1. l. 7. ff. eod. l. 26. in fin. C. de admin. tutor. vid.* CARPZ. *5. Resp. 78.* ex mutuo tamen actiones directæ competunt *l. 9. §. 8. de R. C.* ſicut etiam ex quovis contractu, ipſius nomine, inito poſſeſſio & dominium, directe pupillo acquiritur *l. 1. de A. A. P. l. 20. §. f. l. 53. de A. R. D. l. 1. C. per quas perſon. nob.*

§. 19. Sed illis ſubtilitatis Romanæ, hodie nulla eſt vel neceſſitas, vel utilitas; ſufficit, quod pupillo jus acquiratur, & ipſe obligetur. Illud tamen generaliter requiritur, ut tutor bona fide contraxerit, nam alias pupillus inde non obligatur, cum ceſſet repræſentatio, niſi locupletior factus *l. 3. quand. ex fact. tutor. l. 13. §. 7. de A. E. V.* hinc in mutuo, in ſpecie creditori probandum eſt, quod pecunia in rem pupilli ſit verſa *l. 3. C. quand. ex fact. tutor. auth.* hoc jus *in fin. C. de SS. Eccleſ.* CARPZ. *5. Reſp. 78.*

§. 20. Tutor quoque, conſtante tutela, ex contractibus illis, agere & conveniri poteſt, & nihil refert, ſive actiones, directas, ſive utiles dicas, idem dicendum erit, ſi pupillus ipſe, tutore autore, contraxerit: Finito vero officio, jus & obligatio ceſſat *l. 1. C. quand. ex fact. tut. l. 26. in fin. C. de admin. tutor.* CARPZ. *5. Reſp. 77.* niſi (1.) dolum, in adminiſtratione admiſerit *l. 13. §. 7. de A. E. V. l. 43. §. 1. de admin. tutor.* (2.) tanquam fidejuſſor intervenerit *l. 15. C. de admin. tutor.* aut (3.) proprio nomine contraxerit *l. 67. de procur. l. 3. §. 2. de admin. rer. ad civit. pert.*

§. 21. Hoc ex eo præcipue colligunt, ſi deliberato conſilio, mentio hæredum ſit facta *v.* BERLICH. *p. 1. D. 13. 14.* CARPZ. *p. 2. C. 19. D. 6. n. 6.* Inprimis quoque attendenda *qualitas promiſſionis*, v. gr. ſi tutor debitori indemnitatem, etiam contra pupillum, promiſerit, nam tum merito, proprio nomine, quid egiſſe cenſetur, quæ circumſtantia in caſu, quem BERLICH. *p. 1. D. 15.* refert, non ſatis fuit obſervata *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 817. 818.*

§. 22. Inter tutorem & pupillum etiam mutuum jus & obligatio naſcitur *v. §. 16.* ob quæ, comparata eſt *actio Tutelæ*, quæ eſt *actio perſonalis, qua inter pupillum & tutorem agitur de eo, quod ſibi invicem, propter adminiſtrationem, debent.* Eſt perpetua *l. 8. C. arbitr. tutel.* Dividitur in *directam*, quæ pupillo, & *contrariam* quæ tutori competit. Utraque alio ſenſu dicitur *directa*, quæ tutelæ, & *utilis*, quæ curæ intuitu, datur, ſed hæc poſterior diviſio, nullius hodie eſt uſus.

§. 23. Fundamentum hujus actionis cenſetur eſſe *quaſi contractus*, adminiſtratio ſcilicet tutelæ §. 2. *J. de oblig. quæ quaſ. ex contr.* Sed uti de hac quidem dubitandum non eſt, ita commentum quaſi contractus merito exploditur, cum ſolidam cognitionem impediat. Tutor obligatur ex *vero conſenſu*, ipſa nimirum tutelæ acceptatione aliisque factis voluntariis, eam ſecutis; Pupillus vero ex *accepta utilitate*, ac aliquando ex *lege poſitiva*, v. gr. ad ſalarium ſolvendum, quamvis hæc obligatio raro obtineat, in ea vero introducenda, lex poſitiva, utilitatem eique innexam æquitatem, itidem reſpiciat.

§. 24. Datur actio tutelæ directa pupillo & hæredibus, adverſus tutorem & hæredes *l. 1. §. 16. 17. de tutel. & ration. l. 12. C. arbitr. tutel.* licet illius dolus intervenerit *l. 12. 49. de O. & A.* propter levem tamen culpam tutoris, hæredes non tenentur *l. 1. C. de hæred. tutor. vel curat.* licet alias, ex perſona hæredum, actionis conditio non muretur *l. 2 §. 2. de V. O.* Forte ſingulare hoc, in foro non magni eſt uſus, ac ex præjudicio, quod CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 35.* adducit, id ſaltem apparet, hæredes de caſu fortuito non teneri, nam, circa illum culpam tutoris concurriſſe, non liquet. Admiſerunt etiam Romani contra tutorem, *actionem utilem negotiorum geſtorum l. 7. C. arb. tut. l. 17. C. de N G.* quo ipſo, novum ſaltem actionis nomen, introduxiſſe cenſendi ſunt.

§. 25. Si quidam tutores adminiſtrent, alii honorarii ſint, tum illi primario, hi vero in ſubſidium tenentur, ſi illos, velut ſuſpectos, mature non denunciaverint *l. 3. §. 2. de admin. tutor.* Idem eſt, ſi tutela inter plures, à teſtatore vel Magiſtratu, ſit diviſa, nam tum unusquisque, ex ſua adminiſtratione, ut adminiſtrans principaliter, ex cæterorum vero, ut honorarius tutor, in ſubſidium tenetur *l. 2. C. de divid. tutel.* Quodſi pluribus adminiſtratio incubuit, tum ſinguli tenentur in ſolidum *l. 38. §. 1. l. 55. pr. de admin. tutor. l. 2. C. de divid. tutel.* ſi tamen omnium par ſit cauſa, omnesque ſolvendo ſit, tum ipſis datur exceptio diviſionis *l. 38. pr. §. 1. l. 39. §. 11. de admin. tutor. l. 1. §. 11. 12. de tutel. & ration. l. 1. C. de divid. tutel.* ſi vero quidam plus nocuerint, tum hi prius ſunt excutiendi, modo ſolvendo exiſtant, cæteri in ſubſidium tenentur *l. 39. §. 11. de admin. tutor. l. fin. C. de divid. tut. l. 6. C. arbit. tutel.*

§. 26. Exigitur à tutoribus rationum redditio *l. 9. C. arbit. tutel.* & quidem finita tutela *l. 9. §. 4. de tutel. & ration.* hodie vero ſingulis annis

inis *clem.* 2. verſ. *ut autem. de religioſ. dom. Ordin. polit.* 1548. 1577. *tit.* 32. *Landr. l.* 1. *art.* 23. *Conſt. Saxon.* 11. *p.* 2. CARPZ. *d. C.* 11. *D.* 2. 3. ab rationibus autem *v. l.* 6. *§.* 3. *de edend. l.* 82. *de condit. & demonſtr.* ontinetur (1.) inventarii exhibitio *v. C.* 15. *§.* 27. 28. *h.* (2.) reſidui reſtiatio *l.* 82. *l.* 111. *de condit. & demon.* (3.) rationum computatio & juſtiicatio *d. l.* 82. 111. ſub qua variæ præſtationes comprehenduntur.

§. 27. Nam uſuræ aliquando ſolvendæ ſunt, ob moram *l.* 32. *§.* 2. *de uſur.* uſum *l.* 1. *C. de uſur. pupill. l.* 7. *§.* 10. *de admin. tutor. l.* 38. *de negot. geſt.* vel negligentiam *v. §.* 7. *h.* præterea damnum dolo vel culpa datum, reſarciendum eſt; Culpa autem, pro diverſitate circumſtantiarum, varie æſtimatur *v. l.* 53. *§.* 3. *de furt.* caſum tutor non præſtat *v.* CARPZ. *p.* 2. *C.* 11. *D.* 24. *ſeqq.* dolus ejus jurejurando in litem *l.* 2. 4. *C. de in lit. jur.* ut & infamia coercetur *§.* 6. *J. de ſuſp. tutor. l.* 1. *de his qui not. infam.*

§. 28. Quodſi tutor, ex bonis pupilli, doloſe quid abſtulerit, ejus duplum præſtare cogitur, quo nomine competit *actio de rationibus diſtrahendis l.* 1. *§.* 19. *ſeqq. de tut. & ration.* Sed hodie non obtinet, verum delictum tutoris arbitrarie punitur. De cætero tutor, ob adminiſtratam tutelam, in loco adminiſtrationis convenitur *v. l.* 1. 2. *C. ubi de ratioc. l.* 54. *§.* 1. *de procur. l.* 19. *§.* 1. *l.* 45. *§.* 2. *de judic. Deciſ. Saxon.* 36. CARPZ. 2. *Reſp.* 33. Actio tamen hypothecaria, quæ ex tacito pignore competit *l.* 20. *C. de admin. tutor. l. fin. C. ſi tutor. falſ. alleg.* CARPZ. *p.* 2. *C.* 24. *D.* 12. in loco rei ſitæ vel domicilii, erit inſtituenda.

§. 29. Actio tutelæ contraria, datur tutori & hæredibus, adverſus pupillum & hæredes, ad id conſequendum, quod illi abeſt, vel abfuturum eſt, ob tutelæ adminiſtrationem *l.* 3. *§.* 1. 9. *l.* 6. *de contr. tutel. v. l.* 7. *teſtam. quemad. aper. l.* 61. *§.* 5. *de furt.* Requiritur tamen, ut expenſæ cum ratione ſint factæ *l.* 3. *§.* 7. *de contr. tutel. l.* 10. *§.* 1. *de N. G.* de cætero expenſarum uſuras quoque conſequitur tutor, niſi eas remiſerit *v. l.* 3. *§.* 5. *de contrar. tutel. l.* 9. *§.* 5. *de admin. tutor.* Salarium vero petere nequit, niſi vel promiſſum, vel à lege ſtatutum ſit *l.* 33. *in fin. de admin. tutor. v.* CARPZ. *p.* 2. *C.* 11. *D.* 40. BERLICH. *p.* 1. *D.* 134. DN. MENCKE & MOLLENBEC. *diſſert. de Salar. tutor. Lipſ.* 1694. & *Giſſæ* 1704. *hab.*

§. 30. Quodſi pupillus, à tutore & hæredibus, ſuum non conſe-

quatur, contra fidejussores agit, *l. 1. seqq. C. de fidejuss. tutor.* nam his beneficium excussionis hodie asserendum *v. l. 1. C. de fidejuss. tutor. Nov. 4. c. 1.* si plures ab uno dati sint, exceptio divisionis iis non competit *l. fin. rem pup. salv. for.* à pluribus vero dati eadem gaudent *l. 6. 7. de fidejuss. tutor.* Denique ipsi Magistratus, qui in constituendis tutoribus negligentiam commiserunt, in subsidium, pupillo tenentur *v. l. 1. seqq. de Magistr. conv.* ejus vero hæredes, nonnisi ob dolum & latam culpam, conveniuntur *l. 4. 6. ff. l. 2. C. eod. v. §. 24. h.* Utrique vero, ante tutores honorarios, conveniri debent *l. 1. §. 15. de tutel. & ration. distr. v.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 41. conf.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 824. seqq.*

§. 31. Aliquando quis, sine prævia constitutione, tutelam administrat, qui *protutor* dicitur, in eumque comparata est *protutelæ* actio *l. 1. seqq. de eo qui pro tutor.* quæ in effectu, cum actione tutelæ, coincidit. Hodie, ubi quivis tutor à Magistratu confirmandus est, quod de jure civili haud requirebatur, Protutor non facile irrepere potest. Aliquando quis, nomen tutoris mentitus, alios decipiebat, qui *falsus tutor* audit, contra quem deceptis, & ipsi etiam pupillo, actio competit ad indemnitatem obtinendam *t. t. quod fals. tutor. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 828. seqq.* Sed ob rationem modo datam, nec hic casus hodie valde frequens erit *conf.* LAUTERB. *C. J. de admin. tutor. seqq.*

CAPUT XVII.

DE MODIS DECLINANDI VEL TOLLENDI TVTELAM.

SUMMARIA.

Modi tollendi tutelam sunt proprii §. 1.
Et communes §. 2.
Finitur tutela pubertate §. 3.
Morte pupilli §. 4.
Et tutoris nec non hujus delicti §. 5.
Aliquando tutor se excusat §. 6.
Quædam causæ excusant à tutela delata & susceptæ §. 7.
Quædam à delata tantum §. 8.
Modus excusandi §. 9.
Excusationum effectus & usus §. 10.
Tutor suspectus removetur §. 11.
Personæ accusantes & accusatæ §. 12.
Accusationis effectus contrarii & usus §. 13.

§. 1.

DOctrinæ gratia, Modi illi distingvi possunt in *Proprios*, qui, in certa tutelæ specie, obtinent, & *communes*, qui in quavis locum habent *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 838.* Ad illos perti-

Digitized by

pertinet (1.) *diei & conditionis ſuſpenſivæ exiſtentia*, quæ ſolvit tutelam dativam *l. 11. pr. de tutel. teſtam.* (2.) *defectus*, qui itidem tollit dativam, & facit locum tutelæ legitimæ *arg. d. l. 11. de teſtam. tutel.* (3.) *diei & conditionis reſolutivæ exiſtentia* qua tollitur teſtamentaria §. *2.5. J. quib. mod. tut. fin. l. 14. §. 5. de tutel.* (4.) *matrimonium*, quo finitur tutela materna *Nov. 94. c. 2.* (5.) *minima capitis diminutio* quæ ſolvit legitimam *§. 4. J. quib. mod. tutel. fin.* ſed hodie, poſt exæquatam agnationem & cognationem, id non amplius obtinet.

§. 2. Modi communes occurrunt vel circa *pupillum*, qualis eſt (1.) pubertas (2.) mors naturalis (3.) capitis diminutio, vel *tutorem*, quo pertinet (1.) mors naturalis (2.) civilis (3.) delictum (4.) juſtum impedimentum, ob quod tutor excuſatur (5.) mala adminiſtratio, ob quam aliquando removetur. Differunt autem modi illi, tam ratione *effectus*, dum quidam ſolum tollunt tutelam conſtitutam, alii deferendam excludunt, quidam declinandæ & tollendæ tutelæ inſerviunt, quam *certitudinis*, quidam enim evidentes ſunt, adeoque ſine cauſæ cognitione, effectum ſuum præſtant, alii infacto ſunt obſcuriores, adeoque demum, poſt cognitionem judicis, aliquid operantur, de ſingulis breviter diſpiciemus.

§. 3. Primo tollit tutelam *pubertas*, quæ in maſculis, anno 14. in fœminis, 12. adeſt *pr. J. quib. mod. tut. fin.* jure Saxonico, pubertas ex habitu corporis æſtimatur *Landr. l. 1. art. 42.* ſed jus civile hodie attenditur CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 9.* Incriminalibus indiſtincte pubertas, anno 14. definitur *Ord. crim. art. 164.* CARPZ. *Pr. Crim. qu. 143. n. 26. 48.* In feudalibus poſt annum 13. & ſex hebdomades, pubertas adeſſe cenſetur *Lehnr. c. 26.* CARPZ. *d. C. 11. D. 9.* Hodie quoque tutelam pubertate finiri putant CARPZ. *d. l. D. 10.* ſed alii eam, usque ad majorennitatem, continuandam eſſe cenſent *v.* RICHTER *p. 1. Dec. 13. n. 26.* LAUTERB. *C. J. de reb. eor. qui ſub tutel.* quæ ſententia juri germanico eſt convenientior.

§. 4. Pupillo *mortuo*, tutela deſinit, *§. 3. J. quib. mod. tutel. fin.* ratione præteritæ tamen, hæredes manent obligati *l. 3. §. 9. de contr. tutel.* per *quamvis capitis diminutionem* pupilli, tutela itidem ſolvitur *§. 4. J. quib. mod. tut. fin. l. fin. C. de autor. præſt.* ſed maxima & media hodie non amplius occurrit, ſi autem pupillus, ob aliquod delictum, civi-

civitate ejiciatur, tutela non tam tolli, quam limitari videtur, ut nempe actiones pupilli, tutor amplius moderari non debeat.

§. 5. Tutoris *mors naturalis* tutelam solvit *l. 16. §. 1. de tutel. l. 18. §. 1. de muner.* ex gesta tamen hæredes obligantur *l. 1. §. 16. de tutel. & ration. l. 12. C. arbitr. tutel. l. 1. pr. l. 4. de fidejuss. tutor.* ob *capitis diminutionem maximam* & *mediam* illa etiam definit *§. 4. J. quib. mod. tutel. fin.* sed hodie utriusque exiguus vel nullus est usus. Ob *delictum* quod vel relegatione temporali coercetur, tutor quoque tutelæ amplius præesse non poterit, quamvis hæc causa, in jure Romano, adduci non soleat.

§. 6. Inprimis ob *justum impedimentum*, tutor vel tutelam oblatam declinat, vel susceptam deponit, sive se, utriusque respectu, excusat. *Excusatio* est *allegatio justæ causæ, ad immunitatem à tutela consequendam.* Possunt se excusare omnis generis tutores *l. 2. §. 5. l. 13. §. 12. de excus. l. 4. C. de legit. tutor. l. 9. C. qui dar. tutor. v. l. 28. §. 1. l. 32. in fin. l. 15. §. 1. de excus. l. 29. de testam. tutel.* Ob causam *veram*, quæ scilicet vere adest, & *justam*, legibus nempe probatam; Si quis, allegatione falsæ causæ, immunitatem consecutus sit, absolutio vel nulla, vel restitutione rescindenda est *l. 1. 3. C. si tutor. falsi. alleg. l. 33. de re judic. v.* STRYK *in not. ad* LAUTERB. *C. J. de excus.*

§. 7. De cætero variæ causæ sunt, quarum quædam sunt *necessariæ*, quæ allegari debent *v. §. 13. 14. J. de excus. tutor.* quædam *voluntariæ*, quæ possunt. Hæ proprie huc pertinent, & earum nonnullæ, à tutela *delata* & *suscepta*, quædam tantum à *delata* excusant, quas passim interpretes adducunt. Ex primo genere est (1.) morbus *l. 10. §. f. l. 11. de excus. l. 60. de re judic. l. fin. §. 1. de ædilit. edict.* (2.) lis cum pupillo *l. 20. de excus.* hodie talis vel non admittitur, vel, ob litem supervenientem, à tutela repellitur, aut curator ei adjungitur *N. 72. c. 1.* (3.) absentia Reipublicæ causæ *l. 10. §. 1. de excus. §. 2. J. eod.* (4.) mutatio domicilii *l. 12. §. 1. de excus.* (5.) assumtio in numerum consiliariorum Principis *l. 30. pr. eod.*

§. 8. Ex secundo genere sunt (1.) numerus liberorum *pr. J. de excus.* (2.) ætas *§. 13. J. l. 2. pr. ff. eod.* (3.) tres tutelæ *l. 2. §. f. l. 3. 4. §. f. l. 5. 31 §. f. de excus. l. 15. §. 9. 15. l. 17. pr. eod.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 39.* (4.) professio liberarium artium *§. 15. J. l. 6. §. 4. de excus.* (5.) publicum munus,

Digitized by

munus, juxta definitionem legum *v. l. 6. § 12 16. l. 15. §. 2. l. 17. §. 4. l. 41. h.* (6.) paupertas *l. 7. 40. §. 1.* (7.) literarum ignorantia *§. 8. J. l. 6. §. fin. h.* (8.) inimicitiæ cum pupillo vel patre ejus *l. 6. §. 17. h.* quæ cauſa, declinandæ remotioni, alleganda eſt *l. 3. §. 12. de ſuſp. tutor.* (9.) bona pupilli nimis diſſita *l. 21. §. 2. l. fin. §. 2. de excuſ.* (10.) tutela, quæ à cura excuſat *l. 20. C. de excuſ. v. §. 3. h.*

§. 9. Excuſatio fieri debet coram judice competente *v. l. 3. 16. 18. 23. C. de excuſ. l. 25. ff. eod.* eſt tamen in arbitrio tutoris, an coram judice inferiore, an ſuperiore, per modum appellationis, cauſas excuſationis proponere velit *l. 4. 13. 16. de excuſat. §. 16. J. eod. l. 20. de admin. tutor.* Sed hodie dubio procul, prima inſtantia erit obſervanda. Diſcutiendæ excuſationi, quatuor menſes ſunt præſtituti *l. 13. §. 1. l. 16. 38. ff. l. 6. C. de excuſ. §. 16. J. eod. l. 3. de V. S.* hodie vero tempus arbitrarium, v. gr. in Saxonia, ſpatium Saxonicum, fortaſſis obtinebit.

§. 10. Probata excuſatione, tutor ab onere tutelæ liberatur, ea vero rejecta, à tempore delatæ tutelæ, ejus eſt periculum *l. 20. 39. §. 6. de admin. tutor. l. 15. C. de excuſ.* Idem obtinebit, ſi quis falſa allegatione, immunitatem obtinuerit *v. §. 6. h.* LAUTERB. *C. J. de excuſ.* Hodie jura excuſationum non quidem ceſſant, rarioris tamen ſunt uſus, nam illi, qui, erga pupillum, aliqua propenſione ducuntur, ejus tutelam ſubire ſolent, licet quædam excuſandi cauſæ illis ſuppetant, qui vero eam, etiam ſine cauſa, averſantur, non tamen, ad ejus ſuſceptionem, facile coguntur, hinc raro, in contentionem judicialem iſta res erumpit *conf.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 821. 822.*

§. 11. Denique tutela etiam finitur ob *malam adminiſtrationem*, nam ſicut tutor male adminiſtrans, damnum illatum reſarcire debet, ita, ad præcavendam futuram læſionem, ſuſpectus recte removetur, *v. l. fin. C. in quib. cauſ. reſtit. in integr. non eſt nec.* id quod communes defenſionis & prudentiæ regulæ dictitant, ac jure poſitivo confirmatur *l. 1. 2. de ſuſp. tutor.* Cognoſcit de crimine ſuſpecti Magiſtratus competens *l. 1. §. 3. 4. ff. eod. l. 4. de offic. ejus cui mand. jurisd.* hodie qui gaudet jurisdictione inferiori ſive civili, & quidem vel ex officio, vel ad aliorum petitionem.

§. 12. Accuſant ſuſpectos ex obligatione arctiori, contutores, etiam honorarii *l. 3. §. 2. de admin. tutor. l. 1. C. de peric. tutor. l. 2. C. de*

divid. tutel. l. 8. C. de ſuſp. tutor. ex officio vero humanitatis, omnes de populo *l. 1. §. 6. 7. de ſuſp. tutor.* ipſi quoque minores, ex conſilio propinquorum, curatores ſuos, accuſare poſſunt, ſed impuberibus id negatum eſt *§. 4. J. de ſuſp. tutor.* Accuſantur omnis generis tutores ſuſpecti *l. 1. §. 5. l. 9. de ſuſp. tutor.* qui ſcilicet non ex fide adminiſtrant *§. 5. J. eod.* ſed dolo aut culpa lata, in adminiſtratione verſantur, vel eam aut ejus exercendæ medium, inventarium ſcilicet, omittunt *v. l. 1. 2. 3. C. de tutor. qui ſat. non ded. l. 3. §. fin. l. 4. §. 4. l. 7. §. 1. ff. l. 3. C. de ſuſp. tutor.* Sola paupertas, tutorem non facit ſuſpectum *l. 8. de ſuſp. tutor. l. 5. C. eod.* bene tamen inidoneum *l. 6. C. eod. l. 2. C. de tutor. qui ſat. non ded.* decoctores vero, & ſuſpecti & inidonei ſunt.

§. 13. Inſtituta accuſatione, officium tutoris quieſcit, quod regulæ prudentiæ exigunt §. 7. *J. l. 7. C. de ſuſp. tutor.* ea vero ad finem perducta, tutor condamnatus removetur, ac ob dolum, infamia notatur, modo cauſa remotionis, in decreto expreſſa ſit, *l. 3. §. fin. l. 4. §. 1. 2. de ſuſp. tutor.* ob culpam latam, infamia non irrogatur *§. 6. J. l. 7. §. 1. de ſuſp. tutor. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 819. 820.* Quodſi, pendente proceſſu, tutela quovis modo finiatur, cognitio ſuſpecti extinguitur *§. 8. J. l. 11. ff. l. 1. C. de ſuſp. tutor.* ſalva, quoad damnum illatum, actione tutelæ *d. l. 1. C. de ſuſp. tutor. l. 4. de tutel. & ration. conf.* LAUTERB. *C. J. de ſuſp. tutor.* Hodie non tam per modum accuſationis, quam inquiſitionis, contra tutores ſuſpectos, proceditur.

CAPUT XVIII.
DE CURA.

SUMMARIA.

Cura indoles & diverſitas §. 1.
Generalis curæ delatio §. 2.
Perſonæ deferentes & quibus defertur §. 3.
Habet illa locum quoad perſonas puberes ſed inhabiles §. 4.
In ſpecie quoad minores, furioſos mutos & ſurdos ac prodigos §. 5. Juridice tales §. 6.
Curæ deferendæ modus ejusque acceptatio §. 7.
Officium curatoris conſtituti quoad educationem, adminiſtrationem & autoritatis interpoſitionem §. 8. 9.
Effectus curæ adminiſtratæ ratione perſonarum curandarum, curatoris & extrancorum §. 10.
Cura ſolvitur modis propriis & communibus §. 11.
In ſpecie definit ſublata cauſa, ob quam illa conſtituta §. 12.
Adeoque in minoribus ſecuta majorennitate §. 13.
Venia ætatis donati quousque majoribus æquiparentur §. 14.
Exempla curæ ſpecialis §. 15.
Comparatio tutelæ & curæ §. 16.
Officium magiſtratus circa utramque §. 17.

§. 1.

Digitized by Google

§. 1.

Ura *v. l. 9. §. 7. ſolut. matrim. l. 60. §. 3. de Legat. 3. l. 1. §. 3. ne quid in loc. ſacr. l. 88. §. 1. de Legat. 2. l. 50. §. fin. de oper. libert. l. 9. §. 3. 5. de reb. aut. jud. poſſid. l. 14. §. 2. de relig. l. 7. §. 1. de offic. proconſ. l. fin. §. 7. de admin. rer. ad civit. pert. l. 19. §. 1. de judic. l. 1. §. 1. de curat. furioſ.* ſpeciali ſenſu ſuppoſita, tripliciter accipi poteſt, juxta doctrinam *c. 15. §. 4.* In ſignificatu excellentiori, eſt *jus & obligatio eorum, qui judicio vel nullo, vel infirmo utuntur, actiones dirigendi, & bona adminiſtrandi v. l. 8. C. de nupt.* Dividitur in *generalem*, quæ totam perſonam reſpicit & *ſpecialem*, quæ, intuitu certorum negotiorum, conſtituitur. *v. l. 48. de admin. tutor.* Prior perinde ut tutela, (1.) à *modo conſtituendi*, & (2.) à *fine*, diſtingvi poteſt *v. c. 15. §. 5.* quibus accedit peculiaris diviſio (3.) ab *objecto*, qua cura, minorum furioſorum vel prodigorum eſt.

§. 2. Primo conſiderabimus *generalem*, circa quam tria capita, *c. 15. §. 5.* laudata, etiam occurrunt, in quibus tamen tradendis, nuda remiſſione, nobis plerumque defungi licebit. Conſtituitur adeo Cura *delatione & acceptatione.* Defertur (1.) *teſtamento*, quanquam jure civili, quoad curam minorum, opus erat confirmatione Magiſtratus *§. 1. J. de curat. l. 7. C. de teſtam. tut. l. 1. §. f. l. 2. §. 1. l. 6. de confirm. tutor. l. 16. de curat. furioſ.* Sed hodie ſingulare illud ceſſat, cum confirmatio illa, ſemper ſit neceſſaria *v. c. 15. §. 6. 7.* (2.) *lege*, ſcilicet quoad furioſos & prodigos *l. 5. 7. pr. §. 6. C. de curat. furioſ. l. 1. §. 1. l. 4. ff. eod. l. 12. §. 1. de tutor. dat.* non vero minores, quia habent facultatem teſtandi, *v. l. 5. qui teſtam. fac.* hinc *c. 15. §. 8. ſeqq.* dicta, hactenus locum non habent (3.) à Magiſtratu *§. 1. 3. J. de curator. l. 12. §. 1. de tutor. dat. l. 1. 3. C. de curat. furioſ.* juxta doctrinam *c. 15. §. 14. ſeqq.*

§. 3. Dat autem Magiſtratus curatorem vel ex officio *l. 7. §. 6. C. de curat. furioſ.* vel ad implorationem aliorum *l. 3. C. eod.* Minores jure civili ſibi ipſis petunt curatores *l. 43. §. 3. de procur. l. 2. §. 4. qui pet. tutor.* ſed hodie, ex officio, illis quoque curator conſtitui poteſt *R. J. 1548. 1577. tit. 31. 32.* Pœna admittendæ ſucceſſionis, de qua *c. 15. §. 17. 18.* dictum, non obtinet, niſi forte quoad furioſos & prodigos. Defertur Cura perſonis *habilibus*, & obtinent dicta *C. 15. §. 19. ſeqq.* In ſpecie

maritus uxori ſuæ curator dari nequit *l. 2. C. qui dar. tutor. l. 14. de curat. furioſ. l. 4. 17. C. de excuſ.* ſed hoc vix ullibi hodie obſervatur.

§. 4. Datur curator *perſonis puberibus, integro judicio non utentibus*, & hactenus Cura differt à tutela, de cujus objecto *c. 15. §. 22. ſeqq.* dictum. Cenſetur autem curator bonis principaliter, perſonæ vero minus principaliter dari *l. 20. de R. N. l. 8. C. de nupt. l. 12. pr. §. 2. de tutor. dat.* ſed illa obſervatio nec de jure civili, nec hodie aliquem videtur habere effectum; Nam quod exinde eliciant, in *nuptiis minorum, non requiri conſenſum curatoris*, id vanum videtur, nam ſi impuberes, per ætatem, nuptias inire poſſent, nec tutorum conſenſum requiſitum iri putem. Quod vero *minores, ſine curatorum conſenſu, ad munera perſonalia, ſeſe obligare poſſe*, cenſeant, id parum certum eſt *v.* JUS FEUD. GERMAN. *c. 6. §. 62. ſeqq.*

§. 5. In ſpecie datur Curator (1.) minoribus *l. 1. pr. de minor.* non tamen invitis *§. 2. J. de curat. l. 13. §. fin. de tutor. dat.* niſi certis in caſibus *v. l. 2. C. qui legit. ſtand. perſ. §. 2. J. de curat. l. 7. §. 2. de minor. l. 7. C. qui pet. tutor.* quodſi etiam curatorem ſemel admiſerint, ante majorennitatem, regulariter ab eodem non liberantur *l. 1. §. 3. l. 2. 3. de minor.* Hodie curator invitis quoque datur *R. J. 1548. 1577. tit. 31. 32. v.* CARPZ. *5. Reſp. 86.* (2.) furioſis & mente captis *l. 6. 7. de curat. furioſ. l. 2. C. eod.* per tempus dilucidi intervalli, officium Curatoris quieſcit *l. 6. C. eod.* (3.) mutis & ſurdis, ut & perpetuo morbo laborantibus *§. 4. J. de curat. l. 12. pr. de tutor. dat.* (4.) prodigis.

§. 6. Qui ſcilicet bona ſua profundunt, & nec tempus nec finem expenſarum habent *l. 1. de curat. furioſ. l. 12. §. fin. de tutor. dat.* Cum vero hoc ſit obſcuræ & incertæ dijudicationis, ideo quis pro prodigo non ante habetur, quam per judicis ſententiam, poſt diligentem cauſæ cognitionem *v. l. 39. de adopt. l. 47. pr. de re judic.* talis ſit declaratus *l. 18. qui teſtam. fac.* ſi Pater filium in teſtamento prodigum dixerit, eique curatorem dederit, judex hunc ſimpliciter confirmat *l. 16. §. 13. de curat. furioſ.*

§. 7. Quæ de modo tutorem dandi, diximus *c. 15. §. 25.* illa etiam ad curatorem ſuo modo pertinent. Porro delatam curam Curator *acceptat*, quo facto, ejus conſtitutio naturaliter eſt perfecta, ex regulis tamen utilitatis accedere debet Decretum Magiſtratus, Confectio inventa-

ventarii, juramentum & Satisdatio, nam dicta *c. 15. §. 26. seqq.* ex asse huc referri possunt & debent.

§. 8. Cura legitime Constituta, Curator munere suo recte fungi debet *v. c. 16. §. 1.* In specie administrans Curator, personas curæ suæ commissas, bene educare, iisdemque suo consilio assistere tenetur, & possunt omnino dicta *c. 16. §. 2. seqq.* huc etiam, suo modo, applicari. Id speciale est, quod proximi cognati furiosum pauperem de suo alere teneantur, ex sententia quorundam *v.* CARPZ. *4. Resp. 59. 61.* LAUTERB. *C. J. de curat. lit. E.* Porro bona illarum rite administrare debet, juxta ea, quæ *c. 16. §. 5. seqq.* diximus, non minus etiam illis, negotia gerentibus, sua *autoritate* vel *consensu*, assistere potest & tenetur, secundum doctrinam *c. 16. §. 11. seqq.*

§. 9. In specie ergo requiritur ut persona, ad aliquid gerendum, sit aliquo modo habilis, qualis non est furiosus *l. 5. de R. J.* nam hic ne quidem conditionem suam meliorem facere, nec acquirere potest *l. 55. de O. & A. l. 1. §. 3. de A. A. P.* huic ergo Curator, suo consensu, non assistit, sed ejus negotia potius solus administrat, est tamen subtilitatis illius Romanæ non magna necessitas. E contrario prodigi & minores, quædam negotia soli recte expediunt, alia cum curatore *l. 5. §. 1. de A. O. H. l. 6. de V. O. l. 3. de novat.* sine hoc autem, ne quidem naturaliter obligantur *l. 6. de V. O. j. l. 8. §. 1. l. 16. §. 3. de fidejuss. l. 3. C. de in integr. restit. minor.* Modus interponendi consensum, idem est qui in tutore *vid.* CARPZ. *p. 2. C. 15. D. 30. 31.*

§. 10. Ex administratione Curæ, plures obligationes & jura sequuntur, tam inter *personas curandas*, ac *extraneos*, quam inter *illas*, & *curatores*, nam illa omnia, quæ *c. 16. §. 16. seqq.* proposuimus, huc etiam referri debent *v. l. 2. 14. C. de admin. tutor. l. 3. C. arbitr. tutel. l. 1. §. 2. 3. contr. tutel. l. 20. C. de admin. tutor. l. 1. §. 6. de magistr. conv.* Illud singulare est, quod etiam, constante cura, cum curatore agi queat *l. 26. §. 1. de admin. tutor. l. 4. §. 3. l. 16. §. 1. de tutel. & ration.* sed id hodie non amplius singulare esse, ex *c. 16. §. 26.* liquet.

§. 11. Denique etiam cura, certis modis tollitur, & quidem modi *proprii*, qui *c. 17. §. 1.* adducti sunt, in curatoribus quoque locum habent, suppositis tamen terminis habilibus. Porro modi *communes*, qui à parte tutoris eveniunt, *d. c. 17. §. 2. 5. seqq.* ex asse etiam ad curatores

quadrant, ex iis vero, qui à parte pupilli accidunt, *d.c. 17. §. 2. 3. 4.* huc quoque pertinet mors naturalis & quævis capitis diminutio, ut & delictum ejus, qui in cura eſt; in locum vero pubertatis, qua tutela finitur, alium modum eſſe ſurrogandum, facile liquet.

§. 12. Nimirum tollitur Cura, ſi cauſa, ob quam illa conſtituta eſt, in perſona curanda deſinat; Ergo, furioſo priſtinæ ſanitati reſtituto, aut prodigo ad ſanos mores reverſo, Curator ceſſat *l. 6. C. de curat. furioſ. l. 1. pr. ff. eod.* Prodigus vero non antea mores mutaſſe cenſeri debet, quam judicis ſententia hoc declaraverit, licet enim *ipſo jure*, in poteſtate curatorum, eſſe deſinat *d. l. 1. pr.* attamen ſententia judicis non excluditur, cum per ipſum jus, intelligatur *civile*, adeoque illud non *ſententiæ judiciali*, ſed *juri prætorio* opponatur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 840. ſeqq.*

§. 13. Minores autem, à cura liberantur obtenta majorennitate, hæc eſt vel *ordinaria*, quæ jure civili, poſt impletum annum 25. *pr. J. de curat. l. 1. §. 1. ſeqq. de minor.* jure vero Saxonico, poſt annum 21. adeſt *Landr. l. 1. art. 42. v.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 9.* vel *extraordinaria*, quæ impetrata ætatis venia obtinetur *l. 1. C. de his qui ven. ætat. impetr.* Conceditur venia ætatis ab Imperante *l. 2. C. eod.* Hodie in territoriis germaniæ, à Statibus imperii *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 3. c. 5. §. 39. l. 5. c. 3. §. 52.* & quidem maſculis poſt impletum viceſimum, fœminis vero, decimum octavum annum *d. l. 2. C. eod.* Status tamen imperii hoc tempus præciſe obſervare non debent. Impetraturi autem, morum ſuorum inſtituta & probitatem animi, teſtibus probare debent *d. l. 2. C. h. t.*

§. 14. Venia ætatis donati, pro majoribus habentur, excepta immobilium alienatione *l. 2. §. 1. l. 3. C. de his qui ven. ætat.* Quousque autem alii eos, pro majoribus, habere velint, in iis, quæ ab ipſorum arbitrio dependent, id in eorum voluntate poſitum eſt *l. fin. C. eod.* hinc ſi alicui legatum relictum ſit, ſi ad perfectam ætatem pervenerit illud, poſt impetratam veniam, petere nondum poteſt, nam teſtator terminum conſvetum reſpexiſſe, merito cenſetur, niſi aliud dixerit *d. l. fin. h. t. v.* VITRIAR. *J. J. P. l. 3, tit. 2. §. 24. tit. 17. §. 105.* Quodſi venia conceſſa, parum utilis impetranti videatur, poterit ejus abolitionem petere, adeo ut impoſterum jure minorum iterum cenſeatur VITRIAR. *d. t. 2. §. 25. 26.* contra ea vero, quæ interim geſta ſunt, reſtitutio non conceditur *l. 1. C. de his qui ven. æt.* §. 15.

§. 15. Curæ & curatoris *ſpecialis v. §. 2. h.* varia ſunt exempla, nam eo pertinet (1.) Curator liberorum, qui in patria poteſtate exiſtunt, quoad bona, quæ Pater adminiſtrare vel non vult, vel non debet *v. l. f. §. 1. C. de bon. quæ lib. Nov. 117. c. 1.* (2.) Curator bonorum (3.) ventris *l. 48. de admin. tutor.* (4.) pupillorum *§. 5. J. de curat. §. 3. J. de autor. tutor. l. 10. §. f. de excuſ. l. 12. 13. de tutel. l. 15. de tutor. dat. l. 9. de ſuſp. tutor.* (5.) abſentis *l. 22. §. 1. de reb. autor. jud. poſſid. l. 6. §. 2. l. 8. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. l. 15. ex quib. cauſ. major.* (6.) ad certam cauſam datus *§. 2. J. de curat. v. §. 5. h.* & inprimis (7.) Curator mulieris Saxonicus, de quo mox ſeparatim agemus. In genere circa hoſce curatores obſervandum, quod à Magiſtratu conſtituantur, ac eorum munus ad ea ſaltem, quibus præpoſiti ſunt, pertineat.

§. 16. Atque ex his de differentia & convenientia tutorum & curatorum facile conſtare poteſt: Differunt ſane tutores & curatores ratione *objecti*, ut & *conſtitutionis* & *diſſolutionis*, *inde quodammodo dependentis*, ſed ratione *juris* & *obligationis*, vel nulla, vel modica inter eos eſt differentia, hinc nihil vetat, quo minus hiſce nominibus promiſcue utamur, quod moribus etiam adeo obtinet, ut curatores ſpeciales, v. gr. mulierum, tutores, *kriegiſche vormunder* quoque ſalutentur, quæ denominatio etiam occurrit quoad eos, qui liberorum bona adventitia adminiſtrant *v.* STRUV. *Jurispr. for. l. 1. tit. 7. §. 6. tit. 18. §. 1. ſeqq.* ex quo ultima fluit concluſio: controverſias, quæ de uſu horum nominum moventur, ad inanes pertinere logomachias.

§. 17. Uti autem hodie, circa conſtitutionem tutelæ & curæ, magnæ Magiſtratus ſunt partes, ita ei quoque incumbit, ut tutoribus, in rebus ambiguis, conſilio aſſiſtat, in eosque accuratam ſemper gerat inſpectionem, ac illos, ad reddendas rationes, adigat. Hoc officium ſi negligat, ac nihilominus, ut aliquando fieri ſolet, opes pupillorum & minorum non modice delibet, tum, Magiſtratum illis oneri magis quam commodo eſſe, ultro liquet.

CAPUT

CAPUT XIX.

DE CURATORE MULIERIS SAXONICO.

SUMMARIA.

Cura mulieris inprimis jure Saxonico obtinet §. 1.
Plerumque illa à magiſtratu conſtituitur §. 2.
Qui curatores conſtitui queant & quibus fœminis illi dentur §. 3.
In omnibus generis actibus hæ curatoribus indigent §. 4.
Autoritate mariti quando uxores agere queant §. 5.
Aliquando ſine curatore fœmina recte agit §. 6. 7. 8.
Officium Curatoris conſiſtit in conſenſu interponendo §. 9.
§. 10.
Si plures ſint, an omnium conſenſus requiratur
Ex negotiis celebratis mulier ipſa non Curator regulariter obligatur §. 11.
Reſtitutione in integrum num illa gaudeat §. 12.
Inter mulierem & curatorem actio tutelæ regulariter non occurrit §. 13.
Curæ muliebris contraria §. 14.
Epicriſis quoad hanc curam §. 15.

§. I.

APud diverſas gentes receptum eſt, ut mulieres ſint in Cura aliorum, *v.* SCHILTER *ad ff. exerc. 37. §. 222. ſeqq.* Inprimis illud obtinet jure Saxonico, tam communi *Landr. l. 1. art. 45. ſeqq.* quam Electorali *Conſt. 15. p. 2. v.* DN. D. JACOB. *diſſert. de curator. mulier. Saxon. hab. Lipſ. 1688. c. 2.* Eſt ergo Curator mulieris Saxonicus, *perſona habilis, legitime conſtituta, quo mulieri, tam in judicio quam extra judicium, in expediendis negotiis obligatoriis, conſilio & autoritate ſua aſſiſtat, iisdemque valorem conciliet.* Diſtingvi poterit (1) in *generalem*, qui ad omnia negotia, & *ſpecialem*, qui ad certam cauſam datus eſt, prior tamen nihilominus etiam ſpecialis eſt, ſi cum curatore minorum comparetur (2.) in *legitimum*, qualis eſt maritus *Landr. l. 1. art. 31. 45. Dcciſ. Elect. 24.* & *dativum*, qui à Magiſtratu conſtituitur *conf.* DN. JACOB. *d. diſſert. c. 1.* DN. D. MENCKE *de proceſſ. comm. & Saxon. diſp. 6. §. 1. 2.*

§. 2. Utplurimum Curatoribus dativis fœmina utitur, qui conſtituuntur à Magiſtratu, jurisdictionem inferiorem habente & competente *Dec. Elect. 59.* CARPZ. *p. 2. C. 15. D. 26. 27.* D. JACOB. *d. diſſ. c. 2. §. 10. ſeqq.* D. MENCK *d. diſp. §. 3.* ad petitionem fœminæ aut aliorum, quorum intereſt, vel ex officio. Præſentibus hoc munus Judex injungit, ab

Digitized by Google

ab iisque promissionem, manu stipulata, *den handschlag*, vel tactu baculi judicialis, *mit angelobung an den gerichts-stab*, faciendam, exigit: Absentes vero per decretum constituit, omni autem casu Curatori *Curatorium* est dandum, quo factam constitutionem, quoties opus, probare queat CARPZ. *d. l. D. 28.* JACOB. *d. c. 2. §. 15. seqq.* MENCK *d. l. §. 4.*

§. 3. Curatores mulierum possunt esse omnes, qui natura non impediuntur nec lege prohibentur *v.* DN. JACOB. *d. dissert. c. 3. §. 1. seq.* invitis tamen hoc munus regulariter non defertur CARPZ. *p. 2. C. 15. D. 28.* MOLLER. *Sem. l. 4. c. 23.* DN. MENCK. *d. disp. §. 4.* Accipiunt curatores omnes fœminæ, uxores, virgines & viduæ *Const. 15. p. 2.* etiam extraneæ, in Electoratu Saxonico negotium aliquod celebraturæ. Excipiuntur tamen fœminæ illustres, jurisdictionem habentes, ut & fœminæ mercatrices, intuitu actuum, qui mercaturam respiciunt, qualis etiam censeri debet, si mulier, mercibus coëmendis, pecuniam mutuam accipiat, ac, in immobilibus, creditori hypothecam judicialem constituat. Extra hunc respectum, adeoque in primis in processu, curatore indigent D. JACOB. *d. c. 3. §. 7. seqq. conf.* D. MENCK. *d. disp. §. 4. 12. n. 1.*

§. 4. Opus autem habent curatoribus fœminæ, in omnis generis actibus, extrajudicialibus & judicialibus, quibus conditionem suam facere possunt deteriorem. Illos igitur quod attinet, regulariter omnibus contractibus accedere debet Curator, etiam mutuo, quo mulier pecuniam accipit *v.* DN. JACOB *d. dissert. c. 4. §. 1. seqq.* si tamen pecunia in ejus utilitatem versa sit, etiam sine curatore obligabitur CARPZ. *p. 2. C. 15. D. 14.* Porro mulier, sine curatore, debitum creditori solvere, aut debitorem suum ab oligatione liberare *v.* CARPZ. *d. l. D. 2. 3.* vel juribus suis renunciare nequit JACOB. *d. c. 4. §. 10.* Quodsi curator deficiat, actus celebrati, sunt nulli CARPZ. *d. l. D. 1. 4. 5.*

§. 5. Regulariter autem uxor, cum consensu mariti, velut Curatoris legitimi, valide contrahit ac mobilia & immobilia alienat *Landr. l. 1. art. 31. 45. Dec. Elect. 24.* CARPZ. *p. 2. C. 15. D. 19* si tamen alium curatorem generalem habeat, ejus consensum quoque merito adhibet. Quodsi cum marito ipso, vel in ejus utilitatem contrahat, alius curatoris auxilio indiget CARPZ. *d. l. D. 23. 24.* Hereditati quoque renunciare, aut super divisione hæreditatis, quitantiam generalem dare, solo

marito autore, non posse censetur uxor CARPZ. *d. l. D. 22.* sicut vice versa, bona immobilia, absque consensu mariti, adhibitio alio curatore, alienare nequit CARPZ. *d. l. D. 25. conf.* D. MENCK *d. disp. §. 10.*

§. 6. Aliquando fœmina, sine curatore, negotia extrajudicialia valide expedit. Pertinent huc (1.) negotia œconomica, liberæ uxoris administrationi commissa (2.) virgo vel vidua majorennis alienare potest mobilia, quatenus id jure permissum v. gr. infra 500. aureos, maxime si in liberos sit collata donatio *v.* CARPZ. *p. 2. C. 15. D. 15.* (3.) contractus mulieri utilis valet *l. 6. C. de LL. pr. & de autor. tutor. l. 14. C. de procur.* ut & (4.) si mulier dolum commiserit *l. 2. §. 3. ad SCt. Vellej. v.* CARPZ. *d. l. D. 17. 13.* aut si (5.) eum, cujus consilio contractum celebravit, in curatorem sibi confirmari mox curet CARPZ. *d. l. D. 32.* Valet etiam (6.) contractus, præsentibus cognatis, initus CARPZ. *d. l. D. 18.* nec non (7.) inter matrem & liberos celebratus IDEM *d. l. D. 8.* aut (8.) jurejurando confirmatus *v.* D. MENCK *d. disp. §. 10. 12.* quod ultimum tamen alii negant *v.* CARPZ. *d. C. 15. D. 1.*

§. 7. Porro mulier sine curatore (9.) recte testatur ac mortis causa donat (10.) matrimonium init, adeoque etiam (11.) pacta dotalia conficit CARPZ. *d. C. 15. D. 10. 11.* (12.) jus patronatus exercet (13.) ex pacto retractus, vel præcepto testatoris, res vendit, (14.) injurias verbales retorquet *v.* DN. JACOB. *d. dissert. c. 4. §. 18.* (15.) arrestum impetrat CARPZ. *d. C. 15. D. 12.* sed, usu fori contrarium receptum esse, testatur DN. JACOB. *d. l* conf. *Const. 5. p. 2.* PISTOR. *l. 4. qu. 6.* CARPZ. *p. 2. C. 42. D. 10. n. 6. 7.* Denique jure communi Saxonico (16.) virgines & viduæ, sine curatore, libere contrahere possunt *Landr. l. 1. art. 45.* COLER. *Decis. 67. n. 41.* RICHT. *Dec. 27. n. 22.* DN. MENCK. *d. disp. §. 13.*

§. 8. In actibus judicialibus, mulier regulariter indiget curatore, qui sæpe actorem constituit, quando tamen vel ille vel hic, satis habilis, ad expedienda negotia judicialia, censeri debeat, id parum expeditum, sed innumeris potius dubiis obnoxium est, qua de re, in materia processus, aliqua dicenda erunt *v.* DN. MENCK *d. disp. §* 6. 7. *8.* Aliquando autem mulier, sine curatore, negotia judicilia tractat. Eo pertinent (1.) causæ criminales (2.) matrimoniales, excepta tamen dotationis & alimentorum causa, hæc enim curatorem desiderat, quæ tamen limitatio, molestæ subtilis videtur. In illum censum etiam refertur (3.) judicia-

dicialis teſtamenti inſinuatio (4.) teſtimonii depoſitio (5.) oblatio ad jurandum à præſente muliere, in judicio facta *v.* D. MENCK *d. diſp. §. 8.* (6.) præſtatio juramenti (7.) appellationis interpoſitio *v.* D. JACOB. *d. diſſert. c. 4. §. 15. 16. 17.*

§. 9. Officium curatoris non conſiſtit in rebus adminiſtrandis, ſed interponenda ſaltem autoritate ſive conſenſu, hujus autem forma, in eo conſiſtere cenſetur, ut (1.) ſit expreſſus (2.) ſpecialis (3.) tempore celebrati negotii interpoſitus, hinc ratihabitio, actum celebratum ſecuta, nihil operatur, præſentia tamen curatoris, præciſe non eſt neceſſaria, CARPZ. *p. 2. C. 15. D. 30. 31.* D. JACOB. *d. diſſert. c. 5.* D. MENCK *d. diſp. §. 9.* Enimvero cum curator, procuratori generali ſoleat comparari, & ejus conſenſus, ſupplendæ conſilii fœminini inopiæ, ſaltem requiratur, hinc omnino incongruum videtur, rem acceſſoriam, habere pro forma actuum fœmininorum, cum illa, pro conditione ſine qua non, quæ quovis tempore accedere poſſit, haberi ſolum debeat.

§. 10. Si fœmina habeat plures Curatores, vel generaliter, vel ad certam cauſam datos, quæritur; *utrum omnium conſenſus ſit neceſſarius, an unius etiam ſufficiat?* Sunt qui illud, & qui hoc aſſerunt, poſterius tamen æquitati & rationibus juris civilis magis convenire videtur *v. l. fin. C. de autor. tutor. l. 24. §. 1. de admin. tutor. l. 2 §. 2. de curat. bon. dand.* Interim, ob variantes ſententias, utile cenſetur, ut (1.) judex novum curatorem generalem non antea conſtituat, quam prior ſe ſuſcepto munere addicaverit, aut regiſtratura, legitimam prioris curatelæ caſſationem continens, ad acta ſit relata (2.) ut plures curatores, conjunctim & diviſim, aut (3.) uno curatorio conſtituat (4.) ad ſpecialem potius, quam generalem novi curatoris conſtitutionem propendeat *v.* D. MENCK *d. diſp. §. 5.*

§. 11. Negotia, conſenſu Curatoris celebrata, valida ſunt, ex iisque mulier efficaciter conveniri poteſt. Ipſe vero Curator, ne quidem officii nomine, conveniri poſſe videtur, neque enim mulierem repræſentat, ſed ei, principaliter gerenti, ſaltem aſſiſtit, adeoque à tutoribus & curatoribus aliis, hac in parte, differt: Quodſi autem vel doloſe verſatus fuerit, vel obligationem mulieris, fidejubendo vel alio modo ſuſceperit, tum, ipſum conveniri hoc nomine poſſe, facile liquet.

§. 12. Uti autem negotia ſine curatore celebrata, nulla ſunt, ita

an, eo accedente, mulier læſa in integrum reſtitui queat, quæritur? Negant hoc nonnulli *v.* CARPZ. *p. 2. C. 15. D. 33.* D. MENCK. *d. diſp. §. 13.* Sed cum mulieres, quoad neceſſitatem habendi curatoris, minoribus exæquentur, non improbabiliter etiam, ad horum exemplum, beneficium reſtitutionis illis aſſeri poteſt *v.* RICHT. *Dec. 27. n. 23.* D. JACOB. *d. diſſert. de curat. mul. c. 3. §. 17. c. 6. §. 1.* CARPZ. *p. 1. C. 26. D. 23.*

§. 13. Contra curatorem mulier agere nequit, licet negotium ſuſceptum, optato evento deſtituatur, modo ille bona fide conſenſum præſtiterit CARPZ. *p. 2. C. 15. D. 33.* Cum etiam curator bona non adminiſtret, hinc, ob adminiſtrationem, actione tutelæ directa conveniri nequit, nec in ejus bonis, mulieri tacitum pignus competit: Vice verſa nec ille actionem contrariam habet, qua vel impenſas, vel ſalarium exigat. Si vero adminiſtrationi rerum curator ſe immiſcuerit, aut aliquid ei promiſſum ſit, tum actionibus memoratis locus eſt, ſicut etiam honorarium, quod ut Advocatus promeruit, curator ſemper exigere poteſt *conf.* D. JACOB. *d. diſſert. c. 6.*

§. 14. Cura mulieris finitur (1.) ejus morte (2.) delicto, ob quod vel civitate ejicitur, vel honeſtorum hominum conſortio excluditur (3.) morte curatoris (4.) delicto graviori (5.) perfidia circa curam commiſſa (6.) mutuo conſenſu (7.) conſtitutione novi curatoris, animo priorem tollendi facta (8.) legitima excuſatione (9.) finito negotio, ad quod quis ſpecialiter datus (10.) datione curatoris generalis, qua tollitur ſpecialis, ex doctrina CARPZ. *p. 2. C. 15. D. 29.* ſed præjudicium ſubjectum non tam oſtendit, quod hæc ſublata ſit, ſed quod, ad inſtantiam Curatoris, tolli debeat. Nuptiæ vel primæ, vel reiteratæ, non ſolvunt (11.) curam, ſed ejus ſolvendæ occaſionem ſaltem ſuggerunt *conf.* D. JACOB. *d. diſſert. c. 7.*

§. 15. Cæterum ſicut leges, quæ mulierum actus Curatorum conſilio, regi volunt, eo nomine commendari ſolent, quod imbecillitate judicii fœminini ſuccurrant, ita è contrario fatendum eſt, quod dubia propemodum infinita illæ introducant, actibus bona fide geſtis, & quibus nihil niſi indifferens ſolennitas defuit, evertendis ſæpe inſerviant, ac moram non exiguam proceſſibus afferant, dum non raro aliquot ſententiæ interlocutoriæ inſumendæ, non ut magis conſulte, ſed ſolum, ut aliter actus celebretur. Calculo igitur recte ſubducto, rationes, quæ mulieres ſine curatoribus agere jubent, prævalere videntur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XX.
DE RESTITUTIONE MINORUM.

SUMMARIA.

Minorum actus sunt aliquando nulli, aliquando contra eos restitutio locum habet §. 1.
Hæc ad dispensationem propius accedit §. 2.
Succurritur minoribus §. 3.
Liceat autoritate tutorum vel curatorum egerint §. 4.
Non majoribus §. 5.
Debent minores esse læsi §. 6.
Opus ergo est causæ cognitione §. 7.
Persona restituens & quæ restituitur §. 8. 9.
Contra quos fiat restitutio §. 10.
Negotia quæ restitutioni subsunt §. 11. 12. 13.
Restitutionis effectus §. 14.
Ejus petendæ modus §. 15.
Restitutionis contraria §. 16. 17.
Ad exemplum minorum restituuntur Respublicæ, Ecclesiæ, Universitates politicæ &, ex quorundam sententia, mulieres §. 18.

§. 1.

CUm impuberes & minores, ob fragile & infirmum ætatis suæ consilium, tutoribus & curatoribus subsint, inde facile liquet eos, expediendis negotiis obligatoriis, non satis esse idoneos. Quodsi adeo actum aliquem, sine tutoribus & curatoribus, quos habent, susceperint, inde non obligantur *pr. J. de auctor. tut. l. 13. §. 29. de A. E. V. l. 33. pro soc. l. 1. §. 2. commod.* sed actus est ipso jure nullus *l. 16. pr. de minor. add. l. 3. C. de in integr. restit. minor. l. 4. C. quib. in caus. in integr. restit. necess. l. 2. C. de præd. minor.* Si vero minor, curatorem non habens, vel pupilli & minores, cum tutoribus & curatoribus suis, vel eorum nomine, soli tutores aut curatores aliquid egerint, tum ipsis datur restitutio in integrum *l. 47. de minor. l. 3. 5. C. si tutor. vel curat. interv. l. 4. 5. C. si adv. rem judic.* inter quæ duo remedia, hic aliquid interest *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 123. n. 2.*

§. 2. Videbatur autem restitutio minorum, hic nihil aliud esse, quam *genuina interpretatio*, ac mero jure naturali niti, cum enim ex ratione satis constet, actum, in quo invitus læditur agenti, cum suo effectu morali, non esse imputandum, hinc, ex illo principio, minores satisfuri videntur. Enimvero illud incertum est, an semper pro invitis haberi queant, cum adolescentes sæpe negotium satis intelligant, præterea etiam consilio Curatorum utantur; deinde læsio latius hic accipitur, ut omissio lucri, vel commutatio rei, sub illa comprehendatur,

tur, hinc reſtitutio minorum, ut generale remedium, ſpectata, magis pro *diſpenſatione* haberi, ac ad jus poſitivum, æquitate tamen ſubnixum, referri debet *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 122.*

§. 3. Ut autem reſtitutio locum habeat, requiritur (1.) ut aliquid geſſerit *l. 1. §. 1. l. 7. §. 1. de minor.* vel non geſſerit *l. pen. C. de reſtit. in integr. minor.* (2) minor, vel, ejus nomine alius *l. 1. §. 1. 2. de minor.* & computatur ætas imperfecta naturaliter de momento in momentum *l. 3. §. 3. eod.* Illud nihil refert, ſive adhuc in utero exiſtat, ſive natus *l. 45. eod.* impubes an minor *l. 49. eod. l. 2. 3. 5. C. ſi tut. interven.* maſculus an fœmina ſit *pr. J. de curat.* nam, quo imperfectior eſt ætas & imbecillius judicium, eo magis captis ſuccurrendum eſſe, ratio jubet.

§. 4. Illud quoque nihil refert, ſive ipſi minores, curatoribus deſtituti, geſſerint, ſive tutorum & curatorum, quos habuerunt, autoritas acceſſerit, aut hi ſoli, illorum nomine, egerint: datur tamen, poſteriori caſu, minoribus electio, utrum in integrum reſtitui, an contra tutores & curatores ſuos agere velint *l. 47. pr. de minor. l. 3. 5. C. ſi tutor. interven. l. 4. 5. C. ſi adverſ. rem judic.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 34.* ſi tamen, in actibus judicialibus, læſi ſint, reſtitutio ſaltem in ſubſidium conceditur *l. 13. §. f. C. de judic.*

§. 5. Majoribus, qui vel jure ordinario, vel, ex privilegio, tales facti *v. c. 18. §. 13. 14.* non ſuccurritur *l. 3. §. 4. de minor.* hinc etiam reſtitutio ceſſat, ſi negotium cum minore cœptum, ſed cum majore finitum ſit *l. 3. §. 1. cod. l. 1. C. ſi adv. rem judic.* Si major, minori negotia adminiſtranda commiſerit, reſtitutio itidem locum non habet, damnum enim ſuæ imprudentiæ, illo debet imputare *l. 23. de minor.* aliud dicendum, ſi minor ultro majoris negotia geſſerit, cum enim huic, hoc caſu, nihil imputari queat, merito in integrum reſtituitur *l. 24. eod.*

§. 6. Requiritur (3.) ut minor læſus ſit *l. 5. C. de in integr. reſtit. minor.* læſio autem hic latius accipitur, ut omiſſio lucri ſub ea quoque comprehendatur *l. 6. 7. §. 6. l. 44. de minor.* haut igitur læſio poſitiva & enormis, præciſe eſt neceſſaria, ſed ex æquitate iſta res æſtimatur *l. 1. eod.* ob quamlibet tamen læſionem, negotium geſtum non ſemper reſcinditur *l. 9. pr. l. pen. eod.* (4.) ætatis facilitate, vel adverſarii malitia *l. 1. pr. l. 11. §. 4. l. 17. 24. §. 1. l. 44. de minor.* quæ poſterior cauſa, juxta caſus habiles, eſt intelligenda, nam nec ſemper concurrit, nec concurrere

rere poteſt, cum ſæpe minor, adverſario non concurrente, agat, v. gr. hæreditatem adeat aut repudiet, vel fatalia proceſſus negligat.

§. 7. Ob ſupervenientem læſionem fortuitam, reſtitutio non datur, niſi in ipſis caſibus futuris æſtimandis, minor lapſus ſit *l. 11. §. 4. 5. de minor.* aut adverſarius ſua voluntate, caſui occaſionem præbuerit *l. 7. §. 2. eod.* Opus ergo eſt, in concedenda reſtitutione, cauſæ cognitione *l. 11. §. 3. l. 13. pr. in fin. l. 29. §. 2. l. 44. de minor.* & reſtitutionem petens, debet probare ætatem *l. 39. de minor. l. 4. C. de integr. reſtit. minor. l. 9. C. de probat. v.* CARPZ. *p. 1. C. 16. D. 49.* ac læſionem, lubrico ætatis evenientem, non autem præciſe adverſarii dolum *l. 5. C. de in integr. reſtit. minor. l. 9. §. 4. de jurejur. v.* CARPZ. *p. 1. C. 26. D. 23.*

§. 8. Reſtitutionem, apud Romanos, conceſſit potiſſimum Prætor *v. l. 16. §. f. l. 17. de minor.* & quidem, ut videtur, immediate *l. 1. §. 1. eod. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 108.* Hodie Magiſtratus, civilem jurisdictionem habentes, in caſibus, certo jure determinatis, reſtituere poſſunt, dubios vero & majoris momenti, Imperanti merito relinquunt. Datur reſtitutio minoribus *l. 3. §. 4. de minor.* &, ex eorum geſtis, etiam hæredibus *l. 18. §. f. l. 19. eod. l. un. C. ſi adv. dot.* patribus & filiisfam. *l. 3. §. 4. 10. de minor.* ex horum tamen, in peculio profectitio geſtis, Patri, qua tali, reſtitutio non datur *l. 3. §. 4. 9. l. 27. eod.* quod hodie nullius vel rariſſimi uſus; datur etiam Doctori juris minori, modo non ex ignorantia juris lapſus ſit *l. 1. §. de minor. l. 1. C. qui & adv. quos l. 2. §. 43. de O. J.* VINN. *S. Q. l. 1. c. 13.*

§. 9. Fidejuſſori minorum quoque ſuccurritur, ſi dolo adverſarii minor ſit læſus *l. 2. C. de fidejuſſ. minor. l. 7. §. 1. de except.* ſi vero lubrico ætatis, tum ille valide obligatur, ac minor, contra ipſum etiam reſtituitur in integrum *l. 13. pr. de minor. l. 1. 2. C. de fidejuſſ. minor.* ſi tamen creditoribus, contra alios, ſalva ſit actio, tum fidejuſſor quoque, ad reſtitutionis beneficium, admittitur *v. l. 51. de procur. l. 2. §. 1. de admin. & peric. tutor. l. 89. de A. O. H.* Idem dicendum, ſi minori hæres exiſtat *l. 93. §. 2. l. 95. §. 3. de ſolut. v.* VINN. *S. Q. l. 1. c. 11.* Cæterum hodie, ob beneficium ordinis, fidejuſſorem ſemper tutum eſſe arbitror *v. l. 4. c. 16. §. 10.* Socio minoris reſtitutio non prodeſt *l. un. C. ſi in comm. cauſ. reſtit. poſt.* niſi cauſa communis ſit invidua *l. 10. quemad. ſerv. amitt. v.* CARPZ. *p. 1. C. 16. D. 17. l. 2. Reſp. 98.* BERLICH. *p. 2. Dec. 180.*

§. 10.

§. 10. Competit minori restitutio regulariter contra illos, cum quibus negotium gestum est aut quos hoc respicit, & eorum hæredes *l. 13. §. 1. l. 14. de minor. l. 6, 7. C. de in integr. restit. minor.* aliquando etiam, in casibus habilibus, contra tertium possessorem *l. 9. pr. l. 13. §. 1. l. 14. 35. de minor.* Contra parentes liberis hæc restitutio regulariter non conceditur *l. fin. C. qui & adv. quos v. Nov. 155. c. 1. v.* OBSERV. LAUT. *Obs. 111.* Datur etiam restitutio contra minorem, quatenus locupletior factus *l. 11. §. 6. l. 34. de minor.* ut & contra SCtum Macedonianum & Vellejanum *l. 11. §. 7. l. 12. cod.*

§. 11. Restituuntur minores intuitu negotiorum, ipso jure validorum, in quibus læsi sunt *l. 16. pr. l. 1. §. 1. l 17. de minor.* tam judicialium *l. 7. §. 4. 11. 12. l. 16. §. 6. l. 36. de minor. t. t. C. si adverss. rem. judic. v. §. 4. h.* quam extrajudicialium, licet autoritas tutoris & judicis decretum intervenerit *l. 11. C. de præd. minor.* aut pignora, ex causa debiti, fuerint distracta *l. 9. pr. l. 49. de minor. l. 1. C. si adv. vendit. pignor.* & plus licitanti addicta *l. 7. §. 8. de minor.* sed hisce in casibus, non nisi ob graviorem læsionem, restitutio conceditur.

§. 12. In specie possunt restitui minores contra transactionem, divisionem *l. 1. 2. C. si adv. transact.* donationem *l. 2. C. si. ad. donat.* dotem *l. 1. C. si adv. dot.* mutuum, ut scilicet pecuniam mutuam reddere non debeant, nisi quatenus inde facti locupletiores *l. 1. 2. si adv. creditor.* solutionem, ut nempe id, quod non rite solutum est, denuo exigere queant, si illud perdiderint *l. 7. §. 2. de minor. l. 1. si adv. solut.* aut ut, quod ipsi ex errore juris, indebite solverunt, repetant *l. 2. C. eod.* hæreditatis additionem *l. 7. §. 5. de minor. l. 1. 2. C. si min. ab hæred. se abst.* & repudiationem *l. 1. 2. C. si ut omiss. hæred. l. 7. §. 9. de minor.* compromissum *l. 34. §. 1. cod.* usucapionem *l. un. C. si adverss. usucap.* ac ejus generis negotia alia.

§. 13. Non datur restitutio contra venditionem bonorum sub hasta, propter debita fiscalia *l. 5. C. de fid. & jur. hast.* BERLICH. *p. 1. D. 113.* contra solutionem, ex decreto judicis factam *l. 25. C. de admin. tutor. l. 7. §. 2. de minor.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 46.* omissam injuriarum actionem *l. 37. de minor.* matrimonium *v.* STRUV. *S. J. C. exerc. 8. §. 57.* STRYK *in not. ad* LAUTERB. *C. J. de minor. ad p. 83.* delictum dolosum *l. 9. §. 2. 5. l. 37. §. 1. de minor. l. 1. C. si adv. delict.* STRUV. *d. l.* In delictus vero culposis obtinet restitutio *l. 2. C. si adv. delict. l. 9. §. 5. de minor.*

l. 1.

l. 1. C. in quib. cauſ. reſtit. in integr. quemadmodum etiam in veris delictis, contra confeſſionem, illa conceditur *l. 6. §. 5. de confeſſ.* & propter ætatem minorem pœna mitigatur *l. 9. §. 2. l. 37. §. 1. de minor.* conf. *l. 9. §. 6. l. 10. 11. 31. de minor. t. t. C. ſi adv. libert.*

§. 14. Effectus reſtitutionis in genere eſt, quod actus, vel ejus omiſſio, minori vel omnino non, vel non ita ſimpliciter imputetur. Hinc ſi aliquid omiſerit, ad illud admittitur, ſi actum damnoſum, v. gr. repudiationem hæreditatis, ſuſceperit, perinde habetur, ac ſi nihil actum eſſet: Si contractus celebratus ſit, ille re integra, non impletur, ſi jam impletus ſit, tum minori damnum eſt reſarciendum *l. 9. pr. l. 13. §. f. l. 14.* de *minor.* vel etiam contractu reſciſſo, minor ſuum recipit *l. 9. pr. l. 13. §. f. l. 14. l. 27. §. 1. l. 35. de minor.* quo caſu id, quod accepit, reddere etiam debet *l. 7. §. f. l. 24. §. 4. l. 40. §. 1. l. 47. §. 1. de minor. l. un. C. de reputat. quæ fiunt in judic. in integr. reſtit.*

§. 15. Petitur reſtitutio vel ſeorſim, extraordinaria perſecutione: vel incidenter, inſtituta actione principali, vel oppoſita exceptione aut replicatione, pro caſuum ſcilicet diverſitate, & prout cauſa reſtitutionis, quæſtioni principali eſt innexa, vel ab ea ſeparata. Nam ſi minor, v. gr. contra neglectum fatale, vel totum proceſſum reſtitui velit, peculiari opus erit petitione *l. 24. §. fin. de minor.* ſi vero rem alienatam repetat, rei vindicatione utitur, ac oppoſitam exceptionem, reſtitutionis replicatione diluit *l. 13. §. fin. de minor.* ſi contractus ſit initus, adverſario impletionem urgente, minor exceptione ſe defendit. Si mater hæreditatem filii petat, exceptionem omiſſæ tutorum petitionis, replicatione elidit *l. 2. C. ſi adv. delict.*

§. 16. Ceſſat reſtitutio in integrum (1.) ob defectum cauſæ legitimæ, hinc etiam ſemel denegata, ex eadem cauſa non conceditur *t. t. C. ſi ſæp. in integr. reſtit. poſt.* (2.) ob dolum minoris *l. 9. §. 2. l. 37. §. 1. de minor.* e. gr. ſi ſciens ſe majorem dixerit, dolus tamen adverſarii concurrens illum excludit, ut reſtitutioni adhuc locus ſit *l. 1. 2. 3. C. ſi min. ſe maj. dix. l. 36. de dol.* (3.) ob decretum magiſtratus, quo minor, ex errore licet, major declaratus *l. 32. de minor.* (4.) ratihabitionem, à majore, verbis vel factis habilibus factam *l. 3. §. 1. 2. de minor. l. 1. 2. C. ſi maj. fact. rat. hab.* (5.) renunciationem juratam CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 50.* (6.) mercaturam, à minore exercitam PEREZ. *ad C. ſi min. ſe major. dix.*

§. 17. Inprimis etiam ceſſat (7.) ob præſcriptionem quadriennii, poſt majorennitatem, vel jure ordinario, vel ex diſpenſatione competentem, currentis *l. fin. C. de tempor. in integr. reſtit.* quodſi tamen, venia impetrata, plures anni quam quatuor, usque ad ordinarium majorennitatis terminum, adhuc ſuperſint, tum illos omnes præſcriptio complectitur *l. 5. C. eod.* (8.) ob juramentum, quo minor contractum confirmavit *auth.* Sacramenta *C. ſi adverſ. vendit.* illud tamen ſolum, lubricum ætatis, non adverſarii dolum excludere videtur *v.* VINN. *S. Q. l. 1. c. 15.* Eodem ſenſu etiam actus, ipſo jure nullos confirmat juramentum *v.* STRUV. *S. J. C. exerc. 8. §. 54.* ſed actus prohibiti jurejurando non confirmantur *l. 5. C. de LL.* niſi leges ipſæ, in hunc eventum, prohibitionem ſuſpendant *c. 28 X. de jurejur. conf.* HUBER. *in poſit. ad ff. de minor. n. 23. ibique* THOMAS *in not.*

§. 18. Ad exemplum minorum, reſtituuntur (1.) Respublicæ *l. 4. C. quib ex cauſ. maj. l. 3. C. de jur. Reipubl. l. 9. de appellat.* (2.) Eccleſiæ, aliaque ſacra collegia *c. 1. ſeqq. X. de reſtit. in integr.* (3.) univerſitates politicæ BERLICH. *p. 2. D. 216.* quibus omnibus, à tempore læſionis, currit quadriennium, nec poſtea audiuntur niſi ob juſtam cauſam *c. 1. 2. de reſtit. in integr. in 6. clem. un. eod. v.* CARPZ. *l. 2. Reſp. 69.* BERLICH. *p. 2. Dec. 218.* RICHTER. *p. 2. Dec. 71. n. 13. add.* STRYK *in not. ad* LAUT. *C. J. de minor. in not. pen.* (4.) mulieres *v. l. fin. C. de jur. & fact. ign.* de quo *c. præc. §. 12.* dictum *v.* DN. JACOB. *diſſert. de auxil. reſtit. in integr. ſex. fœmin. de jur. comm. & Saxon. compet. hab. Wittemb. 1671. conf.* quoad hactenus dicta LAUTERB. *C. J. de minor.*

LIBER

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT I.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

SUMMARIA.

Homines de bonis in eventum mortis transferendis solent esse solliciti §. 1.

Hæreditatis indoles & diversa suppositio §. 2. 3.

Dicitur etiam bonorum possessio §. 4.

Prætor diverso sensu bonorum possessionem dare dicitur §. 5.

Divisio in decretalem & edictalem accurata non est §. 6.

Bonorum possessionis diversa acceptio & usus hodiernus §. 7.

Circa hæreditates jus civile & prætorium separatim hodie non est considerandum §. 8.

Delatio hæreditatis est vel tacita vel expressa §. 9.

Intestatus tacite bona sua cognatis defert §. 10.

Quæ voluntas lege positiva certius determinatur §. 11.

Primo succedunt descendentes §. 12.

Quoad remotiores tres casus distingvendi §. 13.

Nepos repudiata patris hæreditate avitam amplecti potest §. 14.

Successio pertinet ad liberos legitimos §. 15.

Illegitimi quatenus succedant §. 16.

Jure Saxonico in successione liberorum discrimen rerum expeditoriarum & geradicarum observatur §. 17.

Aliquando liberi legitimi à successione excluduntur §. 18.

Deficientibus liberis succedunt ascendentes §. 19.

Cum quibus tamen concurrunt fratres germanii eorumque liberi §. 20.

Parentes legitimi succedunt & aliquo modo illegitimi §. 21.

Jure Saxonico parentes excludunt collaterales, ac inter eos etiam differentia rerum expeditoriarum & geradicarum attenditur §. 22.

Ex collateralibus primo succedunt fratres germani eorumque liberi §. 23.

Deinde fratres unilaterales cum liberis suis §. 24.

Denique cæteri cognati juxta gradus prærogativam §. 25.

Adoptivi & illegitimi quomodo succedant §. 26.

Singularia juris Saxonici in successione collateralium §. 27.

Duplicitas vinculi eo jure attenditur §. 28. 29.

Ut & differentia rerum expeditoriarum & geradicarum §. 30.
Nifftelgerada plena quæ contineat §. 31.32.33.
Et quibus illa acquiratur §. 34.
Datur etiam ſucceſſio ſine jure ſangvinis §.35.
Cujus loci jura in ſucceſſionibus attendenda §.36. 37.
Jurium diverſitas aliquando locum facit retorſioni §. 38.

§. 1.

Accedendum eſt ad *jura*, *hominum mortem concernentia*, nam hæc tertia generalis hominum conſideratio eſt, toti tractationi, de jure conſtituto, cum cæteris duabus, fundamenti loco ſubſtrata, *v. l. 2. c. 1. §. 3.* adeoque poſt explicata propagationis humanæ jura, nunc merito inſtituenda *v. l. 6. c. 1. §. 1.* Cum igitur hominibus, ex inevitabili naturæ lege, moriendum ſit, ideo de bonis, poſt mortem, in alios transferendis, ſolent eſſe ſolliciti, quam rem leges, tam ex affectu ipſorum, quam utilitatis publicæ rationibus, ſpecialius definiunt.

§. 2. Jura & bona, in alios transferenda, vel ſuo tempore translata, *Hæreditatis* nomine veniunt, hæc adeo eſt *complexus jurium & rerum, à defuncto relictarum l. 20. §. 1. de H. P. l. 37. de A. O. H. l. 196. de R. J. l. 23. de A. A. P. l. 208. de V. S. aut in earum locum, ſurrogatarum l. 25. §. 18. de H. P.* Specialius igitur hæreditas poteſt accipi (1.) pro complexu jurium *v. l. 50. de H. P. l. 2. C. ſi omiſſ. cauſ. teſtam. l. 178. §. 1. de V. S.* quem ſenſum etiam intendit *l. 24. de V. S. l. 62. de R. J.* nam commode utriusque ſententia ſic accipitur: *hæreditas eſt ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habuit*, i. e. *univerſum jus, ſucceſſione queſitum*, nam alias, neque ſucceſſio, neque jus ſuccedendi, recte hæreditas dicitur, licet nonnulli ita ſentiant *v.* STRUV. *S. J. C. exerc. 10. §. 43.* (2.) pro univerſitate rerum *l. 49. 52. de H. P. l. 48. pr. de H. I. l. 208. de V. S.*

§. 3. Præter duos illos ſignificatus, qui juris Gentium ſunt, occurrit tertius, Romanis proprius, quo hæreditas (3.) accipitur pro perſona *l. 22. de fidejuſſor.* defuncti, ante aditionem hæreditaris *§. 2. J. de H. I. l. 31. §. 1. l. 52. eod.* hæredis vero, poſt aditam hæreditatem *l. 24. de novat.* Cæterum hæc eſt otioſa, & nullius uſus fictio, nam, ut jura defuncti ſubſiſtere, ac, in ſpecie, ſervi hæreditarii interim acquirere queant,

queant, ad id ſola ſpes futuri hæredis, vel alius domini, ſufficit *v. l. 73. §. 1. de V. O. l. 28. §. f. l. 35. de ſtipul. ſerv.*

§. 4. Apud Romanos nomina *hæreditatis, juris hæreditarii* & *hæredis* uſurpantur, intuitu *juris civilis in ſpecie ſic dicti*, ſed *juris prætorii* reſpectu, *nomina bonorum poſſeſſionis* & *poſſeſſoris* ſunt in uſu. Eſt igitur bonorum poſſeſſio, *jus perſequendi retinendique patrimonii, ſive rei, quæ cujusque, cum moritur, fuit l. 3. §. 1. 2. de B. P.* & bonorum poſſeſſor, *qui illo jure gaudet pr. I. de B. P.* quæ cum definitione hæreditatis & hæredis, coincidere, manifeſtum eſt, hinc etiam hæc nomina, illis quandoque fuerunt applicata *l. 138. de V. S. l. fin. C. qui admitt. ad bonor. poſſeſſor. l. 19. §. 2. de condit. & demonſtr.* nec erat gravis cauſa, illa diſtingvendi.

§. 5. Quando autem Prætor bonorum poſſeſſionem dare dicitur, tum illius doctrinæ triplex eſt ſenſus, vel enim *Prætor definit, qui & quo ordine, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato, ſuccedere debeant pr. §. ſeqq. I. de B. P.* vel *hæreditatis acquirendæ rationem determinat §. 4. ſeqq. I. d. t. l. 2. quis ord. in poſſeſſor. ſerv.* vel *hæredes adeuntes in ſuo jure confirmat l. 1. quor. bonor.* primo & ſecundo reſpectu inſtar Legislatoris, tertio, Magiſtratus vel judicis eſt; Non tamen, juxta priores reſpectus, ſemper novas leges condit, ſed jam latas, ſæpe approbat & confirmat *pr. I. de B. P.*

§. 6. Solet diſtingvi bonorum poſſeſſio in *decretalem* & *edictalem v. l. 3. §. 14. 15. 16. l. 1. §. 4. und. lib. l. 1. §. 7. de ſucceſſor. edict. l. 2. §. 1. quis ord. in poſſeſſ. ſerv.* LAUTERB. *C. J. de B. P.* Sed illa diviſio parum accurata eſt, nam edictalis notat hæreditatem ſive jus hæreditarium, non vero actualem bonorum detentionem *l. 3. §. 1. de B. P.* ſed decretalis ſignificat veram poſſeſſionem, quæ ei, cui controverſia movetur, aliquando ad tempus conceditur, adeoque, à jure hæreditario plane differt. Videntur autem diverſæ res conjunctæ, vel ob nominis identitatem, vel quia detentio bonorum illi conceditur, qui ſe hæredem jactat, aut talem ſe futurum ſperat.

§. 7. Ex dictis ergo liquet, quod bonorum poſſeſſio notet (1.) hæreditatem jure prætorio delatam (2.) ex hujus juris præſcripto acquirendam, aut acquiſitam (3.) judicialem hæreditatis aditæ confirmationem & (4.) actualem bonorum detentionem, quæ tamen ul-

tima ſuppoſitio huc non pertinet. Prima & ſecunda acceptio, Romanis eſt propria, ac hodie fere ceſſat, tertia vero & quarta, ex communibus æquitatis & prudentiæ regulis, dependet, ac hodie quoque occurrit *v. l. 6. c. 11. §. 9. 10.* conf. OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 955. ſeqq.*

§. 8. Sed ut, explicatis terminis, ad rem ipſam proprius accedamus, circa hæreditatem ſummatim *delatio* & *acceptatio* ſpectari poſſunt, nam ſicut translatio jurium & rerum inter vivos, mutuo conſenſu fit, ita, in eventum mortis, eodem modo, illa transferuntur. Utraque, apud Romanos, vel jure civili, vel prætorio regitur, hinc etiam, juxta Romani juris diſciplinam, eadem res, ſub nominibus *hæreditatis* & *bonorum poſſeſſionis*, bis conſideratur. Sed uti tam doctrina, quam docendi modus, valde intricata, confuſa, &, diſcentibus inprimis, moleſtiſſima ſunt, ita, cum jus prætorium, jure recentiori, fere abrogatum ſit, non opus eſt, ut iſtas ambages ſectemur, ſed una tractatione hic defungi, ac ſanctiones Prætorias, ſi quæ ſuperſunt, loco congruo inſerere licebit.

§. 9. Primo ſpectanda *delatio*, qua hæreditas alicui offertur *l. 151. de V. S. l. 21. §. 2. de A. O. H.* Fit illa vel *tacite*, ex qua oritur *ſucceſſio ab inteſtato l. 39. 70. de A. O. H.* aut, cum lex voluntatem, defuncti magis determinet, *legitima l. 3. §. 2. pro ſoc. l. 70. 77. de A. O. H.* vel *expreſſe*, inde exiſtit *teſtamentaria d. l. 3. §. 2. pro ſoc. l. 70. 77. de A. O. H.* quæ ipſa tamen, cum à lege probetur & dirigatur, recte etiam *legitima* vocatur *l. 130. d. V. S.* De cætero illa hanc, naturali ordine, præcedit, eſt enim antiquior ac hanc quodammodo reſtringit.

§. 10. Quando igitur aliquis, teſtamento vel nullo, vel invalido relicto, decedit, tum *inteſtatus* dicitur mortuus *pr. I. de hæred. quæ ab inteſt. defer. l. 6. ff. l. 34. C. de inoffic. teſtam. l. 1. de ſuis & legit. hæred. l. 14. §. 3. ad L. falcid. l. 10. C. de legit. hæred.* Neque tamen ideo bona ſua, pro derelictis, habuiſſe, ut à quovis occupari queant, ſed potius, ex communi mortalium affectu, conſangvineis ſuis, tacite conceſſiſſe exiſtimandus eſt; Cum vero, de iſta voluntate, infinitæ moveri poſſent controverſiæ, ideo lex poſitiva certius illa omnia definit, ut recte dici poſſit; hæreditatem & *voluntate* defuncti *v. l. 8. §. 1. de jur. codicill. l. 1. §. 6. de Legat. 3.* & *lege* deferri *l. 3. §. 2. pro ſoc. §. 1. I. de hæred. quæ ab inteſt.*

§. 11.

§. 11. De cætero leges positivæ, in præsumenda voluntate defuncti, non conveniunt, hinc etiam, jurium succedendi ab intestato, magna est varietas, qua de re Autores proprii, ac inprimis Dn. Strvk. *de succeſſ. ab inteſt.* consulendi sunt. Ea tamen, quæ jus civile novissimum proponit, æquitati & affectui humano satis conveniunt, ut, regulæ loco, illa omnino supponi possint, salvis semper exceptionibus, quas leges speciales suppeditant *conf.* Observ. Lauterb. *Obſ. 975.* De cætero tres sunt ordines (1.) *Deſcendentium* (2.) *Aſcendentium* & (3.) *Collateralium*, quos breviter considerabimus.

§. 12. Primo succedunt descendentes sive liberi *v. l. 7. §. 1. und. lib. l. 7. de bon. damnat. l. 15. de inoffic. teſtam. Num. 27. v. 8. Galat. 4. 7. c. 16. X. de teſtam. Nov. 118. c. 1. l. 1. §. 1. und. lib. I. f. 8.* qui etiam patrem, in cujus potestate defunctus fuit, excludunt *Nov. 118. c. 1.* scilicet quoad bona defuncti propria, castrensia nempe & adventitia *v. l. 6. c. 12. §. 9.* Nihil autem refert, cujus sint conditionis liberi, hinc Monachi quoque succedunt *l. 56. §. 1. C. de epiſcop. & Cler. v.* Carpz. *p. 3. C. 14. D. 10.* Porro nihil refert, cujus sint sexus liberi, sive in potestate existant, sive emancipati sint, nati an nascituri *v. l. 30. §. 1. de A. O. H.* primi vel ulterioris gradus *d. Nov. 118. c. 1.*

§. 13. Sunt tamen, quoad ultimum discrimen, tres casus separandi vel enim (1.) *primi gradus omnes ſunt occupati*, tum remotiores excluduntur, priores autem illi liberi, hæreditatem dividunt in capita, vel (2.) *quidam ex propinquioribus gradibus vacant*, hoc casu remotiores, qui ex personis vacantium graduum dependent, jure repræsentationis ascendunt, ac cum propinquioribus simul succedunt in stirpes, i. e. in portionem stirps suæ admittuntur, *v.* Lehm. *Chron. Spir. l. 5. c. 4.* vel (3.) *tantum adſunt liberi remotiorum graduum*, tum omnes, sive ejusdem, sive diversi gradus sint, jure repræsentationis, ac in stirpes succedunt *v.* Struv. *S. J. C. exerc. 38. §. 14. seqq.*

§. 14. Si filius suus decesserit, antequam Patris agnoverit hæreditatem, tum ejus filius, repudiata patris hæreditate, ad avi successionem adspirare nequit, nisi jure prætorio *l. fin. C. und. lib. v.* Struv. *d. l. §. 16.* quod hodie quoque observari censent *v.* Schopfer. *de ſucceſſion. prætor. hodie neceſſ. c. 6. n. 12. seqq.* Sed putem, ex rationibus æquitatis, simpliciter nepotem esse admittendum, neque enim hæreditas avita & paterna, ipso jure, in præjudicium liberorum, ita confun-

confunditur, ut illas nepos separare nequeat, & molesta subtilitas est, quæ in favorem liberorum introducta, in ipsorum damnum detorquet *l. 6. C. de LL. conf.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 976.*

§. 15. Hactenus dicta pertinent ad liberos *legitimos & naturales simul*, quales etiam sunt, qui primo mense, post nuptias, nati *v. l. 11. C. de natur. lib.* aut ex matrimonio putativo *l. 57. §. 1. de R. N. v.* STRUV. *d. l. §. 24.* Non vero, quos desponsati genuerunt, *v.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in possess. serv.* nisi lex positiva illis quoque jus succedendi dederit, quod factum est, certo modo, in Saxonia, *Decis. Saxon. 49. vid.* CARPZ. *p. 3. C. 14. D. 12.* Porro *legitimati per subsequens matrimonium*, liberis legitime natis, in succedendo, pares sunt *Nov. 12. c. 4. Nov. 89. c. 8. v.* CARPZ. *p. 3. C. 28. D. 17.* Idem dicendum de *Legitimatis per rescriptum Principis*, si Pater & Princeps jus succedendi illis tributum velint *Nov. 89. c. 9. v.* CARPZ. *d. l. D. 16.* Denique *liberis adoptivis* etiam jus succedendi ab intestato comperit *l. pen. §. 1. C. de adopt. §. 2. I. eod.*

§. 16. Liberi *naturales*, matri & maternis cognatis, tanquam legitimi, succedunt *l. 2. 8. und. cogn.* Patri vero, in duas unicas salrem, & quidem eo tantum casu, si defunctus conjugem aut liberos legitimos non reliquerit *Nov. 89. c. 12. 15. auth.* licet *C. de natur. lib.* quæ juris Romani sanctio ad liberos, ex stupro procreatos, non incongrue applicatur. *Spurii* matri & maternis succedunt *l. 2. 8. und. cognat.* non vero patri, licet de eo constet, nam civiliter Patrem non habere censentur *l. 23. de stat. hom.* Liberis *injustis* jus succedendi communiter negatur *Nov. 89. c. fin. v.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in possess. serv.* STRUV. *d. l. §. 23.* quidam tamen eos, ad successionem maternam, certo modo admittunt *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 793.*

§. 17. Jure Saxonico, Patre mortuo, filii præcipuas habent res expeditorias, *das Heergewette Landr. l. 1. art. 22. 27.* quod tamen solum pertinet ad personas equestris ordinis, nisi consvetudine ad cives & rusticos quoque sit extensum *v.* CARPZ. *p. 3. C. 38. D. 23. seqq.* Si nullæ ejus generis res, in hæreditate reperiantur, æstimatio præstari non debet CARPZ. *d. l. D 32.* Vice versa, matre mortua, filiæ solæ accipiunt res geradicas *Landr. l. 1. art. 27.* & spuria cum legitimis simul admittitur CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 58.* Nepotes ex filiabus, cum materteris, jure repræsentationis succedunt, frater quoque Clericus, cum sororibus, ad geradam matris, admittendus est. CARPZ. *d. l. D. 60. conf.* STRUV. *exerc. 38. §. 25.*

§. 18. Ali-

§. 18. Aliquando liberi, legitimi licet, Parentibus non succedunt (1.) ob *perduellionem Parentum*, filiabus tamen, ex bonis parentis innocentis, legitima præstanda *l. 5. C. ad L. Jul. Majest.* (2.) ob *hæresin*, qua vel liberi soli vel Parentes & liberi simul laborant, parentibus vero hæreticis, liberi orthodoxi succedunt *l. 4. §. 6. l. 19. C. de hæred.* utraque sanctio juri divino repugnat, adeoque observari non debet (3.) ob *bannum* sive *proscriptionem v. l. 1. C. de H. J.* denique (4.) ob *juratam renunciationem c. 2. de pact. in 6.*

§. 19. Si descendentes deficiant, succedunt defuncti, ascendentes *v.* CARPZ. *p. 3. C. 17. D. 9.* proximi simul admittuntur ac remotiores excludunt *Nov. 118. c. 2. v.* CARPZ. *d. l. D. 1.* deficientibus proximis, remotiores unius lineæ, succedunt æqualiter, diversæ vero lineæ, in duas partes æquales, ut altera paternis altera maternis concedatur *Nov. 118. c. 2.* CARPZ. *p. 3. C. 17. D. 2.* nec admittenda est eorum sententia, qui bona paterna paternis, materna maternis parentibus concedi volunt *v.* CARPZ. *p. 3. C. 14. D. 2.* nam satis aperte *d. Nov. 118. c. 2.* repugnat *v.* STRUV. *Exerc. 38. §. 27. 28.*

§ 20. Admittuntur autem cum ascendentibus (1.) fratres & sorores Germani & Germanæ *d. Nov. 118. c. 2.* qui si concurrant cum Patre & matre, aut parentibus remotioribus ejusdem lineæ, tum fit divisio in Capita, si vero cum parentibus remotioribus diversæ lineæ, tum accipiunt quidem etiam, pro numero omnium personarum, portiones viriles, his verò detractis, inter parentes, duæ partes æquales constituuntur, quarum altera maternis altera paternis conceditur *v.* STRUV. *d. l. §. 29.* (2.) fratres & fratrum aut sororum prædefunctarum liberi, qui posteriores in portionem stirpis suæ admittuntur *Nov. 127. c. 1.* (3.) fratrum & sororum prædefunctarum liberi soli, qui itidem in stirpes succedunt, hæc enim est æquior sententia *v.* STRUV. *d. l. §. 30.* licet alii dissentiant *v.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in possess. serv.*

§. 12. Pertinent dicta ad *parentes legitimos & naturales simul. d. Nov. 118. c. 2.* Idem obtinet in *legitimantibus* per subsequens matrimonium aut rescriptum Principis *Nov. 89. c. 9. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 978.* Pater *adoptivus*, qui habet patriam potestatem, succedit liberis adoptivis; *Arrogator* quoque arrogatis puberibus *l. p. C. de adopt. §. 3. I. cod.* Parentes *naturales* eodem modo succedunt liberis, quo

hi illis *Nov. 89. c. 13.* Spuriis ſuccedit *mater* tantum *l. 2. und. cogn. v. §. fin. I. ad SCt. Tertull.* Parentum *injuſtorum* nulla cenſetur eſſe ſucceſſio *Nov. 89. c. fin.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in poſſeſſ.* quod tamen, quoad matrem, temperandum erit, ex ſententia nonnullorum *v. §. 16.*

§. 22. Jure Saxonico Parentes, proximi & remotioris gradus, omnes collaterales, adeoque etiam fratres & ſorores defuncti, excludunt *Landr. l. 1. art. 17.* COLER. *p. 1. D. 47.* CARPZ. *p. 3. C. 17. D. 6. 7.* Præterea etiam differentia rerum expeditoriarum & geradicarum, inter eos attenditur, hinc, mortuo maſculo, parentes maſculi & agnati, illas, fœmina mortua, parentes fœminæ & cognatæ, has habent præcipuas. Avia igitur paterna, ad geradam non admittitur, ſed à cognata etiam collaterali excluditur CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 56. 57.* quia ſcilicet non cognata, ſed agnata eſt *v. l. 6. c. 3. §. 2.*

§. 23. Deficientibus aſcendentibus, ſuccedunt collaterales *Nov. 118. c. 3.* & quidem (1.) Germani fratres & ſorores in capita; prædefunctorum liberi, cum thiis ſuis, in ſtirpes admittuntur *d. Nov. 118. c. 3.* STRUV. *exerc. 38. §. 33.* (2.) deficientibus Germanis, horum liberi ſequuntur, qui quidem hæreditatem dividunt ſecundum capita, ex ſententia multorum *v.* CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 3.* STRUV. *exerc. 38. §. 34.* Sed verius eſt, quod illa ſuccedendi ratio tantum obtineat, ſi liberi illi, ſoli ſint *R. J. 1529. §. item als 31.* ſi autem, cum defuncti fratribus unilateralibus, vel thiis, concurrant, tum jure repræſentationis, ex ſanctione Juſtiniani *d. Nov. 118. c. 3.* adeoque in ſtirpes ſuccedunt *v.* VINN. *S. Q. l. 2. c. 31.*

§. 24. Si nec Germanorum filii aut filiæ adſint, (3.) fratres & ſorores unilaterales ſuccedunt in capita, admiſſis ſimul prædefunctorum liberis in ſtirpes; Deficientibus fratribus & ſororibus (4.) horum filii filiæque admittuntur, & quidem in capita, ſi ſoli ſint, in ſtirpes vero, ſi cum defuncti thiis concurrant *Nov. 118. c. 3.* nam eadem ſuo modo obtinent in unilateralibus, quæ in Germanis. Sententia, quæ bona paterna conſanguineis, materna uterinis aſſignat *v.* CARPZ. *p. 3. C. 14. D. 1. ſeqq.* STRUV. *exerc. 38. §. 35.* nullo fundamento nititur *v.* VINN. *S. Q. l. 2. c. 31.*

§. 25. Poſtea ſuccedunt (5.) qui gradu ſunt proximiores in infi-

infinitum *Nov. 118. c. 3. §. 1. v.* CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 31.* STRUV. *d. l. §. 36.* ceſſante jure repræſentationis *d. c. 3.* verb. *hujusmodi*, nec obſervata vinculi duplicitate *d. c. 3. §. 1.* verb. *ſecundum*, qui tamen ex jure cognationis, hæreditatem ſibi aſſerit, illud probare debet *v. l. 28. de probat.* CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 28. 29.* Juxta hæc igitur v. gr. fratris Germani filius, excludit Germani fratris nepotem; nepotes autem fratris Germani & unilateralis, ſimul admittuntur.

§. 26. Succedunt autem hoc modo collaterales *legitimi* & *naturales*, ut & *legitimati* per ſubſequens matrimonium, & reſcriptum principis *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 979.* Collaterales *adoptivi* eatenus ſibi ſuccedunt, quatenus inter eos aliqua eſt conjunctio *v. l. 6. c. 13. §. 19. ſeqq.* Ulterius *naturales* & *ſpurii* ſuccedunt per matrem ſibi conjunctis; Inter *injuſtos* vero collaterales nulla eſt ſucceſſio, hinc in ſpecie fratres, ex damnato coitu nati, ſibi invicem hæredes non ſunt CARPZOV. *3. C. 14. D. 11.* STRUV. *d. exerc. 38. §. 37. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 977.*

§. 27. Ab iſta ſuccedendi ratione civili, in nonnullis iterum abit Saxonica: Nam (1.) in linea collaterali, quoad allodialia, plane ceſſat jus repræſentationis *Landr. l. 1. art. 17.* CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 1. ſeqq.* hinc fratres, fratrum liberos plane excludunt; Fratrum filii, cum defuncti thiis, ſimul ſuccedunt; jure tamen Saxonico Electorali, his illi præferuntur *v.* CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 4. 5.* (2.) duplicitas vinculi attenditur, adeo ut perſona, uno vinculo, defuncto conjuncta, gradu uno cenſeatur eſſe remotior, id quod in omnibus collateralibus obſervatur *Landr. l. 1. art. 3. l. 2. art. 20. ibique Gloſſ. latin.* CARPZOV. *d. C. 18. D. 21.*

§. 28. Hinc v. gr. fratrum germanorum filii, & fratres unilaterales ſimul ſuccedunt CARPZ. *d. l. D. 10.* defuncti patrui utrinque juncti, cum fratribus unilateralibus etiam conjunctim hæreditatem capiunt; jure tamen Saxonico Electorali, hi illis præferuntur CARPZ. *d. l. D. 14. 15.* Sed quid dicendum, *ſi ex duobus ſucceſſuris, alter defuncti ſit conſanguineus & conſobrinus, alter tantum conſanguineus?* Illum duas portiones accipere, cum RICHTERO cenſet STRUV. *exerc. 38. §. 36. & in J. F. l. 2. tit. 30. §. 22.* ac id, in aliis caſibus ſimilibus, obſervandum quoque eſſe exiſtimat. *add.* CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 26.*

§. 29. Sed vix eſt, ut illa ſententia ſubſiſtere queat, ſive ex rationibus juris civilis, ſive Saxonici pronunciandum ſit: Nam illo jure, ultra fratres & fratrum liberos, duplicitas vinculi non attenditur, hinc, in caſu allato, æqualis utriusque erit ſucceſſio: Juxta hoc autem, duplicitatis vinculi ſemper habetur ratio, hinc qui duplici vinculo conjunctus eſt defuncto, alterum plane excludet, id quod, niſi fallor, clare etiam deciſum eſt *Landr. l. 1. art. 3.* verb. *nehmen auch.*

§. 30. Denique etiam, in ſucceſſione collateralium, jure Saxonico, res expeditoriæ & geradicæ diſcernuntur. Hinc mortuo maſculo, proximiores agnati res expeditorias accipiunt CARPZ. *p. 3. C. 38. D. 23. ſeqq.* & quia ſola agnatio, ſive vinculum à patre ortum attenditur, hinc frater conſangvineus, cum Germano, ſimul admittitur CARPZ. *d. l. D. 37.* ac Germani filios excludit CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 12.* Vice verſa, mortua fœmina, proximiores cognatæ, lucrantur geradam, cumque hic ſola cognatio, ſive vinculum maternum obſervetur, ideo ſoror uterina, cum Germana, ſuccedit CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 56. 57.* ac hujus filias excludit IDEM. *p. 3. C. 18. D. 11.*

§. 31. Gerada illa, quam vel fœminæ collaterales, vel aſcendentes, de quibus §. 22. dictum, conſequuntur, dicitur *Nifftelgerada*, & quidem *plena*. Uti autem, ex ſtatutis locorum, ſpecialius intelligendum, quænam res ad illam referantur *v.* CARPZ. *p. 2. C. 14.* ita, circa eam in genere intereſt, utrum defuncta cognata fuerit *ſoluta*, an *maritata*. Illo caſu cognatas ſuccedentes, non aliam conſequi geradam, quam quæ fuerit defunctæ propriæ, ultro liquet, cum nulla alia inſuper adſit.

§. 32. Hoc vero, non tantum defunctæ propriam, ſed & eam, quam maritus in uſum rei familiaris comparavit, cognatas lucrari, ex *Landr. l. 3. art. 38.* adſtruunt PISTOR *l. 1. qu. 32.* CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 22. n. 7. 8.* adeo ut ex rebus, in communem uſum compararis, marito nihil relinquatur, niſi lectus paratus, menſa mappâ, ſcamnum pulvinari, ac ſedile cuſſino inſtrata CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 49.* Licet autem illa ſententia quodammodo iniqua, nec ſolido ſatis fundamento ſubnixa videatur, attamen recepta eſt.

§. 33. Eſt etiam circa Nifftelgeradam obſervandum, utrum defuncta fuerit *plebeja*, an *nobilis*, nam, poſteriori caſu, præter res, quæ

ad

ad plebejarum Geradam referuntur, pro geradicis quoque habentur (1.) oves, & quidem eæ tantum, quæ defunctæ fuerunt propriæ, non etiam illæ, quas maritus (si defuncta in matrimonio fuit) comparavit CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 22. n. 12.* (2.) anseres (3.) anates (4.) currus, quo mulier vecta est, non vero equi curules *v.* CARPZ. *d. C. 14. D. 24. 33. 34.*

§. 34. De cætero cognatæ, à Gerada, omnes mares agnatos regulariter excludunt etiam Clericum Patrem, fratrem vel maritum CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 60.* Uti vero aliquando mariti cujuscunque conditionis, ex statuto, geradam lucrantur, de quo *cap. seqq.* dicendum, ita, ex Statuto quoque Lipsiensi, à Gerada matris, filios excludere cognatas, quæ ultra sorores sunt, testatur DN. PHILIPP. *in Synops. Instit. l. 3. tit. 9. p. 114.* quæ aliaque, ad Geradum pertinentia, specialius persequi jam non licet *v.* CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 50. seqq. p 3. C. 38. D. 2. seqq.*

§. 35. Præter successionem sangvinis, aliquando, ex rationibus politicis, alia quoque occurrit. Eo pertinet (1.) successio conjugum, quæ cum successione cognatorum, certo respectu, concurrit, ac eam sequitur, de qua *cap. seqq.* dicemus (2.) certorum collegiorum *t. t. C. de hæredit. decur. &c.* quæ, deficientibus cognatis & conjugibus, obtinet *v.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in possess. serv. verf. fin.* (3.) successio conventionalis *v.* STRUV. *Exerc. 38. §. 47. seqq.* (4.) Fisci *l. 1. §. 2. de jur. fisc.* vel hodie Magistratus, qui merum habet imperium, hic enim deficientibus aliis successoribus, hæreditatem occupat STRUV. *d. l. §. 42.* Non vero (5.) Affinium, nam hi non succedunt *l. 7. C. Comm. de succeff.* hinc in specie privignorum nulla est successio *v.* STRUV. *d. l. §. 17.* nisi unio prolium facta.

§. 36. Quæ autem hactenus, ex jure Romano diximus, ea pertinent ad allodialia, nam de feudis alibi agendum erit; Præterea valent saltem, instar regulæ, in subsidium, salvis semper exceptionibus, quas leges provinciales aut Statuta specialia introducunt, idquod, exemplo juris Saxonici, jam declaravimus. Quodsi diversa jura occurrant, in loco *mortis*, *domicilii* & *rerum sitarum*, quoad mobilia & nomina, observantur jura domicilii, quoad immobilia, etiam civiliter talia *v. l. 35. §. 3. de H. J. l. 84. §. 10. de Legat. 1. l. 86.*

de Legat. 2. l. 44. 86. de Legat. 3. l. 32. de pignor. l. 17. §. 7. de A. E. V. jura loci, ubi illa ſita ſunt *v. l. 1. ſeqq. C. ubi in rem act. l. un. C. ubi de hæred.* Idem dicendum de nominibus, quæ, intuitu rei immobilis, ſolvenda *v.* STRYK *in not. ad* LAUTERB. *C. J. quis ord. in poſſeſſ. in fin.* aut quæ rem immobilem, velut objectum, reſpiciunt.

§. 37. Quodſi quis neque domicilium, neque bona immobilia habeat, tum obſervanda ſunt jura loci mortis, niſi forte forum nativitatis adhuc duret *v. Deciſ. Saxon. 54.* CARPZ. *p. 3. C. 12. D. 13. ſeqq. l. 6. Reſp. 38. 40.* STRUV. *exerc. 38. §. 44.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in poſſeſſ. ſerv. in fin.* Qui jurisdictioni Magiſtratus oppidani non ſubſunt, ad eos Statuta localia non pertinent, niſi vel ipſorum voluntate, vel autoritate Imperantis, eò ſint extenſa *v.* CARPZ. *p. 3. C. 12. D. 16. ſeqq.* STRUV. *d. l. §. 45.* quæ omnia, ex natura imperii humani fluunt, adeoque omnibus gentibus communia ſunt *v. l. fin. de jurisd.*

§. 38. Ob diverſitatem jurium, aliquando etiam retorſioni locus eſt, cujus rei diverſa poſſunt eſſe exempla. Nam nonnunquam (1.) bona peregrinorum, velut hoſtium, occupantur, quo ſpectat Jus Albinagii *v.* PERETZ. *ad C. qui teſtam. fac. poſſ. n. 12.* aut (2.) exteris jus ſuccedendi, in hæreditatem cognatorum, alibi degentium, negatur, vel (3.) jura ſuccedendi non perinde ſunt favorabilia, ſicut in alia regione. V. gr. in Saxonia, res expeditoriæ & geradicæ præſtantur, quæ alibi non occurrunt. Omnibus illis caſibus retorſioni locus eſt, ut ſcilicet illi, qui jus non ſatis æquum in alios ſtatuunt, eodem ipſi, apud nos, quoque utantur *v. Conſt. Saxon. 38. p. 3. ibique* CARPZOV. *conf.* STRUV. *exerc. 38. § 46.*

CAPUT

CAPUT II.

DE SUCCESSIONE CONJUGUM.

SUMMARIA.

Jure Romano aliquando conjugibus tota defertur hæreditas §. 1.
Quandoque cum cognatis illi concurrunt §. 2.
Sed plerumque successio eorum dirigitur pactis §. 3.
Statutis §. 4.
Et legibus provincialibus: Jure Saxonico marius consequitur mobilia §. 5.
Exceptis geradicis §. 6. 7.
Aliquando tamen has etiam ex parte lucratur §. 8. 9.
Vidua ignobilis repetit illata vel petit portionem Statutariam §. 10.
Illorum nomine quæ contineantur §. 11.
Portionis Statutariæ requisita & quantitas §. 12.
Vidua nobilis pro casuum diversitate, vario jure utitur §. 13. 14.
Jura singularia geradæ viduis præstandæ §. 15.
Jura Successionum Saxonica emendatione indigent §. 16.
Personis illustribus privata jura etiam applicari possunt §. 17.

§. 1.

JUre Romano, deficientibus omnibus cognatis, ex provisione Prætoris, tota hæreditas defertur superstiti conjugi *l. un. und. Vir & uxor. v.* CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 31.* ac ex benigna interpretatione *v. l. 10. de jur. fisc.* sponso aut sponsæ *v.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in possess.* Requiritur autem ut (1.) matrimonium sit justum, ac (2.) usque ad tempus mortis duraverit *l. un. und. vir & uxor.* nec (3.) mors, facto superstitis conjugis, sit procurata *l. 10. §. 1. solut. matrim. l. 22. §. fin. de adult. v. l. 3. §. 3. ad. SCt. Silan. l. 4. de quæst. lib. l. 3. de his quæ ut indign.* aut (4.) vidua, intra annum luctus, nupserit *l. 1. 2. C. de secund. nupt.* quod ultimum tamen hodie forsitan non observatur.

§. 2. Præterea aliquando conjux, cum defuncti cognatis, in certam portionem succedit. Nimirum si (1.) Pater concurrat cum liberis emancipatis, tum, ex bonis conjugis defunctæ, accipit usumfructum virilis portionis *l. 3. C. de bon. matern. v. l. 6. c. 12. §. 18.* (2.) Si matrimonium sit indotatum, & defunctus dives, superstes verò inops, tum huic quarta pars, pleno jure acquiritur, si cum defuncti *ascendentibus* aut *collateralibus* concurrat, si vero cum *liberis communibus*, tum saltem accipit usumfructum & quidem quartæ partis, si tres aut pau-

pauciores liberi fuerint, virilis verò portionis, si plures extiterint *Nov. 53. Nov. 117. c. 5. auth.* præterea *C. unde Vir & uxor. v.* LAUTERB. *d. l.* STRUV. *S. J. C. Exerc. 38. §. 39.*

§. 3. Sed illorum raro aliquis est usus, cum plerumque successio Conjugum, *pactis & Statutis*, vel *legibus provincialibus*, specialius determinetur, id quod exemplo juris Saxonici, breviter illustrabimus. Primo, in Successione Conjugum, sunt attendenda *Pacta dotalia*, de quibus dictum *l. 6. c. 4. §. 22. seqq.* hæc enim, si nihil sit, quod eorum valorem elevet, servari debent. Sic per pacta, uxor, â portione Statutaria, excluditur CARPZ. *p. 3. C. 20. D. 1. seqq.* aut conjugibus certa pars bonorum, v. gr. dimidia, assignatur CARPZ. *p. 3. C. 22. D. 2. C. 23. D. 1.* Sed res expeditorias, maritus non, nisi donatione remuneratoria, uxori concedere potest CARPZ. *p. 2. C. 13. D. 13.* Non impediunt pacta dotalia, quo minus per testamentum Conjugi aliquid relinquatur CARPZ. *p. 3 C. 20. D. 5.*

§. 4. Cessantibus pactis, ad *Statuta localia* erit respiciendum. Sic valent Statuta, quæ conjugi superstiti usumfructum omnium bonorum concedunt CARPZ. *p. 3. C. 12. D. 6.* Ea vero Statuta, quæ totam hæreditatem ei deferunt, non aliter valent, quam si liberis & Parentibus salva sit legitima *d. Const. 12. p. 3. ibique* CARPZ. *D. 1. seqq.* sed quæ certam bonorum partem, v. gr. dimidiam illi tribuunt, sine restrictione, sunt valida CARPZ. *p. 3. C. 23. D. 2.* Inprimis per Statuta uxoribus aliqua portio, ex bonis maritorum deferri solet, quæ sic in dubio explicanda esse, ut mulieres, portionem petentes, propria bona conferre non debeant, censet CARPZ. *p. 3. C. 20. D. 7. seqq.*

§. 5. Denique etiam *legibus provincialibus* dirigitur successio Conjugum. In Saxonia *maritus*, sive nobilis, sive ignobilis, post conscensionem thalami, succedit in defunctæ uxoris bona omnia mobilia *Landr. l. 1. art. 31. 45. l. 3. art. 76.* quod late persequitur CARPZOV. *p. 3. C. 21. 22. 23. 24. 25.* nec penitus quæstiones dubiæ, aut etiam falsæ decisiones, ob dubiam rerum nonnullarum conditionem, cessare solent. In specie maritus lucratur dona nuptialia *p. 3. C. 22. Decis. Saxon. 57.* nec poterit, in præjudicium ejus, mulier de bonis mobilibus, testari *Const. 7. p. 3. ibique* CARPZOV. *D. 1. seqq.* conf. *p. 2. C. 14. D. 3.* Si nulla mobilia relinquat uxor, ex immobilibus maritus, licet inops, nihil

nil omnino consequitur, ex doctrina CARPZOVII *p. 3. C. 23. D. 22. qq.* sed alii, ex præscripto juris civilis, ei quartam vel virilem portionem non improbabiliter hoc casu concedunt *v.* STRUV. *J. F. l. 2. it. 30. §. 27.*

§. 6. Res tamen geradicæ excipiuntur, has enim maritus, in mobilia succedens, non consequitur, sed proxima uxoris cognata accipit, quæ tamen, licet filia sit, quasdam res marito inde relinquere tenetur, de quo *cap. præc. §. 32.* dictum. Non potest etiam uxor, in præjudicium cognatæ, res geradicas donare marito, nisi donatione remuneratoria & æquali CARPZ. *p. 2. C. 13. D. 1. seqq.* per testamentum vero, neque marito, neque ulli alii, eas concedere potest CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 1. seqq.* Valet tamen venditio geradæ, vili etiam pretio, marito facta, ita quoque, ut maritus pretium, qualecunque sit, ex donatione, testamento vel successione ab intestato, lucretur CARPZ. *p. 2. C. 13. D. 9. seqq.*

§. 7. Sed hoc argutiis, non rationibus asseritur, licet enim jus Saxonicum venditionem in genere non prohibeat, dubio procul tamen illam prohibet, quæ in fraudem legis suscipitur, talem vero, in casibus allatis, occurrere, manifestum est, quando enim maritus pretium vel omne, vel magnam ejus partem lucratur, tum sane gerada vel simpliciter, vel, quoad eximiam partem, ei donatur, quia sine pretio eam accipit, in quo donationis forma consistit. Ex quo liquet, non aliam venditionem, ex ratione juris Saxonici, admitti posse, quam quæ vero & æquali pretio ita fiat, ut, in locum geradæ alienatæ, hoc surrogetur ac cognatæ acquiratur.

§. 8. Aliquando maritus, ex Statuto, cum cæteris mobilibus, etiam geradam consequitur *v.* CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 54.* quale statutum Lipsiæ occurrit, quod tamen ad geradam filiæ defunctæ non est extendendum, nec eo forenses & extranei, intuitu uxorum suarum, gaudent CARPZ. *d. l. D. 51. 52. 53.* De cætero, juxta illud, distingvendum est, utrum maritus cum defunctæ uxoris *cognatis ascendentibus vel collateralibus*, an cum *descendentibus* concurrat.

§. 9. Primo casu, integram geradam maritus acquirit, exceptis saltem paucis rebus, quas cognatis proximioribus præstare debet, atque hæ efficiunt *Nifftelgeradam minus plenam* CARPZ. *d. l. D. 51.* ad

tima ſuppoſitio huc non pertinet. Prima & ſecunda acceptio, Romanis eſt propria, ac hodie fere ceſſat, tertia vero & quarta, ex communibus æquitatis & prudentiæ regulis, dependet, ac hodie quoque occurrit *v. l. 6. c. 11. §. 9. 10.* conf. OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 955. ſeqq.*

§. 8. Sed ut, explicatis terminis, ad rem ipſam proprius accedamus, circa hæreditatem ſummatim *delatio* & *acceptatio* ſpectari poſſunt, nam ſicut translatio jurium & rerum inter vivos, mutuo conſenſu fit, ita, in eventum mortis, eodem modo, illa transferuntur. Utraque, apud Romanos, vel jure civili, vel prætorio regitur, hinc etiam, juxta Romani juris diſciplinam, eadem res, ſub nominibus *hæreditatis* & *bonorum poſſeſſionis*, bis conſideratur. Sed uti tam doctrina, quam docendi modus, valde intricata, confuſa, &, diſcentibus inprimis, moleſtiſſima ſunt, ita, cum jus prætorium, jure recentiori, fere abrogatum ſit, non opus eſt, ut iſtas ambages ſectemur, ſed una tractatione hic defungi, ac ſanctiones Prætorias, ſi quæ ſuperſunt, loco congruo inſerere licebit.

§. 9. Primo ſpectanda *delatio*, qua hæreditas alicui offertur *l. 151. de V. S. l. 21. §. 2. de A. O. H.* Fit illa vel *tacite*, ex qua oritur *ſucceſſio ab inteſtato l. 39. 70. de A. O. H.* aut, cum lex voluntatem, defuncti magis determinet, *legitima l. 3. §. 2. pro ſoc. l. 70. 77. de A. O. H.* vel *expreſſe*, inde exiſtit *teſtamentaria d. l. 3. §. 2. pro ſoc. l. 70. 77. de A. O. H.* quæ ipſa tamen, cum à lege probetur & dirigatur, recte etiam *legitima* vocatur *l. 130. d. V. S.* De cætero illa hanc, naturali ordine, præcedit, eſt enim antiquior ac hanc quodammodo reſtringit.

§. 10. Quando igitur aliquis, teſtamento vel nullo, vel invalido relicto, decedit, tum *inteſtatus* dicitur mortuus *pr. I. de hæred. quæ ab inteſt. defer. l. 6. ff. l. 34. C. de inoffic. teſtam. l. 1. de ſuis & legit. hæred. l. 14. §. 3. ad L. falcid. l. 10. C. de legit. hæred.* Neque tamen ideo bona ſua, pro derelictis, habuiſſe, ut à quovis occupari queant, ſed potius, ex communi mortalium affectu, conſangvineis ſuis, tacite conceſſiſſe exiſtimandus eſt; Cum vero, de iſta voluntate, infinitæ moveri poſſent controverſiæ, ideo lex poſitiva certius illa omnia definit, ut recte dici poſſit; hæreditatem & *voluntate* defuncti *v. l. 8. §. 1. de jur. codicill. l. 1. §. 6. de Legat. 3.* & *lege* deferri *l. 3. §. 2. pro ſoc. §. 1. I. de hæred. quæ ab inteſt.*

§. 11.

§. 11. De cætero leges positivæ, in præsumenda voluntate defuncti, non conveniunt, hinc etiam, jurium succedendi ab intestato, magna est varietas, qua de re Autores proprii, ac inprimis Dn. Strvk. *de succeſſ. ab inteſt.* consulendi sunt. Ea tamen, quæ jus civile novissimum proponit, æquitati & affectui humano satis conveniunt, ut, regulæ loco, illa omnino supponi possint, salvis semper exceptionibus, quas leges speciales suppeditant *conf.* Observ. Lauterb. *Obſ. 975.* De cætero tres sunt ordines (1.) *Deſcendentium* (2.) *Aſcendentium* & (3.) *Collateralium*, quos breviter considerabimus.

§. 12. Primo succedunt descendentes sive liberi *v. l. 7. §. 1. und. lib. l. 7. de bon. damnat. l. 15. de inoffic. teſtam. Num. 27. v. 8. Galat. 4. 7. c. 16. X. de teſtam. Nov. 118. c. 1. l. 1. §. 1. und. lib. I. f. 8.* qui etiam patrem, in cujus potestate defunctus fuit, excludunt *Nov. 118. c. 1.* scilicet quoad bona defuncti propria, castrensia nempe & adventitia *v. l. 6. c. 12. §. 9.* Nihil autem refert, cujus sint conditionis liberi, hinc Monachi quoque succedunt *l. 56. §. 1. C. de epiſcop. & Cler. v.* Carpz. *p. 3. C. 14. D. 10.* Porro nihil refert, cujus sint sexus liberi, sive in potestate existant, sive emancipati sint, nati an nascituri *v. l. 30. §. 1. de A. O. H.* primi vel ulterioris gradus *d. Nov. 118. c. 1.*

§. 13. Sunt tamen, quoad ultimum discrimen, tres casus separandi vel enim (1.) *primi gradus omnes sunt occupati*, tum remotiores excluduntur, priores autem illi liberi, hæreditatem dividunt in capita, vel (2.) *quidam ex propinquioribus gradibus vacant*, hoc casu remotiores, qui ex personis vacantium graduum dependent, jure repræsentationis ascendunt, ac cum propinquioribus simul succedunt in stirpes, i. e. in portionem stirps suæ admittuntur, *v.* Lehm. *Chron. Spir. l. 5. c. 4.* vel (3.) *tantum adsunt liberi remotiorum graduum*, tum omnes, sive ejusdem, sive diversi gradus sint, jure repræsentationis, ac in stirpes succedunt *v.* Struv. *S. J. C. exerc. 38. §. 14. seqq.*

§. 14. Si filius suus decesserit, antequam Patris agnoverit hæreditatem, tum ejus filius, repudiata patris hæreditate, ad avi successionem adspirare nequit, nisi jure prætorio *l. fin. C. und lib. v.* Struv. *d. l. §. 16.* quod hodie quoque observari censent *v.* Schopfer. *de ſucceſſion. prætor. hodie neceſſ. c. 6. n. 12. seqq.* Sed putem, ex rationibus æquitatis, simpliciter nepotem esse admittendum, neque enim hæreditas avita & paterna, ipso jure, in præjudicium liberorum, ita confun-

confunditur, ut illas nepos ſeparare nequeat, & moleſta ſubtilitas eſt, quæ in favorem liberorum introducta, in ipſorum damnum detorquet *l. 6. C. de LL. conf.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 976.*

§. 15. Hactenus dicta pertinent ad liberos *legitimos & naturales ſimul*, quales etiam ſunt, qui primo menſe, poſt nuptias, nati *v. l. 11. C. de natur. lib.* aut ex matrimonio putativo *l. 57. §. 1. de R. N. v.* STRUV. *d. l. §. 24.* Non vero, quos deſponſati genuerunt, *v.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in poſſeſſ. ſerv.* niſi lex poſitiva illis quoque jus ſuccedendi dederit, quod factum eſt, certo modo, in Saxonia, *Deciſ. Saxon. 49. vid.* CARPZ. *p. 3. C. 14. D. 12.* Porro *legitimati per ſubſequens matrimonium*, liberis legitime natis, in ſuccedendo, pares ſunt *Nov. 12. c. 4. Nov. 89. c. 8. v.* CARPZ. *p. 3. C. 28. D. 17.* Idem dicendum de *Legitimatis per reſcriptum Principis*, ſi Pater & Princeps jus ſuccedendi illis tributum velint *Nov. 89. c. 9. v.* CARPZ. *d. l. D. 16.* Denique *liberis adoptivis* etiam jus ſuccedendi ab inteſtato competit *l. pen. §. 1. C. de adopt. §. 2. I. eod.*

§. 16. Liberi *naturales*, matri & maternis cognatis, tanquam legitimi, ſuccedunt *l. 2. 8. und. cogn.* Patri vero, in duas unicas ſalrem, & quidem eo tantum caſu, ſi defunctus conjugem aut liberos legitimos non reliquerit *Nov. 89. c. 12. 15. auth.* licet *C. de natur. lib.* quæ juris Romani ſanctio ad liberos, ex ſtupro procreatos, non incongrue applicatur. *Spurii* matri & maternis ſuccedunt *l. 2. 8. und. cognat.* non vero patri, licet de eo conſtet, nam civiliter Patrem non habere cenſentur *l. 23. de ſtat. hom.* Liberis *injuſtis* jus ſuccedendi communiter negatur *Nov. 89. c. fin. v.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in poſſeſſ. ſerv.* STRUV. *d. l. §. 23.* quidam tamen eos, ad ſucceſſionem maternam, certo modo admittunt *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 793.*

§. 17. Jure Saxonico, Patre mortuo, filii præcipuas habent res expeditorias, *das Heergewette Landr. l. 1. art. 22. 27.* quod tamen ſolum pertinet ad perſonas equeſtris ordinis, niſi conſvetudine ad cives & ruſticos quoque ſit extenſum *v.* CARPZ. *p. 3. C. 38. D. 23. ſeqq.* Si nullæ ejus generis res, in hæreditate reperiantur, æſtimatio præſtari non debet CARPZ. *d. l. D 32.* Vice verſa, matre mortua, filiæ ſolæ accipiunt res geradicas *Landr. l. 1. art. 27.* & ſpuria cum legitimis ſimul admittitur CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 58.* Nepotes ex filiabus, cum materteris, jure repræſentationis ſuccedunt, frater quoque Clericus, cum ſororibus, ad geradam matris, admittendus eſt. CARPZ. *d. l. D. 60. conf.* STRUV. *exerc. 38. §. 25.*

§. 18. Ali-

§. 18. Aliquando liberi, legitimi licet, Parentibus non ſuccedunt (1.) ob *perduellionem Parentum*, filiabus tamen, ex bonis parentis innocentis, legitima præſtanda *l. 5. C. ad L. Jul. Majeſt.* (2.) ob *hæreſin*, qua vel liberi ſoli vel Parentes & liberi ſimul laborant, parentibus vero hæreticis, liberi orthodoxi ſuccedunt *l. 4. §. 6. l. 19. C. de hæred.* utraque ſanctio juri divino repugnat, adeoque obſervari non debet (3.) ob *bannum* ſive *proſcriptionem v. l. 1. C. de H. J.* denique (4.) ob *juratam renunciationem c. 2. de pact. in 6.*

§. 19. Si deſcendentes deficiant, ſuccedunt defuncti, aſcendentes *v.* CARPZ. *p. 3. C. 17. D. 9.* proximi ſimul admittuntur ac remotiores excludunt *Nov. 118. c. 2. v.* CARPZ. *d. l. D. 1.* deficientibus proximis, remotiores unius lineæ, ſuccedunt æqualiter, diverſæ vero lineæ, in duas partes æquales, ut altera paternis altera maternis concedatur *Nov. 118. c. 2.* CARPZ. *p. 3. C. 17. D. 2.* nec admittenda eſt eorum ſententia, qui bona paterna paternis, materna maternis parentibus concedi volunt *v.* CARPZ. *p. 3. C. 14. D. 2.* nam ſatis aperte *d. Nov. 118. c. 2.* repugnat *v.* STRUV. *Exerc. 38. §. 27. 28.*

§ 20. Admittuntur autem cum aſcendentibus (1.) fratres & ſorores Germani & Germanæ *d. Nov. 118. c. 2.* qui ſi concurrant cum Patre & matre, aut parentibus remotioribus ejusdem lineæ, tum fit diviſio in Capita, ſi vero cum parentibus remotioribus diverſæ lineæ, tum accipiunt quidem etiam, pro numero omnium perſonarum, portiones viriles, his verò detractis, inter parentes, duæ partes æquales conſtituuntur, quarum altera maternis altera paternis conceditur *v.* STRUV. *d. l. §. 29.* (2.) fratres & fratrum aut ſororum prædefunctarum liberi, qui poſteriores in portionem ſtirpis ſuæ admittuntur *Nov. 127. c. 1.* (3.) fratrum & ſororum prædefunctarum liberi ſoli, qui itidem in ſtirpes ſuccedunt, hæc enim eſt æquior ſententia *v.* STRUV. *d. l §. 30.* licet alii diſſentiant *v.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in poſſeſſ. ſerv.*

§. 12. Pertinent dicta ad *parentes legitimos & naturales ſimul. d. Nov. 118. c. 2.* Idem obtinet in *legitimantibus* per ſubſequens matrimonium aut reſcriptum Principis *Nov. 89. c. 9. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 978.* Pater *adoptivus*, qui habet patriam poteſtatem, ſuccedit liberis adoptivis; *Arrogator* quoque arrogatis puberibus *l. p. C. de adopt. §. 3. I. cod.* Parentes *naturales* eodem modo ſuccedunt liberis, quo

hi illis *Nov. 89. c. 13.* Spuriis ſuccedit *mater* tantum *l. 2. und. cogn. v. §. fin. I. ad SCt. Tertull.* Parentum *injuſtorum* nulla cenſetur eſſe ſucceſſio *Nov. 89. c. fin.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in poſſeſſ.* quod tamen, quoad matrem, temperandum erit, ex ſententia nonnullorum *v. §. 16.*

§. 22. Jure Saxonico Parentes, proximi & remotioris gradus, omnes collaterales, adeoque etiam fratres & ſorores defuncti, excludunt *Landr. l. 1. art. 17.* COLER. *p. 1. D. 47.* CARPZ. *p. 3. C. 17. D. 6. 7.* Præterea etiam differentia rerum expeditoriarum & geradicarum, inter eos attenditur, hinc, mortuo maſculo, parentes maſculi & agnati, illas, fœmina mortua, parentes fœminæ & cognatæ, has habent præcipuas. Avia igitur paterna, ad geradam non admittitur, ſed à cognata etiam collaterali excluditur CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 56. 57.* quia ſcilicet non cognata, ſed agnata eſt *v. l. 6. c. 3. §. 2.*

§. 23. Deficientibus aſcendentibus, ſuccedunt collaterales *Nov. 118. c. 3.* & quidem (1.) Germani fratres & ſorores in capita; prædefunctorum liberi, cum thiis ſuis, in ſtirpes admittuntur *d. Nov. 118. c. 3.* STRUV. *exerc. 38. §. 33.* (2.) deficientibus Germanis, horum liberi ſequuntur, qui quidem hæreditatem dividunt ſecundum capita, ex ſententia multorum *v.* CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 3.* STRUV. *exerc. 38. §. 34.* Sed verius eſt, quod illa ſuccedendi ratio tantum obtineat, ſi liberi illi, ſoli ſint *R. J. 1529. §. item als 31.* ſi autem, cum defuncti fratribus unilateralibus, vel thiis, concurrant, tum jure repræſentationis, ex ſanctione Juſtiniani *d. Nov. 118. c. 3.* adeoque in ſtirpes ſuccedunt *v.* VINN. *S. Q. l. 2. c. 31.*

§. 24. Si nec Germanorum filii aut filiæ adſint, (3.) fratres & ſorores unilaterales ſuccedunt in capita, admiſſis ſimul prædefunctorum liberis in ſtirpes; Deficientibus fratribus & ſororibus (4.) horum filii filiæque admittuntur, & quidem in capita, ſi ſoli ſint, in ſtirpes vero, ſi cum defuncti thiis concurrant *Nov. 118. c. 3.* nam eadem ſuo modo obtinent in unilateralibus, quæ in Germanis. Sententia, quæ bona paterna conſanguineis, materna uterinis aſſignat *v.* CARPZ. *p. 3. C. 14. D. 1. ſeqq.* STRUV. *exerc. 38. §. 35.* nullo fundamento nititur *v.* VINN. *S. Q. l. 2. c. 31.*

§. 25. Poſtea ſuccedunt (5.) qui gradu ſunt proximiores in infi-

infinitum *Nov. 118. c. 3. §. 1. v.* CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 31.* STRUV. *d. l. §. 36.* ceſſante jure repræſentationis *d. c. 3.* verb. *hujusmodi*, nec obſervata vinculi duplicitate *d. c. 3. §. 1.* verb. *ſecundum*, qui tamen ex jure cognationis, hæreditatem ſibi aſſerit, illud probare debet *v. l. 28. de probat.* CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 28. 29.* Juxta hæc igitur v. gr. fratris Germani filius, excludit Germani fratris nepotem; nepotes autem fratris Germani & unilateralis, ſimul admittuntur.

§. 26. Succedunt autem hoc modo collaterales *legitimi* & *naturales*, ut & *legitimati* per ſubſequens matrimonium, & reſcriptum principis *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 979.* Collaterales *adoptivi* eatenus ſibi ſuccedunt, quatenus inter eos aliqua eſt conjunctio *v. l. 6. c. 13. §. 19. ſeqq.* Ulterius *naturales* & *ſpurii* ſuccedunt per matrem ſibi conjunctis; Inter *injuſtos* vero collaterales nulla eſt ſucceſſio, hinc in ſpecie fratres, ex damnato coitu nati, ſibi invicem hæredes non ſunt CARPZOV. *3. C. 14. D. 11.* STRUV. *d. exerc. 38. §. 37. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 977.*

§. 27. Ab iſta ſuccedendi ratione civili, in nonnullis iterum abit Saxonica: Nam (1.) in linea collaterali, quoad allodialia, plane ceſſat jus repræſentationis *Landr. l. 1. art. 17.* CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 1. ſeqq.* hinc fratres, fratrum liberos plane excludunt; Fratrum filii, cum defuncti thiis, ſimul ſuccedunt; jure tamen Saxonico Electorali, his illi præferuntur *v.* CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 4. 5.* (2.) duplicitas vinculi attenditur, adeo ut perſona, uno vinculo, defuncto conjuncta, gradu uno cenſeatur eſſe remotior, id quod in omnibus collateralibus obſervatur *Landr. l. 1. art. 3. l. 2. art. 20. ibique Gloſſ. latin.* CARPZOV. *d. C. 18. D. 21.*

§. 28. Hinc v. gr. fratrum germanorum filii, & fratres unilaterales ſimul ſuccedunt CARPZ. *d. l. D. 10.* defuncti patrui utrinque juncti, cum fratribus unilateralibus etiam conjunctim hæreditatem capiunt; jure tamen Saxonico Electorali, hi illis præferuntur CARPZ. *d. l. D. 14. 15.* Sed quid dicendum, *ſi ex duobus ſucceſſuris, alter defuncti ſit conſanguineus & conſobrinus, alter tantum conſanguineus?* Illum duas portiones accipere, cum RICHTERO cenſet STRUV. *exerc. 38. §. 36. & in J. F. l. 2. tit. 30. §. 22.* ac id, in aliis caſibus ſimilibus, obſervandum quoque eſſe exiſtimat. *add.* CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 26.*

§. 29. Sed vix eſt, ut illa ſententia ſubſiſtere queat, ſive ex rationibus juris civilis, ſive Saxonici pronunciandum ſit: Nam illo jure, ultra fratres & fratrum liberos, duplicitas vinculi non attenditur, hinc, in caſu allato, æqualis utriusque erit ſucceſſio: Juxta hoc autem, duplicitatis vinculi ſemper habetur ratio, hinc qui duplici vinculo conjunctus eſt defuncto, alterum plane excludet, id quod, niſi fallor, clare etiam deciſum eſt *Landr. l. 1. art. 3.* verb. *nehmen auch.*

§. 30. Denique etiam, in ſucceſſione collateralium, jure Saxonico, res expeditoriæ & geradicæ diſcernuntur. Hinc mortuo maſculo, proximiores agnati res expeditorias accipiunt CARPZ. *p. 3. C. 38. D. 23. ſeqq.* & quia ſola agnatio, ſive vinculum à patre ortum attenditur, hinc frater conſangvineus, cum Germano, ſimul admittitur CARPZ. *d. l. D. 37.* ac Germani filios excludit CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 12.* Vice verſa, mortua fœmina, proximiores cognatæ, lucrantur geradam, cumque hic ſola cognatio, ſive vinculum maternum obſervetur, ideo ſoror uterina, cum Germana, ſuccedit CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 56. 57.* ac hujus filias excludit IDEM. *p. 3. C. 18. D. 11.*

§. 31. Gerada illa, quam vel fœminæ collaterales, vel aſcendentes, de quibus §. 22. dictum, conſequuntur, dicitur *Nfftelgerada*, & quidem *plena*. Uti autem, ex ſtatutis locorum, ſpecialius intelligendum, quænam res ad illam referantur *v.* CARPZ. *p. 2. C. 14.* ita, circa eam in genere intereſt, utrum defuncta cognata fuerit *ſoluta*, an *maritata*. Illo caſu cognatas ſuccedentes, non aliam conſequi geradam, quam quæ fuerit defunctæ propriæ, ultro liquet, cum nulla alia inſuper adſit.

§. 32. Hoc vero, non tantum defunctæ propriam, ſed & eam, quam maritus in uſum rei familiaris comparavit, cognatas lucrari, ex *Landr. l. 3. art. 38.* adſtruunt PISTOR *l. 1. qu. 32.* CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 22. n. 7. 8.* adeo ut ex rebus, in communem uſum comparatis, marito nihil relinquatur, niſi lectus paratus, menſa mappâ, ſcamnum pulvinari, ac ſedile cuſſino inſtrata CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 49.* Licet autem illa ſententia quodammodo iniqua, nec ſolido ſatis fundamento ſubnixa videatur, attamen recepta eſt.

§. 33. Eſt etiam circa Nfftelgeradam obſervandum, utrum defuncta fuerit *plebeja*, an *nobilis*, nam, poſteriori caſu, præter res, quæ

ad

ad plebejarum Geradam referuntur, pro geradicis quoque habentur (1.) oves, & quidem eæ tantum, quæ defunctæ fuerunt propriæ, non etiam illæ, quas maritus (si defuncta in matrimonio fuit) comparavit CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 22. n. 12.* (2.) anseres (3.) anates (4.) currus, quo mulier vecta est, non vero equi curules *v.* CARPZ. *d. C. 14. D. 24. 33. 34.*

§. 34. De cætero cognatæ, à Gerada, omnes mares agnatos regulariter excludunt etiam Clericum Patrem, fratrem vel maritum CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 60.* Uti vero aliquando mariti cujuscunque conditionis, ex statuto, geradam lucrantur, de quo *cap. seqq.* dicendum, ita, ex Statuto quoque Lipsiensi, à Gerada matris, filios excludere cognatas, quæ ultra sorores sunt, testatur DN. PHILIPP. *in Synopf. Inſtit. l. 3. tit. 9. p. 114.* quæ aliaque, ad Geradum pertinentia, specialius persequi jam non licet *v.* CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 50. seqq. p 3. C. 38. D. 2. seqq.*

§. 35. Præter successionem sangvinis, aliquando, ex rationibus politicis, alia quoque occurrit. Eo pertinet (1.) successio conjugum, quæ cum successione cognatorum, certo respectu, concurrit, ac eam sequitur, de qua *cap. seqq.* dicemus (2.) certorum collegiorum *t. t. C. de hæredit. decur. &c.* quæ, deficientibus cognatis & conjugibus, obtinet *v.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in poſſeſſ. ſerv. verſ. fin.* (3.) successio conventionalis *v.* STRUV. *Exerc. 38. §. 47. seqq.* (4.) Fisci *l. 1. §. 2. de jur. fiſc.* vel hodie Magistratus, qui merum habet imperium, hic enim deficientibus aliis successoribus, hæreditatem occupat STRUV. *d. l. §. 42.* Non vero (5.) Affinium, nam hi non succedunt *l. 7. C. Comm. de ſucceſſ.* hinc in specie privignorum nulla est successio *v.* STRUV. *d. l. §. 17.* nisi unio prolium facta.

§. 36. Quæ autem hactenus, ex jure Romano diximus, ea pertinent ad allodialia, nam de feudis alibi agendum erit; Præterea valent saltem, instar regulæ, in subsidium, salvis semper exceptionibus, quas leges provinciales aut Statuta specialia introducunt, idquod, exemplo juris Saxonici, jam declaravimus. Quodsi diversa jura occurrant, in loco *mortis, domicilii & rerum ſitarum*, quoad mobilia & nomina, observantur jura domicilii, quoad immobilia, etiam civiliter talia *v. l. 35. §. 3. de H. J. l. 84. §. 10. de Legat. 1. l. 86.*

de Legat. 2. l. 44. 86. de Legat. 3. l. 32. de pignor. l. 17. §. 7. de A. E. V. jura loci, ubi illa ſita ſunt *v. l. 1. ſeqq. C. ubi in rem act. l. un. C. ubi de hæred.* Idem dicendum de nominibus, quæ, intuitu rei immobilis, ſolvenda *v.* STRYK *in not. ad* LAUTERB. *C. J. quis ord. in poſſeſſ. in fin.* aut quæ rem immobilem, velut objectum, reſpiciunt.

§. 37. Quodſi quis neque domicilium, neque bona immobilia habeat, tum obſervanda ſunt jura loci mortis, niſi forte forum nativitatis adhuc duret *v. Deciſ. Saxon. 54.* CARPZ. *p. 3. C. 12. D. 13. ſeqq. l. 6. Reſp. 38. 40.* STRUV. *exerc. 38. §. 44.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in poſſeſſ. ſerv. in fin.* Qui jurisdictioni Magiſtratus oppidani non ſubſunt, ad eos Statuta localia non pertinent, niſi vel ipſorum voluntate, vel autoritate Imperantis, eò ſint extenſa *v.* CARPZ. *p. 3. C. 12. D. 16. ſeqq.* STRUV. *d. l. §. 45.* quæ omnia, ex natura imperii humani fluunt, adeoque omnibus gentibus communia ſunt *v. l. fin. de jurisd.*

§. 38. Ob diverſitatem jurium, aliquando etiam retorſioni locus eſt, cujus rei diverſa poſſunt eſſe exempla. Nam nonnunquam (1.) bona peregrinorum, velut hoſtium, occupantur, quo ſpectat Jus Albinagii *v.* PERETZ. *ad C. qui teſtam. fac. poſſ. n. 12.* aut (2.) exteris jus ſuccedendi, in hæreditatem cognatorum, alibi degentium, negatur, vel (3.) jura ſuccedendi non perinde ſunt favorabilia, ſicut in alia regione. V. gr. in Saxonia, res expeditoriæ & geradicæ præſtantur, quæ alibi non occurrunt. Omnibus illis caſibus retorſioni locus eſt, ut ſcilicet illi, qui jus non ſatis æquum in alios ſtatuunt, eodem ipſi, apud nos, quoque utantur *v. Conſt. Saxon. 38. p. 3. ibique* CARPZOV. *conf.* STRUV. *exerc. 38. § 46.*

CAPUT

CAPUT II.

DE SUCCESSIONE CONJUGUM.

SUMMARIA.

Jure Romano aliquando conjugibus tota defertur hæreditas §. 1.
Quandoque cum cognatis illi concurrunt §. 2.
Sed plerumque successio eorum dirigitur pactis §. 3.
Statutis §. 4.
Et legibus provincialibus: Jure Saxonico maritus consequitur mobilia §. 5.
Exceptis geradicis §. 6. 7.
Aliquando tamen has etiam ex parte lucratur §. 8. 9.
Vidua ignobilis repetit illata vel petit portionem Statutariam §. 10.
Illorum nomine quæ contineantur §. 11.
Portionis Statutariæ requisita & quantitas §. 12.
Vidua nobilis pro casuum diversitate, vario jure utitur §. 13. 14.
Jura singularia geradæ viduis præstandæ §. 15.
Jura Successionum Saxonica emendatione indigent §. 16.
Personis illustribus privata jura etiam applicari possunt §. 17.

§. 1.

JUre Romano, deficientibus omnibus cognatis, ex provisione Prætoris, tota hæreditas defertur superstiti conjugi *l. un. und. Vir & uxor.* v. CARPZ. *p. 3. C. 18. D. 31.* ac ex benigna interpretatione *v. l. 10. de jur. fisc.* sponso aut sponsæ *v.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in possess.* Requiritur autem ut (1.) matrimonium sit justum, ac (2.) usque ad tempus mortis duraverit *l. un. und. vir & uxor.* nec (3.) mors, facto superstitis conjugis, sit procurata *l. 10. §. 1. solut. matrim. l. 22. §. fin. de adult. v. l. 3. §. 3. ad. SCt. Silan. l. 4. de agnos. lib. l. 3. de his quæ ut indign.* aut (4.) vidua, intra annum luctus, nupserit *l. 1. 2. C. de secund. nupt.* quod ultimum tamen hodie forsitan non observatur.

§. 2. Præterea aliquando conjux, cum defuncti cognatis, in certam portionem succedit. Nimirum si (1.) Pater concurrat cum liberis emancipatis, tum, ex bonis conjugis defunctæ, accipit usumfructum virilis portionis *l. 3. C. de bon. matern. v. l. 6. c. 12. §. 18.* (2.) Si matrimonium sit indotatum, & defunctus dives, superstes verò inops, tum huic quarta pars, pleno jure acquiritur, si cum defuncti *ascendentibus* aut *collateralibus* concurrat, si vero cum *liberis communibus*, tum saltem accipit usumfructum & quidem quartæ partis, si tres aut pau-

nihil omnino consequitur, ex doctrina CARPZOVII *p. 3. C. 23. D. 22. seqq.* sed alii, ex præscripto juris civilis, ei quartam vel virilem portionem non improbabiliter hoc casu concedunt *v.* STRUV. *J. F. l. 2. tit. 30. §. 27.*

§. 6. Res tamen geradicæ excipiuntur, has enim maritus, in mobilia succedens, non consequitur, sed proxima uxoris cognata accipit, quæ tamen, licet filia sit, quasdam res marito inde relinquere tenetur, de quo *cap. præc. §. 32.* dictum. Non potest etiam uxor, in præjudicium cognatæ, res geradicas donare marito, nisi donatione remuneratoria & æquali CARPZ. *p. 2. C. 13. D. 1. seqq.* per testamentum vero, neque marito, neque ulli alii, eas concedere potest CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 1. seqq.* Valet tamen venditio geradæ, vili etiam pretio, marito facta, ita quoque, ut maritus pretium, qualecunque sit, ex donatione, testamento vel successione ab intestato, lucretur CARPZ. *p. 2. C. 13. D. 9. seqq.*

§. 7. Sed hoc argutiis, non rationibus asseritur, licet enim jus Saxonicum venditionem in genere non prohibeat, dubio procul tamen illam prohibet, quæ in fraudem legis suscipitur, talem vero, in casibus allatis, occurrere, manifestum est, quando enim maritus pretium vel omne, vel magnam ejus partem lucratur, tum sane gerada vel simpliciter, vel, quoad eximiam partem, ei donatur, quia sine pretio eam accipit, in quo donationis forma consistit. Ex quo liquet, non aliam venditionem, ex ratione juris Saxonici, admitti posse, quam quæ vero & æquali pretio ita fiat, ut, in locum geradæ alienatæ, hoc surrogetur ac cognatæ acquiratur.

§. 8. Aliquando maritus, ex Statuto, cum cæteris mobilibus, etiam geradam consequitur *v.* CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 54.* quale statutum Lipsiæ occurrit, quod tamen ad geradam filiæ defunctæ non est extendendum, nec eo forenses & extranei, intuitu uxorum suarum, gaudent CARPZ. *d. l. D. 51. 52. 53.* De cætero, juxta illud, distingvendum est, utrum maritus cum defunctæ uxoris *cognatis ascendentibus vel collateralibus*, an cum *descendentibus* concurrat.

§. 9. Primo casu, integram geradam maritus acquirit, exceptis saltem paucis rebus, quas cognatis proximioribus præstare debet, atque hæ efficiunt *Nifficlgeradam minus plenam* CARPZ. *d. l. D. 51.* ad

differentiam *plenæ*, cujus *cap. præc. §. 31.* fecimus mentionem. Secundo autem rurſus intereſt, utrum concurrat maritus (1.) cum *filiabus propriis*, tum partem dimidiam lectorum, aliarumque rerum, ad uſum quotidianum, pertinentium, accipit, reliqua vero, una cum mundo, filiabus relinquit, an (2.) cum *filiabus propriis & privignis*, tum idem obtinere volunt, aut (3.) cum *filiabus privignis tantum*, tum plenam geradam Vitricus cum illis dividit *v.* DN. PHILIPP. *Synopſ. Inſtit. l. 3. tit. 9. p. 114.*

§. 10. Quoad ſucceſſionem *Viduæ*, diſtingvendum eſt, inter *ignobilem*, quæ Viro, nobilitate deſtituto, & *Nobilem*, quæ nobili juncta fuit. Illa regulariter habet electionem, num *illata repetere*, an *portionem Statutariam* exigere velit. *Conſt. Saxon. 20. p. 3.* Illam tamen optionem poſtea, per peculiare reſcriptum, eſſe ſublatam, adeo ut Vidua portione Statutaria, in Electoratu Saxoniæ, præciſe contenta eſſe debeat, nec illata, niſi in concurſu Creditorum, aliisque nonnullis caſibus, repetere poſſit, docet CARPZ. *d. p. 3. C. 20. D. 12. 13. 14.*

§. 11. Stante autem optione, primo caſu, Vidua conſequitur (1.) bona quæ intulit *v.* CARPZ. *p. 3. C. 20. D. 32. ſeqq.* (2.) geradam, non tantum propriam, nam illa, ſub illatis, etiam continetur, ſed & eam, quam conſtante matrimonio, in uſum rei familiaris, comparavit maritus CARPZ. *d. C. 20. D. 35.* (3) dimidiam partem donorum nuptialium extantium *p. 3. C. 22. ibique* CARPZ. *D. 1. ſeqq.* Ex conſumtis vero donis, regulariter illa nihil conſequitur, niſi pacta aut Statura hoc velint, vel dona illa, in dotem à Socero fuerint imputata, aut æſtimata, à marito & uxore ejusque cognatis, in inventarium redacta, vel, inter illa, res geradicæ occurrant, quas, poſt uſum fœminæ permiſſum, maritus alienaverit, nam hiſce caſibus, uxor & ejus hæredes, pro parte dimidia, earum pretium recte exigunt *Deciſ. Saxon. 57.*

§. 12. Secundo caſu, uxor omnia propria bona, etiam geradica, hæreditati mariti inferre debet (quam conferendi neceſſitatem, niſi diſerte hoc leges velint, uxoribus non eſſe imponendam, docet CARPZ. *p. 3. C. 20. D. 7. ſeqq.* ceu jam *§. 4.* admonui) Hoc facto, conſequitur, ex integra maſſa, juxta jus Saxonicum Electorale, quartam partem, ſi cum liberis, tertiam vero, ſi cum aliis mariti cognatis, concurrat CARPZ. *d. l. D. 16. ſeqq.* Ex Statuto tamen Lipſienſi, indiſtincte tri-

en-

Digitized b

entem accipit, ac plenam geradam simul lucratur CARPZ. *d. l. D. 6.* conf. DN. SCHACHER. *dissert.* de portion. statutar. *hab. Lipsiæ 1692.*

§. 13. Circa Viduam nobilem, distingvendum, utrum *nullam*, an *aliquam dotem* marito attulerit, illo casu, posse eam petere portionem quæ fœminis ignobilibus debetur, docet STRUV. *J. F. l. 2. tit. 30. §. 29.* Hoc vero, electionem habet, num *illata repetere*, an, *iis hæreditati mariti conjunctis, alia exigere* velit. Primo casu, præter illata, nihil amplius consequi videtur, quam dimidiam donorum nuptialium partem, nam & hæc, jure proprietatis, ad Viduam pertinet CARPZ. *p. 3. C. 22. D. 1. 2. 13.*

§. 14. Sed secundo consequitur (1.) geradam, sub qua etiam omnes oves quæ mariti fuerunt, sive in ovilibus existant, sive elocatæ sint, continentur CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 22. n. 10. 11. D. 23. 24. n. 8.* (2.) morgengabam, id est omnis generis pecudes femellas quæ in agris pascuntur *Landr. l. 1. art. 24.* CARPZ. *p. 3. C. 33. D. 20. seqq.* (3.) comestibilia, *mustheil v. Landr. l. 1. art. 22.* CARPZ. *p. 3. C. 34. 35. 36.* (4.) ex bonis feudalibus, dotalitium CARPZ. *p. 2. C. 42.* de quo, suo loco agemus: Potest tamen Vidua nobilis, iis omissis, portionem viduis plebejis debitam, petere CARPZ. *p. 3. C. 37. p. 2. C. 44. D. 8.*

§. 15. Sive autem nobilis, sive ignobilis vidua geradam accipiat, id utrique commune est (1.) quod hæredibus nihil de ea relinquere teneatur CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 50.* (2.) quod æs alienum mariti, ne quidem in subsidium, exinde solvere debeat, etiamsi geradæ nomine contractum sit CARPZ. *d. l. D. 62.* quia scilicet geradam, velut rem propriam, sibi asserit; oves tamen mariti, quæ inter Nobiles, geradæ aliàs annumerantur, ceu *§. præc.* admonitum, creditoribus relinquendæ sunt *O. P. S. tit. 43. §. 4.* (3.) quod geradam, à marito oppignoratam, non luat, nisi in fraudem creditorum oppignoratio facta CARPZ. *d. l. D. 63. 64. 65.* conf. STRUV. *S. J. C. exerc. 38. §. 41.*

§. 16. Illud ex hactenus dictis liquet, jura successionum Saxonica, tam quoad consangvineos, quam conjuges, oppido esse involuta, ac multis dubiis obnoxia, dum scilicet leges illæ, lubrica rerum discrimina earumque accidentia sectantur: Nec illud obscurum esse videtur, quod leges istæ, ob eandem rationem, admittendis fraudibus hominum prave solertium, sint peridoneæ. Posset illis incommodis occurri,

curri, ſi, inſuper habitis rerum differentiis, certa aliqua bonorum portio ſucceſſoribus tribueretur, quæ mutatio eo magis etiam videtur neceſſaria, quo magis antiquæ rationes bellicæ & œconomicæ, quibus jura Saxonica nituntur, hodie ſunt mutatæ. *add.* STRUV. *d. exerc. 38. §. 38. in fin.*

§. 17. Illud quoque admonendum, quod jura ſucceſſionum privata, quæ in aliquo Territorio, vel quoad allodialia, vel feudalia, occurrunt, ad perſonas illuſtres, imperio deſtitutas, non male applicentur, nam & illæ privatorum numero habentur. Interim plerumque illarum ſucceſſio Statutis & pactis ſpecialibus eſt definita, ad quæ adeo recurrendum, ac ex illis, hac de re, pronunciandum erit *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 4. §. 49. ſeqq.*

CAPUT III.
DE TESTAMENTIS ET CODICILLIS.

SUMMARIA.

Ultima voluntas expreſſa occurrit in teſtamento & codicillo §. 1.
Illius indoles §. 2.
Facultas teſtandi eſt ex jure naturali §. 3.
Apud Germanos teſtamenta in uſu olim non fuerunt §. 4.
Legibus perſpicuis illa debent dirigi §. 5.
Requiſita perſonarum teſtantium §. 6.
Quinam teſtari nequeant §. 7. 8. 9. 10. 11. 12.
Quo tempore habilitas teſtandi requiratur §. 13.
Teſtamentorum materia §. 14.
Et varietas §. 15.
Publici teſtamenti ſpecies ſunt teſtamentum oblatum & judiciale §. 16.
Ad teſtamentum privatum ſcriptum & ſolenne requiruntur unitas contextus §. 17.
Teſtes ſeptem §. 18.
Idonei §. 19.
Eorum ſubſcriptio & ſignatio, ut & adjectio nominis teſtatoris §. 20.
Cætera à libertate teſtatoris, dependent §. 21. 22.
Nuncupativi teſtamenti ſolennitas §. 23.
Et probatio §. 24.
Teſtamentum cœci quodammodo ſcriptum & nuncupativum eſt §. 25.
Ex teſtamento imperfecto nulla naſcitur obligatio §. 26.
Codicilli natura & varietas §. 27.
Ejus origo & ſubjectum §. 28.
Modus conficiendi §. 29.
Etiam in codicillis teſtato factis ſolennitas aliqua neceſſaria videtur §. 30.
In codicillis mulieres & legatarii poſſunt eſſe teſtes §. 31.
Quibus & quid codicillis relinqui queat §. 32.
Iis directe dari nequit hæreditas §. 33.
Bene tamen ut fidei commiſſum §. 34.
Cætera in iis quoque recte ordinantur §. 35.
Codicillorum numerus & contraria §. 36.
Uſus clauſulæ codicillaris §. 37.
Adjicitur à teſtatore habili expreſſe vel tacite §. 38.
In dubio illa præſumitur §. 39. 40.
Medetur defectui ſolennitatis extrinſecæ & intrinſecæ §. 41.

§. 1. Per-

Digitized by Google

§. 1.

PErgendum est ad delationem hæreditatis *expressam v. c. 1. §. 9.* quæ *ultimæ voluntatis* elogio, communiter exprimi solet *v. l. 4. de adim. & trans. legat. l. 1. C. de SS. Eccles.* Ejus duæ sunt species, *Testamentum* & *Codicillus*, quæ primo loco considerari debent, licet, in explicando posteriore, alium ordinem servet jus Romanum, nam specierum illarum diversitas, in singula fere ultimarum voluntatum capita influit, adeoque illarum cognitio præsupponi debet.

§. 2. Testamentum *v. pr. l. de T. O.* intuitu subditorum, est *ultima voluntas, solemniter declarata, qua persona habilis, personam habilem, in eventum mortis, successorem universalem designat, ac alia, legibus non improbata, pro lubitu disponit v. l. 1. 3. 4. qui testam. fac. poss.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 847.* Notat igitur testamentum, voluntatem unius, ab altera parte, ante illius mortem, neque acceptatam, neque acceptandam, ex quo necessariò consequitur, quod illa, pro lubitu testantis, *revocabilis* sit *l. 4. de adim. legat. l. 22. de Legat. 3.*

§. 3. Facultas testandi cuivis, qui usu rationis gaudet, ac liberum de rebus suis disponendi habet arbitrium, jure naturali competit *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 848.* OBSERV. PUFEND. *Obs. 306.* quæ facultas, jure civili, confirmari, ac nonnunquam restringi solet, adeo ut, sine legis permissione, nemini testari liceat *l. 3. qui testam. fac. poss.* Summatim vero restrictiones positivæ respiciunt (1.) *personas testantes* (2.) *instituendas*, (3.) *res transferendas* & (4.) *modum testandi*, quamvis illæ omnes non semper occurrant.

§. 4. Apud antiquos Germanos nulla fuisse testamenta, testatur TACITUS *de M. G. c. 20.* quod tamen ad *consvetudinem*, non *prohibitionem* referendum erit. Successu temporis illa, Clero potissimum instingante, invaluisse videntur, hinc major etiam juris Canonici, quam Romani, in condendis testamentis, olim fortasse fuit usus, postea tamen hoc illi prælatum est *Ord. Imp. 1512. tit. 2.* Hodie cujusvis Territorii leges primariò sunt observandæ, quæ in exteros etiam suo modo valent *v.* CARPZ. *p. 3. C. 6. D. 12.* de quo in genere actum *l. 1. c. 10.*

§. 5. Uti autem Successio ab intestato, sæpe longe justior est te-

ſtamentariâ, cum, in teſtamentis vel eliciendis, vel condendis, improbitas & ſtultitia humana, magnas non raro habere ſoleat partes, ita fortaſſis tamen haut æquum fuerit, omnem teſtandi facultatem ſubditis adimere, cum juſta utique cauſa, ad teſtamentum faciendum, quandoque ſubigere queat. Legibus tamen perſpicuis, teſtamenti factionem dirigere par eſt *v. Nov. 107. c. 1.* quod quidem, in Jure Romano, parum obſervatur, hinc etiam materia teſtamentaria, fatentibus pragmaticis, eſt fons & nutricula maximæ litium partis captionumque, quæ ibi fiunt, ubi jus civile viget *v.* CONRING. *de O. J. G. c. 34. p. 225. Excerpt. ex proœm. Secund. Edit. Tacit. Epiſtol. Operi de fin. Imp. præf.*

§. 6. In perſonis teſtantibus requiritur naturaliter (1.) uſus rationis (2.) libera de rebus propriis diſponendi facultas, cæteræ reſtrictiones ſunt ex jure poſitivo; de cætero quivis, ad teſtandum, præſumitur habilis, donec probetur contrarium *v. l. 5. de probat.* hinc in mortis articulo etiam conſtitutus teſtari poteſt, modo facultate loquendi aut ſcribendi adhuc polleat *v. l. 29. C. de teſtam.* CARPZ. *p. 3. C. 5. D. 1. 2.* hoc tamen caſu variis fraudibus eſſe locum, negari nequit. Ex hypotheſibus juris Romani, facultas teſtandi conventione, quoque impediri non poteſt *l. 51. C. de pact.* CARPZ. *p. 2. C. 12. D. 26.* quod hodie non ſemper obtinet. *v. l. 2. c. 4. §. 15. 16.*

§. 7. Teſtati non poſſunt (1.) furioſi & mente capti *l. 17. qui teſt. fac. poſſ. l. 40. de R. J.* niſi tempore dilucidi intervalli *l. 20. §. 4. qui teſt. fac. poſſ. l. 9. C. eod. l. 6. C. de curat. furioſ.* quodſi hujusmodi intervalla teſtatorem habuiſſe conſtet, tum in dubio teſtamentum, eo tempore, conditum cenſetur, nam furor, vel ut res extraordinaria, non præſumitur *v. l. 5. C. de codicill.* (2.) Surdi & muti, qui verbis aut literis ſententiam declarare nequeunt *l. 10. C. qui teſtam. fac. poſſ.*

§. 8. Porro (3.) Impuberes, quorum ætatem, ut alibi, ita hic etiam definit lex poſitiva *l. 5. qui teſtam. fac. poſſ. l. fin. C. de teſtam. milit.* nec valet teſtamentum, licet tutoris autoritas acceſſerit *arg. pr. I. quib. non eſt perm. fac. l. 3. qui teſtam. fac. poſſ. l. 32. de H. J.* Minorum, hac in parte, alia eſt ratio, qui recte teſtantur absque curatore *l. 4. C. qui teſtam. fac. poſſ. l. 20. §. 1. de liber. legat.* cujus ratio fortaſſis inde dependet, quod absque curatoribus, minores agere poſſint *§. 2. I. de curat.*

cum

eum vero hodie à pupillis, hac in re, non differant, ideo, quoad testamenta condenda, illis quoque comparandi videntur, sed usus juri civili inhæret.

§. 9. Eo quoque referunt (4.) Summè ebrios ac (5.) iratos *l. 48. de R. J.* quia ad tempus etiam, alienatione mentis, quodammodo laborant, sed de horum testamentis non facile fortassis, in vita civili, quæstio occurret. De jure Romano testari etiam nequeunt (6.) Servi *l. 32. de R. J. l. 8. pr. qui testam. fac. poss.* quod hodie generaliter cessat *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 849.* add. *Nov. Leon. 40.* (7.) peregrini, vel generalius, qui jure civitatis Romanæ non gaudent *v. l. 17. de stat. hom. l. 17. §. 1. de pœn. l. 8. 12. qui testam. fac. poss. l. 1. §. 1. ad L. Falcid.* sed tale jus civitatis, quoad res & negotia privata, forte nullibi hodie occurrit, hinc etiam peregrinis facultas testandi competit *v. auth.* omnes peregrini *C. commun. de succession.*

§. 10. Illi quoque qui (8.) ob delictum bona amittunt, testari nequeunt *l. 15. de interd. & releg. l. 2. C. de bon. proscript.* Ex quibus præsuppositis sequitur, quod (9.) servus pœnæ testari non possit *l. 8. §. fin. qui testam fac. poss.* nam & libertatem, & civitatem, & bona amittebat, sed cum hæc præsuppositia hodie cessent, ideo pœna capitali afficiendi, ubique fere testari possunt *v. p. 3. Const. Saxon. 6.* CARPZ. *Pr. Crim. p. 3. qu. 135. n. 21.* Ex iisdem præsuppositis (10.) deportatis jus testandi negatur *l. 17. §. 1. de pœn. l. 8. §. 1. qui testam. fac. poss.* & hodie (11.) bannitis, nam & hi bona sua amittunt *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 135. n. 31. seqq. qu. 140. n. 26. seqq.*

§. 11. Testari quoque non possunt (12.) filiifam. *l. 6. 3. qui testam. fac. poss.* nec valet testamentum de peculio adventitio irregulari *l. pen. C. qui testam. fac. poss.* neque subsistit in vim codicilli *l. 6. §. 3. de jur. codicill. l. 2. de Legat. 1.* aut donationis mortis causa, hac enim acceptationem donatarii requirit *l. 38. de m. c. donat.* de peculio verò castrensi & quasi castrensi, recte testatur filiusfam. *pr. I. quib. non est permiss. fac. testam. §. fin. I. de milit. testam. l. 12. C. qui testam. fac. poss. l. 37. C. de inoffic. testam.*

§. 12. Facultas testandi etiam non competit (13.) prodigis *l. 18. qui testam. fac. poss.* (14.) ob carmen famosum damnatis *d. l. 18. §. fin.* (15.) Monachis *aut.* ingressi *auth.* si qua mulier; *C. de SS. Eccles.* quod apud Pro-

Proteſtantes nullius eſt uſus (16.) uſurariis *c. fin. de uſur. in 6.* (17.) Hæreticis *l. 4. 7. 5. auth.* credentes *C. de hæret.* Apoſtatis *l. 3. C. de apoſt.* & conſequenter veneficis, niſi, poſt actam pœnitentiam, teſtamentum ſit conditum RICHT. *p. 1. D. 57. n. 11. ſeqq.* ſed duplex illa ſanctio, papalis eſt adeoque merito obſervari non debet. *conf.* LAUTERB. *C. J. qui teſtam. fac.*

§. 13. Quodſi habilitas teſtandi, utroque tempore, conditi teſtamenti, & mortis teſtatoris adſit, res bene ſe habet. Si autem tempore conditi teſtamenti deficiat, mortis vero, adſit, teſtamentum non valet *l. 1. §. 8. de B. P. ſecund. tab. pr. I. in fin. quib. non eſt perm. fac. teſtam. l. 19. qui teſtam. fac. poſſ.* propter regulam Catonianam *l. 1. de reg. Caton. l. 29. 210. de R. J.* Si vero, vice verſa, tempore conditi teſtamenti adſit, ſed mortis, deficiat, tum ſi quidem impedimentum reſultet ex furore, vel interdictione bonorum, teſtamentum manet *l. 18. l. 20. §. 4. qui teſtam. fac. poſſ. l. 16. §. 2. de R. N.* ſi vero ex Status mutatione, tum corruit *§. 4. 6. I. quib. mod. teſtam. infirm. l. 6. §. 5. ſeqq. de injuſt. rupt. irrit.* hodie tamen maxima capitis diminutio nunquam, media verò rariſſime contingit *conf.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 848.*

§. 14. Materia teſtamentorum principalis, eſt hæredis inſtitutio *§. 34. I. de Legat. l. 20. de jur. Codic. l. 3. de his quæ in teſtam. del.* ſecundaria vero, ſunt legata aliaque ejus generis capita, de quibus omnibus poſtea diſtinctius agendum erit. In genere autem requiritur, ut teſtator voluntatem verbis aut literis declaret, nutus vero non ſufficit *l. 29. C. de teſtam. Ord. Imper. 1512. tit. 2. §. 4.* illud nihil refert, qua lingva voluntas declaretur *l. 15. 21. §. 4. C. de teſtam.* immediate, vel mediate, per aliam perſonam *arg. l. 8.* verb. *ut in eodem C. qui teſt. fac. poſſ. v. l. 12. C. de teſtam.* CARPZ. *p. 3. C. 3. D. 27. p. 3. D. 293.*

§. 15. Modus teſtandi, ex teſtamentorum diverſitate dependet, eſt enim teſtamentum vel *publicum*, quod publica autoritate, & *privatum*, quod privata fit: Hoc iterum eſt vel *ſolenne* & *non privilegiatum*, in quo requiſita juris poſitivi ſunt obſervanda vel *minus ſolenne* ſive *privilegiatum*, quod ſine illis, vel ſaltem ſine quibusdam conditur: Illud iterum eſt vel *Scriptum*, quod in ſcriptis, & *Nuncupativum*, quod viva voce perficitur.

§. 16. Ad publicum teſtamentum pertinet (1.) *Oblatum*, quod Prin-

Principi, qui Majestate vel Superioritate Territoriali gaudet, offertur, ac sine ulla solennitate valet, modo de oblatione & acceptatione constet *l. 19. C. de testam.* (2.) *Judiciale*, quod judici, etiam incompetenti, vel in loco judicii, vel testatoris domo offertur, aut etiam, eo præsente demum conditur *l. 18. C. de testam.* cujus requisita legibus provincialibus specialius determinari solent *v. Decis. Saxon. 45. 73.* Ad utrumque vulgo requiritur, ut ab ipso testatore offeratur *v.* CARPZ. *p. 3. C. 3. D. 23.* HARPRECHT *Consil. Tubing. Vol. 4. Cons. 54. p. 1021.* Sed per procuratorem etiam illud recte offerri censet DN. STRYK *in not. ad* LAUT. *qui testam. fac. poss.* conf. OBSERV. LAUTERB. *Obs. 852. 853.*

§. 17. Ad testamentum privatum, solenne & scriptum requiritur (1.) ut fiat uno contextu, i. e. ut actus, quo autoritas testamento conciliatur, sine interruptione celebretur, nam ipse testator, diverso tempore, prout visum fuerit, ultimam voluntatem suam consignare potest, quamvis nihil etiam vetet, coram testibus una serie eam proponere *l. 21. pr. C. de testam. l. 21. §. fin. qui testam. fac. poss.* Vitiatur ergo testamentum contractu interveniente, nec aliud statuit *l. 26. de pign. action. v.* CARPZ. *p. 3. C. 5. D. 20.* non enim docet, quod contractus pignoratitius, in actu testandi possit celebrari, sed potius, quod pignus, i. e. jus reale, in testamento queat constitui. Interventus autem actus necessarii non nocet *l. 28. C. de testam.*

§. 28. Deinde requiritur (2.) ut adhibeantur testes, qui rogandi, vel saltem de actu testandi, certiores reddendi sunt *l. 21. pr. C. de testam. l. 21. §. 2. qui testam. fac. poss.* ut autem lingvam intelligant, vel contenta testamenti sciant, opus non est *d. l. 21. pr. C. de testam. l. 20. §. 9. qui testam. fac.* Debent etiam testes testatorem videre & audire *l. 9. 21. pr. C. de testam.* Denique opus est ut testes, septem sint *l. 12. C. de testam.* cui numero conficiendo, etiam Notarius numerari potest *Ord. Imper. 1512. tit. 2.* Jure Canonico, duo vel tres testes sufficiunt *c. 10. X. de testam.*

§. 19. Idonei autem testes sint, oportet, minimùm tempore facti testamenti, & putative *§. 7. I. de T. O. l. 22. §. 1. qui testam. fac. poss. l. 1. C. de testam.* habilitas autem tamdiu præsumitur, donec probetur contrarium. Quidam à testimonio testamentario simpliciter repelluntur, ut mulier §. 6. *I. de T. O.* & cœcus *l. 9. 21. pr. C. de testam.* alii

ſaltem certo reſpectu, ut illi, inter quos eſt vinculum patriæ poteſtatis, nec non hæres, quique ei, nexu patrii juris, junguntur *v. §. 6. ſeqq. I. de T. O. l. 20. qui teſtam. fac. Ord. Imp. 1512. tit. 2.* LAUTERB. *C. J. qui teſtam. fac. poſſ.* Vinculum ſangvinis, amicitiæ, beneficii aut familiæ, neminem facit, ad teſtimonium teſtamentarium, inhabilem, licet diſſentiat CARPZ. *p. 3. C. 3. D. 7.*

§. 20. Amplius requiritur (3.) ut teſtes omnes propria manu ſubſcribant *l. 22. §. 4. l. 30. qui teſtam. fac. poſſ. l. 21. C. de teſtam.* (4.) ſubſignent *l. 22. §. 5. qui teſtam. fac. poſſ. §. 5. I. de T. O. Ord. Imper. 1512.* ac denique etiam (5.) ſubſcribat teſtator, aut, ſi ſcribere neſciat, ejus loco octavus teſtis *l. 21. C. de teſtam.* quodſi tamen totum teſtamentum ſcripſerit, ſubſcriptio non eſt neceſſaria *l. 28. §. 1. C. de teſtam.* Olim etiam requirebatur, ut teſtator, nomina hæredum, vel ſcriptura, vel viva voce, teſtibus nota faceret *l. 29. C. de teſtam.* ſed illa ſolennitas, poſtea ſublata eſt *Nov. 119. c. 9.*

§. 21. Illud ad libertatem teſtatoris pertinet, quod immediate & mediate teſtamentum conſcribere poſſit *l. 27. 28. qui teſtam. fac. poſſ. l. 21. pr. C. de teſtam.* in quavis materia *§. 12. I. de T. O. l. 1. de B. P. ſecund. tab.* & quacunque lingva *l. 15. 21. §. 4. C. de teſtam.* modo id fiat literis conſvetis *l. 6. §. 2. de B. P.* numerus tamen per zifras recte exprimitur, quemadmodum etiam abbreviaturæ intelligibiles & uſitatæ adhiberi poſſunt CARPZ. *p. 3. C. 3. D. 4.* ſemper tamen conſultius eſt, integris literarum ductibus ſententiam proponere. Poſſunt etiam unius teſtamenti plures Codices fieri *§. 13. I. de T. O. l. 4. de his quæ in teſtam. del.*

§. 22. Quodſi lege publica, ad expediendos ſubditorum actus, charta ſignata, *ſtempelpapier* requiratur, teſtamentum tamen ſine ea confectum, non eſt nullum, modo hæres pretium chartæ ſignatæ exſolvat, atque ita defectum ſuppleat *v.* LYNCKER *Res Deciſ. Jen. p. 2. Dec. 975.* Scopus enim legis eſt, exigere tributum, non actus reddere irritos, illo ergo ſoluto, legi ſatisfactum eſt. Denique id ad libertatem teſtatorum pertinet, quod plures, in uno teſtamento, teſtari queant, cum enim iidem teſtes, pluribus teſtamentis adhiberi omnibusque autoritatem conciliare queant, nihil ſane obſtat, quo minus diverſa teſtamenta, in eodem Codice conjungantur ac junctim, ab iisdem

Digitized by G

dem testibus, robur accipiant *v.* LAUTERB. *C. J. qui testam. fac. poss.*

§. 23. Ad testamentum Nuncupativum requiritur (1.) ut testator voluntatem suam, coram septem testibus idoneis declaret *l. 21. §. 2. l. 26. 29.* verb. *quemadmodum C. de testam. Ord. Imper. 1512. tit. 2. §. 8.* hinc testamentum nuncupativum implicitum, quod fit per relationem ad scripturam, non valet *v.* OBRECHT. *dissert.* de Testam. nuncupat. implic. *hab. Basil. 1650.* Hodie tamen illud validum censetur *v.* LAUTERB. *C. J. qui testam. facer.* Debent etiam testes sponte adesse *l. 20. §. f. qui testam. fac.* testatorem videre, audire ejusque lingvam ac sententiam intelligere *l. 9. 21. §. 2. l. 29. C. de testam.* CARPZ. *p. 3. C. 5. D. 5.* peritia vero scribendi in iis haut est necessaria (2.) ut fiat uno contextu *l. 21. §. 2. C. de testam.*

§. 24. Cum autem hujus generis testamentum sit nimis fragile, ob mortem testium, quæ facile accidere potest, ideo hodie receptum est, ut à Notario, testibus præsentibus, voluntas testatoris nuncupantis, calamo excipiatur, ac, majoris cautelæ gratia, testatori prælegatur, & instrumentum desuper conficiatur, sine testium subscriptione, cujus effectus est, ut testamentum hoc modo probari queat, licet testes mortui sint, hinc etiam, si vivant, probando testamento, jurare non debent *v.* CARPZ. *p. 3. C. 3. D. 33. seqq.*

§. 25. Circa testamentum cœci, utraque testandi forma quodammodo concurrit, nam cœcus, præsentibus septem testibus, voluntatem suam exprimere debet, à Notario vel octavo teste, calamo excipiendam; Vel etiam, si memoriæ suæ parum fidat testator, poterit voluntatem suam antea alicui scribendam credere, quæ testibus convocatis, deinde palam, à Notario vel octavo teste, legenda est, quo facto, testes subscriptione & subsignatione sua eam munire debent, quibus subscriptio & subsignatio Notarii vel octavi testis, nomine testatoris, adjungenda est *l. 8. C. qui testam. fac. poss.* Quæ forma, in testamentis oblatis & judicialibus, hactenus quoque observanda videtur, ut testamentum acceptandum, antea testatori prælegendum sit.

§. 26. De modo conficiendi testamenta privilegiata *v. §. 16.* suo loco dicendum erit. Illud, quoad præcedentia, generaliter observandum, quod neglecta forma præscripta, testamentum non tantum,

in foro externo, ſed & conſcientiæ nullum ſit, adeo ut hæres ab inteſtato, hæredem in teſtamento imperfecto ſcriptum, ſine aliquo conſcientiæ ſcrupulo expellere poſſit, actus enim ſubditorum, non tantum ex voluntate propria, ſed & Imperantis, ſunt judicandi, ab hac ergo ſi abeant, morali æſtimatione nulli ſunt, nec eorum intuitu lex naturalis aliquam obligationem introducit *v. l. 2. c. 1. §. 6.* de quo latius diſputavi in *diſſert. de Obligat. ex teſtam. imperf. hab. Lipſ. 1688.*

§. 27. Codicillus *v. l. 19. de jur. Codic.* eſt *ultima voluntas, de eo quod quis, poſt mortem ſuam, fieri vult, vel ſine omni, vel minimùm teſtamentaria ſolennitate, compoſita.* Dividitur (1.) in *Scriptum* & *Nuncupativum l. 3. C. de bon. libert. l. 8. §. 3. de Codic.* (2.) in eum, qui ex *cauſa teſtati*, & *inteſtati* fit *l. 3. §. fin. l. 16. de jur. codic.* Hic iterum eſt vel *principalis*, qui, ſine intentione teſtamentum condendi, conficitur, & *ſubſidiarius*, quando teſtamentum, quod, præter votum teſtatoris, non valet, ex ejus voluntate, in Codicillum convertitur.

§. 28. Facultas Codicillos conficiendi, dependet ex jure civili *pr. I. de Codic.* poſtquam enim hoc, variis ſolennitatibus, libertatem teſtandi circumſcripſit, ei quoque, ex hac hypotheſi, reſtituta quodammodo libertas tribui debet. Ille autem codicillos facere poteſt, cui teſtandi poteſtas competit *l. 6. §. 3. l. 8. §. 2. de jur. Codic.* & ſæpe codicillis utimur, quando circumſtantiæ facti teſtamentum condi non permittunt *pr. I. de Codic.* Voluntas vero codicillum conficiendi adeſſe debet, aliàs ultimum elogium non ſubſiſtet *l. 1. l. 13. §. 1. ff. l. 8. §. 1. C. de codic. l. 29. qui teſtam. fac. poſſ. l. 76. ad SCt. Trebell.*

§. 29. Olim ad Codicillos nulla ſolennitas, neceſſaria fuiſſe videtur *pr. §. 3. I. de Codicill. l. 88. §. 17. de Legat. 2. l. 6. §. 1. de jur. Codicill.* Sed juxta jus recentius, diſtingvendum eſt, utrum *morituus, ipſi hæredi aliquid injungat*, & tum nulla ſolennitas, ſed legitima ſaltem probatio requiritur *l. fin. C. de fideicom. §. fin. I. de fideicom. hæred.* an vero, *eo inſcio aliquid diſponat*, hoc ſi fiat coram actis, nulla quoque ſolennitate opus eſt *l. 19. C. de teſtam.* ſi vero privatim, tum requiruntur quinque teſtes, unitas actus, &, quoad codicillos ſcriptos, teſtium ſubſcriptio, non vero ſubſignatio *l. fin. §. fin. C. de codicill. Ord. Imp. 1512. tit. 2. §. 2. v.* CARPZ. *p. 2. D. 152.* In Codicillo cœci, ſex teſtes

teſtes requiruntur *l. 8. C. qui teſtam. fac. poſſ.* licet cum aliis diſſentiat CARPZ. *p. 3. C. 6. D. 5.*

§. 30. In Codicillis teſtato factis, nulla ſolennitate opus eſſe, quidam cenſent, cum, iis ſuſtinendis ſufficiat ipſius teſtamenti ſolennitas *v.* VINN. *in not. ad §. 3. I. de codicill.* Sed uti id, de jure antiquo, quo in genere nulla ſolennitas requirebatur, veriſſimum eſt, ita poſt *l. fin. C. de codicill.* vix amplius admittendum videtur. Id certus eſt, quod Codicilli tales, teſtamento vel improbentur, quo caſu nullius ſunt valoris, vel probentur, idque vel expreſſe, quod etiam circa futuros contingit *v. l. 6. §. 2. l. 8. pr. de codicill. l. fin. de fideicom. libert.* vel tacite, quod eo ipſo factum cenſetur, quando non improbantur *§. 1. I. de codicill. l. 5. 7. eod.*

§. 31. In Codicillis teſtes etiam eſſe poſſunt mulieres *arg. l. 18. de teſtib. l. 20. §. 6. qui teſtam. fac. poſſ. v.* PHILIPP. *Uſ. Pract. l. 2. Eclog. 106.* & Legatarii *§. 11. I. de T. O. l. 22. C. de teſtam.* CARPZ. *p. 2. Dec. 152.* quod etiam, de Codicillis nuncupativis, aſſeri poſſe videtur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 909.* quamvis, ſi Codicilli unicè legatarios reſpiciant, & hi ſoli etiam teſtes ſint, vix ſit, ut illi, eo caſu, ſubſiſtere poſſint, hoc enim, vel ex communibus probationum principiis, videtur colligendum.

§. 32. Codicillis relinqui poteſt iis, qui ex teſtamento capere poſſunt *v. l. 1. C. de delat. l. 103. de Legat. 1. l. 10. quib. ut indign.* Non poteſt autem directe hæreditas alicui Codicillis dari, nam, hoc admiſſo, nullus amplius teſtamentorum eſſet uſus *§. 2. I. de Codic. l. 10. ff. eod.* hinc etiam ſubſtitutio in iis fieri nequid *d. §. 2. I. l. 6. pr. ff. eod.* nominatio tamen hæredis, in teſtamento inſtituti, codicillis recte fit *l. 77. de H. J. l. 10. de condit. inſtit.* quemadmodum etiam ſcriptus hæres, Codicillis indignus declarari, atque ita fiſco hæreditas dari poteſt *l. 4. C. de his quib. ut indign.* & hæredes ab inteſtato, abolito præcedente teſtamento, ex codicillis, hæreditatem recte acquirunt *l. 21. §. 3. C. de teſtament.* quod ideo forte receptum eſt, quia non tam datur hæreditas, quam jus ſuccedendi, ſublato impedimento, ſaltem reſtituitur.

§. 33. Codicillis quoque hæreditas adimi non poſſe dicitur *§. 2. I. de codicill. l. 2. C. eod. l. 27. §. 1. de condit. inſtit.* quod non de ademtione ſimplici, ſed prægnante, quæ dationem alii factam, habet adjun-

ctam, accipiendum videtur. Eo ſenſu igitur, exhæredatio fieri nequit in Codicillis §. 2. *I. de codicill.* v. *l.* 14. *C. de teſtam.* nec hæredi inſtituto conditio adjici vel detrahi *d.* §. 2. *I. de Codicill. l.* 6. *pr. ff. eod. l.* 27. §. 1. *de condit. inſtit.* nam, omnibus illis caſibus, implicita aliqua datio occurrit.

§. 34. Per fideicommiſſum tamen hæreditas recte relinquitur, modo de hac teſtatoris voluntate ſatis conſtet §. 2. *I. de Codic. l.* 2. §. 4. *ff. eod. l.* 76. *ad SCt. Trebell.* v. PHILIPP. *Uſ. Pract. l.* 2. *Eclog.* 105. cujus rei effectus eſt, ut hæredes teſtamentarii vel legitimi, quartam partem retineant, de qua re, loco proprio, plenius dicendum erit. De cætero, ſub forma fideicommiſſi, valet inſtitutio, ſubſtitutio & ademtio adeoque in ſpecie etiam exhæredatio. Detractio quoque vel adjectio conditionis in fideicommiſſum convertitur, nam conditione detracta, hæreditas ei, qui ſub conditione eam ante acceperat, velut fideicommiſſum, præſtanda eſt, ea vero adjecta & deficiente, is, cui pure antea datum erat, illud, tanquam fideicommiſſum alii præſtare debebit.

§. 35. Legata & fideicommiſſa ſingularia Codicillis recte relinquuntur, nam juri antiquo §. 10. *I. de fideicomm. hæred. l.* 38. *de condit.* & *demonſtr.* derogatum eſt *l.* 2. *C. Comm. de Legat.* Tutor etiam codicillis dari poteſt, & quidem ſi, ex cauſa teſtati, facti ſint, datio valet ipſo jure *l.* 3. *de teſtam. tutel.* ſi ex cauſa inteſtati, opus eſt confirmatione Magiſtratus *l.* 1. §. 1. *de confirm. tutor.* quod hodie nullius uſus cum confirmatio judicis ſemper ſit neceſſaria.

§. 36. Poſſunt plures codicilli fieri, & valent omnes §. 3. *I. de codicill. l.* 6. §. 1. *eod.* niſi ſibi ſint contrarii *l.* 3. *C. eod.* Vitiantur Codicilli (1.) ob defectum requiſitorum, de quibus §. 30. 31. 32. (2.) contraria voluntate *l.* 6. §. 2. *ff. l.* 3. *C. de codicill.* (3.) amiſſa teſtandi facultate *l.* 3. §. 3. *de codicill. l.* 1. *de Legat.* 3. *l.* 6. §. 5. *de injuſt. rupt. irrit.* (4.) mortuo, ante teſtantem, eo cui aliquid relictum *l.* 6. §. 4. *l.* 14. *pr. de codicill.* (5.) everſo teſtamento pereunt quoque codicilli teſtato facti *l.* 3. §. 1. 2. *l.* 14. *pr. l.* 16. *de codicill.* ſi tamen ſaltem evertatur inſtitutio juxta *Nov.* 115. *c.* 3. §. 14. tum, codicillos manere, probabile eſt.

§. 37. Quod in ſpecie attinet Codicillum, ab inteſtato, in ſubſidium, factum v. §. 28. fit ille regulariter per *clauſulam codicillarem*, quæ teſtamentis adjici ſolet: *Si hoc meum teſtamentum, non poterit*

va-

valere jure ſolennis teſtamenti, volo ut valeat jure codicilli, aut alio omni meliori modo v. l. 29. §. 1. qui teſtam. fac. poſſ. l. 88. §. fin. de Legat. 2. l. 20. de Codicill. HUBER. *in poſit. ad I. de Codicill. n. 14. ſeqq.* nam hoc caſu vult teſtator, ut ultima voluntas vel in vim teſtamenti, vel, ſi hoc eſſe nequeat, Codicilli, valeat.

§. 38. Adjicitur illa clauſula ab eo qui teſtari poteſt *l. 6. §. 3. l. 8. §. 2. de codicill.* vel etiam à Notario *v.* CARPZ. *l. 6. Rſp. 7.* nam dum ei teſtator negotium conficiendi teſtamenti commiſit, etiam facultatem adjiciendi clauſulam codicillarem ei conceſſiſſe intelligitur *v. l. 31. §. 20. de ædilit. edict.* In dubio autem non præſumitur, niſi in teſtamento paterno, aut ad pias cauſas CARPZ. *d. l. 6. Rſp. 7. p. 3. C. 4. D. 38.* LAUTERB. *C. J. de Codicill.*

§. 39. Sed hoc ultimum non ſatis certum eſt, nam ex textibus, qui probandæ doctrinæ allegari ſolent, nempe *l. 1. 13. §. 1. de jur. codicill. l. ult. §. 1. C. eod. l. pen. §. f. de Legat. 2. l. 3. de teſtam. milit. l. 41. §. 3. de vulg. & pupill. ſubſtit.* non colligitur, quod clauſula codicillaris, in dubio non ſit præſumenda, ſed id ſaltem inde apparet, quod illa præſumi non debeat, ſi conſtet, defunctum voluiſſe tantum teſtamentum condere, aut, quod illa expreſſe adjici queat.

§. 40. Separandi igitur ſunt tres caſus, vel enim (1.) defunctus clauſulam diſerte adjecit, tum res manifeſta eſt, vel (2.) indiciis non obſcuris ſignificavit, ſe voluiſſe tantum teſtamentum condere, tum clauſula non eſt adſtruenda vel (3.) eam neque adjecit, neque repudiavit, tum merito illa præſumitur, nam quivis in dubio cenſeri debet voluiſſe, ut actus aliquo modo valeat, quam ut plane ſit irritus. Atque iſtam ſententiam uſus nonnullorum locorum etiam probat *v.* HUBER *in poſſit. ad I. de Codicill. n. 19.*

§. 41. Clauſula codicillaris expreſſa vel, juxta hactenus dicta, præſumta, defectui ſolennitatis extrinſecæ & intrinſecæ medetur, hinc teſtamentum, ſolennibus teſtamentariis deſtitutum, vel, ex defectu formæ internæ, nullum, aut ruptum vel inofficioſum, in vim fideicommiſſi ſuſtinet. Si vero aptitudo teſtandi deficiat, aut voluntas non ſufficienter declaretur, vel ſolennitas codicillaris deſit, aut is, cui aliquid relictum, incapax ſit, tum clauſula nihil operatur *v.* CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 38. 39. p. 2. Dec. 155. l. 6. Rſp. 6. 7.* RICHT. *p. 1. Dec. 63.* STRUV. *S. J. C. Exerc. 34. §. 61. ſeqq.* conf. OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 911.* add. CARPZ. *p. 3. C. 9. D. 12.*

CAPUT

CAPUT IV.

DE HÆREDIBUS INSTITUENDIS.

SUMMARIA.

Hæredis inſtitutio quid & quotuplex §. 1.
Inſtitutio neceſſaria quomodo omitti queat §. 2.
Forma exhæredationis quoad liberos & parentes §. 3.
Ea obſervata, de juſtitia exhæredationis diſquiritur §. 4.
Quoad fratres ſolennitas non requiritur, ſed ſolum juſtitia §. 5.
Inſtitutionis voluntariæ ſubjectum §. 6.
Habilitas hæredum inſtitutorum quo tempore ſpectanda §. 7.
Diſtributio hæreditatis legalis §. 8.
Et voluntaria §. 9. 10. 11.
Circa hanc præſupponendum, quod nemo ex parte teſtatus & inteſtatus decedere queat §. 12.
Ex quo cum alia, tum etiam jus accreſcendi fluunt §. 13.
Inſtitutio debet eſſe conſulta, libera §. 14.
Certa, directa, non captatoria §. 15. 16.
Nec ab alieno dependere arbitrio §. 17.
Inſtitutio ſit vel pure vel cum aliqua adjectione §. 18.
Poſſibilis conditionis uſus quoad hæredes extraneos §. 19.
Et liberos §. 20.
Inſtitutio etiam ſit ſub modo §. 21.

§. 1.

ESſentiale Teſtamentorum caput eſt Hæredis inſtitutio i. e. *futuri ſucceſſoris univerſalis deſignatio, verbis directis facta.* Eſt illa vel *neceſſaria*, quæ, ex legum præſcripto, neceſſariò eſt facienda, vel certa ratione omittenda, vel *voluntaria*, quæ pro lubitu teſtatoris fit, aut omittitur. Intelligitur *inſtitutio prima & directa*, nam *inſtitutio ſecunda*, ſive *Subſtitutio*, ut & *inſtitutio fideicommiſſaria*, poſtea erunt conſiderandæ.

§. 2. Neceſſario ſunt inſtituendi liberi, Parentes & ſuo modo fratres. Hi igitur ſi inſtituantur, res bene ſe habet, nec vitiatur inſtitutio, licet Parentes quædam adjecerint, quæ liberis parum honorifica ſunt *v. l. 48. §. 1. de H. J.* GELL. *N. A. l. 3. c. 16.* HUBER *in poſit. ad ff. de H. J. n. 10.* Quodſi autem teſtatores, perſonas illas in ſolidum inſtituere nolint, tum intereſt, utrum *ipſis partem legitimam, legitimo modo relinquant*, quo facto, ſecure teſtantur *Nov. 115. c. 3. Conſt. Saxon. 9. p. 3.* an vero *ipſas ab hæreditate penitus excludant*, hoc caſu excluſio non aliter valet, quam ſi *rite* & *juſte* fiat, ſive, ſi illa ſit *ſolennis* & *juſta.*

§. 3. Ex

Digitized by Google

§. 3. Ex ſententia autem receptiori, nova excluſionis forma in *Nov. 115. c. 3. 4.* præſcripta eſt. Juxta hanc igitur requiritur, ut *Parentes, pater & mater, liberos, qui jus ſuccedendi habent, exhæredent vel prætereant, cum cauſæ alicujus, in d. Nov. 115. contentæ, expreſſione*, quæ forma etiam requiritur, ſi liberi Parentes excludere velint. Quodſi iſta ſolennitas neglecta, & vel nulla vel inhabilis cauſa excluſioni adjecta ſit, tum *teſtamentum eſt ipſo jure nullum, ſed ſaltem quoad inſtitutionem*, eique evertendo, comparata eſt *querela nullitatis*, in qua nihil aliud probandum, quam, ſolennitatem neceſſariam teſtamento deeſſe.

§. 4. Si vero forma illa obſervata ſit, tum teſtamentum *rite & ſolenniter* conditum eſt, ac ipſo jure ſubſiſtit, deinde vero diſputatur de ejus *juſtitia*, ſive, an cauſa excluſionis vera ſit nec ne, quo fine inſtituitur *querela inofficioſi*. Quodſi hæres veritatem cauſæ adjectæ probet, tum excluſus ſuccumbit, & teſtamentum ſimpliciter valet, ſi verò eam probare nequeat, *teſtamentum, quoad inſtitutionem, evertitur*, qua in re, querela inofficioſi, & nullitatis, conveniunt.

§. 5. Sed iſta ad Parentes & liberos pertinent. Circa excluſionem fratrum, nulla peculiari *ſolennitate* opus eſt, ſed teſtamentum ſubſiſtit, ſive exhæredationi aut præteritioni cauſa adjecta ſit, ſive non. Tantum igitur quæritur de excluſionis *juſtitia*, an ſcilicet aliqua excluſionis cauſa adfuerit, nec ne, quo fine *querela inofficioſi* competit, cumque excluſus innocentiam probare debeat, ideo, ſi vincat, totum teſtamentum evertere cenſetur. Sed illud jus, non omnibus fratribus, nec contra quemvis hæredem competit *l. 27. C. de inoffic. teſtam.* qua de re infra ſpecialius agemus *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 164. 854.*

§. 6. Inſtitutio voluntaria reſpicit quasvis perſonas habiles, quales quidem regulariter omnes præſumuntur, donec probetur contrarium. Jure civili inſtitui non poſſunt (1.) peregrini *l. 6. §. 2. ff. l. 1. C. de H. I.* quod hodie non obſervatur *auth.* omnes *C. comm. de ſucceſſion.* (2.) Hæretici *l. 5. C. de hæret. Nov. 144.* (3.) Apoſtatæ *l. 3. C. de apoſt.* (4.) filii perduellium *l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* quæ tres ſanctiones juri divino non ſatis conveniunt (5.) collegia illicita *l. 8. C. de H. I.* (6.) liberi naturales à Patre, ſuo modo *l. 2. C. lib. natur.* (7.) liberi in-

ceſtuoſi *l. 6. C. de inceſt. nupt. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 856.* (8.) Princeps litis cauſa §. *fin. I. quib. mod. teſtam. infirm. l. 91. de H. J. v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 9. §. 19. 20.* (9.) Conjuges certo reſpectu *l. 6. C. de ſecund. nupt. v.* LAUTERB. *C. J. de H. J.*

§. 7. In inſtitutione *pura*, habilitas hæredum, requiritur tempore *teſtamenti conditi*, & *mortis teſtatoris*, usque ad *aditam hæreditatem*. In *conditionali* vero, tempore *conditi teſtamenti*, *mortis teſtatoris* & *exiſtentis conditionis*, quod quidem ſine interruptione, usque ad *additionem* decurrere debet. In illa igitur inſtitutione, unum, in hac, duplex tempus intermedium eſt, quo inhabilitas interveniens non officit *l. 6. §. 2. l. 49. §. 1. de H. I.* Hodie horum jurium nullus vel exiguus uſus *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 857.*

§. 8. Fit inſtitutio in Hæreditate, quæ ſub ratione *Aſſis*, à Romanis repræſentari ac in duodecim *partes*, ſive *unicas* diſtribui ſolet, adeo ut ſi teſtator, ab illa diſtributione abeat, voluntaria illa partitio, ad legalem, revocetur *v. §. 5. ſeqq. I. de H. I. l. 13. §. 1. 2. 3. 4. l. 50. §. 2. ff. eod.* Sed uti illius reductionis aliquando non exigua difficultas, ita in genere nulla utilitas eſt, quare potius ita dicendum.

§. 9. Si teſtator omnibus hæredibus, certas portiones aſſignaverit, tum ſimpliciter cuivis, pars aſſignata tribui debet, quod Romani etiam agnoverunt *§. 5. I. l. 13. §. 6. 7. ff. de H. I.* Si verò quosdam cum partibus, alios vero ſimpliciter inſtituerit, tum opus eſt præſuppoſito Romano, quod teſtator in duodecim, viginti quatuor, triginta ſex, ſive in aſſem, dupondium, tripondium, & ita porro, hæreditatem diviſerit *v. l. 15. §. fin. l. 17. §. fin. l. 18. 47. §. 1. l. 87. de H. I.* ac ex eo judicandum, quæ pars tribui debeat illi, qui ſine parte inſtitutus eſt, quod ſane, ſine illo præſuppoſito, fieri nequit *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 859.*

§. 10. Si quidam in certis portionibus, vel ſimpliciter, alius vel alii, in certis rebus ſint inſtituti, hi pro legatariis habentur, adeo ut illi ſoli, æs alienum defuncti exſolvere cogantur, hi vero ſine diminutione, ſuum accipiant *l. 13. C. de H. I.* quod tamen eo caſu procedit, quo illorum partes diſſolvendis debitis ſufficiunt, nam, in præjudium Creditorum, alii nihil donari poſſe facile liquet. Quoad jus accreſcendi tamen, legatarii hi, pro hæredibus ex ratione juris Romani, habentur.

Si

Si plures hæredes, ex certa re, inſtituantur, ſingulis res aſſignata, velut prælegatum, tribuitur, reliqua vero hæreditas, æqualiter inter eos dividitur, adeo ut æs alienum æqualiter quoque ſolvere debeant *l. 9. §. 13. l. 35. pr. §. 1. 2. 3. de H. I.*

§. 11. Illud ſatis expeditum eſt, quod, pluribus hæredibus ſimpliciter inſtitutis, æqualiter ſit dividenda hæreditas *l. 9. §. 12. de H. I. l. 19. §. 2. de Legat. 1.* niſi forte cum disjunctis, conjuncti occurrant, nam hi unius perſonæ vice funguntur *l. 15. pr. l. 59. §. 2. de H. I. l. 34. pr. de Legat. 1. l. un. §. 10. C. de caduc. toll.* quodſi, celeritatis cauſa, conjunctio facta ſit, tum conjunctis non obeſt *l. 66. de H. I.* quod etiam dicendum, ſi, *æque* ac disjuncti, inſtituti ſint *l. 13. pr. eod. v.* CARPZ. *p. 3. C. 9. D. 15.*

§. 12. Inprimis, circa hanc rem, notandum eſt principium Romanorum, quod *nemo pro parte teſtatus & inteſtatus decedere poſſit §. 5. I. de H. I. l. 7. de R. I.* quod quidem mere poſitivum, ac nulla ratione neceſſaria ſubnixum, cenſeri debet, hinc nec ſemper ab ipſis Romanis obſervatum fuit *v. l. 15. in fin. l. 24. de inoffic. teſtam.* Interim hodie quoque regulariter valere creditur *v.* CARPZ. *p. 3. C. 2. D. 5. C. 9. D. 19.* aliis tamen illud rejicientibus *v.* SCHILT. *ad ff. exerc. 38. §. 79. ſeqq.*

§. 13. Ex illo principio ut alia dependent *v. l. 4. 41. de V. & P. Subſtit.* ita hoc etiam exinde fluit, quod hæredes, in certa parte, vel re inſtituti, totam hæreditatem conſequantur *l. 1. §. 4. de H. I.* Non minus quoque inde reſultat jus accreſcendi, quo deficientis cohæredis portio alteri acquiritur, licet teſtator eos non conjunxerit *v. l. 31 38. 53. §. 1. l. 55. 80. de A. O. H. l. un. §. 10. C. de caduc. toll.* CARPZ. *p. 3. C. 2. D. 17.* Habet ergo locum, ſi cohæres ſuam portionem nondum agnovit, vel jus adeundi, ad alios non transmiſit, de quo alibi dicendum *v. l. un. §. 5. C. de caduc. toll. l. 7. 19. C. de jur. deliber.* Plurium concurrentium prærogativa etiam obſervanda eſt, juxta voluntatem teſtantis *v. l. 89. de Legat. 3. l. 66. de H. I.* Hæreditas autem ſemper cum onere accreſcit *l. un. §. 10. C. de caduc. toll.*

§. 14. De cætero inſtitutio debet eſſe (1.) *conſulta*, hinc, dolus ne interveniat neceſſe eſt, *v. l. 6. C. de dol.* CARPZ. *p. 3. C. 5. D. 8. 15.* blanditiæ tamen non nocent *v. l. 3. C. ſi quis aliqu. teſt. prohib.* CARPZ.

d. l. D. 7. DN. THOMAS. *diſſert. de injuſt. jur. hæredip. hab. Hall. 1695.* porro abeſſe debet error efficax *l. 4. C. de H. I.* concomitans vero, v.gr. in nomine hæredis, non obeſt *l. 5. C. eod. l. 33. de condit. & demonſtr.* niſi forte perſonæ incertitudinem ſimul involvat *§. 29. I. de Legat. v. l. 62. §. 1. de H. I.* (2.) *libera*, vis ergo injuſta vitiat inſtitutionem *v.* CARPZ. *p. 3. C. 5. D. 9.*

§. 15. Porro debet eſſe (3.) *certa*, vel ſaltem *probabilis v. l. fin. C. l. 9. §. 9. l. 62. §. 1. ff. de H. I.* poteſt tamen hæres præſens etiam digito monſtrari *v. l. 9. §. 8. l. 58. pr. de H. I. l. 6. de R. C.* quodſi aliqua ambiguitas incidat, conjecturis legitimis ſententia teſtatoris eſt eruenda *l. 69. §. 3. de Legat. 2. v.* CARPZ. *p. 3. C. 9. D. 14. ſeqq.* (4.) *directa*, in qua æſtimanda, hodie non tam verba captare, quam mentem teſtantis attendere par eſt *v.* CARPZ. *d. l. D. 6.* (5.) *non captatoria*, qua ſcilicet captatur, non aliena hæreditas, ut vulgo, ſed minus recte, putant *v. l. 29. 70. de H. I. l. 20. §. 2. de condit. inſtit.* ſed factæ inſtitutionis exhibitio *l. 70. 71. §. 1. de H. I. l. 1. de his quæ pro non ſcript. hab.*

§. 16. Nimirum hæredipetæ Romani hoc omnibus modis agere ſolebant, quo teſtamenta aliorum expiſcarentur, ac, an in illis certo eſſent inſtituti, quod teſtatores nonnunquam ipſis aſſerere ſolebant, reſciſcerent. Eo fine etiam fuit adhibita captatoria inſtitutio, non ſerio, ſed in ſpeciem ſaltem facta, quo Orbos, quos captabant, ad exhibitionem teſtamenti permoverent, hi enim, prout erant nonnunquam avari, ſperabantque ſe alterius hæreditate potituros eſſe, hamo hoc allecti, teſtamentum ac inſtitutionem hæredipetis exhibebant, quo facto hi illos, clandeſtinis artibus è medio tollebant, quo prædam captatam conſequerentur. Senatus ergo tales inſtitutiones, ex mente quidem hæredipetarum, etiam nunquam valituras, palam improbavit, ne Orbi, quos inſidiæ latebant, in periculum adducerentur. Quæ omnia genio Germanorum parum conveniunt, hinc illius ſanctionis nullus vel exiguus hodie eſt uſus *v.* DN. THOMAS. *diſſert.* de captator. inſtitut. *hab. Hall. 1696. conf.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 860.*

§. 17. Denique inſtitutio (6.) non debet *directè dependere ab alieno arbitrio*, quod quidem mere Romanum eſt *v. l. 32. de H. I.* ex eo autem hoc quoque fluxiſſe videtur, quod, mediante hærede, alius hæres neque ſtatim, neque, poſt aliquem eventum, fieri poſſet *§. 9. I.*

de

de pupill. ſubſtit. l. 7. de V. & P. ſubſtit. in vim tamen fideicommiſſi id fieri potuit *d. §. 9.* nam tum primus hæres, ſemper hæres manere cenſetur *§. 3. I. de de fideicomm. hæred. l. 88. de H. I. l. 7. §. 10. in fin. de minor.* ſic commentum commento eluſerunt Romani, quorum hodie nulla utilitas, ut in loco proprio amplius dicemus, *conf.* LAUTERB. *C. J. de H. I.*

§. 18. Poteſt inſtitutio hæredis, vel *pure*, vel cum *aliqua adjectione* fieri. De illa nihil amplius dicendum, quoad hanc vero obſervandum, quod *dies*, *conditio* vel *modus* adjici poſſit. Dies certus, inſtitutioni adjectus detrahitur *§. 9. I. de H. I. l. 34. ff. eod. v. l. 41. ff. l. 8. C. de teſtam. milit.* ob regulam *§. 12.* relatam. Conditio impoſſibilis & turpis, itidem pro non adjecta habetur *§. 10. I. de H. I. l. 1. 6. 9. 14. 15. 27. de condit. inſtit.* perplexa autem conditio vitiat inſtitutionem, ſed cavendum tamen, ne conditionem, quæ ſatis intelligi poteſt pro perplexa habeamus, quod forte non ſatis obſervatum in *l. 16. de condit. inſtit.*

§. 19. Poſſibilis conditio cujusvis generis, extraneo hæredi recte adjicitur; pro tali etiam habetur dies incertus, an & quando *l. 75. de condit. & demonſtr.* vel ſaltem, quando ſit extiturus *l. 1. §. 2. eod. l. 9. C. de H. I.* Pendente conditione, inſtitutio quoque eſt in ſuſpenſo, illa vero, juxta teſtatoris voluntatem, impleta *v. l. 2. §. 10. 12. 21. de condit. inſtit.* hæc perficitur, adeo ut, à tempore mortis, ſit acquiſita hæreditas *l. 26. eod.* quod non ex aliqua fictione, ſed vero teſtatoris & hæredis conſenſu dependet. Deficiente conditione, inſtitutio corruit, adeoque hæreditas ab inteſtato defertur *v. l. 8. de peric. & comm. rei vend.* Si conditio in non faciendo conſiſtat, tum, mediante cautione mutiana, pro impleta habetur *l. 7. 18. 72. §. 2. l. 73. de condit. & demonſtr. l. 65. §. 1. ad SCt. Treb.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 942.*

§. 20. Suis hæredibus *v. l. 4. 86. de H. I.* aut hodie potius, quibusvis liberis *l. 4. C. de lib. præter. vel ex hæred. v. §. 3 h.* non alia, quam poteſtativa conditio, poteſt adjici *l. 15. 28. de condit. inſtit.* quæ & ipſa detrahitur, ſi noceat legitimæ *l. 32. 36. C. de inoff. teſtam.* Quodſi, adjecta conditione caſuali, in eventum contrarium, liberi ſint exhæredati, & quidem hodie, cum expreſſione cauſæ *v. §. 3. h.* tum ultima voluntas hactenus ſubſiſtit *l. 86. de H. I. l. 4. C. de inſtit. & ſubſtit. v.* LAUT.

C. J. de condit. inſtit. exiſtente ergò conditione, liberi habebunt hæreditatem, deficiente verò, de juſtitia exhæredationis diſputabitur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 879. ſeqq.*

§. 21. Denique etiam inſtitutio fieri poterit ſub modo *l. 17. §. fin. de condit. & demonſtr. l. 30. §. 2. de adim. legat.* & videntur omnia, quæ ab hærede fieri vult teſtator, & in ſpecie, legatorum præſtatio, rationem modi quodammodo habere. Non ſuſpendit modus inſtitutionem *v. l. 40. §. f. l. 80. de condit. & demon. l. 41. de C. E. V. l. 19. de Legat. 3. l. 17. §. 2. l. 44. de manum. teſtam. l. 48. de fideic. libert.* ſi tamen, adita, ſub cautione plerumque, hæreditate, modus non impleatur, tum hæres vel ad ejus impletionem adigendus eſt *d. ll.* vel inſtitutio reſolvitur *l. 1. C. de donat. quæ ſub. mod. l. 8. C. de condict. ob cauſ. dat.*

CAPUT V.
DE SUBSTITUTIONIBUS.

SUMMARIA.

Subſtitutionis natura & varietas §. 1.
Ejus ſpecies eſt ſubſtitutio vulgaris §. 2.
Cohæredum ſubſtitutio olim neceſſaria §. 3.
Subſtitutus ſubſtituto eſt etiam ſubſtitutus inſtituto §. 4.
Caſus in quem vulgaris ſubſtitutio concipitur §. 5.
Ejus effectus & contraria §. 6.
Subſtitutio pupillaris §. 7.
A patre & matre fieri poteſt §. 8.
Quibus pupillariter ſubſtituatur §. 9.
Caſus ſubſtitutionis pupillaris ordinarius §. 10.
Poteſt etiam ſubſtitui liberis exhæredatis §. 11.
Quo caſu hæredis inſtituti aditio olim fuit neceſſaria §. 12.
Subſtitutionis pupillaris effectus §. 13.
Et contraria §. 14. 15.
Subſtitutionis exemplaris natura varietas & origo §. 16.
Subſtituunt hoc modo omnes aſcendentes §. 17.
Liberis cujusvis generis §. 18.
Certas tantum perſonas ac, his deficientibus, quemvis §. 19.
Quibus modis hæc ſubſtitutio tollatur §. 20.

§. 1.

SUbſtitutio eſt *ſecunda vel ulterior hæredis inſtitutio, in locum hæredis deficientis, directò facta v. l. 1. 7. 15. 36. de V. & P. ſubſtit.* Eſt vel *reſtricta*, quæ juxta præſcriptum legum fieri debet, vel *libera privilegiata* aut *militaris*, quæ ab arbitrio teſtatoris fere dependet. De hac ſuo loco videbimus, illa vero eſt vel *vulgaris* vel *pupillaris*, vel *exemplaris*, quæ ſpecies vel ſeorſim occur-

Digitized by Google

currunt, vel expreſſe aut tacite conjunguntur, ita quidem, ut non ſimul obtineant, ſed, pro caſuum diverſitate, hæc aut illa effectum ſortiatur *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 871.*

§. 2. Subſtitutio vulgaris eſt, *quæ fit à quocunque teſtatore, cuivis hæredi, eum in caſum, ſi hæres non erit pr. I. de vulg. ſubſtit.* eſt vel expreſſa vel tacita, quæ ſub expreſſa pupillari continetur *l. 4. de V. & P. ſubſtit.* Fit voluntate teſtatoris, in teſtamento declarata *pr. I. de V. Subſtit. l. 36 ff. eod.* Subſtitutio in codicillis facta, ſuſtinetur in vim fideicommiſſi *l. 76. ad SCt. Trebell.* Subſtituunt, qui teſtamenta facere poſſunt, eos, qui ad hæreditatem acquirendam habiles ſunt, nam inſtitutionis & ſubſtitutionis hactenus par eſt ratio.

§. 3. Aliquando etiam ſibi invicem ſubſtituuntur cohæredes *l. 4. §. 1. l. 36. §. 1. de V. & P. ſubſtit. l. 37. §. 1. de H. I. l. 64. de Legat. 2.* quæ quidem ſubſtitutio olim fuit neceſſaria, ob legem Papiam Caducariam *v.* DN. BEYER. *poſit. ad ff. de V. & P. ſubſtit.* ſed poſtquam, ea ſublata, jus accreſcendi inter hæredes ſine imminutione obtinuit ſubſtitutio cohæredum non amplius eſt neceſſaria, niſi forte teſtator eos, non ſecundum proportionem partium hæreditariarum, in partem vacantem ſuccedere velit *v. l. 24. de V. & P. ſubſtit. l. 74. l. 124. de Legat. 1. l. 23. 24. ad SCt. Trebell.*

§. 4. Si cohæredi cohæres ſubſtituatur, & huic extraneus ſubſtitutus detur, hic, inſtituto eſt etiam ſubſtitutus, adeo ut ad ejus partem admittatur, ſive ante, ſive poſt primum ſubſtitutum deficiat *l. 27. 41. de V. & P. ſubſtit. §. 3. I. de vulg. ſubſtit.* quod ideo receptum eſt, ne defunctus pro parte teſtatus & inteſtatus fiat. Hoc autem incommodum cum non ſit metuendum in ſubſtitutione pupillari, ideo circa eam ſubſtitutus ſubſtituto, non cenſetur etiam eſſe ſubſtitutus inſtituto *l. 47. de V. & P. ſubſtit. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 872.*

§. 5. Fit ſubſtitutio vulgaris in eum caſum ſi inſtitutus hæres non erit ex teſtamento *l. 3. C. de impub. & al. ſubſtit. l. 60. de A. O. H.* idque vel quia non poteſt, vel quia non vult eſſe hæres *v. l. 56. ſolut. matrim.* unus caſus expreſſus alterum quoque, ex veriori ſententia, complectitur *l. 4. de V. & P. ſubſtit. l. 25. §. 1. de lib. & poſth. l. 3. C. de inſtit. & ſubſtit.* nam caſus illi ſaltem diverſi ſunt, adeoque unus alterum complecti poteſt, & hoc etiam in dubio voluiſſe teſtator meritò præſumitur.

Ali-

Aliud dicendum de casibus contrariis vel oppositis, quorum unus alterum non continet *l. 21. de V. & P. substit. l. 10. de lib. & posth.*

§. 6. Quodsi adeo institutus vel ante testatorem moriatur, vel post illius mortem, hæreditatem repudiet, aut ab ea abstineat, vel etiam incapax fiat, tum substitutus admittitur. Si vero hæreditatem sua voluntate amplectatur, vel jus adeundi in hæredes transmittat, tum substitutus repellitur *v. l. 5. C. de impub. & al. substit. l. un. §. 13. C. de caduc. toll. l. un. C. de his qui ante apert. l. 19. C. de jur. delib.* In specie igitur substitutio non evanescit, ob solam acquisitionem legalem, qua suus hæres, ipso jure hæreditatem acquirit, nam habet jus abstinendi, quo secuto, substitutus admittitur: Si vero suus hæres, antequam se immiscat vel abstineat, moriatur, jus approbandi acquisitionem legalem, ad hæredes transmittit, qui adeo, si velint, substitutum excludere possunt *v.* STRUV. *S. J. C. exerc. 33. §. 14. seqq. conf.* OBSERV. LAUT. *Obs. 873.*

§. 7. Substitutio pupillaris est, *quæ fit à parentibus, liberis impuberibus, in patria potestate existentibus, &, in alterius potestatem, non recasuris, in eum casum, si hæredes erunt, & impuberes decedent.* Est etiam vel expressa, vel tacita, quæ vulgari expressæ inest, nisi alia testatoris voluntas appareat *l. 4. pr. §. 2. de V. & P. substit. l. 4. C. de impub. & al. substit.* dependet illa substitutio ex moribus *l. 2. de V. & P. substit.* qui contra rationes stricti juris, hoc introduxerunt, ut Parentes, liberis possent condere testamentum *v. l. 3. 5. 6. qui testam. fac. poss.*

§. 8. Substituunt pupillariter parentes, qui habent patriam potestatem *pr. I. de pupill. substit.* ac sibi etiam testamentum condunt *l. 2. §. 1. 4. 5. 6. l. 16. §. 1. l. 20. pr. de V. & P. Substit.* Excluduntur ergo parentes, patria potestate destituti, & in specie mater *v.* CARPZ. *p. 3. C. 8. D. 16.* cujus tamen substitutio sustinetur in vim fideicommissi *l. 76. ad SCt. Trebell.* CARPZ. *d. l. D. 17.* imo, adhibito levi colore, mater etiam directe substituere potest, juxta formam in *l. 33. de V. & P. Substit.* præscriptam *v.* BERLICH. *Dec. III.* OBSERV. LAUT. *Obs. 874.*

§. 9. Substituitur liberis, cujuscunque gradus & sexus *l. 2. pr. de V. & P. Substit.* impuberibus *l. 7. 8. 14. eod. §. fin. I. eod.* (extraneis, aut liberis puberibus facta substitutio, in vim fideicommissi quandoque valet *v.* CARPZ. *p. 3. C. 8. D. 18. 19.*) in patria potestate constitutis *l. 2. pr. de*

Digitized by Google

pr. de V. & P. ſubſtit. (arrogato tamen filio ſaltem ſubſtitui poteſt, quoad bona, quæ occaſione arrogatoris acquiſivit *l. 10. §. 6. eod.* nam bona antea acquiſita, ex cautione, aliis ſunt præſtanda) & poſt mortem ſubſtituentis, in aliam poteſtatem non recaſuris *l. 2. pr. de V. & P. ſubſtit.* nam filiifam. teſtamentum habere nequeunt.

§. 10. Fit ſubſtitutio regulariter in eum caſum: ſi liberi hæredes erunt ſed impuberes decedent *l. 2. pr. l. 39. de V. & P. ſubſtit. l. 54. de H. I.* cui etiam ſatisfactum cenſetur, modo pupillus ipſo jure hæres extiterit, licet ab hæreditate paterna abſtineat *l. 42. pr. de A. O. H. l. 44. de re judic. v.* HUBER *poſit. ad l. de ſubſtit. pupill. n. 7.* Hoc igitur facto, ſubſtitutus, vi ſubſtitutionis vulgaris tacitæ, bona patris conſequi poterit, quodſi deinde filius abſtinens, ante pubertatem moriatur, hujus quoque hæreditatem, ex ſubſtitutione pupillari, per ſolam ſui hæredis exiſtentiam confirmata, lucrabitur.

§. 11. Poteſt etiam ſubſtitui filio exhæredato *§. 4. I. de ſubſtit. pup. l. 10. §. 4. 5. eod.* quo caſu, formula præcedens non obtinet. Effectus autem ejusmodi ſubſtitutionis, ſi exhæredatio conſiſtat, eſt, ut ſubſtitutus bona pupilli materna ſimiliaque lucretur, ſi vero evertatur, vel ipſo jura nulla ſit, tum ſubſtitutio nihilominus manet, ac pleniſſimum, eveniente mortis caſu, habet effectum adeo ut ſubſtitutus bona tam à Patre, quam aliunde profecta accipiat *Nov. 115. c. 3. in fin.*

§. 12. Illud notandum, quod, conſiſtente filii exhæredatione, & hæredis extranei inſtitutione, hic hæreditatem adire debeat, quo valeat ſubſtitutio pupillaris *l. 2. §. 1. de V. & P. ſubſtit.* Hodie tamen ex receptiori ſententia, quam *c. 4. §. 3. 4.* retuli, aditio illa non amplius neceſſaria videtur, ſi enim ſubſtitutio pupillaris ſubſiſtit, inſtitutione licet everſa, aut ipſo jure nulla, quæ communis eſt ſententia, eadem quoque valebit, quamvis inſtitutio eique adjuncta exhæredatio, ob defectum aditionis, evaneſcat, nam teſtamenti, ipſo jure nullius, reſciſſi, & deſtituti, hactenus par videtur eſſe ratio *conf.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 875. 876.*

§. 13. Effectus ſubſtitutionis pupillaris eſt, ut, exiſtente ejus conditione, ſubſtitutus, patris & filii bona, etiam hujus propria & aliunde quæſita, acquirat *l. 10. §. 2. 5. de V. & P. Subſtit.* hinc etiam utriusque creditoribus ſatisfacere debet *l. 28. de reb. autor. judic. poſſ.* Matri

contra ſubſtitutionem pupillarem non datur querela inofficioſi, quia pater teſtamentum pupillare fecit *l. 8. §. 5. ff. de inoff. teſtam. v.* CARPZ. *p. 3. C. 8. D. 1. 2.* aliis tamen diſſentientibus *v.* FINCKELTH. *Obſ. 59.* In Saxonia, matri & aviæ, legitima eſt titulo inſtitutionis relinquenda, alias teſtamentum pupillare, velut inofficioſum impugnare poſſunt *Conſt. Sax. 8. p. 3. Deciſ. Saxon. 47.*

§. 14. Extingvitur ſubſtitutio pupillaris (1.) pubertate *§. 8. I. de pupill. ſubſtit. l. 14. de V. & P. ſubſtit.* ultra tempus illud extenſa, ex voluntate teſtatoris, valebit in vim fideicommiſſi *v.* CARPZ. *p. 3. C. 8. D. 19.* (2.) elapſo tempore, in quod ſpecialiter erat ſubſtitutum *v. l. 21. l. 43. pr. §. 1. de V. & P. ſubſtit.* (3.) infirmato patris teſtamento *§. 5. I. de pupill. ſubſtit. l. 2. pr. de V. & P. ſubſtit. l. 8. §. 5. de inoff. teſt.* Sed poſt *Nov. 115. c. 3.* ſubſtitutio manebit, ſive teſtamentum patris, velut inofficioſum, evertatur, ſive, propter vitioſam excluſionem, ſit ipſo jure nullum, aut nativitate liberorum rumpatur, hoc enim conſequens eſt ſententiæ, cujus §. *12.* fecimus mentionem.

§. 15. Ulterius extingvitur ſubſtitutio (4.) mortuo filio ante patrem, quo tamen caſu, ſubſtitutus, vi ſubſtitutionis tacitæ vulgaris, hæreditatem conſequitur (5.) filio, è patria poteſtate, exeunte *l. 41. §. 2. de V. & P. ſubſtit.* (6.) mortuo ante inſtitutum ſubſtituto *v. l. 7. C. de jur. de lib.* (7.) deficiente ſubſtitutionis conditione *l. 8. de V. & P. ſubſtit.* (8.) teſtamento patris deſtituto *l. 2. §. 1. eod.* hodie tamen, hoc caſu, ſubſtitutionem pupillarem ſubſiſtere, exiſtimavi *§. 12. h. add.* STRUV. *S. J. C. exerc. 33. §. 30. ſeqq.* LAUTERB. *C. J. de vulg. & pupill. ſubſtitut.*

§. 16. Subſtitutio exemplaris, ſive quaſi pupillaris eſt, *quæ fit, à Parentibus, liberis ad teſtandum inhabilibus, eum in caſum, ſi hæredes erunt, & in ſtatu inhabilitatis decedent.* Eſt etiam vel expreſſa, vel tacita, quæ ſub expreſſa vulgari, pupillari imo exemplari continetur *v.* STRUV. *d. l. §. 33.* Introducta eſt hæc ſubſtitutio à Juſtiniano *l. 9. C. de impub. & al. ſubſtit.* licet veteribus non plane fuerit incognita *l. 43. de V. & P. Subſtit.*

§. 17. Subſtituunt omnes aſcendentes, cujuscunque ſexus aut gradus *l. 9. C. de impub. & al. ſubſtit. v.* CARPZ. *p. 3. C. 8. D. 13.* Si Pater & mater ſimul ſubſtituant, ſinguli ſubſtituti ea bona conſequuntur,

Digitized by Google

tur, quæ à ſubſtituente dependent, in communibus bonis, ambo æqualiter admittuntur LAUTERB. *C. J. d. l.* quamvis alii hæc ſoli ſubſtituto paterno concedant, ſi Pater ſubſtituens habuerit patriam poteſtatem STRUV. *d. l. §. 35.* ſed prior ſententia probabilior eſt. Opus vero eſt, ut parentes ſubſtituentes, ſibi etiam faciant teſtamentum *l. 9. C. de impub. ſubſtit.*

§. 18. Subſtituitur liberis, cujuscunque ſexus aut gradus, etiam impuberibus & in aliam poteſtatem recaſuris *d. l. 9. v.* CARPZ. *p. 3. C. 8. D. 14.* STRUV. *d. l. §. 36.* qui ſunt in eo ſtatu, ut ipſi teſtari nequeant, quales ſunt furoſi & prodigi. Requiritur tamen regulariter, ut hæredes inſtituantur *d. l. 9. C. h. t.* poteſt tamen etiam exhæredatis ſubſtitui, ſecundum notata *§. 11. h.* Videtur etiam Pater liberis naturalibus ſubſtituere poſſe *arg. d. l. 9. C. h. t.* licet matri hoc jus à quibusdam *v.* LAUTERB. *C. J. d. l.* ſaltem tribuatur *add.* OBSREV. LAUTERB. *Obſ. 877.*

§. 19. Subſtituendi autem ſunt inhabilis perſonæ liberi, &, his deficientibus, fratres & ſorores *d. l. 9. C. h. t.* poſt *Nov. 118. c. 2.* his pares ſunt parentes *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 878.* quodſi hi omnes deſint, quivis ſubſtitui poteſt *v.* CARPZ. *p. 3. C. 8. D. 15.* Fit ſubſtitutio in eum caſum, ſi liberi hæredes erunt, ſed in Statu inhabilitatis decedent, quam formulam tamen circa exhæredatos non plane obtinere manifeſtum eſt.

§. 20. Extingvitur ſubſtitutio exemplaris (1.) ſi liberi parentibus hæredes non extiterint, tacita tamen vulgaris tum locum habere poteſt (2.) infirmato patris teſtamento per nativitatem liberorum, eo caſu, quo hi, velut fratres ſubſtituendi erant *l. 9. in fin. C. de impub. & al. ſubſtit. v.* STRUV. *d. l. §. 34.* ſi autem Patris teſtamentum, vel ob illegitimam exhæredationem nullum ſit, vel querela inofficioſi evertatur, tum ſubſtitutionem exemplarem ſubſiſtere putem *v. §. 14. h.* (3.) ſi poſt ſubſtitutionem filio furioſo naſcantur liberi *l. 43. de V. & P. ſubſtit. l. 9. C. de impub. ſubſtit.* (4.) reconvaleſcentia ad mortem usque durante *d. l. 43. v.* STRUV. *d. l. §. 37.* (5.) teſtamento poſt reconvaleſcentiam condito, licet furor ſimilisque cauſa redeat *add.* LAUTERB. *C. J. d. l.*

CAPUT VI.
DE HÆREDITATIBUS FIDEICOMMISSARIIS.

SUMMARIA.

Fideicommissi universalis indoles §. 1.
Ejus origo subjectum & modus legalis §. 2.
Voluntas relinquendi fideicommissum aliquando præsumitur §. 3.
Relinqui potest ab omnibus hæredibus §. 4.
Iis qui ex ultima voluntate aliquid capere possunt §. 5.
Fdeicommissi materia §. 6.
Modus arbitrarius §. 7.
Et effectus §. 8.
Restitutio realis fideicommissi purè §. 9.
Et in diem vel sub conditione relicti §. 10.
Fiduciarius quatenus alienare queat §. 11.
Deducit ille quartam Trebellianicam §. 12.
Quænam in hanc imputentur §. 13.
Liberi cum Trebellianica etiam deducunt legitimam §. 14.
Solutio solidi spontanea quartam excludit non erronea §. 15.
Cessat aliquando detractio falcidiæ ob conditionem testatoris §. 16.
Hæredis §. 17.
Et fideicommissarii §. 18.
Fideicommissio cum detractione restituto jura & onera pro rata dividuntur §. 19.
Fiduciarius & fideicommissarius in effectu sunt cohæredes §. 20.
Ac tam intense quam contra extraneos actionibus habilibus utuntur §. 21.
Fiduciario adire nolente, fideicommissarius statim admitti potest §. 22.
Cessante deductione quartæ, omne jus & onus in fideicommissarium transit §. 23.
Fiduciario ante testatorem mortuo, fideicommissum non videtur intercidere §. 24.
Quod etiam dicendum, si sponte hæreditatem repudiet vel alia ratione, post mortem testatoris deficiat §. 25.
Usus fideicommissorum hodiernus §. 26. 27.
Fideicommissa illustria §. 28.

§. 1.

HÆreditas fideicommissaria, sive fideicommissum universale est *hæreditas, vel ejus pars, per hæredem, detractâ plerumque aliqua parte, alteri præstanda.* Ejus igitur relictio, est species substitutionis, sed quæ à speciebus substitutionis directæ, antea expositis, plane differt. Poterit etiam fideicommissum accipi pro *actu*, quo hæreditas alteri relinquitur, quo sensu adeo est species vel pars ultimæ voluntatis. *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obs.* 946.

§. 2. Facultas fideicommissa relinquendi, ex permissione legis civilis, dependet *§. 1. I. de fideicomm. hæred.* v. STRUV. *S. J. C. exercit. 36. §. 12. seqq.* Relinquuntur vero voluntate defuncti, jus testandi habentis *l. 2. de Legat. 1. l. 1. §. 1. §. de Legat. 3. l. 1. §. 6. ad SCt. Trebell.* quæ

quæ declaratur vel *teſtamento §. 2. I. de fideicomm. hæred.* vel *codicillis* ſcriptis aut nuncupativis, teſtato vel ab inteſtato factis, modo adſint quinque teſtes *l. 22. C. de fideicomm. l. f. §. f. C. de codicill.* vel *modo privilegiato* ſi ſcilicet hæredi præſenti teſtator fideicommiſſi præſtationem injungat, tum enim nihil, niſi legitima probatio requiritur *l. fin. C. de fideicomm. v.* STRUV. *d. exerc. 36. §. 22. 23.* CARPZ. *p. 3. C. 8. D. 40. 41.*

§. 3. Cum fideicommiſſi relictio, facti ſit, non ſane illa aſſerenda eſt, ſi ejus nulla appareans indicia *v. l. 46. d. H. I. l. 78. §. 2. ad SCt. Trebell.* quodſi vero teſtator verbis non adeo quidem conſvetis fuerit uſus, mens tamen ejus non ſit obſcura, tum voluntas fideicommiſſum relinquendi recte præſumitur *v. l. 17. pr. l. 19. §. 1. l. 29. pr. l. 57. §. 1. l. 74. 76. ad SCt. Trebell. l. pen. de Legat. 1. l. 64. de Legat. 2. l. 11. §. 19. de Legat. 3.* In ſpecie igitur voluntas illa aſſeri poteſt ex teſtamento imperfecto, non tantum ſi clauſula Codicillaris ſit adjecta, quod vulgo concedunt *v.* STRUV. *d. l. §. 22.* ſed etiam ſi ſit omiſſa, modo teſtator non contradixerit *v. c. 3. §. 3. ſeqq.*

§. 4. Præſtatio fideicommiſſi, injungi poteſt omnibus hæredibus, teſtamentariis & legitimis *§. 2. 10. I. de fideicomm. hæred. l. 8. §. 1. de jur. Codic. l. 1. §. 6. de Legat. 3.* qui, hoc reſpectu, dicuntur hæredes fiduciarii *l. 46. 67. §. fin. ad SCt. Trebell.* illi quoque, qui fideicommiſſum accepit, ejus reſtitutio imponitur *§. 11. de fideicomm. hæredit. l. 1. §. 8. ad SCt. Trebell.* Ab horum omnium hæredibus, etiam fideicommiſſum relinquere licet *l. 5. §. 1. l. 6. de Legat. 3. l. 9. C. de fideicomm. v.* STRUV. *exerc. 36. §. 15.*

§. 5. Relinquitur fideicommiſſum perſonis habilibus, quæ ſcilicet ex teſtamento capere poſſunt *l. 67. §. fin. ad SCt. Trebell.* Olim quidem fideicommiſſa præcipue, propter incapaces, invaluerunt *v. l. 103. de Legat. 1. l. 1. C. de delator.* ſed poſtquam eorum præſtatio, non amplius pudori fiduciarii relicta, ſed hic potius, ad eam faciendam valide obligatus fuit *§. 1. I. de fideicom. hæred.* hinc alterum illud caput, conditionem perſonarum reſpiciens, neceſſario quoque mutatum eſt *v.* STRUV. *d. exerc. 36. §. 16.* Relinquitur autem fideicommiſſum vel certis perſonis, vel perſonis moralibus compoſitis, vel cognatis proximioribus, aut in genere, familiæ *v. l. fin. C. de V. S. l. 32. §. f. de Legat. 2.*

l. 38. §. 1. ſeqq. de Legat. 3. l. 69. §. 3. l. 77. §. 28. l. 88. §. 15. de Legat. 2 STRUV. *d. l. §. 17. ſeqq.*

§. 6. Sub fideicommiſſo univerſali, relinquitur vel tota hæreditas, vel aliqua ejus pars *§. 8. I. de fideicomm. hæred.* non poſſe autem hæredem cum effectu rogari, ut plus reſtituat quam accepit, facile liquet *v. l. 9. 25. C. de fideicomm.* quemadmodum etiam certum eſt quod non alia fideicommiſſo contineantur, quam quæ jure hæreditario acquiruntur *l. 55. pr. ad SCtum Trebell.* Non igitur comprehenditur feudum, neque id, quod hæredi debetur *v. l. 59. pr. ad SCt. Trebell. l. 6. §. C. ad L. Falcid.* nec jus ſepulchrorum *l. 42. §. 1. ad SCt. Trebell.* prælegata quoque fideicommiſſo non continentur, niſi teſtator hoc voluerit *v. l. 3. §. 4. l. 18. §. f. ad SCt. Trebell. l. 96. de Legat. 3. l. 7. 16. C. de fideicomm.* STRUV. *d. l. §. 21.*

§. 7. Relinquitur fideicommiſſum vel pure, vel ex die, aut ſub conditione *§. 2. I. de fideicomm. hæred.* quæ adjectiones nonnunquam tacite etiam fideicommiſſo inſunt *v. l. 19. pr. ad SCt. Trebell.* Sæpe etiam tempus & conditio concurrunt, ut *ſi filius rogatus ſit, hæreditatem reſtituere, ſi ſine liberis deceſſerit v. l. 17. §. 5. ſeqq. ad SCt. Trebell.* imo hæc conditio, licet expreſſa non ſit, tamen, ex conjectura pietatis, ſubauditur *l. 102. de condit. & demonſtr. l. 30. C. de fideicomm.* licet piæ cauſæ fideicommiſſum ſit relictum *c. fin. qu. fin. C. 17. v.* STRUV. *d. l. §. 24.* ZOES. *ad ff. ad SCt. Trebell. n. 10. ſeqq.*

§. 8. Effectus fideicommiſſorum regulariter eſt, ut hæres fiduciarius hæreditatem aditam, fideicommiſſario reſtituere teneatur *l. 14. §. 4. l. 67. 71. ad SCt. Trebell.* quæ reſtitutio uti ab utraque parte etiam mediate poteſt expediri *v. l. 11. §. 2. l. 30. §. 2. l. 37. §. 1. 2. l. 38. 40. §. f. l. 65. §. f. l. 66. §. 1. ff. l. 7. C. ad SCt. Trebell. l. 18. C. de jur. delib.* ita reſtitutio fit vel *verbis*, ex qua fideicommiſſarius conſequitur jus hæreditarium *l. 63. ad SCt. Trebell.* vel *re*, quæ inſuper præſtat rerum hæreditarium poſſeſſionem *l. 37. 44. §. 1. eod. v.* STRUV. *d. exercit. 36. §. 25. 27.*

§. 9. Hodie reſtitutionis verbalis ambagibus opus non eſſe, ſed tam fiduciarium, quam fideicommiſſarium hæredem, ſola agnitione, jus ſuum conſequi, arbitror, quare, de reſtitutione reali, ſaltem quædam dicenda erunt: ei autem intelligendæ, ſummatim diſtingvendum vide-

videtur inter fideicommiſſum *pure* & cum *aliqua adjectione* relictum. Illo caſu hæres fiduciarius, non tantum hæreditatem, ſed & fructus, ante ejus aditionem, illi accedentes reſtituere debet *l. 27. §. 1. ad SCt. Trebell.* poſt aditam verò hæreditatem perceptos regulariter non reſtituit, niſi hoc teſtator voluerit, aut hæres fuerit in mora *l. 18. pr. §. 2. l. 27. §. 1. l. 44. §. 1.* verb. *ſane pro l. 63. §. 4. ad SCt. Trebell.*

§. 20. Hoc caſu, ſi ſcilicet in diem vel ſub conditione fideicommiſſum fuerit relictum, fiduciarius fructus interim perceptos lucratur, hoc enim modus relinquendi ſatis indicat *l. 18. §. 2. l. 57. pr. l. 58. §. pen. ad SCt. Trebell. l. 83. de Legat. 3.* Illud autem utrique caſui commune eſt, quod (1.) dolus & culpa præſtari debeant *l. 22. §. 3. ad SCt. Trebell.* (2.) inventarium fideicommiſſario edendum, & cautio nonnunquam conſtituenda ſit *l. 54. in fin. ad SCt. Trebell. l. 1. de B. P. furioſ. compet. v.* CARPZ. *p. 3. C. 8. D. 38. 39.* (3.) quod fideicommiſſa, non aliter ſolvenda ſint, quam ſi valide ſint relicta, hinc ex teſtamento imperfecto nihil neceſſariò præſtandum *l. 23. 29. C. de fideicomm.* ultro tamen præſtari aliquid poſſe, manifeſtum eſt *l. 2. C. eod. l. fin. C. ad L. Falcid. conf.* STRUV. *d. exerc. 36. §. 34. 35. 36.*

§. 11. Illud quoque ex natura fideicommiſſi ultro fluit, quod fiduciarius hæres illud alienare vel imminuere regulariter nequeat, quod inprimis pertinet ad eum caſum, quo, per aliquod tempus illud retinere poteſt *l. 69. §. 3. l. 77. §. 27. l. 67. §. 3. de Legat. 2. l. fin. §. 2. C. comm. de legat.* STRUV. *d. l. §. 40. 41.* CARPZ. *p. 3. C. 8. D. 32. ſeqq.* Quodſi quis poſt mortem reſtituere rogatus ſit, *quantum ſupererit*, tum arbitrio boni viri, medio tempore alienare & diminuere poteſt *l. 54. 58. §. 7. ad SCt. Trebell. l. 3. §. 2. de uſur.* quod clarius poſtea definitum, ut dodrantem conſumere liceat *Nov. 108. c. 1. auth.* contra *C. ad SCt. Trebell.* ſi tamen res fideicommiſſariæ, cum aliis, ſaltem commutatæ ſint, ſurrogatæ fideicommiſſo continentur *l. 70. §. 3. l. 71. 72. de Legat. 2. add.* STRUV. *d. l. §. 34. n. 2. §. 42.*

§. 12. Poteſt autem de fideicommiſſo, ſive ſtatim, ſive poſt aliquod tempus reſtituendo, detrahi *quarta Trebellianica* §. 7. *I. de fideicomm. hæred.* quæ etiam *Falcidia* dicitur *l. 47. §. 1. l. 86. ff. l. 1. 11. C. ad L. Falcid. l. 41. §. 3. de V. & P. ſubſtit. l. 2. §. f. de jur. codicill.* ac commoda & onera hæreditaria complectitur *v. l. 1. §. 20. 21. ff. l. 1. C. ad SCt.*

SCt. Trebell. Deducunt vero eam soli hæredes fiduciarii, testamentarii & legitimi *l. 22. §. f. l. 55. §. 2. ad SCt. Trebell. §. 8. 10. I. de fideicomm. hæred. l. 3. C. ad SCt. Trebell.* non autem fideicommissarii, si hæreditatem acceptam alii restituere debeant, licet fiduciarius quartam non detraxerit *l. 55. §. 2. ad SCt. Trebell.* si tamen hic jus suum fideicommissario concesserit, tum ei quartam detrahere licet *l. 1. §. 19. ad SCt. Trebell.* quemadmodum etiam de legatis & fideicommissis singularibus, ab hærede relictis, semper quartam deducere potest *l. 63. §. 11. eod.*

§. 13. Imputantur tamen in quartam, non tantum ea, quæ hæres jure hæreditario, sed & prælegati, & quovis alio, ex voluntate defuncti, accepit *l. 74. 91. ad L. Falcid.* Fructus, qui ex fideicommisso statim restituendo, ob negligentiam fideicommissarii, tardius rem exigentis, percipiuntur, in quartam non veniunt *l. 22. §. 2. ad SCt. Trebell.* qui vero, judicio defuncti, ex fideicommisso, post aliquod tempus præstando, capiuntur, quartæ imputantur, hinc si, intermedio tempore hæres tantum aut etiam plus perceperit, quantum quartam & quartæ fructus facit, nihil amplius deducere potest, *d. l. 22. §. 2.* liberis tamen hoc casu quartam etiam detrahere licet *l. 6. C. ad SCt. Trebell. add.* STRUV. *d. exerc. 36. §. 31.*

§. 14. Ex his sequitur, quod liberi cum legitima, non possint simul deducere Trebellianicam, nam illa quoque in hanc imputatur *l. 6. C. ad SCt. Trebell. l. 8. §. 11. de inoff. testam. l. 24. C. fam. ercisc.* jure tamen Canonico utramque portionem detrahere ipsis licet, si fideicommissum sub conditione, aut in diem relictum sit *c. 16. 18. X. de testam.* quod usus fori etiam servat *v.* CARPZ. *p. 3. C. 1. D. 20. 21.* imo, in nonnullis locis, utriusque partis deductionem simpliciter admittit *v.* STRUV. *Exerc. 36. §. 30.*

§. 15. Uti autem hæres quartam retentione plerumque consequitur *l. 3. seqq. C. ad SCt. Trebell. §. 7. I. de fideic. hæred.* ita si sponte solidum præstiterit, quartæ petendæ jus dubio procul amittit: Si vero, ex errore facti, solutio facta, tum indebite solutum, condictione indebiti repetit *l. 9. C. ad L. Falcid. §. 7. I. de fideicomm. hæredit.* vel etiam à fideicommissario hærede, aut aliis possessoribus & debitoribus hæreditariis, tantum convenientibus actionibus exigit, quantum, quartæ nomine, ipsi debetur *v. l. 21. 68. §. 1. ad SCt. Trebell.*

§. 16. Ali-

Digitized by Google

§. 16. Aliquando detractio quartæ Trebellianicæ plane ceſſat, ob conditionem *teſtatoris, hæredis* vel *fideicommiſſarii*. Nimirum locum illa non habet (1.) ob prohibitionem expreſſam *Nov. 1. c. 2. §. 2.* quæ jure antiquo inefficax erat *v. l. 15. §. fin. ad L. Falcid.* ſicut verba æquipollentia ambigua, nec hodie inducendæ prohibitioni ſufficiunt *v.* CARPZ. *p. 3. C. 1. D. 13. Deciſ. Saxon. 43.* (2.) ob privilegium teſtatoris *l. 3. §. 1. ad SCt. Trebell. l. 17. ff. l. 7. C. ad L. Falcid.* (3.) ob prohibitionem alienationis quoad rem ſpecialem *Nov. 119. c. 11.*

§. 17. Ulterius ratione hæredis (4.) ceſſat, ob omiſſum inventarium *Nov. 1. c. 2. §. 2.* ſed hodie jurata ſpecificatione, ſibi proſpicere poterit hæres (5.) renunciationem expreſſam *l. 46. 71. ad L. Falcid. l. fin. C. eod.* vel tacitam, ſi ſcilicet ex errore juris ſolidum ſolvat *l. 9. C. ad L. Falcid.* aut uni totum præſtet *Nov. 1. c. 3.* quod tamen non ſemper amittendum videtur *v. l. 16 pr. §. 1. ad L. Falcid. v.* STRUV. *S. J. C. exercit. 36. §. 36.* (6.) ob fraudem circa fideicommiſſum admiſſam *l. 59. pr. ad L. Falcid. l. 48. ad SCt. Trebell.* add. *§. 12. h.*

§. 18. Denique etiam ceſſat detractio Trebellianicæ, ob qualitatem fideicommiſſarii, ſi ſcilicet fideicommiſſum (7.) piæ cauſæ ſit relictum *Nov. 131. c. 12. v. l. 1. §. f. ad L. Falcid. l. 49. C. de Epiſcop. & Cleric. v.* ZOES. *ad ff. ad L. Falcid. n. fin.* CARPZ. *p. 3. C. 1. D. 16. 17. 18.* aut (8.) libertas *l. 33. ad L. Falcid. l. 8. §. 9. de inoffic. teſtam.* (9.) legitima *l. 36. pr. C. de inoffic. teſtam.* vel (10.) debitum creditori præſtari debeat *v. l. 1. §. 10. l. 81. §. 1. ad L. Falcid. l. 1. §. 12. de dot præleg.* ſed hæc tria poſteriora exempla, magis ad legata & fideicommiſſa ſingularia quam univerſalia, pertinent *add.* STRUV. *d. exerc. 36. §. 33.* LAUTERB. *C. J. ad L. Falcid. lit. J.*

§. 19. Quodſi fideicommiſſum, detracta quarta, reſtitutum ſit, tum pro rata, jura res & onera, inter fiduciarum & fideicommiſſarium dividuntur *§. 7. I. de fideicomm. hæred. l. 1. C. ad SCt. Trebell.* legata tamen ſolus fideicommiſſarius præſtare debet, niſi, ultra quartam, fiduciarius aliquid habeat, nam pro rata illius exceſſus tenetur *l. 1. §. 20. 21. ad SCt. Trebell. l. 2. C. eod.* Aliquando teſtator ſoli fideicommiſſario onus hæreditarium imponit, quod etiam feciſſe cenſetur, ſi fiduciario certam rem vel quantitatem prælegaverit *§. 9. I. de fideicomm. hæred. l. 1. §. 16. l. 30. §. 3. 4. ad SCt. Trebell.*

§. 20. Ex his liquet, quod fiduciarius & fideicommiſſarius in rei veritate, ſint regulariter *cohæredes:* Romanæ ſubtilitatis, qua fiduciarius, ſemper hæres manere, fideicommiſſarius vero, hæredis loco ſaltem haberi dicitur *§. 3. I. de fideicomm. hæred. l. 88. de H. l. 7. §. 10. in fin. de minor.* aut qua illi & contra illum, actiones directæ, huic verò & contra hunc, actiones utiles aſſeruntur *v. §. 4. I. de fideicom. hæredit.* quæque ex alia, minime quidem neceſſaria ſubtilitate, forte fluxit *v. c. 4. §. 17.* hodie nulla eſt vel neceſſitas vel utilitas.

§. 21. Uti autem tam fiduciarius, quam fideicomiſſarius, ex obligationibus defuncti conveniuntur, ita ex ejus juribus, contra poſſeſſores & debitores hæreditarios quoque agere poſſunt, quas actiones, pro diverſo adverſariorum titulo, vel ſub conſvetis nominibus, vel, ſub hæreditatis petitionis elogio, inſtituunt. Inter ipſum autem fiduciarium & fideicommiſſarium, actio familiæ erciſcundæ omnino aſſeri poteſt, licet illa denominatio Romanis non adeo forte ſit uſitata *v. l. 21. ff. l. 1. C. ad SCt. Trebell. l. 178. §. 2. de V. S.* adde *l. 24. §. 1. l. 40. fam. erciſc.* de quibus actionibus, ſuo loco, in genere dicendum erit.

§. 22. Hactenus dicta regulariter obtinent. Quodſi autem hæres fiduciarius nolit adire, tum jure antiquo cogendus eſt ad aditionem & reſtitutionem, quo facto, omne jus in fideicommiſſarium tranſit, ac penes fiduciarium, neque lucrum neque onus aliquod remanet §. 7. *I. de fideicom. hæred. l. 4. ad SCt. Trebell.* neque etiam ille pœnitere poteſt *l. 14 §. 4. eod.* Hodie illis ambagibus opus non eſt, verum, fiduciario recuſante, fideicommiſſarius immediate hæreditatem amplectitur *Nov. 1. c. 1. §. 1.* Vera tamen hæc ſunt, quoad hæredem ſcriptum, nam ſi legitimus adire nolit, tum neque cogendus, neque fideicommiſſarius ſtatim admittendus eſt, ſed ei, qui ab inteſtato proxime ſequitur, hæreditas, ſub onere fideicommiſſi, conceditur, nam defunctus hos omes, ſuo ordine, ſuccedere voluit *v. l. 3. de jur. codicill. l. 61. §. 1. de Legat. 2. l. 74. de Legat. 1.* STRUV. *exerc. 36. §. 28.*

§. 23. Quodſi hæreditatem aditam, ſine ulla deductione, ſponte reſtituat hæres fiduciarius, tum quoque omne jus & onus hæreditariũ, in fideicommiſſarium transfertur *§. 7. I. de fideicomm. hæred.* quamvis iſta reſtituendi ratio, ex antiqui juris ſubtilitatibus, fiduciario non ſatis

fuerit

Digitized by Google

fuerit tuta *l. 45. ad SCt. Trebell.* Ob paritatem rationis, idem dicendum in casibus, quibus Trebellianicam deducere nequit fiduciarius, quod scilicet, cum jure hæreditario, omne onus, in fideicommissarium transeat.

§. 24. Hærede fiduciario, ante testatorem, mortuo, fideicommissum intercidit, non quidem ex voluntate testatoris, ceu censet HUBER *in posit. ad l. de fideicomm. hæred. n. 9.* sed ex subtilitate juris antiqui, aditionem fiduciarii, ad fideicommissi valorem, requirentis *l. 55. §. 2. ad SCt. Trebell.* cum vero hæc, jure novo non præcise requiratur in casu quo fiduciarius adire recusat *v. §. 22. h.* ideo, illo ante testatorem mortuo, fideicommissarium immediate quoque admittendum esse, probabiliter defendi potest.

§. 25. Si hæres fiduciarius hæreditatem sponte repudiet, tum proximi ab intestato, cum onere fideicommissi admittuntur *l. 2. §. f. de suis & legit. hæred.* HUBER *d. l. n. 16.* • Sed & hoc ex ratione juris antiqui, sive aditionis necessitate dependere videtur, hac autem sublata, hæres fideicommissarius immediate potius erit admittendus, nisi forte testator hæredes legitimos, deficienti scripto substituerit. Quodsi, post mortem testatoris, fiduciarius, sine hærede, mortuus sit, vel se celaverit, olim quidem fideicommissum intercidisse videtur *v.* STRUV. *exerc. 36. §. 26.* sed nunc immediate in fideicommissarium devolvitur *l. pen. §. 1. C. ad SCt. Trebell.* HUBER *d. l. n. 17.* si vero jus suum fiduciarius, in hæredem suum, transmiserit, hic, in adeunda & restituenda hæreditate, vices antecessoris subire potest STRUV. *d. l.*

§. 26. Usum fideicommissorum universalium quod attinet, distingvendum videtur inter fideicommissa *in diem vel sub conditione*, ac *pure* relicta. Illa hodie quoque non infrequentia sunt, nec ratione destituitur iste testandi modus; Quoad hæc verò rursus separanda videntur fideicommissa *inopinata* & *consulta*: Priora itidem non raro occurrunt, sæpe enim testamentum præter votum testatoris, directe non valet, virtute tamen clausulæ codicillaris, vel expressæ, vel præsumtæ, in vim fideicommissi sustinetur, atque ita inopinatum, quod vocavimus, emergit.

§. 27. Posteriora vero rarioris usus esse videntur, aut, ut explicatius dicam, testamento valido non facilè fortassis relinquuntur, nam si

quis, inter duos, hæreditatem diviſam, aut in unum ſaltem translatam velit. ſatius erit directe hæredes inſtituere, quam, ſub ratione fideicommiſſi, detractione Trebellianicæ vel admiſsâ, vel prohibitâ, ultimam voluntatem declarere; Sane iſta agendi ratio, homini ſanæ mentis non convenit, & olim iſtis ambagibus opus erat, quoad perſonas incapaces, quæ directe inſtitui non poterant. Quodſi vero circumſtantiæ non permittant, ut teſtamentum condatur, ſed codicillus ſaltem confici queat, tum fideicommiſſum purum & conſultum, etiam locum habere poteſt, dum ſcilicet hæres teſtamentarius vel legitimus, alii hæreditatem reſtituere codicillis rogatur.

§. 28. Celeberrimum fideicommiſſi, in diem relicti, exemplum occurrit, in *fideicommiſſis illuſtribus*, quæ ad conſervandum familiarum ſplendorem, potiſſimum confici ſolent. De illorum valore, ſententia & effectu, judicandum eſt tam ex poteſtate, quam voluntate fideicommittentis, hinc, ut alibi, ita hic etiam utile eſt, verbis perſpicuis mentem declarare *vid.* DN. STRYK *diſſert. de fideicomm. illuſtr. conſtitut. & diſpoſ. hab. Hall. 1701.* Dantur quoque, præcipue inter perſonas illuſtres, *fideicommiſſa conventionalia*, quæ etiam, à ratione juris Romani *v. l. 3. C. de donat quæ ſub. mod.* non plane abludere exiſtimant, de quo non valde laborandum videtur *v.* STRYK *d. diſſert. c. 1. §. 17. ſeqq. add.* HUBER *in poſit. ad ff. ad SCt. Trebell. n. fin.*

CAPUT VII.

DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS SINGULARIBUS.

SUMMARIA.

Præter hæredis inſtitutionem alia etiam capita in teſtamentis occurrunt §. 1.
Legati diverſa acceptio §. 2.
Antiqua legatorum genera ſunt ſublata §. 3.
Fideicommiſſum ſingulare cum legato coincidit §. 4.
Adeoque utrumque eadem tractatione explicari debet §. 5.
Legatum relinquitur voluntate vera & ſeria §. 6.
Error in demonſtratione §. 7.
Et cauſa impellente regulariter eſt innoxius §. 8.
Legat qui teſtandi jus habet, iis qui ex teſtamento capere poſſunt §. 9.
Etiam perſonis incertis §. 10.
Et pauperibus §. 11.
Inter legatarios conjunctos obtinet jus accreſcendi §. 12.
Poſitis caſibus habilibus §. 13.
Accreſcendi modus §. 14.
Aliquando jus accreſcendi ceſſat §. 15.

Legari

Digitized by Google

Legari poteſt ab omnibus qui ex voluntate teſtatoris aliquid acceperunt §. 16.
In legatis ſemper res corporales & incorporales concurrunt §. 17.
Res plane non exiſtentes §. 18.
Et commercio exemtæ §. 19.
Ut & res alienæ qua tales legari nequeunt §. 20.
Legatorum duæ ſunt ſpecies, liberationis & dationis §. 21.
Liberationis natura & effectus §. 22.
Iſto legandi modo regulariter nihil datur §. 23.
Liberationis objectum §. 24.
Poteſt legari res propria §. 25.
Certa ſpecies quantitas & genus §. 26.
Res ſingularis & univerſalis §. 27.
In exemplis ſpecialibus ſæpe quæſtiones voluntatis occurrunt §. 28.
Non tantum dominium ſed & alia jura realia §. 29.
Et perſonalia legantur §. 30. 31.
Jus perſonale etiam oritur ex legato rei alienæ §. 32.
Dominium acquiſitum quatenus tale legatum deſtruat §. 33.
Pretium rei alienæ legatæ & à legatario emtæ recte petitur §. 34.
Legatum feudi & rei litigioſæ §. 35.
Rei legatario propriæ aut debitæ legatum regulariter eſt inutile §. 36.
Niſi certo reſpectu res ad legatarium non pertineat §. 37. 38.
Debiti putativi legatum expreſſa quantitate validum eſt §. 39.
Modus legandi eſt vel legalis vel arbitrarius §. 40.
Hic in ordine & adjectione diei conditionis & modi conſpicitur §. 41.
Effectus conditionis impoſſibilis & poſſibilis §. 42.
Rei pendente conditione à legatario emtæ pretium illa exiſtente recte exigitur §. 43. 44.
Conditio facendi & non faciendi recte adjicitur §. 45.
Exploſa veterum ſubtilitate §. 46.
Natura & effectus legati modalis §. 47.
Ex legato varii generis jura oriuntur §. 48.
Quibus accedit hypotheca legalis §. 49.

§. 1.

VIdimus hactenus teſtatorem, hæredes inſtituentem: præterea vero, in ultima voluntate ſua, varia, pro ratione etiam inſtitutorum, in civitate receptorum, ille diſponere ſolet: Nam tutores aliquando conſtituit *l. 1. de teſtam. tutel.* ſervis libertatem dat *l. 23. 25. de manum. teſtam.* aut rationem ſepeliendi determinat *v. l. 27. de condit. inſtit. l. 30. §. 2. de adim. legat.* Inprimis vero legata & fideicommiſſa relinquit, de quibus ſpecialius nonnihil agendum.

§. 2. Legatum aliquando ſumitur *generaliter*, pro quavis ultima voluntate *l. 80. 120. de V. S.* plerumque vero *ſpecialiter*, & quidem vel pro *parte ultimæ voluntatis*, quo reſpectu, eſt *ultima conteſtatio qua verbis directis aliquid relinquitur*, quæ ſuppoſitio eſt frequentiſſima, prout, vel, ex ſolo *legantis* & *legatarii* nomine, creberrime occurrente, intelligitur: vel *pro re legata*, quo ſenſu eſt & *donatio quædam* (i. e. res donata) *à defuncto relicta, ab hærede præſtanda.* Quamvis enim

præſtatio hæredis non videatur neceſſaria, cum ipſo jure, rei legatæ dominium, in legatarium, tranſeat *l. 64. de furt.* attamen poſſeſſio ab hærede præſtari debet, præterea etiam dominium, omni caſu, immediate non transfertur *conf. l. 22. 36. de Legat. 2.*

§. 3. Olim erant quatuor legatorum genera, formulis & effectu, inter ſe diſtincta, ſed illa exæquavit Juſtinianus *§. 2. I. de Legat. l. 1. C. comm. de Legat.* ut legatorum omnium una ſit natura; Sed illa exæquatio ita eſt intelligenda, ut legatorum diſcrimina, quæ ex *objecto* & *voluntate* legantis reſultant, ſemper ſalva ſint, nam uti illa tolli non potuit Legislator, ita voluntati teſtatoris vim feciſſe facile non præſumitur.

§. 4. Fideicommiſſum ſingulare itidem vel pro *parte ultimæ voluntatis*, vel pro *re conceſſa* accipitur ac requirit verba obliqua & precativa *v. §. fin. I. de ſing. reb. per fideic. rel.* Atque hoc nomine non tantum, ſed & juris effectu, fideicommiſſa, à legatis, olim diſcernebantur. Verum diſcrimen reale ſuſtulit Juſtinianus *§. 3. I. de Legat. l. 2. C. comm. de Legat.* hinc nec verbale amplius attendendum eſt, ſed poſſunt imo debent Legata & fideicommiſſa ſynonymicè accipi.

§. 5. Solent quidem nonnullæ differentiæ reales, etiam poſt Juſtiniani conſtitutionem, aſſeri *v.* HUBER *in poſit. ad I. de reb. ſing. per fideicom. relict.* ſed ſunt vel obſoletæ, vel dubiæ aut potius falſæ. Exinde ſequitur, quod Legata & fideicommiſſa, ſeparata tractatione, non ſint explicanda, nam vel jam dicta otioſe repetuntur, vel inadæquate doctrina exhibetur, adeoque omni reſpectu illa tractandi ratio reprehenſionem meretur, ut fruſtra omnino Inſtitutionum compilatores diſtinctæ explicationis neceſſitatem hinc inculcaverint *§. 3. I. de Legat.* Nos igitur, ſub nomine Legatorum, hac de re, deinceps conjunctim agemus.

§. 6. Relinquitur legatum voluntate vera & ſeria, metus igitur & dolus legata vitiant *v. l. 9. C. quod vi met. cauſ. l. 6. C. de dol.* CARPZ. *p. 3. C. 5. D. 17.* Porro error efficax, qui committitur in re neceſſaria, eadem quoque deſtruit, error vero concomitans, innoxius eſt: Talis eſt, qui in nomine committitur *§. 29. I. de Legat. l. 4. C. de teſtam.* niſi incertitudinem, quoad ipſam rem, operetur *l. 4. de Legat. 1. l. 7. §. 2. de ſupell. legat.*

§. 7.

§. 7. Demonſtratio ſeu deſcriptio rei, eſt inſtar nominis, hinc error circa eam commiſſus, eſt etiam innoxius, ſive falſa demonſtratio non vitiat legatum §. 30. *I. de Legat. l. 17. pr. §. 1. l. 33. 34. de condit. & demonſtr. l. 6. de R. C. l. 75. §. 1. de Legat. 1. l. 1. §. 8. de dot. prælegat. l. 58. §. 1. de H. I.* ſi tamen teſtator id, in quo erravit, velut rem neceſſariam, conſideraverit, tum legatum non valet *l. 72. §. 6. de condit. & demonſtr. l. 4. C. de H. I. v. l. 75. §. 1. 2. de Legat. 1. l. 25. de liber. legat.* quodſi falſam demonſtrationem comitetur incertitudo, legatum itidem invalidum eſt *l. 75. §. 1. de Legat. 1. §. 15. I. de Legat.* quemadmodum etiam ſola demonſtratio falſa legatum non inducit *l. 72. §. 8. de condit. & demonſtr.*

§. 8. Error in cauſa impellente commiſſus, etiam non nocet, quia plerumque cauſa illa, non vera, ſed ſaltem prætextus eſt §. 31. *I. de Legat. l. 17. §. 2. l. 72. §. 6. de condit. & demonſtr.* Quodſi tamen, teſtatorem cauſam illam, velut rem neceſſariam, conſideraſſe, probetur, legatum non valebit *d. l. 72. §. 6. l. 1. C. de falſ. cauſ. adj.* hoc autem inprimis fieri poteſt, ſi cauſa adjecta, non tempus præteritum, ſed futurum reſpiciat, v. gr. Cajo lego, quia liberorum meorum tutelam ſuſcipiet *v. l. 32. de excuſ tutor.* CARPZ. *p. 3. C. 9. D. 20.* Plane ſi conditionaliter cauſa adjiciatur, voluntas legantis manifeſta eſt §. 31. *I. de Legat. l. 17. §. 3. de condit. & demonſtr.*

§. 9. Legata relinquit, qui teſtandi jus habet *l. 2. de Legat. 1. l. 1. §. 2. de Legat. 3.* omnibus, cum quibus eſt teſtamenti factio §. 24. *I. de Legat.* quæ habilitas iisdem quoque temporibus adeſſe debet, quibus illa in hæredibus requiritur *v. c. 4. §. 7.* Poteſt etiam ignotis legari *v. l. 11. C. de H. I.* ut & perſonis moralibus compoſitis ſive collegiis licitis *v. l. 22. de fidejuſſ. l. 32. §. 2. l. 73. §. 1. l. 117. 122. de Legat. 1. l. 1. C. de judæis l. 8. C. de H. I.* CARPZ. *p. 3. C. 13. D. 36.* ſingulis autem non debetur, quod univerſitati eſt relictum *l. 7. §. 1. quod cujusque univerſ. nom. l. 10. §. 4. de in jus voc. l. 2. 20. de reb. dub.* niſi forte teſtator, de membris præſentibus, ſenſerit *v. l. fin. C. de incert. perſ.* aliud quoque eſt in cognatione *l. 19. §. 1. de reb. dub.* nam hæc non eſt perſona immortalis, ut univerſitas.

§. 10. Incertis quoque perſonis recte legatur modo ex poſtfacto certæ fieri queant *v. §. 25. 27. I. de Legat. l. 24. 28. 49. pr. §. 1. C. de epiſcop. & Cler.*

Cler. l. 4. de reb. dub. l. 18. de uſ. & uſufr. l. 36. de H. I. Tales ſunt quodammodo, pauperes, ſi his indefinite legatum ſit, intelliguntur pauperes ejus loci, ubi legans domicilium habuit *l. 49. §. 2. C. de epiſcop. & Cler.* poteſt tamen etiam uni legatum tale concedi, arbitrio eorum, penes quos iſtius rei executio eſt, nam voluntas defuncti, non tam ex verbis *v. l. 12. de teſtib.* quam affectu potius, quo quam optime pauperibus proſpicere voluit, judicanda eſt.

§. 11. Si ptochotrophio quid legatum ſit, debetur pauperrimo *l. 49. §. 5. 6. C. de epiſcop. & Cler.* pauperibus cognatis relictum, pertinet ad eos, qui manu victum quærunt CARPZ. *p. 3. C. 13. D. 21.* Alimenta etiam ei legari poſſunt, cum quo non eſt teſtamenti factio *l. 11. de alim. leg. l. 3. de his quæ pro non ſcript. v.* LAUTERB. *C. J. de Legat. tit. S.* In dubio quivis cenſetur habilis, donec probetur contrarium, & hodie perſonæ inhabiles non facile occurrunt, cum ſervitus & peregrinitas Romana, velut præcipuæ inhabilitatis cauſæ, hodie ceſſent.

§. 12. Si pluribus eadem res conjunctim legetur, tum, poſito caſu habili, inter eos obtinet, ex voluntate legantis, *jus accreſcendi*, cujus vi, *portio vacans collegatario acquiritur §. 8. I. de Legat. l. 80. de legat. 3. l. 15. §. 1. de Legat. 1. v.* CARPZ. *p. 3. C. 2. D. 18.* Nihil autem refert, quo modo legatarii conjungantur *v. l. 142. de V. S. l. 89. de Legat. 3.* CARPZ. *d. l. D. 14.* ſi diverſa conjunctorum genera concurrant, tum quilibet, quoad compàris ſui partem cæteris præfertur, deficiente vero re conjuncto, omnia conjunctorum genera admittuntur, ſed ita, ut ſingula, unius perſonæ vice fungantur *l. 89. de Legat. 3. l. 34. pr. de Legat. 1. l. un. §. 10. C. de caduc. toll.*

§. 13. Obtinet jus accreſcendi (1.) ſi legatum, ratione unius, ſtatim ſit nullum *v. l. 3. 4. de his quæ pro non ſcript. hab.* (2.) ſi legatarius, ante diem legati cedentem, moriatur *v. l. un. §. 2. ſeqq. C. de caduc. toll.* (3.) ſi fiat incapax *l. 3. §. 1. de his quæ pro non ſcript. l. un. §. 3. C. de caduc. toll.* (4.) legatum repudiet *§. 8. I. de legat.* denique (5.) ſi tempore excluſus ſit *arg. l. 23. §. fin. de inoffic. teſtam. l. 4. de bonor. poſſeſſ.* ſed hoc, quoad legata, raro eveniet. Quodſi autem legatarius, poſt agnitionem, vel ſaltem, poſt diem legati cedentem, moriatur, tum jus ſuum ad hæredem transmittit *l. 80. de legat. 3. l. 5. quand. dies legat. ced.* in uſufructu tamen, etiam hoc caſu, obtinet jus accreſcendi *l. 1. §. 3.*

ac

Digitized by Google

de uſufr. accreſc. Denique ſi legatum, ob indignitatem, ei auferatur fiſcus illud accipit *l. 8. §. 14. de inoffic. teſtam. l. 1. de jur. fiſc.*

§. 14. Accreſcit portio vacans ipſo jure, etiam ignorantibus, non tamen invitis, nam jus repudiandi ſalvum eſt *l. un. §. 11. C. de caduc. toll.* Acquiritur autem pro portione legati cuique dati *l. 41. pr. de Legat 2.* ſed novo jure, partibus æquis ſive virilibus, licet legata ſint inæqualia *l. un. §. 11. C. de caduc. toll. v.* HUBER *in poſit. ad I. de Legat. n. 67.* Verum non improbabiliter dici poteſt, quod in *d. l. un. §. 11.* & *§.* ſupponatur caſus legati æqualiter dati, quo facto, portiones legati, & viriles coincidunt, & nulla adeſt correctio *v.* PERETZ *ad C. de caduc. toll. n. 17.* Accreſcit porro portio vacans, cum onere, retamen conjunctus, ſine onere illam accipit *d. l. un. §. 11. C. de caduc. toll.*

§. 15. Aliquando jus accreſcendi ceſſat (1.) in uſu & alimentis legatis *l. 57. §. 1. de uſufr. §. 1. I. de uſ.* nam hæc jura perſonam egredi non poſſunt (2.) in uſufructu, quem quis non ex voluntate defuncti, ſed legis beneficio accepit *l. 74. de condit. & demonſtr. v.* HUBER. *d. l. n. 71. ibique* THOMAS. *in not.* (3.) in rebus ſeparatim legatis *l. 84. §. 12. de Legat. 1. v.* HUBER. *d. l. n. 72.* Talis ſeparatio etiam occurrit, ſi eadem res, ſed partibus localiter, vel oratione diſcretis, aut à diverſis hæredibus, legatariis diverſis legetur *l. 1. pr. l. pen. de uſufr. accreſc.* HUBER *d. l. n. 56. in prælect. de Legat. p. 197. n. 7.*

§. 16. Præſtatio legatorum omnibus illis injungi poteſt, ad quos, ex voluntate legantis, aliquid pervenit *v. l. 1. §. 6. de Legat. 3. l. 70. de Legat. 2. l. 9. C. de fideicomm.* adeoque hæredibus teſtamentariis *§. 1. I. de legat.* ſubſtitutis *l. 74. pr. de Legat. 1.* hæredibus ab inteſtato *l. 92. §. f. de Legat. 1.* legatariis, fideicommiſſariis & mortis cauſa donatariis *l. 77. §. 1. de Legat. 2. l. 92. §. 1. de Legat. 1. v. pr. I. de ſing. reb. per fideic. rel.* Illum vero, qui nihil accepit, gravari non poſſe manifeſtum eſt *v. l. 9. C. de fideicom. l. 1. §. 17. ad SCt. Trebell. l. 114. §. 3. de Legat. 1.* Non valet etiam legatum, quod ab eo, qui filio impuberi exhæredato ſubſtitutus eſt, relinquitur *l. 24. C. de Legat. v. l. 126. §. 1. de Legat. 1. l. fin. de legat. 3.* LAUTERB. *C. J. de legat. lit. P.*

§. 17. Legantur res *corporales*, & *incorporales*, prout habet vulgaris ſtilus *§. 21. de legat.* ſed hoc non ita accipiendum, quaſi ſint diſtinctæ legatorum ſpecies, verum dicendum potius, quod in omni le-

gato, res incorporalis ſive jus, cum re corporali, velut objecto ſuo, concurrat, cujus aſſertionis veritas, ex inductione, facile liquet. Quo autem conſtet, quousque jura, cum ſuis objectis, legari queant, ad generalia alienationum principia, erit reſpiciendum, nimirum in rebus legandis requiritur (1.) ut exiſtant (2.) ſint in commercio ac (3.) juri legantis ſubſint.

§. 18. Res igitur, quæ neque exiſtit, neque exiſtere poteſt, fruſtra legatur, nec ejus æſtimatio debetur *v. l. 108. §. 10. de Legat. 1. l. 7. §. 1. de trit. vin. leg.* Talis eſt v. gr. animal vel ſervus mortuus *v. §. 1. l. de inutil. ſtipul. l. 69. 103. de V. O.* quod tamen intelligendum de eo caſu, quo res illæ, ut vivæ, conſideratæ ſunt, nam alias rerum mortuarum legatum quoque valebit. Quodſi res actu quidem nondum exiſtat, exiſtere tamen ſperetur, legatum validum eſt *§. 7. I. de legat. l. 24. pr. de Legat. 1. l. 17. de Legat. 3.* Cenſetur autem tale legatum eſſe conditionale quoad *obligationem*, hinc ſi res ſperata non producatur nihil debetur *l. 5. de trit. vin. leg. l. 8. §. 2. de Legat. 2. l. 1. §. f. de condit. & demonſtr.* purum vero, quoad *transmiſſionem*: quare in hæredes jus transmittitur, legatario ante conditionem mortuo *v. l. 99. de condit. & demonſtr. l. 6. §. 1. l. 25. §. 1. quand. dies legat.* Quodſi demonſtrationis cauſa, res aliqua ſaltem ſit adjecta, intuitu rei futuræ, tum legatum, etiam quoad obligationem, purum eſt *v. l. 27. §. 2. de Legat. 3. l. 12. de alim. leg.*

§. 19. Si res ſimpliciter ſit extra commercium, tum legatum quoque non valet *l. 39. §. §. 9. 10. de Legat. 1. §. 4. I. de legat.* ſi vero hæres ſaltem commercium non habeat, tum res vel æſtimatio debetur *l. 49. §. 3. de Legat. 2.* ſi vice verſa legatarius commercio deſtituatur, tum, ex veriori ſententia nihil præſtandum eſt *l. 49. §. 2. de legat. 2. l. 34. de V. O.* Aliud obtinet, ſi ad uſum rei, legatarius ſit inhabilis *l. 114. §. 5. de Legat. 1.* aut ſi jus poſſidendi, ex pacto ſimilive cauſa, non habeat *l. 40. eod.* nam tum æſtimationem conſequitur, de cætero putem caſus illos, quibus alter commercium habeat, alter non, hodie eſſe rariſſimos.

§. 20. Quando res exiſtit, ac in commercio eſt, tum juri legantis quoque ſubeſſe debet. Res igitur alienæ, in præjudicium eorum, quibus jus competit, legari non poſſunt, hinc etiam legata non ſunt, niſi deducto ære alieno *l. fin. §. 5. C. de jur. delib.* quæ enim defunctus

alii

aliis debuit, de iis, ergo alios, non potuit esse liberalis. Legata etiam non præsumuntur, quæ defunctus sibi ipsi debet, ut impensæ funeris *l. 14. §. 1. de religios.* Porro res alienæ, nec in favorem eorum, quibus jus competit, legari possunt, nam, ridicula liberalitas est, quæ illud donat, quod jam alterius est.

§. 21. Quoad jura & res, quæ legantis arbitrio subsunt, summatim duo casus distingvendi videntur, vel enim *jus & obligatio specialis remittitur*, vel *jus aliquod, cum suo objecto, in legatarium transfertur.* Prius legatum dicitur *liberationis*, hinc posterius non incongrue diceres, *dationis.* De cætero omnis generis jura, dominium, pignus, servitus & jus personale, in legatarium, transferri possunt, id quod tam ex *conditione objecti*, quam *voluntate legantis*, judicandum.

§. 22. Liberatio igitur legari dicitur, quando testator debitori suo debitum remittit *l. 1. pr. l. 3. pr. de liber. leg.* id quod vel in totum, vel pro parte, in perpetuum vel ad tempus, absolute vel intuitu certæ personæ, fieri potest *l. 7. pr. l. 8. §. 1. 3. eod.* Effectus legati est, ut debitor conventus habeat exceptionem, ipso jure autem non liberatur, agere tamen potest, ut per acceptilationem obligatio penitus tollatur *l. 3. §. 2. 3. eod.* sed hæc hodie frustra inculcantur: debitor liberatur; ipso jure, an ope exceptionis, nihil refert, & inanis fuerit opera, qua acceptilatio exigatur, ad hoc verò recte agi potest, ut hæres instrumenta literaria debitori liberato restituat.

§. 23. Quodsi legatarius nihil debeat, & liberatio, sine mentione certæ quantitatis, facta sit, tum legatum inutile est, ob incertitudinem; si verò quantitas expressa sit, valere videtur, quia falsa demonstratio non vitiat legatum, sed cum aliud sit *remittere*, aliud *dare*, ideo non aliter illud admittendum, quam si voluntas dandi, ex remissione quoque colligi queat *v. l. 25. de liberat. legat. l. 75. §. 1. 2. de legat. 1.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 927.*

§. 24. Jura & actiones reales liberatione non remitti, abrupte nimis à nonnullis dicitur, quare dicendum potius, quod omnia jura realia, quæ formaliter in alterum transferri non possunt, sed saltem extingvi debent, liberationes quoque sint objectum. Hinc pignus vel seorsim, vel cum obligatione principali, remitti potest *l. 1 §. 1. de liber. legat.* quod etiam quoad servitutes asserendum *l. 6. 14. §. 1. de*

ſervit. De dominio aliter dicendum, cum enim formaliter in alium transferri queat, hinc legato liberationis non continetur *v. l. 28. §. 4. l. fin. §. 2. de liber. legat.* prætenſio tamen in rem, ab alio jure dominii poſſeſſam, remitti poteſt, quemadmodum etiam ſub liberatione, datio dominii comprehenditur, ſi teſtator id velit, quod legatario probandum eſt *v. l. 34. §. 3. de legat. 2. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 926.*

§. 25. Legata dationis, vario ſine & effectu, fieri poſſe *§. 21.* ad monitum eſt, quod exemplis nonnullis declarandum. Poterit igitur legari res propria *§. 4. I. de legat.* licet eam legans alienam putaverit *§. 11. I. eod.* eſt enim error concomitans. Quodſi res alii ſit oppignorata, valet legatum, ſalvo jure creditoris, cui hæres ſatisfacere debet, ſi teſtator pignus ſciverit, legatarius vero, ſi ignoraverit *§. 5. I. de legat. l. 57. de legat. 1.* Juxta conſvetas interpretandi regulas, res potius erat invertenda. Si res, ad legantem, non in ſolidum pertineat, ſuum ſaltem in dubio ille cenſetur legaſſe *l. 71. §. f. de Legat. 1. l. 67. §. 8. de Legat. 2. l. 30. §. 4. l. 68. pr. de Legat. 3.* aucto tamen jure legantis, legatum creſcit *l. 8. pr. de legat. 1.* Si eadem res ſæpius legetur, ſemel ſaltem debetur *l. 34. §. 1. de legat. 1.*

§. 26. Poterit autem certa ſpecies, quantitas *v. l. 4. de trit. vin. ol. leg.* & genus legari, hoc tamen legatum non aliter valet, quam ſi res generaliter data, habeat certam determinationem *v. l. 13. 37. l. 24. §. 3. l. 71. pr. de legat. 1.* nec poſſit redigi ad rem viliſſimam *v. l. 60. de V. S.* nam, his deficientibus, nimis incerta eſt teſtatoris voluntas *v. l. 69. §. 4. de jur. dot.* De cætero regulariter eligit legatarius, ſed ita ut rem optimam auferre non debeat *l. 37. 110. de legat. 1.* aliquando hæredi competit electio, quæ teſtatoris voluntas, ex modo legandi, etiam colligitur *v. l. 37. §. 1. de legat. 1. l. 43. §. 3. de legat. 2.* Quodſi autem optio ſpecialiter legata ſit, tum pleniſſima eligenda facultate gaudet legatarius *l. 1. 2. de opt. leg. §. 23. I. de legat. l. fin. C. comm. de legat.* ab optionis tamen legato, eſt diſtingvendum legatum alternativum *l. 19. de opt. leg.*

§. 27. Legatur res ſingularis & univerſalis, ſive certa bonorum vel hæreditatis pars *l. 23. 26. §. 2. de legat. 1.* & quidem ſi teſtator legatarium, ſine onere, legatum habere velit, tum hæres de ſua parte æs alie-

alienum exſolvit, modo illa ſufficiat, ac quarta Falcidia ei quoque ſalva ſit; ſi vero legans ad onus etiam legatarium vocaverit, tum æs alienum vel antea deducitur *v. l. 8. §. f. l. 9. de legat. 2.* vel ab hærede præſtitum, pro rata, repetitur. Solet etiam, ratione lucri & damni, inter hæredem & legatarium cautio interponi *§. 5. 6. I. de fideicomm. hæredit.*

§. 28. Sicut autem variæ res in patrimonio hominum exiſtunt, ita varia quoque legata occurrunt. Nam legantur annua quantitas *t. t. de ann. legat.* dos *t. t. de dot. præl.* triticum ſimiliaque *t. t. de trit. vin. ol.* inſtrumentum *t. t. de inſtr. vel inſtr. leg.* penus *t. t. de pen. leg.* ſupellex *t. t. de ſupell. leg.* alimenta *t. t. de aliment. & cib.* aurum argentum, mundus & ſimilia *t. t. de aur. argent. leg.* nec dubitandum, quin, pro vario hominum ſtatu, plura alia legata occurrere queant. In iis autem ſæpe non juris, ſed voluntatis quæſtiones reperiuntur, quæ, ex conſvetis ratiocinandi principiis, decidendæ ſunt, ut tamen interpretatio Romanorum, ſi recepta ſit, primas habeat partes.

§. 29. Non tantum autem res propriæ ea intentione legantur, ut legatarius earum conſequatur dominium, ſed &, ut aliud ſaltem jus acquirat: Nam poteſt pignus legato conſtitui *l. 26. de pign. act.* ſervitus *t. t. de ſervit. legat.* uſusfructus aliaque ſervitus perſonalis *t. t. de uſu & uſufr. legat.* qualis etiam eſt reditus *l. 38. in fin. d. t.* ſi uni fundus, alteri uſusfructus legetur, ambo in uſufructu concurrunt *l. 19. eod.* quæ interpretatio parum naturalis eſt, adeoque quibusdam rejicienda videtur *v.* STRUV. *Jurispr. for. l. 2. tit. 24. §. 7.*

§. 30. Sæpe etiam ſaltem jus perſonale legatur, quod tamen, facto interveniente, dominium ſequitur. Eo pertinet legatum nominis *§. 21. I. de legat.* ſi nomen ſit inidoneum, hæres nihil amplius præſtare debet *l. 44. §. 6. l. 75. §. 2. l. 105. de legat. 1. l. 88. §. 8. de legat. 2.* Effectus igitur legati eſt, quod legatarius debitum exigere queat: *Utilis actio* aut *ceſſio hæredis v. l. 18. C. de legat.* hodie fruſtra inculcantur, nihil enim aliud, ab hærede, exigi poteſt, quam ut legatario documenta neceſſaria edat, ac ipſum mandato inſtruat, ſi forte alieno nomine agere malit *v. l. 4. c. 4 §. 2. 3.* De eo etiam dubitandum non eſt, quin nomen, cum ſuis acceſſionibus, legari queat *v. l. 6. 23. de H. & A. V.*

§. 31. Jus perſonale legatarius etiam conſequitur, ſi quantitas vel genus legetur, & habet quidem, quantitate legata, hæres electionem *l. 4. de tritic. vin. oleo leg. v.* CARPZ. *3. D. 300.* Idem dicendum ſi factum hæredis utile *§. 21. I. de legat.* vel ejus res, legatario donetur *§. 4. I. eod.* & valet legatum licet legans, rem legatam, ſuam eſſe putaverit *l. 67. §. 8. de legat. 2.* Si plures ſint hæredes, & unius res, vel extraneo, vel cohæredibus legetur, tum omnes, pro parte hæreditaria, teneri, quidam putant, cum obligationes defuncti, pro rata in hæredes tranſeant *l. 7. C. de liber. cauſ. l. 14. C. de R. V. l. 7. C. de N. G. l. 1. C. ſi cert. pet. l. 2. 6. C. de hæred. action.* ſed verius eſt, quod ſoli domino, onus præſtandi legati ſit impoſitum *v. §. 1. I. de leg. Falcid.* & fruſtra, ab obligationibus defuncti transmiſſis, ad obligationes novas, ab eo conſtituendas, hic argumentum ducitur *v.* DN. THOMAS. *in not. ad* HUBER. *poſit. ad I. de legat. n. 36.*

§. 32. Inprimis jus perſonale, ex legato, oritur, ſi res aliena legetur, nam tum vel res, vel ejus æſtimatio petitur *§. 4. I. de Legat. l. 71. §. 3. de legat. 1. l. 14. §. 2. de legat. 3.* Non tamen legatum regulariter valet, niſi teſtator qualitatem rei ſciverit *l. 67. §. 8. de legat. 2.* quod adeo legatarius probare debet *§. 4. I. de legat. l. 2. 21. de probat.* ſi vero cognatis res aliena legata ſit, ſimpliciter legatum ſubſiſtit *l. 10. C. de legat.* CARPZ. *6. Rſp. 28.*

§. 33. Quodſi legatarius rem alienam, ſibi legatam, à domino conſecutus ſit titulo oneroſo, pretium ejus, ex teſtamento, exigit, ſi lucrativo, nihil amplius conſequitur *§. 6. I. de legat. l. 17. de O. & A.* ſed ex voluntate defuncti, omni caſu legatum valere debebat. Interim ex illo principio Romano plura conſequuntur. Si eadem res à duobus alicui legata ſit, & legatarius, ex uno teſtamento, rem acceperit, ex altero nihil amplius petere poteſt; ſi vero æſtimationem ex primo conſecutus ſit, ex ſecundo, rem ipſam exigit *d. §. 6. I. de legat.* quam ultimam partem nulla niti ratione, manifeſtum eſt, nam quæ ex *l. 88. de V. S.* deſumitur, nihil probat *add. l. 34. §. 2. l. 84. §. 2. de legat. 1.*

§. 34. Pretium rei alienæ legatæ peti poteſt, ſive ſciens ſive ignorans Legatarius eam emerit *l. 34. §. 7. de legat. 1.* ſive mortuo ſive vivo teſtatore, imo jam tempore faciendi teſtamenti, emtio facta ſit, modo lega-

Digitized by Google

legatarius, hoc ultimo casu, pretium nondum solverit HUBER. *in prælect. ad I. de legat. p. 195. n. 5.* Si legatario fides de pretio sit habita, adeoque in eum dominium translatum, nihilominus pretium ex testamento recte petit, licet aliis ita non videatur *v.* THOMAS. *in not. ad* HUBER. *posit. ad I de legat. n. 42.* nam licet tempore testamenti, Legatarius rei dominus fuerit, pretium tamen pro re solvendum, est res aliena ac utiliter legari potuit, nec etiam testator certam rem, legatarii propriam, mente sua complexus est, ut in *§. 10. I. de legat.* sed potius rem alienam, vel ejus æstimationem legare voluit.

§. 35. Exemplum rei alienæ est etiam *feudum*, quod adeo, ad effectum æstimationis consequendæ, recte legatur *l. 39. §. 7. de legat. 1.* nec opus est, ut legans hoc diserte expresserit, licet nonnullis ita videatur *v.* STRUV. *S. J. F. c. 9. §. 12. n. 9.* frustra etiam feudum, pro re extra commercium posita, à quibusdam habetur *v.* FINCKELTHAUS *disput. feud. disp. 6. §. 7.* Porro exemplum rei alienæ, quodammodo est *res litigiosa*, sed hoc casu nihil aliud legatum regulariter censetur, quam dubius litis eventus *Nov. 112. c. 1. v.* LAUTERB. *C. J. de legat. lit. O.*

§. 36. Si alicui res propria, aut creditori debitum legetur, legatum est inutile, nec æstimatio debetur, cum enim legans communi sensui velut obluctetur, ejus voluntatem benigna interpretatione adjuvare, haut visum est *§. 10. 14. I. de legat. l. 13. C. eod. l. 3. §. 4. de A. A. P. l. 41. §. 2. de legat. 1. l. 1. §. 10. ad L. Falcid.* Quia tamen animus legandi in legante, omnino adesse videtur, hinc, si quid alienum, circa rem legandam, tempore legati occurrat, adeoque hoc legatario utile esse possit, ejus validitas non immerito asseritur.

§. 37. Dubium igitur non est, quin rei propriæ æstimatio alicui possit legari, si legans diserte hoc expresserit. Valet etiam legatum si res revocabiliter ad legatarium spectet *l. 82. §. 1. de legat. 1. l. 22. de A. A. P.* aut alius in ea jus habeat *l. 43. §. f. l. 71. §. 5. l. 86. de legat. 1. l. 15. de capt. & postlim.* Si tempore testamendi faciendi rem legatam legatarius emerit & pretium adhuc debeat, legatum quoque valere videtur, ut à pretio liberetur, cum enim in hoc aliqua vertatur utilitas, & in legante animus legandi adsit, valor legati merito asseritur *v. l. 34. §. 7. l. 84. §. 5. de legat. 1.* HUBER. *in posit. ad I. de legat. n. 46.*

Si

Si post testamentum factum, legatarius demum rem comparaverit, tum obtinent dicta §. 33. 34.

§. 38. Debitum quoque Creditori recte legatur, si plus sit in legato quam debito §. 14. I. de legat. l. 11. de liber. legat. l. 1. §. 10. ad L. Falcid. l. 28. 29. de legat. 1. l. 34. de usur. quodsi adeo debitum conditionale vel in diem, pure legetur, legatum utile est, si autem, vivo testatore, conditio vel dies existat, legatum nihilominus manet, ex sententia nonnullorum §. 14. I. de legat. l. 5. ad L. Falcid. sed ex aliorum, intercidit l. 82. de legat. 2. qui dissensus innoxius est, cum res eodem recidat, sive unum, sive duplex ejusdem effectûs jus, ratione unius rei asseras. Hodie, ob commodum pignoris l. 1. C. comm. de legat. cujusvis debiti simplicis legatum utile est.

§. 39. Si quis, cum nihil deberet, debitum putativum, expressa certa quantitate, leget, legatum utile est l. 88. §. 10. de legat. 2. l. 25. in fin. de liber. legat. ac præsumitur animus legandi, hinc legatarius eum probare non debet, sed hæres potius, si nihil præstare velit, contrarium ostendere tenetur l. 18. de aur. arg. legat. plane si, ultra certam quantitatem, legari alicui sponte nequeat, legatum debiti non aliter valet, quam si legatarius ejus veritatem probet l. 27. de probat. add. HUBER. in posit. ad I. de legat. n. 19. ibique THOMAS in not.

§. 40. Modus legandi, est vel *legalis*, qui, ex præscripto legum, est observandus, vel *arbitrarius*, qui ex voluntate legantis obtinet. Illum quod concernit, relinquuntur legata testamento l. 36. de legat 2. codicillis §. 1. I. de legat. l. 2. C. comm. de legat. l. 22. C. de fideicomm. CARPZ. p. 3. C. 4. D. 31. & aliquando, voluntate privilegiata, quæ nihil, nisi genuinam probationem, requirit l. fin. C. de fideicomm. v. CARPZ. p. 3. C. 8. D. 40. 41. quamvis hoc ultimum nonnulli haut admittant v. HUBER. in posit. ad L. de sing. reb. per fideicom. n. 7. ibique THOMAS in not. Modus arbitrarius conspicitur potissimum in *ordine* & *adjectionibus*.

§. 41. Possunt adeo legata, vel ante, vel post hæredis institutionem, relinqui §. 34. I. de legat. sed magis naturale est, ut hanc sequantur v. HUBER. in posit. ad I. de legat. n. 82. Præterea relinquuntur legata vel *pure*, de quo nihil amplius dicendum, vel cum *aliqua adjectione*, dum dies, conditio vel modus adjicitur, quæ voluntatem legan-

Digitized by Google

legantis temperant. Dies adjicitur vel tanquam *terminus à quo*, quo casu exactio legati differtur *l. 21. quand. dies legat. ced.* potest tamen id, ante diem, ultro præstari *l. 1. §. 1. de condit. & demonstr.* vel tanquam *terminus ad quem*, tum, ejus lapsu, legatum finitur, nec subtilitatis Romanæ *v. l. 44. §. 1. de O. & A. l. 56. §. 4. de V. O.* hodie aliquis est usus.

§. 42. Conditio impossibilis & turpis, legatario adjecta, pro non scripta habetur *l. 3. 20. de condit. & demonstr. §. 10. I. de H. I.* turpis etiam est conditio mutandæ religionis *v. l. 8. pr. l. 9. 14. 15. de condit. instit. l. 5. C. de inst. & substit.* CARPZ. *p. 1. Dec. 89.* Possibilis autem conditio, ad consvetos effectus, recte adjicitur *v. l. 41. de condit. & demonstr. l. 21. quand. dies legat. ced. v.* BACHOV. *V. 2. D. 13. th. 6.* Quodsi, pendente conditione, legatarius, rem legatam ab hærede sciens emat, existente conditione, pretium repetere potest, non quidem ex emto, sed testamento, ut censet HUBER. *in posit. ad I. de legat. n. 42.* ex *l. 29. de A. E. V. l. 53. de R. J.* cui tamen contradicit DN. THOMAS *in not.*

§. 43. Sed potest omninò jus petendi pretium probabiliter asseri, nam qui rem, sibi sub conditione legatam, emit, neque pretium donat, neque legato renunciat, sed ideo potius pretium solvit, quo vel re statim potiatur, vel etiam, in eventum contrarium, conditionis scilicet non existentis, eam habeat. Quodsi igitur conditio legato adjecta existat, tum pretium perinde repetit, sicut ille, qui rem sub conditione alii legatam, interim sciens emit *l. 3. §. 4 C. comm. de legat.*

§. 44. Nec obest argumentum ex *l. 29. de A. E. V. l. 53. de R. J.* à contrario sensu deductum, nam sciens indistinctè pro donante haberi nequit, sed tum demum, si simpliciter, & sine conditione, indebitum promittat aut præstet, hoc vero, in nostro casu non fieri, ex ante dictis liquet. Illa tamen subtilitas, qua non ex emto, sed testamento agendum esse existimatur, omnino supervacua est, nam utrumque electivè legatario eidemque emtori licet, si enim emtionem, in suo statu, relinquere velit, tum pretium, velut legatum, exigit, si vero rem possessam, ut legatam, consideret, tum pretium ex emto repetit, quia conditio contractus deficit.

§. 45. Inprimis legatario adjici poteſt conditio faciendi *v. l. 13. 14. 15. de condit. & demonſtr.* & non faciendi, circa quam locus eſt cautioni Mutianæ *l. 7. 18. 72. §. 2. l. 73. 101. §. p. de condit. & demonſtr. l. 65. §. 1. ad SCt. Trebell. Nov. 22. c. 44. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 942.* Poteſt etiam, circa hæredem, utraque illa conditio occurrere eo ſenſu, ut, ſi aliquid faciat vel non faciat, alteri legatum præſtet, nam, &, in arbitrium debitoris, præſtationem ſuo modo poſſe conferri, certum eſt, modo arbitrium non ſit plane illimitatum *v. l. 17. 46. §. fin. de V. O. l. 8. de O. & A. l. 7. ff. l. 13. C. de C. E. V. l. 43. §. p. de legat. 1.*

§. 46. Interim veteribus, nimia ſubtilitate, ejusmodi conditiones nonnunquam in pœnam degenerare videbantur, quam cum legatis non poſſe conſiſtere exiſtimabant, hinc, prout viſum fuerat, aliquando talis adjectio admittebatur *v. l. fin. §. fin. de except. dol. l. 1. de pen. legat.* aliquando rejiciebatur *§. 36. I. de legat. v.* HUBER. *in poſit. ad I. de legat. n. 83.* VINN. *in not. ad d. §. 36.* Sed cum illud diſcrimen nimis ſit lubricum *v. l. 2. de his quæ pœn. cauſ.* præterea perſvaſio, qua pœna ejusmodi, legatis adverſari exiſtimatur, ſolida ratione non nitatur, ideo inutiles illas tricas merito ſuſtulit Juſtinianus *§. 36. I. de legat. l. un. C. de his quæ pœn. nom. relin.* Si tamen legati præſtatio, hæredi injungatur, niſi impoſſibile vel turpe quid faciat, tum legatum eſt nullum, & injunctum impune omittitur, abſurdum enim eſt, ut hæres incommodum ſentiat, ideo quod rem impoſſibilem vel turpem omittat *d. §. 36. I. de legat. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 937.*

§. 47. Modus etiam legato adjicitur, ut ſcilicet legatarius aliquid faciat, veluti ſi Academiæ legetur certa quantitas, quo, ex fructibus, pauperes Studioſos alat *l. 17. §. 4. de condit. & demonſtr.* Conceditur hoc legatum, accepta cautione, de modo implendo *l. 40. §. 5. l. 80. eod. l. 41. de C. E. V. l. 19. de legat. 3. l. 48. de fideicomm. libert.* niſi modus, legatarii cauſa, ſaltem ſit adjectus, tum enim ceſſat cautio *l. 71. de condit. & demonſtr.* quemadmodum etiam hæc non ſemper exigi ſolet v. gr. ab univerſitate, cui quid ſub modo legatum. Modus non differt legatum ſicut conditio, ſi tamen, illo præſtito, non impleatur, vel ad ejus impletionem agitur, vel legatum reſolvitur *v. l. 1. C. de donat.* quo ſenſu, cum conditione, convenit, adeoque à nonnullis cum ea confunditur *v.* CARPZ. *p. 3. C. 13. D. 26.*

§. 48. Ex

§. 48. Ex legato legatarius consequitur jus, quod in ipsum legans transferre potuit & voluit, id quod tam ex *objecto*, quam *modo legandi* cognoscendum est, secundum ea, quæ §. *16. seqq.* §. *40. seqq.* dicta sunt. Est ergo illud aliquando reale, aliquando personale, nonnunquam purum & exigibile, quandoque sub conditione vel die suspensum, aliquando mere lucrosum, aliquando cum aliquo onere conjunctum. Nec igitur legatum est semper modus acquirendi dominii, ceu nonnulli secure nimis asserunt, insulso Institutionum Justinianearum ordine, ut videtur, decepti.

§. 49. Præterea legatariis, ex legis provisione, competit hypotheca tacita *l. 1. C. comm. de legat.* quæ tamen in præjudicium creditorum non valet *v. l. 4. §. 1. l. 6. pr. de separat. l. 22. §. 5. C. de jur. delib.* sed chirographarii etiam legatariis præferuntur, nam legata non sunt, nisi deducto ære alieno *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 117. n. 4.* Porro non afficit illa hypotheca res aliis legatas *v.* BRUNNEM. *ad l. 1. C. comm. de legat. n. 9.* nec res hæredis, nisi bona testatoris consumserit aut alienaverit *v.* RICHTER. *de privileg. Cred. c. 4. Sect. 1. n. 151.*

CAPUT IIX.

DE TESTAMENTIS INVALIDIS.

SUMMARIA.

Testamenta aliquando sunt nulla, aliquando infirmantur §. 1.
Illud contingit ob defectum voluntatis, facultatis testandi, solennitatis externæ §. 2.
Et internæ §. 3.
Testamentum validum rumpitur agnatione sui hæredis §. 4.
Ethodie liberorum in genere §. 5.
Certo tamen respectu testamentum tale valet §. 6.
Rumpitur etiam voluntatis mutatione §. 7.
Revocatio verbalis tollendo testamento sufficit §. 8.
Ut & voluntas contraria factis declarata §. 9.
Quævis tamen facta eam non inferunt §. 10.
Posterius testamentum tollit prius §. 11.
Modo sit perfectum §. 12.
Aliquando testamentum fit irritum §. 13.
Sed iterum nonnunquam convalescit §. 14.
Quorum jurium hodie exiguus usus §. 15.
Deficiente hærede testamentum destituitur §. 16.
Repudiatio hæreditatis in fraudem legatariorum facta his non nocet §. 17.
Testamentum rescinditur jure prætorio, quod hodie cessat §. 18.
Et civili si sit inofficiosum §. 19.

§. 1.

Diſpiciendum nunc eſt de teſtamentis invalidis, licet enim ex iis, quæ hactenus diximus, ultimarum voluntatum invaliditas, fere etiam intelligatur, attamen operæ pretium erit, eam ſeorſim & magis explicatè expendere. In genere teſtamentum eſt vel *ab initio nullum*, vel *validum infirmatur*, hoc quatuor modis fit, dum *rumpitur, irritum fit, deſtituitur* & *reſcinditur*, quæ ſingula breviter perſequemur.

§. 2. Teſtamentum ab initio eſt nullum (1.) ob *defectum voluntatis*, ſi teſtaturus, morte præventus, eam non abſolverit *§. 7. l. quib. mod. teſtam. infirm.* quodſi tamen id, quod ſcriptum eſt, perfectum habeat ſenſum, tum, favore ejus, cui aliquid relictum eſt, aliquando ultima voluntas ſuſtinetur. *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 12. §. 4. r. ibique* STRYK. *in not.* Eadem nullitas oritur ex defectu conditionis adjectæ *§. 2. l. quib. mod. teſtam. infirm.* (2.) ob *defectum facultatis teſtandi*, nec clauſula codicillaris hic aliquid operatur *l. 4. §. 6. qui teſtam. fac. poſſ. l. 6. §. 2. de jur. codicill.* (3.) ob *defectum ſolennitatis externæ* de qua *c. 3.* actum, nec poteſt teſtator ſolennitates improbare *l. 55. de legat. 1.* in vim tamen codicilli, ultima voluntas quandoque valet *v. l. 88. §. f. de legat. 2. junct. l. 75. cod. l. 22. C. de fideicomm. v. c. 3. §. 30. 42.*

§. 3. Denique teſtamentum non valet (4.) ob *defectum ſolennitatis internæ*, ſi nimirum parentes liberos, vel hi illos excludant, ſine expreſſione cauſæ habilis, tum enim eſt nullum, ſed ſaltem quoad inſtitutionem, quæ receptior eſt ſententia *c. 4. §. 3.* jam relata. Uti autem, virtute clauſulæ codicillaris, in vim fideicommiſſi, tale teſtamentum ſuſtineri poteſt *v. c. 3. §. 42.* ita ſi excluſus ultrò abſtineat, illud ſimpliciter valet *l. 17. de injuſt. rupt. irrit. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 862.* idem dicendum hodie, ſi excluſus, ante teſtatorem, moriatur, cum enim non ſimpliciter, ſed ſaltem, favore excluſi, quoad inſtitutionem, teſtamentum nullum ſit, ideo, illo deficiente, nullitas ceſſare, nec diſpoſitio *l. 7. de lib. & poſthum. pr. I. de exhæred. liber.* amplius obtinere videtur.

§. 4. Teſtamentum ab initio validum aliquando *rumpitur*, quod fit (1.) *agnatione ſui hæredis* & (2.) *voluntatis mutatione*. Prius obtinet, ſi poſt

si post testamentum existat suus hæres, & is neque institutus, neque legitime exclusus sit. Est autem agnatione sui hæredis, vel *naturalis*, quando post testamentum, proles viva & non monstrosa, testatori legitime nascitur *l. 3. pr. §. 1. 2. de injust. rupt. irrit. l. 3. C. de post. hared. instit. l. 12. pr. §. 1. de liber. & post. hæred. l. 14. de stat. hom. v.* CARPZ. *p. 3. C. 17. D. 18.* vel *civilis*, quæ contingit successione nepotis in locum sui patris *l. 13. de injust. rupt. irrit.* legitimatione *Nov. 74. 89.* & adoptione plena *l. 8. de injust. rupt. irrit. l. 11. C. de adopt.* Ex testamento autem, agnatione sui hæredis rupto, nihil valet *l. 1. C. de posth. hared. instit. v.* LAUTERB. *C J. de injust. rupt. irrit.*

§. 5. Sed ista ad jus antiquum pertinent, quodsi autem admittas sententiam, proximè *§. 3.* relatam, tum hoc etiam caput dupliciter mutatum est, nam (1.) non requiritur præcise agnatio sui hæredis, sed sufficit nativitas liberorum, jus succedendi habentium in genere, hinc in specie matris quoque testamentum, ruptioni subjacebit (2.) testamentum saltem rumpitur quoad institutionem, si enim liberi præsentes illegitime exclusi, eo solum respectu, testamentum faciunt nullum, liberi nati, pleniori effectu, illud non poterunt rumpere *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 864.*

§. 6. Ex testamento igitur rupto, legata sunt solvenda, nisi fortè posthumus nascatur, cum testator uxorem prægnantem esse ignoraret, hic enim, ex præsumta patris voluntate, ad exsolvenda legata non tenebitur *v. §. 6. I. de exhæred. liber. l. 9. 10. C. de testam. milit. l. 7. ff. eod.* CARPZ. *p. 3. C. 9. D. 4. 5.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 865.* Quodsi proles, post testamentum nata, ante testatorem moriatur, jure prætorio illud sustinetur *l. 12. de injust. rupt. irrit.* sed hodie etiam jure civili valet *v. §. 3. h.* Potest etiam testamentum ruptum, in vim fideicommissi sustineri, si testator, liberorum non ignarus, clausulam codicillarem adjiciat *v. l. 29. §. 1. qui testam. fac. poss. l. fin. C. de codicill. l. 102. de condit. & demonstr. l. 30. C. de fideicomm.*

§. 7. Rumpitur quoque testamentum voluntatis mutatione *v. l. 4. de adim. legat. l. 22. de legat. 3. l. 19. C. de testam.* quæ mutandi facultas, etiam in testamentis conjugum, altero mortuo, superstiti asseritur *v.* CARPZ. *p. 3. C. 2. D. 12. C. 7. D. 21.* FINCKELTH. *Obs. 99. n. 14.* sed malis rationibus *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 866. 867.* De cæ-

tero voluntas, posterior vel saltem *ad prius testamentum destruendum pertinet*, vel insuper *novum testamentum continet*, sive est vel *privativa tantum*, vel *constitutiva*.

§. 8. Voluntas privativa *verbis* vel *factis* declaratur. Illo casu, prius testamentum, ex communi sententia, non aliter tollitur, quam si decennium, à tempore facti testamenti computandum, sit elapsum *l. 27. C. de testam.* juxta quam *l. 1. §. 8. und. liber.* accipiendam putant. Hodie tamen revocationem, coram septem testibus factam, sufficere censent FINCKELTH. *Observ. 93. n. 17.* LAUTERB. *C. J. de injust. rupt. irrit.* Sed verius est, quod sola revocatio legitime probata, tollendo testamento sufficiat, nam in *l. 27. C. de testam.* non fit mentio decennii, quasi ejus lapsus sit necessarius, sed quo iis, qui istius temporis lapsu, testamentum everti putabant, sententiæ ineptitudo velut ex probretur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 868.* add. *Decis. Saxon. 44. in fin.*

§. 9. Factis declaratur voluntas, si tabulæ testamenti corrumpantur, inducantur, cancellentur, lacerentur vel sigilla turbentur, nam olim in parte externa, testamenta fuerunt signata *l. 30. C. de testam. l. 1. 2. de his quæ in testam. del.* Hoc modo prius testamentum tollitur *v. l. 48. §. 3. de ædil. edict.* ac hæreditas pertinet ad hæredes ab intestato *l. 1. §. 8. und. lib. l. 4. de his quæ in testam. del.* his verò deficientibus, ad fiscum *l. 3. eod.* modo constet, testatorem consultò testamentum corrupisse, quod in dubio præsumitur, si apud testatorem reperiatur *v. l. 30. C. de testam. l. 1. 2. l. fin. de his quæ in testam. del.* CARPZ. *p. 3. C. 5. D. 28.* Testamentum nuncupativum rumpitur cancellatione instrumenti, super eo confecti, licet Notarius in protocollo illud non deleverit LAUTERB. *C. J. de injust. rupt. irrit.*

§. 10. Inductio in unius hæredis odium facta, si de hoc satis constet, cæteris non nocet, sed his potius pars vacans accrescit *l. 2. de his quæ in testam. del.* omnium hæredum nominibus inductis, testamentum mutatur in codicillum ab intestato factum *l. 3. eod.* sola testamenti relignatio, illud, non tollit CARPZ. *p. 3. C. 5. D. 27.* quemadmodum testamenti judicialis repetitio, etiam innoxia est CARPZ. *p. 3. C. 3. D. 30.* quæ sententia, apud FINCKELTH. *Obs. 12.* licet improbata *Decis. Saxon. 44.* confirmatur.

§. 11. Vo-

§. 11. Voluntas constitutiva, sive posterius testamentum, prius tollit, licet hujus nulla fiat mentio *l. 27. C. de testam.* aut priori clausula de non abrogando sit addita *l. 22. de legat. 3. l. 6. §. 2. in fin. de jur. codicill.* hodie tamen hoc casu expressam prioris abrogationem requirunt *v.* LAUTERB. *C. J. de injust. rupt. irrit. testam.* Effectus ille quoque sequitur, licet posterius sit saltem diversum, non contrarium *§. 2. I. quib. mod. testam. infirm.* aut in eo hæres sub conditione sit institutus & hæc deficiat *l. 16. de injust. rupt. irrit.* vel idem hærede destituatur *l. 1. 16. de injust. rupt. l. 9 de liber. & posth.* aut institutionem particularem contineat *§. 2. 3. I. quib. mod. testam. infirm.*

§. 12. Non aliter tamen posterius testamentum rumpit prius, quam si fuerit perfectum *l. 18. de legat. 3. l. 21. §. 3. C. de testam.* tam ratione voluntatis *l. 25. qui testam. fac. poss. §. 7. I. quib. mod. testam. infirm.* quam solennitatis *l. 2. de injust. rupt. irrit.* testamentum igitur inofficiosum prius non rumpit *arg. l. 1.* verb. *hæres existere poterit. de injust. rupt. irrit. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 869.* privilegiatum vero prius tollit ut, & illud, in quo hæredes ab intestato, adhibitis quinque testibus, sunt instituti, nam hic est exceptio admissa *l. 2. de injust. rupt. l. 21. §. 3. C. de testam.* Aliquando prius testamentum, in vim fideicommissi sustinetur, si testator hoc voluerit *l. 29. ad SC. Trebell. §. 3. I. quib. mod. testam. infirm.* aliquando reconvalescit in solidum, posteriori iterum sublato *l. pen. §. 2. de B. P. secund. tab.*

§. 13. Porro testamentum, ab initio validum, aliquando *fit irritum*, si scilicet testator maximam *l. 6. §. 5. de injust. rupt.* mediam *d. l. 6. §. 7.* vel minimam capitis diminutionem patiatur, hæc contingit arrogatione *l. p. §. 2. B. P. secund. tab.* adoptione plena, si scilicet filiusfam. de peculio castrensi testatus, in adoptionem detur, & emancipatione *l. 22. 23. de testam. milit. §. 5. I. eod.* circa quam itidem testamentum, de peculio castrensi factum, præsupponi debet.

§ 14. Reconvalescit tamen testamentum, si testator statum pristinum recuperet *l. 6. §. 12. de injust. rupt.* vel eundem suo modo retineat. Hinc si arrogatus iterum emancipetur, testamentum reviviscit *l. 11. §. 2. de B. P. secund. tab.* idem dicendum, si is, qui de bonis

bonis caſtrenſibus teſtamentum fecit, ſe adrogandum dederit, nam tum in illis bonis, quæ naturam peculii caſtrenſis nunc induunt *l. 4. §. fin. de caſtrenſ. pecul.* teſtamentum manet, quod etiam, facta adoptione, obtinet *l. 22. 23. de teſtam. milit.* Denique, poſt emancipationem, teſtamentum etiam ſuſtinetur; ſed omnibus illis caſibus, nova voluntas requiritur *l. 11. §. 2. de B. P. ſecund. tab.* militi tamen minima capitis diminutio plane non obeſt *l. 22. 23. de milit. teſtam. §. 5. I. eod. add.* LAUTERB. *C. J. de injuſt. rupt.*

§. 15. Hodie illa jura exiguum habent uſum, nam maxima & media capitis diminutio ceſſat, nec bannum valde frequens eſt: Arrogatio & adoptio raro fiunt, & putem, teſtamenta in rebus caſtrenſibus facta, hodie poſt illas, directe etiam, ſine nova voluntatis declaratione, manere, nam contraria ſententia, ex antiquo juris patrii rigore, fluxiſſe videtur. Denique emancipatio expreſſa, uti hodie quoque rarior eſt, ita teſtamentum emancipati plane non mutat, cum emancipandus, in ſtatum ſervilem, non deducatur, ex quo commento, ſat evidenter contraria ſententia habet originem.

§. 16. Non minus etiam teſtamentum, ab initio validum, aliquando *deſtituitur*, quando hæres ſcriptus, hæreditatem vel, ob incapacitatem, adire non poteſt, vel ultro adire non vult *l. 9. §. 2. in fin. de lib. & poſth. l. 1. in fin. de inj. rupt. irrit. l. 9. de teſtam. tutel.* quo caſu nec legata debentur *l. 73. pr. ad L. Falcid. §. 2. I. eod. 14. C. de fideicom.* niſi acceſſerit clauſula codicillaris *v. d. leg. 14. C. de fideicom. l. 29. C. eod.* CARPZ. *p. 3. C. 2. D. 21.* Jure novo, hærede nolente, legatarii adire poſſunt *Nov. 1. c. 1. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 870.*

§. 17. Si hæres ab inteſtato ſit in teſtamento inſtitutus, ac is, in fraudem legatariorum, omiſſa cauſa teſtati, ab inteſtato velit ſuccedere, nihilominus legata exſolvere tenetur *l. 2. C. ſi omiſſ. ſit cauſ. teſtam. l. 1. pr. §. 9. l. 6. §. 1. ſeqq. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* Si hæres extraneus, ab hæredibus ab inteſtato accipiat pecuniam, ne adeat, tum hæredes ab inteſtato legata præſtare debent, ac, in ſubſidium, etiam hæres ſcriptus *l. 1. §. f. l. 2. 3. 4. pr. eod.* quæ omnia, ex æquitatis principiis, promanant *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 904.*

§. 18. De-

Digitized by Google

§. 18. Denique teſtamentum, ſummo ſaltem jure validum, aliquando *reſcinditur*; hoc fit vel *jure prætorio*, quando filio emancipato præterito, datur bonorum poſſeſſio contra tabulas *l. 6. §. 1. de B. P. l. 3. §. 12. l. 8. §. 2. l. 18. pr. de B. P. contr. tab. §. 3. I. de exhæred. liber.* quam diſpoſitionem hodie quoque obtinere, multi putant, ſed ex receptiori ſententia, de qua §. 3. *h.* teſtamentum hoc caſu eſt ipſo jure nullum quoad inſtitutionem *v.* OBSERV. LAUTERB. *854.* vel *jure civili.*

§. 19. Hoc contingit, ſi teſtamentum ſit *inofficioſum*, i. e. ſi ii, quibus debetur legitima, *ritè* quidem, ubi hoc requiritur, ſed tamen *injuſte* ſint excluſi, in quo explicando interpretes non conſentiunt. Ex ſententia communi, cujus aliquoties meminimus, illud fit, ſi Parentes aut liberi, non relicta legitima, liberos vel parentes, qui jus ſuccedendi habent, cùm expreſſione cauſæ habilis, excludant quidem, ſed illa cauſa probari nequeat: Porro ſi fratres Germani aut conſangvinei, fratres vel ſorores, quovis modo omittant, legitima non relicta ac turpi perſona iis prælata, & nulla excluſionis cauſa ſubſit, de qua re explicatius agam, quando querela inofficioſi explicanda erit.

CAPUT IX.

DE INVALIDITATE LEGATORUM.

SUMMARIA.

Legata variis modis infirmantur §. 1.
Tolluntur in totum ademtione verbali §. 2.
Quæ probanda §. 3.
Et reali, quæ varie fit §. 4.
In ſpecie illa colligitur ex nominis exactione, acceptilatione §. 5.
Capitalibus inimicitiis ademtione modi §. 6.
Et rei legatæ mutatione §. 7.
Ademtionis objectum & effectus §. 8.
Legatum tollitur translatione §. 9.
Ejus ſolennia & effectus §. 10.
Legatum quoque eſt invalidum ob obſcuritatem, ut & poteſtatis aut voluntatis defectum §. 11.
Infirmatur quoque legatum voluntate legatarii ac autoritate legis poſitivæ §. 12. 13.
In ſpecie ob legatarii indignitatem §. 14.
Minuuntur legata voluntate legantis & lege Falcidia §. 15.
Deductio quartæ Falcidiæ competit hæredibus §. 16. 17.
Non iis qui titulo ſingulari ſuccedunt §. 18.
Falcidiæ objectum §. 19.
Deducitur illa ex bonis quæ tempore mortis fuerunt §. 20.

Computatio quartæ §. 21.
In ſpecie quoad legata in ſingulos annos præſtanda §. 22.
Exhibetur computatio magis expedita §. 23. 24.
Alius computandi modus §. 25.
Cum præcedente collatus §. 26.
In legato annuo Reipublicæ dato quomodo Falcidia computanda §. 27.
Modus detrahendi quartam §. 28.
Remedia ad eam conſequendam comparata §. 29.
Falcidiæ contraria ac à Trebellianica diſcrimen §. 30. 31.
Uſus hodiernus §. 32.

§. 1.

HÆc etiam ſeparatim conſiderari meretur. In genere legata vel *corruunt cum teſtamento*, quod quando accidat, ex *cap. præc.* intelligendum eſt, vel *ſeorſim non valent*, quando vel nullum teſtamentum eſt conditum, vel, hoc ſalvo, illa effectu deſtituuntur. Hoc fit vel *in totum*, vel *in tantum*, ſive *ex parte*, utriusque autem cauſa ſummatim à voluntate legantis, legatarii & lege poſitiva dependet.

§. 2. In totum legata, *voluntate legantis*, deſtruuntur (1.) per *ademtionem*, quando legata, recte data, iterum auferuntur *l. 4. de adim. legat. l. 22. de legat. 3. v.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 928.* Fit adeo contraria voluntate, quæ non præſumitur ſed probari debet *l. 22. de probat.* de cætero declaratur *verbis* vel *factis.* Illa iterum ſunt vel directa *l. 3. §. 10. l. 6. §. f. de adim. legat.* vel indirecta *l. 13. 29. eod.* in ſcriptis vel vivâ voce prolata; quo verò ademtio valeat, quinque teſtes ad eam, ex nonnullorum ſententia, requiruntur *v.* CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 31.* LAUTERB. *C. J. de adimend. legat.*

§. 3. Sed verius eſt, quod nihil, niſi genuina probatio, requiratur, nam ſolennitas aliqua nullibi exacta eſt *v. l. 3. §. fin. de adim. leg. l. 18. de legat. 3. l. 27. C. de fideicomm. l. 12. de teſtib. l. 4. §. 10. de dol. except.* COLER. *p. 2. D. 249.* CARPZ. *p. 3. C. 13. D. 19.* STRYK *in not. ad* LAUTERB. *de adim. leg.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 929.* Interim, ob variantes interpretum ſententias, vix conſultum eſt, in nuda ademtione acquieſcere. Quodſi ex cauſa ademtio facta ſit, illaque falſa reperiatur, hæc nihilominus valet *arg. §. 31. I. de legat.* CARPZ. *p. 3. C. 9. D. 25. l. 6. Reſp. 22. in fin.* ſi tamen cauſa illa unice teſtatorem moverit, & hoc probet legatarius, tum ademtio erit irrita *arg. l. 72. §. 6. de condit. & demonſtr.*

§. 4. Ademtio quoque fit factis directis *l. 16. de adim. leg.* &c in-

Digitized by Google

indirectis: Eo pertinet alienatio rei legatæ, animo adimendi facta §. 12. I. de legat. licet illa invalida sit l. 20. 24. §. 1. de adim. leg. aut res alienata, redemta sit à testatore l. 15. eod. si pars alienata, residuum debetur l. 8. de legat. 1. In dubio, si res alienata ex causa necessaria, legatum ademtum non est l. 11. §. 12. de legat. 3. l. 34. §. 1. de aur. leg. bene vero, si ex causa voluntaria l. 18. l. 24. §. 1. de adim. leg. Exoppignoratione ergo ademtio non colligitur §. 12. I. de legat. l. 3. C. eod. l. 32. §. 5. de donat. inter V. & U. Nov. 162. c. 1. §. 1.

§. 5. Porro eò pertinet nominis vel debiti legati exactio l. 75. §. 2. de legat. 1. l. 11. §. 15. de legat. 3. l. 7. §. 4. de liber. legat. §. 21. I. de legat. nisi legatarius contrarium probet l. 31. §. 3. de adim. legat. v. CARPZ. p. 3. C. 13. D. 19. add. FINCKELTH. Obs. 108. aut solutio debitoris nondum secuta sit, tum enim testator, à voluntate adimendi, videtur destitisse. Per acceptilationem quoque legatum tollitur l. 82. §. 5. de legat. 1. Quantitatis verò legatum manet, si res, demonstrationis gratia adjecta, alienetur l. 96. de legat. 1.

§. 6. Ex capitalibus inimicitiis, nisi supervenerit reconciliatio, legati ademtio quoque colligitur l. 3. §. f. l. 4. l. 22. de adim. legat. quod hodie merito nullius usus esse debet; Ademto modo, tollitur legatum l. 30. §. 2. eod. Si fideicommissum, à legatario relictum, fideicommissario adimatur, tum nec debetur legatario l. pen. §. 1. de adim. legat. ab hoc enim, in illum fuit translatum, & illi rursus ademtum, hinc neutri debetur. Aliter se res habet, si fideicommissarius, ante diem fideicommissi cedentem, mortuus sit, tum enim manet res apud legatarium l. 17. 60. de legat. 2. nam non aliter huic legatum censetur ademtum, quam si posterior, quantum in se est, illud capere possit & velit v. OBSERV. LAUTERB. Obs. 930.

§. 7. Ademtio quoque colligitur ex legatæ rei mutatione, propter quam nomen prius amisit l. 6. §. 1. de aur. leg. Hæc occurrit in ejus destructione l. 88. §. 2. de legat. 3. l. 65. §. f. de legat. 1. l. 98. §. f. de solut. Si res casu intereat, id quod supereſt, debetur l. 22. de legat. 1. aliquando etiam totius rei æstimatio §. 16. I. de legat. l. 35. 112. §. 1. de legat. 1. l. 28. qui & quib. manum. l. 91. §. 2. de V. O. l. 25. §. 2. ad SCt. Trebell. sed hoc singulare est, nec, sine expressa legis dispositione, asserendum. Porro rei legatæ mu-

tatio occurrit, in efformatione novæ ſpeciei, quæ, ad priſtinam materiam, reduci nequeat *l. 49. §. 5. l. 78. §. 4. l. 88. pr. §. 1. de legat. 3.* quamvis alii, hoc caſu, legatum manere exiſtimaverint *l. 44. §. 2. de legat. 1.* quæ ſententia verior *v.* OBSERV. LAUTERBACH. *Obſ. 932.*

§. 8. Adimuntur legata legatariis *l. 21. de adim. legat.* ſi duobus ejusdem nominis, res ſingulæ legatæ ſint, & uni legatum ademtum, de quo tamen non conſtet, tum utrique debetur *l. 3. §. 7. eod.* quod ſecus eſt ſi duobus eadem res legata, nam tum ademtio in utrumque valet *l. 10. pr. de reb. dub.* Adimuntur legata valide relicta *l. 14. de adim. leg.* quæ ademta non ſunt, debentur *l. 2. 11. 12. eod.* ſi plus, quam datum eſt, adimatur, ademtio valet *l. 3. §. 5. eod.* quæ cohærent, pro parte adimi nequeunt *l. 1. 14. §. 1. eod.* Facta autem ademtione, legatarius repellitur, ipſo jure, vel ope exceptionis *v. l. 15. 22. de adim. leg. l. 4. §. 10. de except. dol.* fruſtra hodie diſquiritur.

§. 9. Voluntate legantis, in totum, deſtruuntur legata (2.) per *translationem* quæ generaliter accepta quatuor modis fieri dicitur *l. 6. de adim. legat. l. 89. de condit. & demonſtr.* Proprie vero fit, quando legatum de perſona, in aliam transfertur *l. 5. de adim. legat.* Sed hic probe conſiderandum eſt, utrum legans plures in eadem re conjungere, an verò legatum transferre voluerit. Si ſine commemoratione prioris legatarii, alii rem leget, conjunctio eſt *l. 33. de legat. 1.* Si vero, demonſtrationis cauſa, prior commemoretur, tum occurrit translatio *l. 6. §. 1. de adim. legat. l. 89. de condit. & demonſt.* quodſi tamen prioris ita mentio fiat, ut ſaltem, per particulam relativam, res ad poſteriorem referatur, tum itidem eſt conjunctio *l. 15. de H. I. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 931.*

§. 10. Fit translatio voluntate ejus, qui teſtari poteſt, coram quinque teſtibus minimùm declarata, nam hoc recte exigitur, licet ademtionem nuda voluntate fieri poſſe dicas, ſecundum *§. 3. h.* nam translatio non tantum adimit, ſed etiam dat, adeoque, poſteriori reſpectu, aliquam ſolennitatem requirit. Tollit primum & conſtituit ſecundum legatum *l. 5. de adim. legat.* ſi tamen in incapacem legatum transferatur, prior effectus ſaltem adeſt *l. 20. eod.* legatum

ſub-

ſub conditione translatum, primo non adimitur, niſi hæc exiſtat *l. 7. eod.* conditio in datione legati addita, cenſetur repetita in translatione, niſi perſonæ ſpecialiter cohæreat *l. 24. eod. l. 95. de condit. & demonſtr. v.* LAUTERB. *C. J. de adim. vel transfer. leg.*

§. 11. Invalidum quoque eſt legatum, legantis voluntate (3.) ob *obſcuritatem inexplicabilem l. 4. 10. 27. de reb. dub. l. 2. de his quæ pro non ſcript. hab.* non tamen obſcuritati ſtatim cedendum ſed tentandum, an conjecturis voluntas legantis poſſit erui *l. 12. de reb. dub.* id quod aliquando, juxta communia ratiocinandi principia *l. 13. 21. eod.* aliquando autoritate legis poſitivæ fit *v. l. 9. 18. 22. 23. de re dub.* CARPZ. *p. 3. C. 17. D. 10. ſeqq. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 935* Illud etiam ſatis certum, quod (4.) ob *errorem, metum, dolum* aut *defectum poteſtatis legandi*, vel *deficientem conditionem* legata ſint invalida, id quod, ex dictis *c. 7.* intelligitur.

§. 12. Poſtea quoque legata ſunt invalida, ex *voluntate legatarii v. §. 1. h.* ſi nimirum illa *repudiet l. 44. §. 1. de legat. 1.* quod etiam fit, ſi conditionem poteſtativam *v. l. 44. de condit. & demonſtr.* vel modum implere nolit *l. 1. C. de donat. quæ ſub. mod.* Denique etiam *autoritate legis poſitive*, legata infirmantur *§. 1. h.* Ob hanc igitur corruit legatum, ſi legatarius (1.) ante diem legati cedentem moriatur *l. un. §. 2. ſeqq. C. de caduc.* aut (2.) res legata, ex cauſa lucroſa, ad eum perveniat *§. 6. I. de legat. v. c. 7. §. 33.*

§. 13. Ulterius (3.) ſi pœnæ cauſa legatum *§. fin. I. de legat.* quod poſtea correctum *v. c. 7. §. 46.* (4.) ſi res legata, ab initio ſtatim non ſit habilis *l. 1. de Reg. caton. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 938.* (5.) ſi legatum ſit incapaci *l. 3. 4. §. 1. de his quæ pro non ſcript. l. 1. C. de H. I.* (6.) ſi quis propria manu legatum ſibi adſcripſerit *l. 5. de his quæ pro non ſcript. l. 10. 11. 14. 22. §. 2. 3. ad L. Cornel. de falſ.* licet, ſe juſſu teſtatoris id feciſſe, adjecerit *l. 14. 15. eod.* ſi vero ipſe teſtator de hoc teſtetur, tum legatum valet *l. 14. pr. l. 15. §. 2. l. 1. §. 8. eod. v.* CARPZ. *p. 3. C. 3. D. 9. 10.* hæc legata igitur manent penes hæredem *l. 3. de his quæ pro non ſcript. l. un. §. 3. C. de caduc. toll. l. fin. de his quæ pro non ſcript. l. 26. §. 6. de fideicomm. libert.* niſi ſe indignum fecerit *l. 10. de his quæ ut indign. l. 103. de legat. 1.*

Digitized by Google

l. 3. de jur. fisc. aut fiscus, in locum incapacis, jam antea successerit *l. 7. de legat. 3.*

§. 14. Denique legatum tollitur, si (7.) legatarius se eodem indignum fecerit, quæ indignitas variis modis contrahitur, ac etiam quoad hæredes occurrit, quod variis exemplis in *t. t. ff.* & *C. de his quæ ut indign.* illustratur *add. l. 29. §. f. l. 30. de donat.* Cæterum, accurate loquendo, legata hoc casu non corruunt, sed subjectum eorum saltem mutatur, nam legatariis succedit fiscus, & legata aufert *l. 12. de his quæ ut indign. l. 1. de jur. fisc. l. 8. §. 14. de inoff. testam.* quæ tamen sanctio parum æqua est, ac dominatum olet, ut, in bene constituta Republica, illa merito observanda non sit, utut ejus valor hactenus cum CARPZOVIO *Pr. Crim. qu. 135. n. 27.* forte negari nequeat *add.* LAUTERB. *C. J. de reb. dub. seqq.*

§. 15. Aliquando etiam legata, ex parte, non valent *v. §. 1. h.* nam non tantum legans partem legati auferre potest & solet *l. 2. §. 2. de adim. legat. l. 8. de legat. 1.* sed & inprimis *Lege Falcidia* eadem minuuntur. Hæc est plebiscitum à Falcidio conditum *v. c. 6. distinct. 2.* quo *libertas legandi ad dodrantem restringitur, & hæredi, ultra illum gravato, jus quartam vel quod ei deest, adimendi & retinendi conceditur pr. I. de leg. Falcid. l. 1. pr. eod.* quæ sanctio tam favorem legantis, ne testamentum, juxta juris antiqui rigorem, destituatur *l. 9. de testam. tutel. l. 14. C. de fideicomm. pr. §. 2. I. de Leg. Falcid.* quam hæredis respicit *l. 15. §. 1. l. 71. 86. ad L. Falcid. v.* CARPZ. *p. 3. C. 1. D. 12. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 943.*

§. 16. Competit jus detrahendæ quartæ hæredi *l. 71. ad L. Falcid.* etiam ab intestato *l. 18. pr. eod.* si plures simpliciter sint instituti, tum omnibus unius quartæ jus competit *pr. I. in fin. de leg. Falcid.* si vero plures in portionibus sint scripti, tum singulis, ratione suæ partis, jus detrahendæ quartæ conceditur *§. 1. I. l. 77. eod.* si pars libera, accrescat oneratæ, deductio cessat *l. 78. eod.* nam oneratus lucro illo inopinato contentus esse potest & debet; Sed si, vice versa, pars onerata accedat liberæ, hæres liber, ex jure onerati, partem debitam deducit *l. 78. l. 1. §. 14. eod.* nisi oneratus ante testatorem deficiat, nam tum solus liber, censetur institutus, adeoque nihil deducit *l. 87. §. 4. eod. v.* DONELL. *comm. Jur. civ. l. 8. c. 23. ibique* HILLIG. *in not.*

§. 17. In

Digitized by Google

§. 17. In Subſtitutione pupillari, de legatis paternis & filialibus, una quarta ſaltem detrahitur *l. 11. §. 5. 7. l. 79. 87. §. 4. 8. ad l. Falcid. l. 12. de V. & P. Subſtit. v.* STRUV. *S. J. C. exerc. 36. §. 3.* Competit jus deducendi etiam hæredum hæredibus *l. 10. C. ad L. Falcid.* Si dubium ſit, an Falcidia locum habeat, v. gr. in legatis conditionalibus, à legatariis, eo nomine, cautio exigi poteſt *t. t. ſi cui plus quam per leg. Falcid. v.* STRUV. *d. l. §. 7. ſeqq.*

§. 18. Legatariis & fideicommiſſariis, licet univerſalibus jus detrahendi falcidiam non competit *l. 47. §. 1. ad L. Falcid.* niſi ex liberalitate fiduciarii *l. 1. §. 19. l. 63. §. 11. ad SCt. Trebell. v.* CARPZ. *p. 3. C. 1. D. 12. 14.* Idem dicendum de hærede, ex re certa inſtituto, aliis concurrentibus, nam & tum inſtar legatarii eſt *l. 13. C. de H. I.* CARPZ. *d. l. D. 15.* ut & de iis, qui mortis cauſa aliquid acceperunt *l. 93. ad L. Falcid.* ac, in genere, de omnibus illis, quibus titulo ſingulari aliquid acquiritur, quique illud aliis reſtituere debent: cum enim, ex ratione juris antiqui, non perinde, ut hæredes, repudiatione ſua, voluntati defuncti obeſſe poſſint, ideo munere aliquo demulcendi non fuerunt *v. l. 55. §. 2. ad SCt. Trebellian.*

§. 19. Detrahitur quarta de legatis & fideicommiſſis, regulariter omnibus *v. l. 28. 68. 89. ff. l. 4. C. ad L. Falcid. v.* CARPZ. *p. 3. C. 1. D. 6. 12.* de mortis cauſa donationibus *l. 5. C. ad L. Falcid. l. 2. C. de donat. cauſ. mort. l. 1. §. 5. quod legat.* & capionibus *l. pen. C. ad L. Falcid.* quod ultimum male vulgo negatur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 944.* In donationibus autem inter vivos Falcidia ceſſat *l. 27. de m. c. donat.* niſi donatio invalida ſit, ac morte demum confirmetur, hæc enim induit naturam mortis cauſa donationis *l. 12. C. ad L. Falcid.* CARPZ. *p. 3. C. 1. D. 2.* In Electoratu Saxoniæ, nec, in donationibus mortis cauſa, Falcidia obtinet CARPZ. *d. l. D. 1.*

§. 20. In detrahenda quarta, ſpectatur hæreditas, regulariter prout eſt tempore mortis *l. 9. 73. ad L. Falcid. v. l. 11. §. 2. 3. l. 30. §. 1. ſeqq. l. 56. §. 1. eod.* deducto ære alieno *l. fin. §. 5. C. de jur. delib. l. 54. ad L. Falcid. §. fin. I. eod. l. 39. §. 1. de V. S.* etiam quod debet defunctus hæredi *l. 1. §. 18. ff. l. 6. C. ad L. Falcid.* Hoc facto,

permixti E. g. ſuppoſita patrimonii quantitate, modo laudata, defunctus primo legavit 4000. Secundo tantundem, tertio, in alimenta annua, dedit 200. quæ ſortem 4000. itidem prærequirunt. Hic hæres, primo detrahet 1000. tantundem etiam ſecundo, tertio vero ſingulis annis auferet 50. quamdiu vivit legatarius, ſic quartam, ſibi debitam, juſta computatione conſequetur.

§. 25. Eſt adhuc alia computandi ratio, quæ tamen in effectu, cum priori coincidere videtur; Nimirum ſi ex tota ſorte, quam præſtatio annua prærequirit, ſemel quarta pars deducatur: E. gr. ſi in caſu §. 23. detrahantur 3000. aut in caſu §. 24. adducto, 1000. ac, ex reſidua ſorte, uſuræ præſtentur, ſic enim legatarius tantum accipiet utroque caſu, quantum conſequitur, ſi juxta primam computationem, ei ſingulis annis, in primo caſu, 150. &, in ſecundo, 50. detrahantur.

§. 26. Sed obſervandum eſt, quod utraque computatio quidem coincidat, ſi legatarius ſaltem viginti annos vivat, nam ſive hæres, in primo caſu, ſemel 3000. ſive per viginti annos, 150. aut ſive, in ſecundo caſu, ſemel 1000. ſive per viginti annos, 50. detrahat, eadem ſumma emergit. Verum ſi legatarius ultra viginti annos vivat, tum prima computandi ratio eſt utilior hæredi, nam ſi v. gr. in ſecundo caſu, legatario 30. annos vivat, & ſingulis annis ei detrahantur 50. tum hæres conſequetur 1500. cum, ſecundum alteram computationem, ſaltem 1000. accipiat. Atque illa prima computandi ratio, menti legis falcidiæ videtur eſſe convenientior, cum enim non proprietas, ſed reditus ſit legatus, ideo tamdiu jus detrahendi quartam durare videtur, quamdiu durat legati præſtatio.

§. 27. Si Reipublicæ v. gr. annua centum legentur, tum hæc ſumuntur ut uſura triens, & ponitur ſors, uſuræ tali conveniens, quæ eſt 2500. pro his hæres ſtatim deducit quartam ad 750. ex hæreditate *l. 3. §. fin. ad L. falcid.* Ita quidem HUBER. *in poſit. ad I. de L. falcid. n. 16.* cenſet, ſed cum 750. ſint quarta pars 3000. hinc liquet, ſorti ſuppoſitæ non detrahi, ſed addi quartam, eamque ex hæreditate retineri, ut forte probabilius ſit, ſi, hæredem ſaltem 625. quæ quartam ſortis ſuppoſitæ efficiunt, deducere poſſe, dicamus. Interim nec hac computatione nos uti arbitror, cum, ex ſingulis præſtationibus annuis, quarta vel quantum falcidiæ deeſt, rectius detrahatur.

§. 28. Debet autem hæres falcidiam, aut quod ei deeſt, ſingulis legatariis, pro rata detrahere §. 3. *I. de Leg. falcid. l. 49. eod.* CARPZ. *p. 3. C. 1. D. 19.* quod quidem in rebus indiviſibilibus *l. 7. ad L. falcid.* & corporibus fit, mediante æſtimatione, in quantitatibus vero immediate *v. l. 5. pr. de impenſ. in res dot. fact.* Certam ergo rem, invitis legatariis, quartæ loco, hæres retinere nequit, niſi legans hoc permiſerit *v. l 16. 26. 49. 73. ad L. falcid. l. 2. C. eod.* STRUV. *S. J. C. exerc. 36. §. 4.* Ultra dodrantem legatum, ipſo jure dicitur nullum *l. 73. §. f. ad L. falcid.* i. e. dominium vel jus legatorum, immediate à lege imminuitur *l. pen. C. eod.*

§. 29. Competit ergo hæredi, pro conſequenda falcidia (1.) jus retentionis *l. 15. §. 1. l. 16. ad L. falcid.* (2.) ſi legatarii rem legatam propria autoritate occupaverint, interdictum quod legatorum *l. 1. §. 2. quod legat. l. un. C. eod.* (3.) ratione certarum ſpecierum, rei vindicatio *l. 26. pr. ff. l. 10. C. ad L. falcid.* (4.) condictio indebiti, ſi ex errore facti integra legata ſoluta *l. 1. §. 11. ff. l. 9. C. eod. l. 39. de condict. indeb.* (5.) actio ex ſtipulatu, ſi falcidiæ cauſa, cautio præſtita ſit *l. 1. pr. ſi cui plus quam per leg. falcid. add. l. 77. §. 2. de legat. 2.*

§. 30. Aliquando detractio falcidiæ ceſſat, cujus ratio ſummatim in *teſtatore, hærede* & *legatorio* occurrit, & poterunt ex aſſe huc referri, quæ circa Trebellianicam, *c. 6. §. 16. 17. 18.* diximus, ut, ea repetere, opus non ſit. *add.* LAUTERB. *C. J. ad L. falcid.* Alias inter Trebellianicam & falcidiam, duplex differentia aſſeritur (1.) ratione *imputationis*, in illam omnia imputantur, in hac ſaltem, quæ jure hæreditario hæres habet, quæ differentia ſolida eſt *v. §. 21. h.* & *c. 6. §. 13. 14.* (2.) ratione *oneris*, illa deducta, onera, pro rata, communicantur, ſed hac detracta, onus manet penes hæredem *v.* LAUTERB. *C. J. de SCto Trebell. lit. E.*

§. 31. Sed hæc differentia, inanis videtur, nam legatarius revera etiam ſentit onus æris alieni, cum legata non antea ſolvantur, quam hoc deductum ſit, hinc res eodem recidit, ſive tuum conſequaris, poſt exſolutum æs alienum, ſive, diviſis omnibus bonis, pro rata, ad ex ſolutionem debitorum, aliquid debeas conferre. In bonis, quæ ſunt ſupra quartam, diſcrimen, quoad legata & fideicommiſſa univerſalia, occurrit, nam ſi v. gr. dimidia bonorum pars alicui ſit legata, tum hæres,

res, ex altera dimidia, ſolus æs alienum ſolvere cogitur, modo ei ſalva ſit falcidia, ſed ſi, velut fideicommiſſum univerſale, dimidia pars alicui concedatur, tum pro rata, debita ſolvere debebit. Aliquando etiam huic ſoli debitorum exſolutio imponitur §. 9. *I. de fideic. hæred. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ.* 949.

§. 32. Cum teſtator falcidiæ deductionem hodie prohibere queat, &, prohibitione non interveniente, hæres ob æſtimationis & calculi ineundi difficultatem, ſæpe cum legatariis, eo nomine, tranſigat, hinc putem, raro hodie falcidiam, juxta juris Romani regulas, detrahi, ac adeo ſubtilitatibus Romanis, quæ, numero non exiguo, hic occurrunt, ferias eſſe conceſſas.

CAPUT X.

DE TESTAMENTIS PRIVILEGIATIS.

SUMMARIA.

Inter teſtamenta privilegiata occurrunt teſtamenta Imperantium §. 1.
Quæ neque externam neque internam ſolennitatem deſiderant §. 2.
Teſtamentum militare §. 3.
Quibus privilegium conceſſum §. 4.
Singularia quoad perſonas teſtantes & inſtituendas §. 5.
Inſtitutionem §. 6. Et ſubſtitutionem §. 7.
Solennitatem externam §. 8.
Internam §. 9. Et durationem §. 10.
Huc etiam pertinet teſtamentum parentum §. 11.
Quod valet ſine ſolennitate inter liberos §. 12.
Non quoad extraneos §. 13.
Liberi poſſunt hæredes inſtitui & exhæredari §. 14.
Requiſita teſtamenti parentum §. 15.
Ejus contraria §. 16.
Differt illud à diviſione bonorum ab inteſtato §. 17.
Inter teſtamenta privilegiata eſt quoque teſtamentum tempore peſtis conditum §. 18.
Ruſticum §. 19.
Et ad pias cauſas §. 20.
Teſtamenta privilegiata dubia §. 21.

§. 1.

PRopoſuimus hactenus *regulam*, juxta quam hæreditates & legata deferri debent; Videndum nunc eſt de *exceptione*, ſive *teſtamentis privilegiatis*, in quibus regula ſæpe vim ſuam perdit. In hunc cenſum referenda (1.) *Teſtamentum Imperantium*, & in ſpecie, *Statuum imperii germanici:* Hæc ſunt vel *publica*, quæ rempublicam ac Territoria, vel *privata*, quæ res privatas concernunt.

§. 2. In teſtamentis publicis, Imperantes ſolennia juris poſitivi obſervare non debent, nam imperium, ab illa neceſſitate, eos abſolvit, hinc, in iis condendis, ſaltem ad leges fundamentales erit reſpiciendum, ac plerumque quidem, non de *modo*, ſed *facultate* teſtandi, erit quæſtio *v.* SPECIM. JUR. PUBLIC. *l. 4. c. 4. §. 41. ſeqq.* In teſtamentis privatis, itidem à neceſſitate ſolennium poſitivorum, ſunt immunes, licet enim in his, ut privati, conſiderentur, attamen imperandi conditio præſupponitur, quæ autoritatem legum privatarum humanarum excludit. Teſtamenta igitur Imperantium neque querelæ nullitatis, neque inofficioſi ſubjacent, niſi ex eorum voluntate *v.* SPECIM. JUR. PUBLIC. *l. 1. c. 1. §. 60. 61. 62. l. 4. c. 9. §. 17. 18.*

§. 3. (II.) *Teſtamentum militare* quod *à milite in expeditione conſtituto, vel alio, jure militari, gaudente, ſine ſolennitate conditur.* Privilegium teſtandi conſtitutionibus Imperatorum ſenſim eſt introductum *l. 1. de teſtam. milit.* tam propter imperitiam juris *pr. I. de milit. teſtam.* quam præcipue labores & pericula bellica *l. un. de B. P. ex teſtam. milit.*

§. 4. Conceſſum eſt privilegium (1.) militibus, qui ab eo, qui jus belli habet, ad bellum lecti, in numerum relati & ſacramento obſtricti ſunt *l. 42. de teſtam. milit. l. 3. C. de caſtr. pecul. l. un. de B. P. ex teſtam. milit.* (2.) in expeditione conſtitutis *l. 1. 17. C. de teſtam. milit.* non ſi in hybernis degant, vel præſidii cauſa, in fortalitiis reperiantur, niſi hoſtium incurſionibus ſint obnoxii *v.* CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 28.* FINCKELTH. *Obſ. 46.* & (3.) teſtamenti factionem regulariter habentibus *l. fin. pr. §. 1. C. de inoffic. teſtam. pr. I. quib. non eſt perm. l. 11. §. 1. de teſtam. milit.* Pertinet tamen privilegium ad eos etiam, qui in hoſtico deprehenduntur *l. fin. de teſtam. milit. l. un. de B. P. ex teſtam. milit.* vel militiam ex officio ſequuntur licet milites non ſint FINCKELTH. *Obſ. 46.*

§. 5. Occurrunt autem ſingularia (1.) quoad *perſonas teſtantes*, nam ſurdus & mutus miles teſtari poteſt *§. 2. I. de milit. teſtam. l. 4. eod.* ſine ſpeciali impetratione *l. 7. qui teſtam. fac. poſſ.* ſed poſt *l. 10. C. qui teſt. fac. poſſ.* amplius privilegium non eſt: Porro miles ex delicto militari, ad mortem condemnatus, teſtamentum poteſt condere *l. 11. de teſtam. milit. l. 32. §. 8. de donat. inter V. & U.* Sed hoc hodie nullius uſus eſt, cum ad mortem condemnati, teſtamenti factionem in genere habeant

vid.

v. c. 3. §. 10. (2.) quoad *personas instituendas*, nam etiam incapaces possunt institui *l. 13. §. 2. de testam. milit. l. 5. C. eod.* non tamen militis concubina *l. 41. §. 1. ff. eod. l. 14. de his quæ ad indign.*

§. 6. Porro (3.) quoad *institutionem:* Potest miles etiam de parte bonorum testari *l. 6. de testam. milit.* hinc jus accrescendi, in testamento militari quoque non obtinet, nisi, hoc testatorem voluisse, probetur *l. 37. eod.* non minus ex certo tempore, & ad certum tempus, hæredem instituit *l. 8. C. de testam. milit. l. 15. §. 4. ff. eod.* captatoria tamen institutio nec à milite fieri potest *l. 11. C. eod.* quemadmodum etiam nemini, se ipsum hæredem scribere, licet *l. 15. §. 3. ff. eod.* (4.) quoad *substitutionem.*

§. 7. Nam potest miles, sine proprio testamento, pupillariter substituere *l. 15. §. 5. l. 41. §. f. de milit. testam.* etiam ultra tempus pubertatis, sed saltem in bonis filio relictis *l. 15. de V. & P. substit. l. 8. C. de impub. & aliis substit.* Extraneo hæredi ita substituere potest, ut, si post additionem deficiat, substitutus hæreditatem consequatur, imo substitutio velut pupillaris circa extraneum etiam obtinet, ut si post aliquod tempus moriatur, ad substitutum bona devolvantur, *v. l. 5. de testam. milit.* sed substitutus probare debet, quod miles, de casibus privilegiatis, etiam senserit *l. 6. C. de testam. milit. l. 8. C. de impub. & al. substit.*

§. 8. Inprimis etiam privilegium occurrit (5.) quoad *solennitates testandi*, nam si miles, in ipso conflictu, testamentum condat, quævis scriptura sufficit *l. 15. C. de testam. milit.* si vero, extra conflictum testetur, tum sive in scriptis, sive nuncupative voluntatem exponat, duo testes requiruntur *l. 1. 40. pr. ff. l. 1. C. §. 1. I. de milit. testam.* quod clarius constitutum *R. J. 1512. von Notarien. tit. von testamenten 2. §. 2. v.* CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 26.* Potest etiam miles testamentum, ante militiam inutiliter factum, aut ruptum, nova & nuda voluntate validum reddere *l. 15. §. 1. 2. l. 25. de testam. milit. §. 4. I. eod.*

§. 9. Non minus privilegium adest (6.) quoad *formam internam*, miles enim neque rite, neque ob aliquam causam liberos excludere tenetur, sed quovis modo illos omittere potest *§. 6. I. de ex hæred. liberor. l. 7. 8. 9. ff. l. 9. 10. C. de testam. milit. l. 8. §. 4. ff. l. 9. 24. 38. C. de inoff. testam.* hinc ejus testamentum, neque ut nullum, neque ut ruptum

ptum aut inofficioſum, poteſt impugnari, niſi ex ipſius voluntate. Solida quoque legata, ſine deductione falcidiæ, ex teſtamento militari, præſtanda ſunt *l. 17. ad L. falcid. l. 3. §. 1. ad SCt. Trebell.*

§. 10. Denique etiam (7.) quoad *durationem* ſingularia nonnulla occurrunt, nam teſtamentum militare, nativitate liberorum non rumpitur nec tanquam inofficioſum reſcinditur, quod modo admonitum eſt. Præterea non fit irritum capitis diminutione minima *§. 5. I. de teſtam. milit. v. l. 11. §. 2. de B. P. ſecund. tab.* quod tamen hodie exigui uſus videtur *v. c. 8. §. 15.* Non tollitur per teſtamentum poſterius, niſi quatenus id teſtator vult *l. 19. de teſtam. milit.* E contrario nuda voluntate poteſt reſcindi *l. 15. §. 1. cod.* quod mihi tamen ſingulare non videtur *v. c. 8. §. 8.* Denique teſtamentum valet etiam poſt miſſionem, intra annum *l. 21. 38. de teſtam. milit. §. 3. I. eod.* modo ignominioſe miſſus non ſit *l. 26. eod. l. 13. §. 3. de re milit.* Eorum igitur, qui, bello finito, milites manent, teſtamenta ſemper valere videntur.

§. 11. (III.) *Teſtamentum Parentum*, quod *à Parentibus, inter liberos, ſine ſolennitate, conditur.* Introductum eſt conſtitutionibus Imperatoris *v. l. 16. 26. C. fam. erciſc. l. 21. §. 1. C. de teſtam. Nov. 107. c. 1.* fit à Parentibus cujuscunque gradus & ſexus *v. l. 4. §. 2. de in jus voc. l. 51. de V. S. l. 21. §. 1. C. de teſtam. Nov. 107. in præfat.* qui habent teſtamenti factionem, nam quoad hanc nihil remiſſum eſt *v.* CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 15.* Competit hoc jus etiam matri, ad ſecunda vota tranſeunti, ob legis generalitatem, ut & quoad liberos ſpurios, imo, ex ſententia nonnullorum, etiam inceſtuoſos & adulterinos *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 793.* modo non ſit conditionis illuſtris *l. 5. C. ad SCt. Orfic. add.* GAIL. *2. O. 112.*

§. 12. Valet teſtamentum minus ſolenne inter ſolos liberos *l. 21. C. de teſtam. Nov. 107. c. 1.* cujuscunque gradus & ſexus *v. l. 220. de V. S.* etiam poſthumos *l. 7. de ſtat. hom.* & liberos diverſi gradus, filios ſcilicet & nepotes *l. 21. §. 1. C. de teſtam. l. fin. C. fam. erciſc.* CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 16. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ.* 889. modo ſint liberi naturales, non adoptivi, nam ob affectum naturalem, privilegium videtur conceſſum *v. l. 6. 7. 8. de in jus voc. l. fin. C. de his qui ven. ætat.* inter liberos ex concubina ſuſceptos, non tantum matris, ſed & Patris teſtamentum valere videtur *v.* CARPZ. *d. l. D. 24.*

§. 13.

Digitized by

§. 13. Perſona extranea immiſceri non debet, hinc in ſpecie uxor vel maritus, cum liberis ſimul inſtitui nequit; Qua occaſione obiter notandum, quod conjux conjugi, ne quidem teſtamento ſolenni, uſumfructum omnium bonorum, in præjudicium legitimæ liberorum, concedere poſſit, niſi ſtatuta id permittant *v.* CARPZ. *p. 3. C. 12. D. 6. 7. 8.* Inſtitutio tamen perſonæ extraneæ non vitiat teſtamentum, ſed ipſa potius invalida eſt, ac liberis illa portio accreſcit *l. 21. §. 1. C. de teſtam. l. 26. C. fam. erciſc.* Quodſi extraneæ perſonæ quid legatum ſit, illud valere cenſetur adhibitis duobus teſtibus *Nov. 107. c. 1. junct. l. 12. de teſtib.* CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 19. 20.* ſed verius videtur, quod quinque teſtes ſint neceſſarii *l. fin. C. de codic. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 890.*

§. 14. Parentes debent liberos, hæredes inſtituere, nam ſine inſtitutione teſtamentum non eſt. Æqualitas tamen præciſe non eſt obſervanda, ſed ſufficit, ſi quidam in legitima, vel aliqua ejus parte, inſtituantur CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 21.* Quodſi liberi, ſine expreſſione cauſæ, omittantur, teſtamentum eſt nullum quoad inſtitutionem, ſi cauſa expreſſa ſit, ſed probari nequeat, tum velut inofficioſum evertitur, ſi vero probetur, tum excluſio valet *v. c. 4. §. 2. 3. 4.*

§. 15. Si Parentes in ſcriptis teſtentur, teſtes non requiruntur, ſed ſufficit, ſi propria manu, expreſſis liberorum nominibus, omnia integris literis ſcribant, ac annum & diem confectæ ſcripturæ adjiciant. Si alius teſtamento ſcribendo adhibeatur, eodem modo illud adornandum, ac præterea ſubſcribendum eſt à Parentibus: ſubſignatio accedere poteſt, ſed non requiritur, ſola autem ſuſtinendo teſtamento non ſufficit, niſi, voluntate parentum eam factam eſſe, probetur. In teſtamento nuncupativo ſufficiunt duo teſtes, etiam fœminæ aut fortuito præſentes *v.* CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 15. 17. 18.* GAIL. *2. O. 112.*

§. 16. Teſtamentum parentum rumpitur per nativitatem liberorum *v. c. 8. §. 5.* ut & per voluntatem contrariam, verbis aut factis declaratam *v. l. pen. C. de teſtam. d. c. 8. §. 8. 9. 10.* nec non per poſterius teſtamentum, de quo ita dicendum videtur: teſtamentum inter liberos, ſive ſolenne, ſive privilegiatum, per poſterius inter liberos privilegiatur tollitur *v.* CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 25.* Idem dicendum, ſi in priori extranei ſint inſtituti *v. l. 2. de injuſt. rupt. irrit.* ſi autem in poſterio-

ſteriori extranei tantum inſtituantur, tum prius non aliter tollit, quam ſi ſolenniter, rite & juſte ſit conditum *v. Nov. 107. c. 2.* Si cum liberis extranei ſcribantur, tum ſolennitas etiam requiritur, ex ſententia nonnullorum, ſed videtur etiam minus ſolenne, prius tollere ac ſaltem, quoad extraneam perſonam, non valere *arg. l. 21. §. 1. C. de teſtam. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 891.*

§. 17. A teſtamento parentum differt *diviſio bonorum ab inteſtato facta*, quæ inſtitutionem non deſiderat, ac ſubſiſtit, licet de quibusdam ſaltem bonis, aut inæqualiter ſit facta, modo liberi inſontes in legitima non lædantur *v. l. 16. 26. C. fam. erciſc.* CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 22. 23.* Poteſt autem vel directe, vel oblique fieri, dum teſtamentum, requiſitis ſui carens, in vim diviſionis ab inteſtato ſuſtinetur. Ex quo liquet, inſtitutionem hæredis, de qua §. 14. non requiri, ut valeat voluntas parentum, ſed, ut ſit teſtamentum *add.* VINN. *S. Q. l. 2. c. 17. 18.*

§. 18. (IV.) *Teſtamentum tempore peſtis conditum.* Circa hoc jure civili, nihil remiſſum eſt, quam junctio teſtium, non vero numerus *l. 8. C. de teſtam.* Hodie tamen duo vel tres teſtes, etiam non rogati, aut fœminæ, ſufficere cenſentur, modo teſtatorem audiant & videant, & valet tale teſtamentum tanquam ſolenne etiam poſt morbum in perpetuum, & aliis quoque in locis, *v.* CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 1. ſeqq.* ſed de hoc ultimo judicandum ex iis, quæ *l. 1. c. 10.* ſunt diſputata. Hæredis inſtitutionem, in tali teſtamento non præciſe requiri, cenſet FINCKELTH. *Obſ. 14.* contrarium aſſerit CARPZ. *d. l. D. 12.* cujus ſententia approbata *Deciſ. Saxon. 46.* quoad legata tamen, ultima voluntas, inſtitutione carens, in vim codicilli ſuſtinetur.

§. 19. (V.) *Teſtamentum ruſticum*, quod *ab iis qui ruri degunt, ſeu ibi domicilium habent, conditur.* Sufficiunt hic quinque teſtes *l. fin. C. de teſtam. Ord. Notar. 1512. tit. 2. §. 2.* quidam tamen diſpoſitionem juris Canonici hodie obtinere cenſent RICHT. *p. 2. D. 28.* COLER. *p. 1. D. 35.* quod diſplicet CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 40.* De cætero, privilegio illo gaudent non tantum ruſtici, ſed & alii, qui ruri domicilium habent *v.* STRYK. *in not. ad* LAUTERB. *C. J. de milit. teſtam.* qui vero forte fortuna ruri decumbunt, illis privilegium non competit, quemadmodum illud nec in ſuburbiis locum habet, nec ruricolæ, in urbe teſtantes, eodem gaudent *v.* CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 30.*

§. 20.

§. 20. (VI.) *Teſtamentum ad pias cauſas*, quod, juxta præſcriptum juris Canonici, valet, adhibitis tribus *c. 11. X. de teſtam.* imo duobus teſtibus *v.* CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 33. 34.* RICHT. *p. 1. D. 28.* De cætero, beneficio inſtitutionis privilegiatæ, legata exteris data, etiam ſuſtineri putant, non vero inſtitutionem hæredis extranei, ſed hujus portionem hæredibus ab inteſtato acquiri, ſubtilitate juris Romani, qua quis pro parte teſtatus & inteſtatus decedere nequit, hic ceſſante *v.* STRYK. *ad Br. J. E. l. 2. c. 12. §. 2. add.* LAUTERB. *C. J. de milit. teſtam.*

§. 21. Præter illa exempla, alia etiam commemorari poſſunt (1.) Teſtamentum tempore belli ſævientis factum *v.* CARPZ. *p. 3. C. 4. D. 14.* (2.) in itinere, à moribundo conditum, ubi teſtium numerus haberi non potuit *v.* STRUV. *Jurisprud. forenſ. l. 2. tit. 16. §. 12.* (3.) Teſtamentum parturientium *v.* DN. D. BRUMMER. *diſſert. inaugur. de teſtam. parturient. hab. Traject. ad Rhen. 1695.* & ſi quæ ejus generis alia ſunt. De cætero tutiſſimum videtur inhærere regulæ, quamdiu exceptio liquido probari nequit, ac ejusmodi teſtamenta, conſvetis requiſitis deſtituta, invalida pronunciare.

§. 22. De eo adhuc diſpiciendum, an teſtamenta privilegiata, à Codicillis differant? Memorantur ſane etiam Codicilli militis *l. 36 de teſtam. milit. l. 17. ad L. falcid.* & Patris *l. 16. 26. C. famil. erciſc.* Videtur diſcrimen non à *forma externa*, juxta quam coincidunt, ſed *materia* dependere. Teſtamentum eſt, ſi de tota hæreditate, Codicillus vero, ſi de rebus quibusdam ſingularibus, aliquid diſponatur. Non magnus etiam error fuerit, ſi priorem voluntatem, Codicillum quoque dicas, nam in effectu teſtamentum & codicillus non differunt *d. l. 36. de teſtam. milit.*

CAPUT XI.

DE SEPULTURA MORTUORUM.

SUMMARIA.

Connexio §. 1.
In articulo mortis quid fieri ſoleat aut debeat §. 2.
Poſt mortem ſequitur obſignatio rerum & ſepultura §. 3.
Hanc viri mortuis debent §. 4.
Regulariter mortui honeſte ſunt ſepeliendi §. 5.
Apud Romanos loco privata ſepulturæ deſtinabantur §. 6.
Hodie in cœmiteriis publicis homines ſepeliuntur §. 7.
Quorum dominium ad Eccleſiam vel aliam univerſitatem pertinet §. 8.
Pro ſepultura recte aliquod pretium exigitur §. 9.
Jus ſepulchrorum diverſum eſt §. 10.
Refectio ſepulchri proprii à domino fieri debet §. 11.
Contra inferentem in locum alienum datur actio ad mortuum tollendum vel loci pretium ſolvendum §. 12.
Prout actor elegerit §. 13.
Qui in locum proprium inferre impeditur, interdicto §. 14.
Aliisque remediis jus ſuum tuetur §. 15.
Funeris deducendi ſecuritas & impenſæ §. 16.
Sepulchrorum profunditas ac ſepulturæ tempus, modus §. 17.
Et ſolennia §. 18.
Sumtus funeris à quo præſtandi §. 19.
Ultro ſine animo donandi præſtiti repetuntur actione funeraria §. 20.
Quæ oritur ex collata utilitate vel vero conſenſu §. 21.
Actionis illius ſubjectum & objectum §. 22.
Exequiarum conſectaria §. 23.
Cauſarum ſepulchralium judex §. 24.
Et proceſſus §. 25.
Monitum quoad ſepeliendi modum §. 26.

§. 1.

QUæ hucusque à *cap. 1.* differuimus, illa omnia pertinent ad hæreditatis vel legatorum *delationem*. Progrediendum nunc videbatur ad ejus *acceptationem v. c. 1. §. 8. 9.* Sed cum hæc, ante deferentis mortem, fieri nec poſſit nec debeat, ideo ille prius tumulandus erit, quam de ejus voluntate acceptanda diſpiciamus.

§. 2. Ex inevitabili naturæ lege omnibus hominibus moriendum eſt, hinc bene agunt, qui ita vivunt, quo ſemper mori queant. Inſtante morte, nonnunquam, de ordinandis teſtamentis vel codicillis, moribundi cogitant, ubi quidem inhoneſtæ Hæredipetarum artes ceſſare debebant, ſed hæ tamen, ut alias, ita hoc etiam tempore, impune adhibentur, quamdiu dolus aut vis improbior non probatur *v.* Dn. THOMAS. *diſſert. de injuſt. hæredipet. jur. hab. Hall. 1695.* Inprimis ægro-

Digitized by Google

ægroti, de beata analyſi debent eſſe ſolliciti, quo ſine Miniſtri Eccleſiæ adhiberi ſolent, quorum officium tradit Theologia *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. membr. 7. §. 7. ſeqq.* Dum moritur ægrotus, intempeſtiva miſericordia, quæ, ſubtrahendo pulvinar, ejus fata accelerat, faceſſere debet *v.* QUESTEL. *diſſert. de pulv. moribun. non ſubtrah. Jen.* 1698.

§. 3. Morte ſecuta, *obſignatio rerum* ſuſcipitur, ſi vel inter cohæredes, vel hæredes & creditores, contradictio metuatur, & ſolet illa fieri per perſonas judiciales *v.* CARPZ. *p. 3. C. 33. D.* 10. Poſtea de *ſepultura* defuncti agitur. Hæc in genere eſt *actus, quo defunctorum corpora terræ mandantur eo fine, quo ibi maneant, ac naturali modo tandem in terram reſolvantur.* Eſt vel *honeſta*, vel *inhoneſta*. Prior eſt iterum *privata*, quæ ſine, & *publica*, quæ cum ceremoniis ordinariis vel extraordinariis fit; Poſterior eſt vel *ignominioſa*, quando vitæ male actæ ſuſpectus, in loco ignobiliori, tumulatur, vel *infamis*, quando delictorum manifeſti ſub patibulo ſepeliuntur. *v.* FINCKELTH. *de jur. ſepult. Concluſ. 1. 2.*

§. 4. Vivi homines, ad mortuos ſepeliendos, ex legibus ſocialitatis omnino obligantur, ſi hi, gravi & punibili delicto, ſocialitate ſeſe haut indignos reddiderint. Quodſi tamen illud officium negligant, tum inhumanitatem ſaltem oſtendunt, mortuis vero non nocent. Uti igitur ineptum fuerit, honeſtam ſepulturam contemnere *v. l. 27. de condit. inſtit.* ita ejus etiam non magna cura eſt agenda: Quæ autem, de diverſitate ſepulturæ, in S. Scriptura dicuntur *v. Gen. XV. 15. 1. Reg. XIII. 22. XIV. 11. 13. XXI. 23. 24. Jerem. VIII. 1. 2. XIV. 16. Pſ. LXXIX. 2. 3.* ea non injungunt ſepulturæ curam, ſed vivorum ſtatum felicem aut infelicem indicant *add.* FINCKELTH. *d. concluſ. 1.*

§. 5. Omnes igitur homines, qui delicta gravia & punibilia non commiſerunt, honeſte ſepeliendi ſunt, ac in dubio præſumtio in partem meliorem fieri debet. Hinc pauperes, in via publica mortui reperti, qui melancholia vel caſu fortuito probabiliter perierunt, aut à recepta religione alieni, honeſtam merentur ſepulturam *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 373. ſeqq.* FINCKELTH. *Concl.* 10. 14. 15. 17. 27. E contrario ſcelerum manifeſtis honeſta ſepultura negari poteſt *v. c. 1. X.*

de torneam. c. un. in 6. eod. c. 3. X. de uſur. c. 2. in 6. eod. CARPZ. *p. 2. D. 376. 379. 380.* FINCKELTH. *Concluſ. 13. 15. 16.* Jure Canonico hæreticis & excommunicatis quoque honeſta ſepultura negatur *c. 12. X. de ſepult. c. 13. X. de hæret. v.* CARPZ. *d. l. D. 382. 397.* FINCKELTH. *d. tr. concluſ. 13.* Sed hæreſis & nuda impietas pœnis humanis non ſubjacent.

§. 6. Locus ſepulturæ arbitrio Imperantis definitur. Apud Romanos in locis privatis mortui ſepeliebantur, extra civitatem *l. 3. §. 5. de ſepulchr. violat. l. 12. C. de religioſ.* quæ loca, per actualem mortuorum illationem, ab eo, qui jus inferendi habebat, animo ſepeliendi factam, fiebant religioſa *v. l. 2. pr. §. 5. 7. §. l. 40. 41. 44. de religioſ. l. 10. C. eod. v.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 2. tit. 24. §. 1.* FINCKELTH. *de jur. ſepult. concluſ. 24.* quæ religioſitas, ethnicum commentum, & hodie nullius uſus eſt. Præterea ratione illorum locorum ſæpe controverſiæ oriebantur, quarum nomine variæ actiones comparatæ erant *v.* FINCKELTH. *d. tr. concluſ. 20. ſeqq.* quarum hodie, eo ſenſu, itidem nullus eſt uſus, licet, quoad ſepulchra hæreditaria, in locis publicis comparata, ſimiles controverſiæ occurrere poſſint & ſoleant.

§. 7. Hodie loca publica, ſepeliendis hominibus, ſunt deſtinata, quæ cœmiteria audiunt *v.* ZIEGLER. *ad Lancell. d. l.* FINCKELTH. *d. tr. concl. 18.* quæ regulariter ſumtibus Eccleſiæ, aut his deficientibus, Parochianorum, ad illum uſum præparantur ac muris vel ſepimento cingi & ab omni illuvie munda ſervari debent *v. art. Saxon. gen. 15. §. auff das auch.* Tempore peſtis peculiaria loca humandis mortuis deſtinari ſolent *v.* CARPZ. *l. 2. D. 385. ſeqq.* Licet vero cœmiteria uſui illi, ad quem ſemel deſtinata ſunt, merito relinquantur, religioſitas tamen aliqua fruſtra in iis aſſeritur, hinc fructus ibi nati, perinde ut ex locis profanis, acquiri poſſunt *vid. Art. Saxon. gen. 15.*

§. 8. Proprietas cœmiteriorum plerumque pertinet ad Eccleſiam parochialem, hinc ab hac, non à ſolis Patronis, ceu FINCKELTH. *de jur. ſepult. Concl. 4.* contendit, ſepulchra ſunt impetranda. Aliquando Univerſitas, & in ſpecie Academia, ejusmodi loca poſſidet, eademque adeo in uſum ſepulturæ aliis concedit. De cætero duplici

plici modo ſepulchra comparari ſolent, vel in uſum unius mortui, vel plurium, inde in *ſingularia & communia* diſcerni poſſunt, in templo tamen indiſtincte omnibus ſepulchrum non conceditur *vid. can. 18. C. 13. qu. 2.* CARPZ. *l. 2. D. 389. 390.*

§. 9. Jure Canonico, pro ſepultura nihil exigendum eſt *c. 12. ſeqq. C. 13. qu. 2. c. 23. X. de ſepult. v.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 2. tit. 24. §. 15.* ſed hodie pretium aliquod ſolvi debet, quemadmodum etiam aliæ impenſæ, quæ Eccleſiarum ſcholarumque miniſtris potiſſimum cedunt, præſtandæ ſunt *v.* CARPZ. *l. 2. D. 391.* FINCKELTH. *de jur. Sepult. Concl. 5.* id quod etiam iniquum non eſt, ſi defunctus patrimonium aliquod reliquerit; pauperibus tamen ſepulturam gratis concedi jubet humanitas, quemadmodum etiam iis, qui munere aliquo eccleſiaſtico vel Academico functi ſunt, illa aliquando ſine pretio conceditur.

§. 10. De jure ſepulchrorum *ſingularium* non adeo quæri ſolet, humanitas tamen, imo obligatio etiam arctior, exigit, ne ſepultus temere turbetur. In *communibus* vero, *dominium utile* aſſeri poteſt, & ſunt illa, vel *familiaria*, vel *hæreditaria*, in illis ſaltem agnati, in his omnes conſangvinei acquirentis tumulari poſſunt *vid. l. 5. de religioſ.* Ipſe acquirens etiam extraneo locum ſepulturæ concedere poteſt, ſed cognatis id non licere videtur, niſi cæterorum conſenſu *v. l. 14. C. de legat.* Hæres extraneus, qui hæreditatem ex teſtamento adiit, in ſepulchro hæreditario quoque ſepeliri poteſt *l. 6. de relig.* quod hodie etiam obtinet *v.* FINCKELTH. *d. tr. Concluſ. 6. ſeqq.* niſi facultas alienandi ſepulchrum conventione ſit reſtricta.

§. 11. In nonnullis civitatibus certa loca, prope murum fornicibus, *mit Schwibbogen* diſtinctum, in uſum ſepulturæ, concedi ſolent, quarum fornicum refectio ad Eccleſiam pertinere dicitur *vid.* FINCKELTH. *d. tr. concluſ. 70.* ipſorum tamen ædificiorum, in locis illis exſtructorum, refectio dubio procul ad privatos pertinet, imo idem, de ipſa fornice, non improbabiliter dici poteſt, quatenus ut pars ædificii conſideratur. De cætero ſi dominus, in jure ædificandi, impediatur, jus ſuum, actione habili, & ſtilo quidem juris Romani, *interdicto de ſepulchro ædificando* defendit *l. 1. §. 5. 6. de mort. infer.*

infer. v. CARPZ. *l. 2. D. 392.* quod eſt ſpecies interdicti retinendæ poſſeſſionis.

§. 12. Si quis mortuum, in ſepulchrum alienum, inferat, dominus ejus, propria autoritate, illum effodere nequit *l. 8. pr. l. 39. ff. l. 1. C. de relig.* ſi tamen hoc faciat, crimen & pœna ſepulchri violati non obtinet *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 299. 1252.* Regulariter igitur datur domino *actio in factum*, qua contra inferentem agit, ut vel mortuum tollat, vel loci pretium ſolvat *v. l. 2. §. 1. 2. l. 7. l. 8. §. 4. de religioſ.* inter ſocios illa actio neceſſaria non fuit viſa Romanis, cum actiones, ex ſocietate oriundæ, ipſis competant *l. 2. §. 1. de relig. l. 39. pro ſoc.* quarum tricarum hodie exiguus eſt uſus.

§. 13. Cenſetur autem inferenti competere electio *arg. l. 10. §. f. de jur. dot.* adeo ut ſi pretium loci ſolvere velit, dominus locum vendere teneatur *arg. l. 12. pr. de religioſ. v.* LAUTERB. *C. J. de relig.* Sed illa ſententia, ratione ſolida non nititur, hinc electio potius loci domino eſt aſſerenda, nam *l. 10. §. fin. de jur. dot.* loquitur de *reo, ex conventione alternativa, obligato*, cui electio merito tribuitur, ſed hic inferens vel ex *delicto*, vel *imprudentia ſua* tenetur, ex quibus jus eligendi non naſcitur: Et licet aliquis ſepulturæ favor ſit, ceu ex *l. 12. 43. de relig.* liquet, tantus tamen nec eſt, nec eſſe debet, ut, propter delictum vel imprudentiam alterius, dominus invitus re ſua carere debeat.

§. 14. Si quis inferre impediatur, quando jus inferendi habet, tum illationem *interdicto de mortuo inferendo*, quod itidem eſt ſpecies interdicti retinendæ poſſeſſionis, urgere poteſt *l. 1. de mort. infer.* Competit etiam illa actio aliquando ei, qui ſolidum inferendi jus non habet, ut proprietario & ſocio *l. 43. de relig.* hinc, ſi mortuus jam ſit illatus, poteſt agere, ut alter, cui aliquid juris etiam, in illo loco competit, accepto pretio, mortuum ibi relinquat *l. 6. §. 6. comm. divid.* nam, *actionem in factum*, de qua ibi ſermo eſt, non dari *domino loci*, ſed *inferenti*, ex contextu liquet. Sed illa pertinent ad *loca pura*, adeoque eorum hodie nullus videtur eſſe uſus, niſi eo caſu, quo cognatus, cæteris inſciis, extraneum ſepulchro hæreditario intulit, forte adhuc obtinent.

§. 15. Si quis via publica uti, aut alias mortuum inferre prohibea-

Digitized by

hibeatur, autoritate Magiſtratus tuendus eſt *l. 38. de relig.* Qui cadaver efferendum, ob debitum, detinet, is & debitum amittit, & tantundem debitoris hæredibus ſolvere debet, ac inſuper confiſcatione tertiæ partis bonorum & infamia punitur *vid. l. fin. C. de ſepulch. violat. Nov. 60. c. 1. Nov. 115. c. 5. §. 1.* Cadaver tamen, ad tempus, aliquem in locum, illatum, impune detineri poteſt, donec merces ſolvatur *vid.* HAHN. *ad Weſenbec. de religioſ. n. 5.* Quodſi in locum quendam inferre impeditus, alibi mortuum tumulaverit, poſtea *actione in factum*, id quod intereſt, petere poteſt, quæ actio in hæredes non tranſit *l. 8. §. f. l. 9. de relig.* quia eſt ſpecies actionis injuriariam *add.* FINCKELTH. *de jur. ſepult. concluſ. 41. ſeqq.*

§. 16. Dum funus effertur, nemo eorum, qui illi interſunt, inquietandus eſt *vid. l. 2. 3. de in jus voc. l. 34. §. 3. de legat. 2.* Ante nonum *Nov. 115. c. 5. §. 1.* &, jure Saxonico, trigeſimum diem *Landr. l. 1. art. 22.* CARPZ. *p. 3. C. 33. D. 2. n. 4.* etiam nulla exactio, contra defuncti hæredes, conceditur. De cætero mortui in ſua Parochia, tumulandi ſunt, quandoque tamen alibi etiam tumulantur, ſoluto eo, quod propriæ parochiæ debebatur *vid. c. 1. 2. 3. 4. 10. X. de ſepult.* ZIEGL. *ad Lancellot. l. 2. tit. 24. §. 2.* FINCKELTH. *d. tr. concluſ. 12. 23.* Aliquando mortui, de loco in alium locum, transportantur, quo caſu in locis, per quæ cadaver transfertur, aliquid ſolvi debet *v.* Dn. CARPZ. *diſſert. de transport. defunct. hab. Lipſ. 1690.*

§. 17. Alias ſepulchra debitam habere debent profunditatem *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 373.* defuncti quoque mature tumulandi ſunt, procul omni vanitate & ſtultitia ambitioſa *vid. l. 14. §. 5. de relig. l. 113. §. f. de legat. 1. l. fin. §. fin. de aur. legat.* Eccleſ. 5. 14. Sap. 7. 6. 1. Thimoth. 6. 7. *v.* FINCKELTH. *d. tr. concluſ. 25. 26. 30.* SCHILTER. *J. J. C. l. 2. tit. 14. §. 16.* in licitis voluntas defuncti merito obſervatur *vid.* CARPZ. *d. l. D. 393.* FINCKELTH. *d. l. concluſ. 31.*

§. 18. Sepulturarum ritus & ceremoniæ, in ſolenni deductione, Concione & ſermone funebri, conſiſtere ſolent, hæc tamen uti non

ſem-

ſemper obtinent, ita aliquando etiam magis intenduntur, ac inprimis magna chartarum vis, in carmina funebria, abſumi ſolet: Multa ſunt in omni illo apparatu, quæ acriorem mereantur cenſuram *add.* SCHILTER. *d. l. §. 13. 14. 15.* FINCKELTH. *d. l. concluſ. 31.* DN. STRYK *in not. ad Br. J. E. l. 2. c. 5. §. 7. p. 381. l. 1. c. 6. membr. 1. §. 23.* DN. D. FALCKNER. *diſſert. de jur. paroch. c. 3. §. 20.*

§. 19. Sumtus ſepulturæ defunctus, ſi habeat, ipſe ſuppeditare debet, is igitur illos præſtat, cui defunctus hoc injunxit, aut, ſi id factum non ſit, hæres *l. 12. §. 4. 6. l. 13. 14. de relig.* hinc maritus, qui uxori ex parte ſuccedit, pro rata eos ferre debet *l. 22. ſeqq. de religioſ.* CARPZ. *p. 3. C. 25. D. 19.* ſi hæres non exiſtat, ex maſſa hæreditatis præſtandi ſunt. Si nihil omnino defunctus relinquat, ad Patrem, &, hoc deficiente, ad conjugem hoc officium pertinet *l. 28. de religioſ. l. 13. C. de N. G.* CARPZ. *d. C. 25. D. 7. 19. n. 5.* Quodſi nec hi adſint, dominus jurisdictionis id onus ſubire debet *v.* DN. D. FALCKN. *diſſert. de jur. paroch. c. 5. §. 11.*

§. 20. Quodſi alius, ad cujus officium id non pertinebat, funeris expenſas, animo non donandi *v. l. 14. §. 7. de religioſ.* præſtiterit, & quidem voluntate ejus, cui hoc munus incubuit, tum ſine dubio eas repetere poteſt *l. 14. §. 12. 15. de relig.* ſi vero ſine hujus conſenſu directo & ſpeciali, tum ei competit *actio funeraria* qua eas quoque recuperat *v. l. 14. §. 6. 12. l. 31. §. f. l. 45. l. 12. §. 2. de relig.* Oriri cenſetur ex quaſi contractu, cum defuncto, inito *l. 1. de relig.* hinc hæredis prohibitio non attenditur *l. 14. §. 13. eod.* quod ſecus eſſe putant jure Saxonico *Landr. l. 1. art. 22.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 40. n. 1.*

§. 21. Enimvero uti jus Saxonicum conſenſum directum & ſpecialem hæredis neutiquam requirit, ita figmentum quaſi contractus hic non eſt neceſſarium; *ſola collatio impenſarum* producendæ obligationi ſufficit, cum æquum ſit, neminem, cum alterius detrimento, fieri locupletiorem *l. 206. de R. J.* Imo, ſi omnino, ex conſenſu, obligatio repetenda ſit, probatu non erit difficile, *verum hic ſubeſſe conſenſum, licet directe & eodem tempore non adſit*, nam defunctus utique ſuis ſumtibus ſepeliri vult, hinc

hinc eorum vel præſtationem, vel reſtitutionem hæredi injunxit, hic quoque, adeundo hæreditatem, in hoc conſenſit, denique is, qui expenſas fecit, animum repetendi habet, ac voluntatem defuncti pariter ac hæredis acceptat, hinc de vero conſenſu dubitari nequit, nec contradictoria hæredis prohibitio alicujus efficaciæ eſſe poteſt.

§. 22. Competit actio funeraria ei qui impenſas fecit, etiam Patri & conjugi, ſi hæredes non ſint, & defunctus bona reliquerit; contra illos, quibus onus funerandi incubuit *l. 12. §. 4. ſeqq. l. 14. §. 12. l. 15. ſeqq. l. 32. §. 1. de relig.* ad recuperandos ſumtus, cum ratione in funus impenſos *l. 12. §. 5. l. 14. §. 3. 4. 6. l. 37. eod. v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 42.* quo nomine etiam funerans, aliis creditoribus præfertur *l. 14. §. 1. l. 45. de relig.* quod privilegium ad ſumtus, in ultimum morbum factos, jure civili non pertinet *l. 14. §. 6. l. 37. eod.* moribus tamen eò extenſum eſt *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 39. ſeqq.* FINCKELTH. *de jur. ſepult. Concl. 61. ſeqq.*

§. 23. Poſt exequias, defunctus per aliquod tempus lugeri ſolet *v. can. 26. ſeqq. C. 13. qv. 2.* FINCKELTH. *d. tr. concl. 28. 29.* DN. D. BEYER. *diſſert.* de concub. intra temp. luct. *hab. Lipſ. 1700. c. 1.* In memoriam ejus monumenta quoque aliquando eriguntur CARPZ. *J. E. l. 2. D. 392.* Apud gentiles nonnunquam ſequebatur *Apotheoſis*, ſicut apud pontificios *Canoniſatio* in uſu eſt *v.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 14. §. 18.* quas ſuperſtitioſas ineptias cordatiores merito improbant. De cætero intuitu cadaverum, ſepulturæ & ſepulchrorum, varia delicta committi poſſunt, ob quæ damni, ſi quod datum eſt, reſtitutio & pœna merito exigitur, quod hic indicaſſe jam ſatis erit *v. l. 5. c. 2. §. 7. c. 5. §. 24.* FINCKELTH. *d. tr. concl. 43. ſeqq.*

§. 24. Cauſæ ſepulturarum & ſepulchrorum ad Conſiſtorium regulariter pertinent *v.* CARPZ. *l. 1. Reſp. 86.* aliquando tamen etiam judices ſeculares ſuæ cognitioni eas ſubjiciunt *v.* FINCKELTH. *de jur. Sepult. concl. 75.* STRYK. *ad Br. J. E. l. 2. c. 2. §. 12.* De actione autem funeraria, ut & delictis, quæ intuitu cadaverum, ſepulturæ & ſepulchrorum committuntur, judex ſecularis cognoſcit, neque enim in iis controverſiis eccleſiaſtica aliqua qualitas occurrit, propter quam eccleſiaſtico judicio illæ ſubjiciendæ ſint.

§. 25. Qualis proceſſus, in cauſis ſepulturam concernentibus,

obſervetur, ex Ordinationibus proceſſualibus intelligendum eſt, ut ille ſit brevis & ſummarius, æquitas & ratio exigit *v. l. 43. in fin. de religioſ.* Quando de proprietate ſepulchri, vel ſimili re litigatur, appellatio omnino locum habet, ſi vero de ipſa ſepultura controverſia ſit, illa ceſſare debet *v. l. fin. de appellat. recip.* CARPZ. *J.E. l. 2. D. 395. add.* LAUTERB. *C. J. de religioſ.* quod tamen de effectu *ſuſpenſivo*, non *devolutivo*, accipiendum eſſe, quidam cenſent *v.* STRYK *in not. ad* LAUTERB. *C. de relig. p. 295.*

§. 26. Cæterum uti humanitas *ſepulturam* mortuorum omninò exigit, ita negandum forte non eſt, quin in *modo ſepeliendi* multa occurrant, quæ papatum, ambitionem, vanitatem aliosque pravos affectus redoleant, de quibus tamen ſpecialiùs diſſerere jam non attinet. Ea interim ſepeliendi ratio fragilitati humanæ optimè convenire videtur, ſi cadaver linteo involutum capuloque incluſum, ſine aliqua deductionis ſolennitate, terræ mandetur, ac mors, cum monito neceſſario, è ſuggeſtu publicetur; Sed de hoc alii, quibus ritus humanos profundius rimari datum eſt, accuratius diſpiciant.

CAPUT XII.

DE HÆREDITATIS ADITIONE ET REPUDIATIONE.

SUMMARIA.

Hæredum diverſitas §. 1.
Hæredes neceſſarii ac voluntarii ac hi vel extranei vel ſui §. 2. 3.
Aditionem antecedit reſignatio §. 4.
Apertura teſtamenti eſt extraordinaria vel ordinaria §. 5.
Hodie extrajudicialis vel judicialis §. 6.
Apertura ab iis, quorum intereſt, diverſis remediis petitur §. 7.
Aperturæ objectum §. 8.
Aperturam ſequitur publicatio §. 9.
Hæres ſimpliciter adiens in ſolidum tenetur, cui oneri excludendo invaluit jus deliberandi §. 10.
Deliberationis tempus & ſubjectum §. 11.
Durantis & peractæ effectus §. 12.
Medium faciendæ aditionis magis expeditum eſt inventarium §. 13.
Ejus modus & effectus §. 14.
In Saxonia jus deliberandi & inventarium non eſt neceſſarium §. 15.
Vitia inventarii legitima probatione defectus vero jurata ſpecificatione ſupplentur §. 16.
Comparatio juris Romani & moderni §. 17.
Aditionis indoles §. 18.
Diſtinguitur in immiſtionem, aditionem & geſtionem pro hærede §. 19.
Hæc ex factis colligitur §. 20.
Aditio fit pure accedente quandoque magiſtratus confirmatione §. 21.
Adeunt hæredes §. 22. 23.

Non

Non hæredis hæredes §. 24.
Quod tamen quodammodo iniquum §. 25.
Aliquando hæredi surrogatur alius, ob illius voluntatem aut incapacitatem §. 26.
Vel delictum §. 27. 28. 29.
Aditionis objectum §. 30.
Tempus §. 31.
Et effectus §. 32.
Aditioni opponitur repudiatio §. 33.
Ejus subjectum §. 34.
Jure Saxonico etiam agnita hæreditas repudiari potest §. 35.
Obærato debitori oblatam hæreditatem quoque repudiare licet §. 36.
Fideicommissi acceptatio §. 37.
Et repudiatio §. 38.

§. 1.

POst mortem & sepulturam ejus, qui hæreditatem tacite vel expresse detulit, hæredes de voluntate acceptanda aut repudianda solent esse solliciti *v. c. 1. §. 8.* In universum autem hæredes distingvuntur (1.) à *voluntate deferentis*, in *testamentarios* & *legitimos v. l. 12. §. 4. de religios.* deinde in *fiduciarios* & *fideicommissarios v. l. 46. 67. §. f. l. 55. §. 2. ad SCt. Trebell. l. 1. C. eod.* (2.) à *voluntate propria*, in *necessarios* & *voluntarios.*

§. 2. Hæredes necessarii sunt, qui sive velint, sive nolint, hæreditatem adire debent *§. 1. I. de H. I. §. 1. I. de H. Q. & D. l. 57. §. f. de A. O. H. v. l. 15. 16. eod.* Voluntarii vero, qui libera voluntate adeunt *l. 12. de condit. instit.* hi iterum sunt vel *extranei*, qui extra potestatem patriam defuncti, sunt constituti *§. 3. I. de H. Q. & D. l. 49. de H. I. l. 6. de injust. rupt.* tales etiam sunt liberi, ratione matris *l. 4. §. 2. de B. P. contr. tab.* & Patris, post emancipationem *l. 55. §. 1. in fin. de R. N.* vel *Sui*, qui in potestate defuncti, minimùm tempore mortis *v. l. 23. §. 1. de lib. & posth. l. 18. de inj. rupt.* existunt, ac proximi in familia sunt, vel semper *v. §. 2. I. de H. Q. & D. l. 11. de lib. & posth. l. 33. §. 1. de testam. milit.* vel saltem quando hæreditas est adeunda *§. 7. I. de hæred. quæ ab intest. l. 6. pr. de injust. rupt. l. 7. und. lib l. 1. §. 8. de suis & legit.*

§. 3. Olim quidem Sui hæredes, erant quoque necessarii *§. 2. I. de H. Q. & D.* adeoque hæreditatem omittere non poterant, nisi Pater permisisset *l. 86. de H. I.* Sed cum postea facultas abstinendi ipsis fuerit concessa *d. §. 2. I. de H. Q. & D. l. 57. de A. O. H.* ideo voluntariis nunc omninò accensendi sunt. Hodie hæredes necessarii plane cessant, nec Suitatis tantus, ac olim, amplius est rigor. sed liberi, qui jus

ſuccedendi ſimul habent, eodem fere loco habentur, certè, ut habeantur, æquitas exigit.

§. 4. Uti autem omnis generis hæredes adire poſſunt, poſitis caſibus habilibus, ita aditionem nonnulla antecedere ſolent. Et primo quidem, tempore legitimo elapſo *v. c. 11. §. 16.* CARPZ. *p. 3. C. 14. D. 15. 16.* ſuſcipi ſolet *Reſignatio* ab iis, qui obſignationi interfuerunt *v. d. c. 11. §. 3.* ubi quidem ſigilla recognoſcenda ſunt, &, ſi ſuſpicio fraudis adſit, hoc agendum, quo veritas facti eruatur, ac, prout res exigit, damni reſtitutio & pœna poſtuletur.

§. 5. Poſtea de teſtamenti, ſi quod adſit, *apertura* agitur. Eſt illa vel *extraordinaria*, quando abſentibus ſignatoribus, & cauſa tamen aliqua urgente, adhibitis bonæ opinionis viris, teſtamentum, mox iterum obſignandum, aperitur *l. 7. teſtam. quemadm. aper.* vel *ordinaria*, quæ, vocatis teſtibus, & ſigilla ſua recognoſcentibus, inſtituitur *l. 4. §. 6. 7. eod.* nam olim teſtes, in parte exteriori, teſtamenta ſignabant, adeoque ante aperturam, ſigillorum inſpectio fieri poterat. Ad aperturam etiam vocatos fuiſſe illos, quorum intererat, vulgo quidem volunt, ſed, aliquando eos aperturæ ultro interfuiſſe, non negem, neceſſario vero illos vocandos fuiſſe, probari nequit.

§. 6. Hodie apertura teſtamentorum fit vel *extrajudicialiter* ab ipſis hæredibus, Notario cum teſtibus, ſi lis metuatur, adhibito, nam, hoc modo teſtamenta aperiri poſſe, omnino arbitror, vel *judicialiter*, autoritate ſcilicet judicis, & plerumque quidem ad petitionem aliorum, aliquando etiam motu proprio *v.* CARPZ. *p. 3. C. 5. D. 25.* Teſtes, & ii, quorum intereſt ad aperturam citari nec debent, nec ſemper poſſunt, licet nonnunquam eo inclinent interpretes *v.* CARPZ. *d. l. D. 24.* facta verò apertura, ad ſigillorum & ſcripturæ recognitionem teſtes citantur, quemadmodum alii, ad intelligendum teſtamenti tenorem, vocari ſolent *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 898. ſeqq.*

§. 7. Petunt aperturam omnes, quorum intereſt *l. 1. 2. teſtam. quemad. aper.* qui de calumnia antea jurare debent *l. 3. C. eod.* quod tamen non aliter intelligendum, quam ſi malitiæ præſumtio contra eos ſit. Quodſi res liquida ſit, tum judex poſſeſſorem, ad exhibitionem & aperturam, compellit, ſi verò dubium intercurrat, tum interdictum de tabulis exhibendis *l. 2. §. f. teſtam. quemad. aper. l. 1. §. 1. de tab. exhib.*

etiam

etiam ipſi hæredi, ante hæreditatis aditionem, datur *l. 3. §. 12. 15. de tab. exhib.* poſt hanc vero, hæredi actio ad exhibendum aut rei vindicatio competit *l. 3. §. 8. ad exhib. l. 3. teſtam. quemad. aper.* quarum tricarum nullus hodie videtur eſſe uſus, ſed exhibitio potius & apertura, implorationejudicis & mandatis compulſorialibus obtinetur.

§. 8. Omnia autem ſunt aperienda & legenda *l. 2. §. 5. teſtam. quemad.* niſi teſtator aperturam certæ alicujus partis prohibuerit *l. 3. C. quemad. teſtam. aper. v. §. 3. I. de pupill. ſubſtit.* diem & conſulem oſtendere, non eſt neceſſe *l. 2. §. 6. teſtament. quemad. aper. l. 3. C. eod.* quod hodie tam ſtricte forte non obſervatur. Porro tabulas authenticas eſſe aperiendas, ex ſcopo intento facile liquet *l. fin. eod.* ex pluribus tamen authenticis exemplaribus, ſufficit unum exhiberi *l. 10. pr. eod. add.* LAUTERB. *C. J. d. l.*

§. 9. Aperturam ſequi ſolet *Publicatio*, qua teſtamentum ad archivum refertur, ac publici inſtrumenti efficacia donatur. Eam in teſtamento, privata fide facto, eſſe neceſſariam, & aliàs illud nihil probare, communiter exiſtimant *v.* CARPZ. *p. 3. C. 5. D. 24.* LAUTERB. *d. l.* Sed cum teſtamenta per ſe jam probent, utique illa ſententia à veritate abit, nec ex *l. 18. C. de teſtam.* probatur; quare dicendum, poſſe quidem illam publicationem fieri, ſed non præciſe debere. De cætero teſtamenta probant, licet unus vel alter, aut etiam omnes teſtes ſint mortui: Imo illud valet, modo conſveta probatione oſtendatur, quod legitimè ſit conditum *v.* CARPZOV. *p. 3. C. 3. D. 29.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 902. 903.*

§. 10. Apud Romanos, hæres ſimpliciter hæreditatem adiens, in ſolidum, ultra vires etiam hæreditatis, creditoribus obligatur, ne ſcilicet temere rebus alienis ſe immiſceat, ac, iis malitioſe conſumtis, deinde creditores, prætextu hæreditatis exiguæ, eludat. Stante igitur hac ſanctione, cautos eſſe oportet hæredes, ne temere hæreditatem adeant, hinc invaluit *Jus deliberandi*, quod eſt *facultas hæredi conceſſa, ut intra certum tempus in vires hæreditatis inquirat, ac, habita deliberatione, voluntatem, de hæreditate habenda vel repudianda, declaret.*

§. 11. Spatium deliberandi olim erat arbitrarium *l. 1. §. 1. de jur. delib.* poſtea Princeps annum, Magiſtratus novem menſes concedere

solitus est *l. ult. §. 13. C. eod.* Conceditur illud hæredibus voluntariis, extraneis & suis *l. 8. ff. l. fin. §. 2. C. eod.* ut & hæredum hæredibus, quatenus jus adeundi in hos transmittitur *v. l. 19 C. eod.* Respicit deliberatio hæreditatem, voluntate propria nondum acceptatam *l. 4. C. de repud. hæredit.* & fit eo fine, quo vires hæreditatis explorentur *l. 5. de jur. delib.*

§. 12. Durante deliberatione, deliberans omnia facere circa hæreditatem potest, quæ necessitas exigit *l. 5. §. 1. l. 6. eod.* Elapso tempore, voluntatem, de habenda vel repudianda hæreditate, declarare debet, si taceat, pro diverso eorum, quorum interest, affectu, aliquando pro adeunte *l. fin. §. 14. C. de jur. delib.* aliquando pro repudiante habetur *l. 69. de A. O. H.* Si vel sine deliberatione, vel post eam, hæreditatem adeat, tum universo oneri hæreditario obstringitur *l. fin. §. 14. C. de jur. delib. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 883. 884.*

§. 13. Cum vero deliberatio Creditoribus sit quodammodo molesta, ideo Justinianus medium aditionis magis expeditum introduxit, nempe *Inventarium v. l. 7. de administr. tutor.* Hoc est *omnium rerum hæreditariarum legitima consignatio, ab hærede, ac declinandum onus hæreditarium, necessario facienda l. fin. C. de jur. delib.* Hoc sensu inventarium est juris civilis, si vero, *pro arbitraria rerum designatione*, accipiatur, est juris gentium.

§. 14. Modus inventarium conficiendi, præscriptus est in *d. l. fin. §. 2. 3. C. de jur. delib. Nov. 1. c. 2. §. 1.* Dum in eo conficiendo occupatur hæres, à creditoribus inquietandus non est *l. fin. §. 11. C. de jur. delib.* Confecto inventario, ratione oneris, hæreditatis vires excedentis, securus est hæres, ac tum jura propria, tum jus detrahendi falcidiam, salva retinet *v. d. l. fin. §. 4. seqq. Nov. 1. c. 2. §. 1.* Neglecto autem inventario in solidum obligatur *d. l. fin. §. 14. Nov. 1. c. 2. §. 1. add.* LAUTERB. *C. J. de jur. deliber.* non tamen quoad legata, sed circa hæc saltem amittit jus detrahendæ quartæ *l. 1. §. 17. ad SCt. Trebell. v.* HUBER *in prælect. de jur. de lib. n. 8.* DN. BERGER *in resol.* LAUTERB. *d. t.*

§. 15. In Electoratu Saxoniæ, & aliis forte Germaniæ Territoriis, hæres, ex aditione, ultra hæreditatis vires, non obligatur, ex quo necessario consequitur (1.) quod cesset jus deliberandi, cui bono enim, spa-

Digitized by Google

ſpatium deliberandi eſſet concedendum ei, qui ſine periculo, ſtatim adire poteſt? (2.) quod nec inventario opus ſit, ſenſu ſcilicet juris civilis, nam, ut arbitraria rerum deſignatio, frequentiſſimè illud adhibetur, ac à Notario vel perſonis judicialibus conficitur: modum conficiendi jure civili præſcriptum, hodie ceſſare, plane arbitror, licet nonnunquam ille ab interpretibus inculcari ſoleat *v.* CARPZ. *p. 3. C. 33. D. 13.*

§. 16. Quodſi, circa inventarium, aliqua imperfectio occurrat, tam juramento purgatorio, quam aliis mediis illa oſtendi poteſt *v. l. fin. §. 10. C. de jur. delib. v.* CARPZ. *p. 3. C. 33. D. 9. ſeqq.* Si ex ſimplici ignorantia aliquid omiſſum ſit, illud ſimpliciter adſcribi debet, nec purgatorio hæres onerandus eſt, ſi errorem ſtatim agnoſcat CARPZ. *d. l. D. 12.* ſi vero fraus intervenerit, tum duplum præſtare debet *l. fin. §. 10. C. de jur. de lib.* ſed hodie arbitrarie punitur RICHT. *p. 1. Dec. 59. n. 17.* Si nullum plane inventarium confectum ſit, jurata ſpecificatio edenda eſt CARPZ. *d. l. D. 6. 7. 8. 18.* ad quam etiam fratres & ſorores tenentur *Deciſ. Saxon. 56.*

§. 17. De cætero jus civile, quod hæredem, ſine inventariô adeuntem, univerſo oneri hæreditario ſubjicit, melioribus niti videtur rationibus, quam mores noſtrates, qui eum, ſub conditione juratæ ſpecificationis, dimittunt, nam ii, qui rapaces manus hæreditati ſemel intulerunt, perjurii periculum ſubire non valde verentur, & miſera omnino eſt ſecuritas, quæ ab alterius juramento dependet. Plane, ſi quis doloſe res conſumſerit & hoc legitimo modo probetur, earum nomine illum teneri, indubium eſt.

§. 18. His præſuppoſitis, de ipſa *aditione* propius videndum eſt. In genere eſt *declaratio voluntatis, de habenda hæreditate delata v. l. 55. de O. & A.* Pertinet igitur aditio tantum ad acquiſitionem juris hæreditarii, poſſeſſionem vero rerum hæreditariarum neutiquam involvit, etſi non infrequens ſit, ut hæc cum illa concurrat, aut, per apprehenſionem poſſeſſionis, ſimul aditio fiat.

§. 19. Uti autem aditio ſit voluntate libera *l. 16. C. de jur. delib.* ita, nomine ſuorum hæredum, leges ipſæ eam declarant, adeoque hi, ipſo jure fiunt hæredes *l. 14. de ſuis & legit. hæred. l. 30. §. 10. de fideicomm. libert.* Eſt tamen iſta acceptatio, imperfecta, ac propria Suorum

VO-

voluntate, corroborari debet, hoc ſi fiat, tum illi, *ſe immiſcere l. 14. §. 8. de relig. l. 11. 41. 42. §. 2. l. 57. 87. de A. O. H.* aliquando etiam *adire* dicuntur *l. 7. §. 10. de minor.* Hæredes vero extranei, voluntatem habendæ hæreditatis, ſoli declarant, idque vel verbis vel factis, illo caſu *adeunt*, hoc, *pro hærede ſe gerunt §. 6. I. de H. Q. & D. l. 25. §. 7. l. 69. de A. O. H. l. 14. §. 8. de relig. l. 16. 19. C. de jur. delib.* licet nec illa accuratio ſemper obſervetur *l. 12. de interrog. in jur. fac. l. 88. de A. O. H.*

§. 20. Ut autem ex factis, animus habendi hæreditatem, aſſeri queat, ſcire debet gerens (1.) aliquem eſſe mortuum *v. l. 13. §. 1. l. 19. 22. 27. de A. O. H. l. 1. de H. vel A. V.* (2.) ſeque illi eſſe hæredem, vel legitimum vel teſtamentarium *§. f. I. de H. Q. & D. l. 22. 32. de A. O. H.* His poſitis, ex factis circa hæreditatem ſuſceptis, acceptatio colligitur *§. fin. I. de H. Q. & D.* PHILIPP. *Uſ. Pr. d. t. Eclog. 78.* niſi circumſtantiæ aliud ſvadeant *l. 20. de A. O. H.* In ſpecie ex eo, quod quis defunctum funeraverit, aditio non eſt aſſerenda *l. 4. 14. §. 8. de relig. l. 20. §. 1. 3. de A. O. H.* FINCKELTH. *de jur. ſepult. concl. 39.*

§. 21. Debet autem aditio pure fieri *l. 51. §. f. de A. O. H.* quia eſt actus legitimus *l. 77. de R. J.* ſed hæc ratio hodie non obtinet, hinc pura aditio propter eos, quorum intereſt, neceſſaria videtur, his ergo conſentientibus, etiam ſub conditione hæreditas acceptari poteſt *l. 23. quæ in fraud. credit.* Poſſunt etiam hæredes, qui adierunt, juris ſui confirmationem, à Magiſtratu, petere, quo ſenſu bonorum poſſeſſionis aliquis adhuc uſus eſſe cenſetur. Sed id ex imperio civili, omnibus gentibus communi, non ſanctione Prætoria, dependet. Hodie tanta ſollicitudine requirendum non eſt, num aliquis adierit, ac olim, cum mediante inventario, vel jurata ſpecificatione, etiam hæres adiens ſit extra periculum.

§. 22. Hæreditatem acceptant hæredes teſtamentarii & legitimi, modo ad res gerendas ſint habiles, ac ſucceſſionis capaces *l. 49. §. 1. de H. I.* per procuratorem, jure Romano, hæreditas non videtur adiri poſſe *arg. l. 77. 123. de R. J. v.* PERETZ *ad C. de jur. delib. n. 22. v. l. 25. 26. de A. O. H.* hodie tamen illud recte fieri non dubito. Per tutorem & curatorem itidem hæreditas non poteſt acquiri *l. 90. C. de A. O. H.* ſed pupilli & minores ipſi adire debent, cum autoritate tutorum

&

Digitized by Google

& curatorum *l. 9. §. 3. de autor. tutor. l. 18. §. 4. C. de jur. delib.* infantis tamen nomine tutores recte adeunt *l. 18. §. 2. C. de jur. delib.* Hodie harum ſubtilitatum nullum eſt uſum, ſed tutores indiſtincte adire poſſe arbitror.

§. 23. Liberi cum Patris conſenſu hæreditatem acceptant *l. 18. C. de jur. delib.* patre diſſentiente, ſoli, quo caſu hæreditas cedit peculio adventitio irregulari *l. fin. C. de bon. quæ lib.* Furioſus adire nequit *l. 63. de A. O. H.* ſed ejus nomine curator adit *l. fin. §. 3. C. de curat. furioſ.* ita ut furioſus, ad ſanam mentem reverſus, aditionem approbare vel rejicere queat, ſi vero in furore decedat, hæreditas pro non agnita habeatur, nec in hæredes ejus transmittatur *d. l. fin. §. 7. 8.* quæ ſanctio parum æqua videtur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 844.* Plane hæreditatem paternam, in furioſi hæredes transmitti, vulgo concedunt *v.* BERLICH. *p. 1. D. 147.*

§. 24. Hæredis hæres regulariter adire nequit *l. 7. C. de jur. delib. l. un. §. 5. C. de caduc. toll.* quod quidem, contra voluntatem defuncti, ex rationibus fiſci, conſtitutum cenſeri debet *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ.* 896. Jus tamen adeundi transmittunt (1.) ſui hæredes aut ſi mavis hæreditatem ipſo jure acquiſitam *l. 9. §. 4. de reb. dub. l. 19. §. 2. de caſtr. pec. l. 8. C. de ſuis & legit. lib.* (2.) liberi Parentibus ſucceſſuri *l. un. §. 5. C. de caduc. toll. l. un. C. de his qui ant. apert. tab.* (3.) hæredes deliberantes *l. 19. C. de jur. delib.* & (4.) juſte impediti *v. l. 3. §. 30. l. 4. de SCt. Silan. l. 84. 86. de A. O. H. l. 12. de Carbon. edict. v.* CARPZ. *p. 3. C. 14. D. 23. 24.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 884.*

§. 25. Merito illa iniquitas tollenda, & conſtituendum eſſet, ut omnes hæredes, ipſo jure fierent hæredes ad effectum transmiſſionis, nam ita obtinet in legatis, & voluntas defuncti, etiam hoc caſu, illud ſatis exigit. Hæredes ab inteſtato, hodie ipſo jure acquirere hæreditatem, fere concedit HUBER. *in poſit. ad I. l. 3. tit. 1. n. 46.* de omnibus id aſſerit COLER. *Deciſ. 68. n. 13.* quod probat CARPZOV. *p. 3. C. 14. D. 15.* licet mox captioſam juris civilis ſanctionem iterum inculcet *D. 23.* Æquum ſane eſt, ut hæredis hæredem ſemper admittamus, imo, ſi juxta voluntatem defuncti, pronunciandum ſit, etiam hæredis hæres admittendus erit, licet ille, ante teſtatorem, moriatur, quod tamen obſervari non ſolet *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 896.*

§. 26. Aliquando hæredi alius surrogatur. Hoc contingit (1.) *si hæreditatem adire vel nolit, vel non possit scriptus*, tum enim substitutus, vel, hoc deficiente, hæredes ab intestato admittuntur. Inprimis illa successio etiam obtinet in hæredibus legitimis, quod quidem olim Prætor, dato *Edicto successorio*, ad excludendum fiscum, introduxit §. 7. *l. de legit. agnat. succeſſ. l. 1. §. 11. de succeſſor. edict.* Sed hodie, in legibus successoriis, tam civilibus quam germanicis, ordo iste satis continetur, ut jure Prætorio amplius non utamur *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 972. 973.*

§ 27. Deinde successio illa accidit (2.) ob *hæredis delictum.* Si hæres scriptus testamentum testatoris occisi aperiat, inulta morte, hæreditas ei aufertur ac fisco addicitur *l. 1. ſ. §. 2. de SCt. Silan.* quod hodie non plane cessat, licet nonnullis *v.* LAUTERB. *C. J. d. t.* ita videatur, nam, nisi judex hæredem forte prævertat, hic minimùm delictum denunciare debet *v. Landr. l. 2. art. 16.* DN. GOETZE. *dissert. de confisc. hæred. ob inult. mort. hab. Lipſ. 1699.*

§. 28. Porro si hæres ab intestato, testamentum fieri, vel scriptus mutari prohibeat, hæreditas fisco cedit, qui legata exsolvere tenetur *l. 1. pr. §. 1. l. 2. §. 2. si quis aliq. teſt. proh.* Uterque etiam tenetur ei cui hæreditas destinata erat, ad interesse *l. 88. §. 4. de Legat. 2.* CARPZ. *p. 3. C. 5. D. 10.* Cohæredibus insontibus illa non nocent *l. 2. §. 1. si quis aliq. teſtar.* nec factum tertii hæredibus officit, nisi cum eo collusserint *v. l. 1. §. 1. 2. l. 2. §. 1. 2. ff. l. 1. C. eod. l. 22. C. de pœn. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 906.*

§ 29. Si quis vi aut dolo ad testandum fuerit coactus, testamentum est nullum, ac cogens vel decipiens sperato lucro excidit *v.* CARPZ. *p. 3. C. 5. D. 8. 9.* modo delictum probetur *v. l. 6. 9. C. de his quæ vi met. l. 6. C. de dol.* CARPZ. *d. l. D. 11. seqq.* Defertur hæreditas hæredibus ab intestato CARPZ. *d. l. D. 16.* licet eam fisco concedant STRUV. *Jurisp for. l. 2. tit. 22. n. 5.* HUBER. *in posit. ad ff. si quis aliq teſt. proh.* quamvis vero hæc etiam sententia, ex rationibus fiscalibus, defendi queat, prior tamen æquior, adeoque alteri præferenda est *v.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 907.*

§. 30. Aditur hæreditas delata, ac aliquando, ipso jure, minus plene acquisita, non vero repudiata *l. 27. 17. §. 1. l. 21. §. 2. l. 3. de A. O. H.*

Digitized by

O. H. l. 4. C. de repud. hæred. minores tamen etiam repudiatam, beneficio reſtitutionis, adire poſſunt *l. fin. C. de repud. hæred. l. 1. 2. C. ſi ut omiſſ. hæred. l. 7. §. 9. l. 24. §. 2. de minor.* Adiens vero, totam hæreditatem adire debet, nec poteſt contra voluntatem legis & defuncti, res ſeparare *l. 1. 80. §. 1. de A. O. H. l. 20. C. de jur. delib.* ſi tamen liberi, à vivis parentibus quid acceperint, eo retento, hæreditatem repudiare poſſunt *l. fin. de dot. collat.* modo cæteri in legitima non lædantur *Nov. 92. c. 1. auth.* inde *C. de inoff. teſtam.*

§. 31. Adiri poteſt hæreditas intra 30. annos *l. 7. C. de petit. hæred.* petendæ quidem bonorum poſſeſſioni, brevius tempus præſtituit Prætor *§. 4. I. de B. P. l. §. 12. 16. de ſucceſſ. edict. l. 2. quis ord. in poſſeſſ.* ſed illius rei hodie nullus videtur eſſe uſus. Dicta tamen non ita ſunt intelligenda, quaſi, in præjudicium creditorum. quis, ad 30. usque annos, additionem differre queat, (nam tum potius compellendus erit, quo vel adeat vel repudiet) ſed quod ignorans & abſens, demum lapſu 30. annorum, à jure adeundi & petendi hæreditatem, excludatur. Liberis, ad 90. annos jus illud ſalvum eſſe, aliqui volunt *v.* CARPZ. *p. 3. C. 14. D. 30.* ſed ſine fundamento *v.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 972.*

§. 32. Adita hæreditate, hæres defunctum repræſentat, adeoque, à tempore mortis, omnia ejus jura conſequitur *l. 37. §. 4. de A. O. H. l. 193. de R. J.* niſi morte ſint extincta *l. 196. de R. J.* Non minus etiam obligationes defuncti ſubire debet *l. 8. de A. O. H. l. 10. C. de jur. delib.* ſi modo in hæredem ſint transmiſſibiles *l. 44. de R. J. l. un. C. ex delict. defunct.* in transmiſſione vero determinanda, leges Romanas non ſemper obſervare æquitatem *l. 1. C. 11. §. 33.* admonitum eſt. Denique hæres etiam novis obligationibus, ad legata exſolvenda, ex voluntate defuncti, obſtringitur *§. 5. I. de obligat. quæ quaſ. ex contr.* Poſſeſſionem rerum hæreditariarum vacuam, propria autoritate, occupare poteſt, immediate vero illa in eum non tranſit *l. 23. de A. A. P.* nec moribus aliud obtinet *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 897.*

§. 33. Additioni opponitur *Repudiatio*, i. e. *declaratio voluntatis de hæreditate delata, non habenda.* Extranei hæredes in ſpecie *repudiare*, ſui *abſtinere* dicuntur *l. 11. §. 7. 71. §. 1. l. 87. de A. O. H.* ſed nec illa accurario ſemper obſervatur *l. 7. §. 10. de minor. l. 6. C. de legit. hæred.* nec in ejus obſervatione, aliqua vel eruditio, vel utilitas conſiſtit.

De cætero animus repudiandi, verbis & factis declarari potest *v. l. 61. 77. 95. de A. O. H.*

§. 34. In personis repudiantibus, eadem requiruntur, quæ in adeuntibus *l. 18. de A. O. H. l. 13. eod. l. 5. C. de repud. hæred. l. 11. de autor. tutor. l. 8. §. 2. C. de bon. quæ lib.* Repudiatur hæreditas delata, sed nondum agnita *l 94. de A. O. H. l. 4. C. de repud. hæred.* quo facto, jus adeundi perit *d. l. 4.* scilicet ex eadem causa *l. 17. §. 1. l. 77. de A. O. H. add.* LAUT. *C. J. d. t.* Minores etiam aditam hæreditatem repudiare possunt *l. 57. de A. O. H. l. 7. §. 5. de minor.*

§. 35. Jure Saxonico etiam majores hæreditatem agnitam repudiare possunt, quia, propter inventarium vel juratam specificationem, ultra vires hæreditatis, non tenentur. Sed illa repudiandi facultas, ad annum postea est restricta *Decis. Saxon. 57.* ita ut, post illum, hæres hæreditatem amplius relinquere nequeat, nec tamen ultra ejus, propria voluntate non imminutæ, vires teneatur. Hinc illius rei hic videtur esse effectus, ut deinceps, velut curator bonorum, gratis res hæreditarias administrare debeat.

§. 36. Debitor obæratus oblatam hæreditatem quoque repudiare potest *l. 134. de R. J. l. 6. §. 2. quæ in fraud. credit.* nihil enim in fraudem creditorum facit, qui acquirere non vult, cum illi fortuita ejusmodi emolumenta, in contrahendo, non respexerint. In specie igitur Pater, qui fideicommissum filio, sub conditione, si sui juris factus esset, restituere rogatus est, illud, omissa Falcidiæ ratione, præstare potest *l. 19. quæ in fraud. credit.* nam Falcidia quoque lucrum oblatum est. Sunt tamen, qui istam dispositionem hodie improbant SCHILTER. *exerc. 46. §. 53.* CARPZ. *Dec. 161.* sed sine gravi causa *v.* THOMAS. *in not. ad* HUBER. *posit. ad ff. quæ in fraud.* BERG. *in resolut. ad* LAUTERB. *d. t. dissert. de omiss. hæred. hab. Witteb. 1696.*

§. 37. Superest ut pauca de aditione & repudiatione hæredis fideicommissarii adjiciamus. Illam quod attinet, regulariter, circa eam, aditio fiduciarii præsupponitur, de quo *c. 6. §. 8. seqq.* actum est. De cætero fideicommissarius vel immediate, vel mediate voluntatem, de habenda hæreditate, declarat *l. 7. C. ad SCt. Trebell.* quo facto, jus hæreditarium consequitur. Quodsi, post diem fideicommissi ceden-

dentem, moriatur fideicommissarius, ejus hæres adire potest, nam fideicommissa, ad effectum transmissionis, ipso jure acquiruntur *l. 25. 44. 46. ad SCt. Trebell.* CARPZ. *p. 3. C. 14. D. 23. n. 11.* STRUV. *S. J. C. exerc. 36. §. 26.* nisi, deficiente fideicommissario, testator alii fideicommissum dederit *d. l. 25.*

§. 38. Quodsi displiceat fideicommissum, repudiari potest, non tamen in præjudicium aliorum, hinc fideicommissum familiæ relictum, repudiatione proximi cæteris non aufertur. Si quis fiduciarium, ad edeundum coegerit, postea nec ipse, nec ejus hæres, fideicommissum repudiare potest *l. 44. 67. ad SCt. Trebell.* STRUV. *d. l. §. 37.* quod hodie nullius est usus *v. c. 6. §. 22.* Facta repudiatione, fideicommissum penes fiduciarium manet, quod etiam obtinet, si fideicommissarius, antediem cedentem, deficiat *l. 46. ad SCt. Trebell.*

CAPUT XIII.

DE ACTIONIBUS HÆREDITARIIS.

SUMMARIA.

Actiones hæreditariæ sunt possessoriæ & petitoriæ §. 1.
Ad illas pertinet interdictum quorum bonorum §. 2.
Ejus fundamentum, subjectum §. 3.
Objectum & duratio §. 4.
Porro ad illas spectat remedium ex l. fin. C. de edict. D. Hadrian. toll. §. 5. 6.
Interdictum quod legatorum §. 7. 8.
Quod certis casibus cessat §. 9.
Remedium petitorium est hæreditatis petitio §. 10.
Ejus qualitates §. 11. Fundamentum §. 12.
Competit hæredibus §. 13.
Contra eos qui possident §. 14.
Hæreditatem aut rem hæreditariam pro hærede vel possessore §. 15.
Tituli diversitas hodie ob probationem attenditur §. 16.
Actionis hujus objectum §. 17.
Ratione malæ §. 18. 19.
Et bonæ fidei possessoris §. 20. 21.
Possessor quoque indemnis servari debet §. 22. 23.
Probatio actoris hic est necessaria §. 24.
Actionis pendentis & finitæ effectus §. 25.
Ejus duratio & variæ species §. 26. 27.
Harum usus modernus §. 28.

§. 1.

QUando hæredes, aditione sua, jus hæreditarium sunt consecuti, sæpe tamen res ipsas hæreditarias nondum habent, nec etiam illæ sunt vacuæ, ut propriâ autoritate occupari queant, hinc possessores actionibus habilibus sunt expellendi, quæ in universum sunt *possessoriæ & petitoriæ*, de quibus nunc dicendum erit.

§. 2. Ad remedia possessoria pertinet (I.) *Interdictum quorum bonorum*, quod est *actio realis, qua hæres, à Magistratu confirmatus, ab eo, qui pro hærede, vel possessore possidet, rerum hæreditarium possessionem petit.* Est hoc interdictum adipiscendæ possessionis *l. 1. quor. bon.* dicitur quoque universale *d. l. 1. §. 1.* licet etiam rerum singularum possessio eodem exigi queat *l. 2. eod. l. 29. de furt.* nam universalitas non præcise ex objecto, sed potius jure & intentione actoris, quæ semper universalis esse censetur *l. 1. §. 1. si pars hæred. pet.* æstimatur. Sed hoc otiosum fori Romani commentum, hodie nullius usus, ac, in rei veritate, interdictum pro diversitate objecti, universale & speciale est.

§. 3. Oritur ex *jure hæreditario, ob confirmationem Magistratus, liquido*, qua nota, ab hæreditatis petitione, discernitur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1082.* Datur omnibus hæredibus, testamentariis & legitimis, modo à Magistratu confirmationem juris sui impetraverint *l. 1. ff. l. 1. 2. 3. C. quor. bon.* nam illa facit jus liquidum & est causa processus summarii. Competit contra eos, qui saltem pro hærede vel possessore res possident *l. 1. ff. l. 2. C. eod.* contra hos enim præsumtio, pro actore militans, efficax est, si vero quis titulo dominii res teneat, tum interdictum sine effectu, adeoque alia actione & probatione opus est.

§. 4. Tendit hoc interdictum ad consequendam rerum hæreditariarum possessionem; debitores vero hæreditarii, si præstationem debiti ideo recusent, quod se, defuncti hæredes dicant, eodem non conveniuntur *l. 2 quor. bon.* ideo forte quod actiones personales æquè expeditæ sint, cum in iis etiam sufficiat, ad obtinendum debitum, juris hæreditarii confirmationem judicialem urgere. Præscribitur interdictum, ex nonnullorum sententia 30. annis *arg. l. 3. C. de 30. vel 40. ann. præscript.* LAUTERB. *C. J. quor. bon.* Sed assertio illa fundamento caret; remediis possessoriis nulla certa præscriptio opponitur, sed illa tamdiu durant, quamdiu evidentia juris, contrariis circumstantiis non est elisa *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1083.*

§. 5. (II.) *Remedium ex l fin. C. de edict. D. Hadrian. toll.* quod est *actio realis, qua hæres in testamento, vitium visibile non habente, institutus, possessionem hæreditatis exigit.* Oritur ex *jure hæreditario, per*

Digitized by Google

per teſtamentum, quoad externam formam, legitimam probato, nam illud pro actore facit præſumtionem, ac ſummarium exigit proceſſum. Datur igitur omnibus, in tali teſtamento inſtitutis *l. 65. de V. S. l. 41. §. 4. de V. & P. Subſtit. l. 194. de R. J.* adverſus eos, quorum jus eſt obſcurius, ad conſequendam poſſeſſionem, iis quæ altioris ſunt indaginis, ad petitorium rejectis *v.* CARPZ. *6. Rſp. 19. 20.*

§. 6. Ceſſat hoc remedium, ſi teſtamentum vitio viſibili laboret, aut contradictoris jus ſit fortius & evidentius *l. fin. C. de edict. D. Hadrian. toll.* de quo ex circumſtantiis judicandum. Hinc v. gr. ſi teſtamentum inofficioſum, aut vi vel fraude extortum dicatur, remedio huic locus erit, ſi vero liberi, non obſervata juris forma, excluſi ſint, illud ceſſabit, prius enim eſt altioris indaginis, poſterius vero ſtatim apparet, modo, in æſtimanda illa forma, nulla ſubſit difficultas. De Præſcriptione idem dicendum puto, quod §. 4. dixi. Ad exemplum autem hujus & præcedentis remedii, alia quoque locum habere poſſunt *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1084.*

§. 7. (III.) *Interdictum quod legatorum*, quod eſt *actio realis, qua hæres agit, ad poſſeſſionem rerum legatarum, à legatariis, ſine ejus & teſtatoris voluntate, occupatarum, conſequendam, quo ratione Falcidiæ eo magis ſit ſecurus l. 1. §. 1. 2. quod legat.* Oritur ex *jure hæreditario, ab ipſis etiam adverſariis agnito*, ob quam juris evidentiam, proceſſus ſummarius obtinet. Competit cuivis hæredi *l. 1. §. 3. 11. quod legat.* contra occupantes eorumque ſucceſſores, etiam ſingulares *l. 1. §. 10. 13. eod.* ad conſequendam rerum occupatarum poſſeſſionem *l. 1. §. 8. eod.*

§. 8. Quia vero Falcidiæ gratia, ſaltem poſſeſſio à legatarii avocatur, ideo, eâ deductâ, hi legata ſua repetunt *l. 1. §. 2. in fin. quod legat.* quo nomine ipſis hæres quoque cavere debet *l. 1. §. 16. l. 2. §. 1. ff. l. un. C. quod legat.* Si legatarii, in reddendis legatis, ſint contumaces, in id quod intereſt, debent condemnari *l. 2. §. 2. quod legat.* quæ clauſula exiguum forte habet uſum.

§. 9. Ceſſat hoc interdictum (1.) ſi ipſe teſtator rem legatam vel donatam legatario vel donatario præſtiterit *l. 1. §. 5. quod legat. v. l. 22. de legat. 2.* illud ipſum tamen, quod Falcidiæ nomine debetur, peti poteſt *l. pen. C. ad L. Falcid.* quemadmodum etiam interdictum obtinet, ſi,

ſi, ſine traditione teſtatoris, res, mortis tempore, apud perſonam honoratam exiſtant *l. 26. ff. ad L. Falcid.* (2.) ſi poſt aditionem, hærede volente, res ſit occupata *l. 1. §. 2. 11. quod legat.* (3.) ſi legatarius ſtatim docere queat, hæredi Falcidiam non competere *v. l. 173. §. 3. de R. J. l. 31. depoſ.* denique (4.) ſi legatarius rem ab hærede jam poſſeſſam occupaverit, ceſſat quoque hoc interdictum, ac legatarius amiſſione rei punitur *l. 7. C. unde vi l. 13. quod met. cauſ. v. l. 5. c. 3. §. 11.*

§. 10. Remedium petitorium eſt *Hæreditatis petitio*, quæ, juxta rei veritatem, eſt *actio modo univerſalis, modo particularis, realis & perſonalis qua hæres vel totam hæreditatem, vel quasdam res hæreditarias, cum acceſſionibus, ab eo, qui pro hærede, vel poſſeſſore poſſidet, petit.* Juxta jus Romanum dici ſoler (1.) actio univerſalis *l. 1. pr. de R. V. l. 10. §. 1. de hæred. petit. l. 1. §. 1. ſi pars hæred. pet.* ſed eam revera eſſe quoque aliquando particularem, liquet ex *l. 9. 10. de hæred. petit.* ut illo commento non indigeamus.

§. 11. Porro (2.) dicitur actio mixta *l. 7. C. de hæred. petit.* & quidem *realis*, quatenus eſt ex jure hæreditario, *perſonalis* vero, quatenus eſt ex quaſi contractu, ac præſtationes perſonales perſequitur *l. 25. §. 18. l. 50. §. 1. de hæred. petit.* Verum uti quaſi contractum hic comminiſci plane otioſum eſt, cum perſecutio præſtationum perſonalium petitionem, ex jure hæreditario inſtitutam, in caſibus habilibus, neceſſario ſequatur, perinde ſicut ſe res habet in rei vindicatione *l. 17. §. 1. l. 20. de R. V.* ita hæreditatis petitionem, etiam quatenus ex jure hæreditario oritur, aliquando eſſe perſonalem, ex *l. 13. §. fin. l. 14. ſeqq. de hæred. petit.* apparet *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 179.* Denique (3.) dicitur bonæ fidei *l. 12. §. 3. C. de H. Petit. §. 28. I. de action.* Sed hoc prædicatum in genere, hodie non amplius eſſe neceſſarium, admonui *l. 1. c. 16. §. 17.*

§. 12. Oritur hæreditatis petitio ex *jure hæreditario*, quod vel teſtamento, vel ab inteſtato eſt acquiſitum *v. l. 8. de hæred. petit. l. 11. §. 2. de except. rei jud.* Uſus autem, ex diverſo juris ſtatu, dependet, ſi enim jus hæredis ſit liquidum, tum utitur interdicto *v. §. 3. h.* ſi obſcurum & operoſius probandum, hæreditatis petitione; Quædam tamen hujus ſpecies, jus ſatis liquidum aliquando præſupponunt, adeoque quoad effectum, cum interdictis fere coincidunt.

§. 13. Com-

§. 13. Competit hæredibus *l. 1. seqq. de hæred. petit. l. 65. 70. de V. S. l. 194. de R. J.* ac hæreditatis emtoribus *l. 54. de hæred. petit.* si plures sint hæredes, singuli portiones suas persequuntur, licet quidam nondum adierint *l. 2. si pars hæred. pet.* in rebus communibus conjuncta petitio requiritur *l. 1. §. 2. eod.* Si defunctus unum filium, & uxorem prægnantem relinquat, ille interim quartam tantum petere potest *l. 3. 4. eod. l. 28. §. fin. de jud. l. 7. pr. de reb. dub. l. 36. de solut.* v. OBSERV. LAUTERB. *Obs. 195.*

§. 14. Datur adversus eos, qui vel hæreditatem, vel rem, vel debitum hæreditarium, pro hærede vel possessore possident *l. 9. seqq. de hæred. petit. l 7. C. eod.* Requiritur ergo (1.) ut quis possideat, aut se possidere mentiatur *l. 13. §. 13. l. 45. de hæred. petit. l. 25. 26. 27. de R. V.* (quod hodie nullius usus videtur) vel dolo possidere desierit *l. 13. §. 2. 14. l. 25. §. 8. de hæred. petit. l. 157. §. 1. de R. J.* hic tamen liberatur, si verus possessor judicium accipere velit, aut actori jam satisfecerit *l. 13. §. 14. de hæred. petit. l. 95. §. 9. de solut.* si primus possessor litis æstimationem solverit, novus possessor itidem liberatur v. OBSERV. LAUTERB. *Obs. 182. 183.* Qui bona fide possidere desiit, nec locupletior factus est, conveniri nequit *l. 16. §. 5. l. 20. §. 17. l. 25. §. 11. de hæred petit.*

§. 15. Deinde requiritur (2.) ut possideat vel totam hæreditatem, vel rem aut debitum hæreditarium *l. 9. 10. 13. §. f. seqq. de hæred. petit.* vel aliud quid inde redactum, nam res functionem recipiunt *l. 13 §. 4. l. 16. §. 1. 2. 5. 7. l. 20. §. 17. l. 22. in fin. eod.* & quidem (3.) pro hærede vel pro possessore *l. 11. 12. 13. 16. §. 4. l. 20. §. 13. eod.* nam si alio titulo res teneat, tum alia actione & probatione opus est *l. 42. eod. l. 7. C. eod. l. 4. C. in quib. caus. cess. long. temp.* Hæredes illorum possessorum, hæreditatis petitione quoque tenentur *l. 13. §. 3. 11. de hæred. petit.* ut & successores singulares *l. 13. §. 4. 5. 8. 9. eod.* v. OBSERV. LAUTERB. *Obs. 185.*

§. 16. Cum igitur, à titulo possessoris, hæreditatis petitio dependeat, ideo ille titulum allegare debet *l. 11. C. de hæred. petit.* Sed hodie illam allegationem nec necessariam, nec usitatam esse, sed titulum possessoris, non ob *actionem*, sed *probationem formandam*, attendi arbitror. Actor igitur rem vel debitum, congrua petitione, exigit, quodsi, facta

cta litis conteſtatione, reus ſe hæredem dicat, vel nullum titulum alleget, tum ille intelligit, nihil aliud probandum eſſe, quam ſe eſſe hæredem: Si vero adverſarius titulum dominii opponat, aut jus actoris neget, tum, probationem juris hæreditarii non ſufficere ſed dominium vel aliud jus, operoſius probandum eſſe, meminiſſe debet. Ex diverſa igitur litis conteſtatione & probatione apparet, hæreditatis petitio, an alia actio fuerit inſtituta *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 184.*

§. 17. Petitur principaliter hæreditas *l. 4. 10. §. 1. de hæred. petit.* ſub qua etiam continentur res alienæ, à defuncto poſſeſſæ *l. 19. eod.* ut & res, poſt ejus mortem hæreditati acquiſitæ, ac in ſpecie fructus *l. 20. pr. §. 3. l. 25. §. f. l. 26. ſeqq. eod.* denique quæ in locum rerum hæreditariarum ſucceſſerunt *l. 16. §. f. l. 18. §. 2. l. 22. eod.* Præterea etiam petuntur ea, quæ facto poſſeſſoris hæreditati illata ſunt, ac vulgo nomine præſtationum perſonalium veniunt *l. 16. §. 4. ſeqq. l. 25. §. 18. l. 31. §. f. l. 40. §. 2. eod.* Servitutes vero in hæreditatis petitionem non veniunt *l. 19. §. 3. eod.* ſed, ſi rationes valere debent, contrarium dicendum eſt *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 186. 187.*

§. 18. Sed ut ſpecialius conſtet, quid poſſeſſor hæreditatis præſtare debeat, diſtingvendum eſt, utrum *malæ* an *bonæ fidei* poſſeſſor ſit. Ille omnia reſtituere debet, etiam quæ poſſidere deſiit vel acquirere potuit *l. 20. §. 6. l. 25. §. 2. 8. de hæred. petit.* hinc acceſſiones *l. 27. eod.* fructus perceptos & percipiendos *l. 25. §. 4. ff. l. 1. §. 1. C. eod.* præſtare tenetur *add. l. 20. §. 14. 21. eod. l. 62. de R. V.* ut & culpam *l. 25. §. 2. de hæred. petit.* ac caſum fortuitum, ſi prædo ſit *v. l. 8. §. 1. l. fin. ff. l. fin. C. de condict. furt. l. 1. §. 34. ſeqq. l. pen. de vi & vi arm. l. 46. de furt. l. 1. C. de his quæ vi met.*

§. 19. Simplex verò malæ fidei poſſeſſor de caſu fortuito non tenetur *l. 62. de R. V.* niſi vel per litem motam, vel interpellationem extrajudicialem in mora conſtituatur, licet enim, propter ſcientiam, ad rei reſtitutionem ſit obligatus, attamen cum & hæredis fuerit, rem ſuam petere, ideo dum hoc negligit, in caſum fortuitum videtur conſenſiſſe. Quodſi tamen, mora contracta, res nihilominus apud actorem quoque fuiſſet peritura, tum nec hoc caſu poſſeſſor aliquid præſtat *l. 14. §. 1. depoſ.* Aliàs non tantum rei peremtæ pretium, ſed & fructus interceptos ipſum præſtare oportet *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 189. 190.*

§. 20. Bo-

§. 20. Bonæ fidei poſſeſſor, etiam in jure, non ſupinè, errans *l. 25. §. 6. de hæred. petit.* reſtituit res hæreditarias extantes, quod vero ex conſumtis rebus, vel fructibus, ante litem motam, lucratus eſt, de eo eatenus tenetur, quatenus inde tempore rei judicatæ locupletior deprehenditur *l. 23. pr. l. 25. §. 11. l. 28. 36. §. 4. ff. l. 1. C. de hæred. petit.* De culpa non tenetur *l. 25. §. 11. l. 31. §. 3. eod.* cum proprie loquendo ne quidem culpam committat.

§. 21. Poſt litem conteſtatam, vel interpellationem extrajudicialem, ſententia condemnatoria, ſuo tempore, confirmatam, bonæ fidei poſſeſſor, talis eſſe deſinit, hinc tam ratione rerum hæreditariarum, quam eorum, quæ poſt hoc tempus percepit, conſumſit, aut percipere potuit, perinde ut malæ fidei poſſeſſor, obligatur *l. 20. §. 11. l. 25. §. 5. 7. l. 52. ff. l. 1. §. 1. C. de hæred. petit.* quod tamen non aliter admittendum videtur, quam ſi jus petentis valde fuerit liquidum *l. 40. pr. in fin. eod. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 188.* In ſpecie igitur poſſeſſor, qui juſtam contradicendi cauſam habet, de caſu fortuito, qui poſt acceptum judicium accidit, non tenetur, etiamſi actor probare velit, ſe, re ſtatim reſtituta, damnum illud evitare potuiſſe *d. l. 40. pr. h. l. 16. pr. de R. V. l. 21. 24. de uſur. l. 63. de R. J.* ſi vero juſta cauſa fuerit deſtiturus, tum tenebitur *v. l. 15. §. f. de R. V. l. 8. de re jud.*

§. 22. Vice verſa poſſeſſor, indemnis eſt conſervandus, quatenus in damnum non conſenſit; Hinc ea, quæ hæreditatis nomine, legitime ſolvit, deducit *l. 17. 53. ff. l. 3. C. de hæred. petit.* Impenſas fructuum *v. l. 3. §. 1. l. fin. de imp. in res dot.* bonæ & malæ fidei poſſeſſor ex fructibus conſequitur *l. 36. §. fin. de hæred. petit. l. 46. de uſur. l. 1. C. de fruct. & lit. expenſ.* imo ille etiam ex aliis rebus hæreditariis *l. 37. de hæred. petit.*

§. 23. Impenſas rei neceſſarias & utiles *v. l. 79. de V. S. l. 1. §. f. l. 6. ſeqq. l. 14. de impenſ. in rem dot. fact.* ſimplex malæ fidei poſſeſſor deducit, ſi res meliorata exiſtat *l. 38. de hæred. petit. l. 1. C. de infant. expoſ. l. 14. de cond. indeb.* voluptuarias vero tantum tollit *l. 39. §. 1. de hæred. petit.* Bonæ fidei autem poſſeſſor omnes impenſas deducit, re licet non amplius extante *l. 38. 39. eod.* quod tamen intelligendum eſt de expenſis ante litem motam factis, nam in iis, quæ poſtea

fiunt, malæ fidei poſſeſſoris jure cenſetur *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 191.*

§. 24. Actor debet probare (1.) mortem ejus, de cujus hæreditate agitur *l. 2. de probat.* CARPZ. *p. 1. C. 16. D. 37. l. 2. D. 166.* ſi hic 70. annis major ſit, & de eo, poſt diligentem inquiſitionem, nihil conſtet, mors præſumitur, ac adeo proximioribus hæreditas, ſine cautione conceditur CARPZ. *p. 3. C. 15. D. 57.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 192.* infra hanc ætatem ſi fuerit, tum præſtita cautione, adminiſtratio bonorum ipſis ſaltem permittitur CARPZ. *p. 3. C. 15. D. 48. ſeqq.* (2.) ſe illius eſſe hæredem, teſtamentarium vel legitimum ID. *p. 3. C. 18. D 28. ſeqq.* (3.) adverſarium poſſidere *v.* CARPZ. *p. 33. C. 33. D. 6. ſeqq.* Aliquando notorietas actorem ab onere probandi liberat.

§. 25. Durante proceſſu, poſſeſſor regulariter nihil diſtrahere poteſt *l. 5. de hæred. petit.* Creditoribus tamen hæreditariis & legatariis reſpondere, &, accepta cautione, ſolvere debet *l. fin. pr. §. 1. C. eod.* Si condemnatus reſtituere vel nequeat, vel nolit, contra ipſum juratur in litem *l. 25. §. 10. de hæred. petit.* Sed hodie ſententia potius executioni datur, ratione tamen eorum, quæ dolo poſſeſſoris perierunt, juramentum in litem adhiberi poteſt. De cætero executio diverſa eſt pro diverſa, quod petitur, objecti conditione, ſi univerſitas petatur, juxta inventarium vel juratam ſpecificationem, illa fieri debet, ſi vero res ſingularis vel debitum exigatur, tum illa prolixitate opus non eſt *conf.* LAUTERB. *C. J. de hæred. petit.*

§. 26. Præſcribitur hæreditatis petitio 30. annis *l. 7. C. de hæred. petit. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 194.* & ſolent ejus variæ laudati ſpecies, de quibus ita forte dicendum. A *fundamento remoto* ſeu *lege*, quæ jus hæreditarium largitur, hæreditatis petitio eſt (1.) vel *civilis*, quæ ex jure civili ſtricte dicto *t. t. de hæred. petit.* vel *poſſeſſoria*, quæ ex jure prætorio *t. t. de poſſeſſ. hæred. petit.* vel *fideicommiſſaria*, quæ ex juris civilis velut conniventia deſcendit, ac datur hæredi fideicommiſſario, non contra fiduciarium *l. 3. §. 1. de fideicom. hæred. petit. l. 178. §. 2. de V. S.* ſed extraneum poſſeſſorem *t. t. de fideic. hæred. petit.* (2.) in *directam* & *utilem l. 13. §. 4. 8. de hæred. petit.*

§. 27. Ab *objecto*, eſt vel *univerſalis* vel *particularis v. §. 10. h.* Denique à *fundamento proximo* ſive *jure hæreditario*, eſt vel *teſtamentaria* quæ,

Digitized by Google

quæ ex teſtamento, vel *legitima*, quæ ab inteſtato datur, hæc plerumque *v. c. ſeqq. §. 1.* iterum eſt *ordinaria*, quæ hæreditatem, jure non turbato delatam vindicat, & *extraordinaria*, quæ impedimentum, à teſtatore poſitum, removet, ac hæreditatem legitimam perſequitur, & *querela nullitatis* vel *inofficioſi*, pro caſuum diverſitate, dicitur.

§. 28. Cæterum uti hodie actio *directa* & *utilis*, ut & *hæreditatis petitio poſſeſſoria*, fruſtra inculcantur, ita non magnus etiam error erit ſi *fideicommiſſariam hæreditatis petitionem*, vel, pro caſuum diverſitate, *actionem familiæ erciſcundæ* contra ipſum quoque hæredem fiduciarium inſtitui poſſe dicas *v. c. 6. §. 21.* nam licet *perſecutionem fideicommiſſi extraordinariam*, ſummario proceſſu tractari, ac vel ideo retinendam eſſe contendas, attamen nihil impedit, quo minus ad actiones modo laudatas, idem proceſſus applicetur *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 196. 197.* Cum porro omnes illæ ſpecies, quoad vindicandæ hæreditatis rationem, conveniant, ideo, antea generaliter dicta, circa ſingulas repetere, opus non erit. De querela tamen nullitatis & inofficioſi, ob impedimentum, quod iis obſtat, ſeorſim agendum eſt.

CAPUT XIV.

DE QUERELA NULLITATIS ET INOFFICIOSI.

SUMMARIA.

Querela nullitatis habet locum quoties teſtamentum eſt nullum §. 1.
Quod ſpecialius declaratur §. 2.
Ejus effectus & modus procedendi §. 3.
Querela inofficioſi per modum actionis aut exceptionis proponitur §. 4.
Quando injuſte & ſolenniter excluduntur, quibus debetur legitima §. 5.
Datur liberis §. 6.
Parentibus & fratribus §. 7.
His tamen ſaltem eo caſu, quo turpis perſona iis prælata §. 8.
Agentium victoria aliis prodeſt, alii tamen agere non valentium partem hæredi ſcripto relinquunt §. 9.
Utriusque ſententiæ incommoda §. 10.
Ex veriori ſententia victor totam conſequitur hæreditatem §. 11.
In movenda querela ordo ſucceſſionis legitimæ non per omnia ſervatur §. 12.
Excluſorum hæredibus querela regulariter non competit §. 13.
Succeſſio circa querelam quatenus obtineat §. 14.
Datur illa contra hæredem inſtitutum §. 15.

Ejus objectum §. 16. 17.
Exitus §. 18.
Et effectus §. 19. 20.
Querela aliquando plane cessat §. 21.
Aliquando competens desinit ob agnitionem §. 22.
Hæc etiam occurrit in legati petitione §. 23.
Tollitur quoque præscriptione & morte excluſi §. 24.
Legitimæ natura, fundamentum §. 25.
Subjectum, modus relinquendi §. 26.
Et quantitas §. 27.
Quinam liberi hic partem faciant §. 28.
Nepotes in constituenda legitima quomodo numerentur §. 29. 30. 31.
Liberi pro rata legitimæ regulariter onera ferunt hæreditaria §. 32.
Legitimæ supplementum objectum §. 33.
Et effectus §. 34.
Querelæ inofficioſi & nullitatis comparatio §. 35.

§. I.

NUllitatis querela hic est, *Extraordinaria hæreditatis petitio, qua teſtamento invalido excluſus petit, ut teſtamentum nullum declaretur, ſibique hæreditas vel ex teſtamento, vel plerumque ab inteſtato quæſita, adjudicetur v. l. 25. §. 6. de hæred. petit.* Habet ergo locum, quoties teſtamentum vel ab initio nullum est, vel ex poſtfacto rumpitur, aut irritum fit, vel, ob incapacitatem aut indignitatem hæredis, effectum habere nequit.

§. 2. In ſpecie ergo locum habet, ſi teſtamentum ſit nullum (1.) ob defectum voluntatis manifeſtum *v. c. 8. §. 2. n. 1.* aut (2.) tacitum, puta ſi dolo vel vi teſtamentum ſit extortum *v. c. 12. §. 29.* (3.) ob defectum facultatis teſtandi (4.) ſolennitatis externæ (5.) internæ *v. d. c. 8. §. 2. 3. 18.* Porro obtinet illa querela ſi teſtamentum rumpatur (6.) nativitate liberorum *d. c. 8. §. 4. ſeqq.* aut (7.) voluntatis mutatione *d. c. 8. §. 7. ſeqq.* porro ſi (8.) irritum fiat *d. c. 8. §. 13. ſeqq.* vel (9.) ob hæredis incapacitatem *d. c. 8. §. 16.* aut indignitatem *v. c. 12. §. 27. 28.* effectum habere nequeat, & ſi qui alii ejus generis caſus occurrunt.

§. 3. Eſt autem querela nullitatis, diverſi effectûs, nam aliquando totum teſtamentum evertit, aliquando ſaltem inſtitutionem, id quod, ex caſibus relatis, ſpecialius intelligendum. Cum etiam nullitas quandoque ſit valde evidens, aliquando vero ſatis incerta & involuta, hinc rationi eſt conſentaneum, ut pro caſuum varietate, modo ſummario, modo ordinario proceſſu tractetur. Sic æquum videtur, ut, ſi liberi illegitimè ſint excluſi, ſummariter procedatur, verum ſi quis teſtamentum dolo vel vi exortum dicat, tum opus

Digitized by Google

opus erit processu ordinario, quia istius rei disceptatio valde involuta est. Sed de hoc usus fori consulendus.

§. 4. Querela inofficiosi est *extraordinaria hæreditatis petitio, qua injuste excluſus petit, ut testamentum inofficiosum rescindatur sibique hæreditas, ab intestato debita, adjudicetur v. l. 7. pr. l. 8. §. 8. l. 12. §. fin. l. 15. §. 2. l. 20. 21. §. 2. l. 27. §. 3. ff. l. 34. C. de inoff. testam. l. 3. C. de hæred. petit. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 162. 163.* Si injuste excluſus hæreditatem possideat, tum querela inofficiosi, per modum *Exceptionis* proponitur, id quod etiam, de querela nullitatis, dici potest. De cætero querelæ illi *colorem dementiæ* prætexunt Romani *pr. I. de inoff. testam. l. 2. §. 13. in fin. eod.* quo fuco hodie non indigemus.

§. 5. Habet locum hæc querela, quando testamentum est inofficiosum, i. e. quando ii, quibus debetur legitima, *injuste*, nempe sine causa, legibus probata, & *rite*, cum expressione causæ alicujus habilis, ab hæreditate excluduntur, hoc ultimum tamen, quoad fratres & sorores, non requiritur, qui etiam, de injustitia exclusionis, non aliter queri possunt, quam si turpis persona iis sit prælata *v. c. 8. §. 19.* Causæ exclusionis olim fuerunt arbitrariæ *v. l. 5. de inoff. testam.* Jure novo, liberi, ob quatuordecim, Parentes, ob octo *Nov. 115. c. 3. seqq.* fratres, ob tres causas exhæredari possunt *Nov. 22. c. 47. v. Decis. Saxon. 52.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 164. 165.*

§. 6. Competit querela inofficiosi iis, qui ab intestato succedunt *l. 6. §. 1. de inoff. testam.* non tamen omnibus, sed illis, quibus libero defuncti arbitrio successio auferri nequit. In specie ergo datur (1.) liberis *l. 14. 15. eod.* legitimis & naturalibus simul, ut & legitimatis *Nov. 89. c. 8. 9.* suis & emancipatis *l. 7. 23. de inoff. test.* primi & ulterioris gradus *l. 1. eod. l. 220. de V. S.* modo his jus succedendi competat, natis & posthumis *§. 2. I. de inoff. testam. l. 6. ff. eod.* sed cum hi hodie, cum expressione causæ, non possint excludi, ideo querela hac non indigent, sed testamentum est potius ipso jure nullum; Denique datur etiam adoptatis ab ascendente *l. p. C. de adopt.* ut & puberibus arrogatis *d. l. pen. §. fin. l. 8. §. 15. de inoff. testam. §. 3. I. de adopt.* nec non spuriis, ratione matris & ascendentis materni *l. 29. §. 1. de inoff. testam. l. 2. 8. und. cogn.*

§. 7. Da-

§. 7. Datur quoque (2.) Parentibus utriusque sexus *§. 1. I. de inoff. testam. l. 14. 15. 30. ff. l. 17. 28. C. eod.* propiores tamen remotiores excludunt *Nov. 118. c. 2. l. 6. §. 1. de inoff. testam.* neque cum illis fratres Germani simul admittuntur *l. 27. C. de inoff. testam.* victoria tamen illorum his quoque prodesse censetur *v.* LAUTERB. *C. J. de inoff. testam. lit. S.* liberis & parentibus deficientibus, datur (3.) fratribus & sororibus germanis *§. 1. I. de inoff. testam. l. 1. ff. l. 27. C. eod.* defunctorum liberi simul non admittuntur, victoria tamen illorum his, ex communi sententia, prodest (4.) fratribus & sororibus consangvineis, cum quibus uterini non concurrunt *d. l. 27. C. h.* everso tamen testamento simul succedunt LAUTERB. *d. l.*

§. 8. In genere autem fratribus & sororibus non aliter competit querela, quam si turpis persona iis sit prælata *l. 27. C. de inoff. testam. v.* CARPZ. *p. 3. C. 10. D. 10.* RICHT. *p. 1. D. 53.* si unus ex hæredibus saltem talis sit, ejus pars tantum vindicatur *l. 24. ff. eod.* nam hic Romanis haut absurdum videtur, pro parte quem intestatum fieri *l. 15. eod.* si frater pari turpitudine, cum hærede scripto, laboret, tum querela ei non videtur competere *v.* BERG. *in resolut.* LAUTERB. *de inoff. testam. qu 1.*

§. 9. Cæterum quæ de victoria, aliis quoque proficiente, retuli *§. 7.* illa non satis certa sint, cum alii, victoriam aliis non prodesse, sed partem ejus, qui agere non potuit, penes hæredem scriptum manere, existiment *v.* HUBER. *in posit. ad I. de inoff. testam. n. 8. seqq. add.* BERG. *in resolut.* LAUTERB. *d. l. in animadvers.* Utraque sententia suis premitur difficultatibus, nam, eum qui agere non potuit, gratis admittere, nimis est molestum: hæredi scripto autem ejus partem relinquere, valde durum, cum utique testamento, ratione actoris inofficioso, adeoque injusto, ac, ex regula juris civilis *§. 5. I. de H. I.* cui in dubio omnino inhærendum, etiam indivisibili, sit institutus.

§. 10. Et quid dicemus, si frater consangvineus, & defuncti fratris germani liberi concurrant? Ille solus querelam movere potest *l. 27. C. de inoff. testam.* hi vero ab intestato illi præferuntur *Nov. 118. c. 3.* Jam si consangvineus agat, ac fratris liberis victoria prosit, tum hi soli habebunt hæreditatem, si non prosit, sed horum pars penes hæredem scriptum maneat, tum hic retinebit totam hæreditatem, Ergo jus actoris

non

non alio profuerit, quam ut, in aliorum utilitatem, operam & ſumtus gratis inſumat!

§. 11. Media igitur ſententia videtur maximè probabilis, nempe victoriam agentis cæteris non prodeſſe, nec tamen horum partem hæredem ſcriptum lucrari, ſed potius victorem totam auferre hæreditatem: Veritas prioris ex eo patet, quod cæteri, qui agere nequeunt, nullum jus habeant, licet enim aliàs, cum actore ab inteſtato ſuccedere queant, attamen ſucceſſionem eo caſu, quo ipſis teſtamentum, quod proprio jure evertere nequeunt, obſtat, deficere, exiſtimandum eſt, nec obeſt *l. 6. §. 1. de inoff. teſtam.* nam eo caſu actor nullum jus habuit: Poſterioris autem veritas inde liquet, quod hæres ſcriptus, neque ex jure proprio, utpote teſtamento injuſto, &, ob indiviſibilitatem, generaliter nullo, inſtitutus, neque ex perſona eorum, qui agere nequeunt, aliquid retinere queat, cum & hi, hoc caſu, nullum jus habeant.

§. 12. Ex quibus patet, in movenda querela, conſvetum ſucceſſionis legitimæ ordinem, non per omnia ſervari, ſed utique parentes fratribus Germanis, fratres, fratrum liberis, fratrem conſangvineum, uterino, imo fratris Germani liberis, eſſe potiorem. Annon vero legislatio, quæ illos, qui aliis in ſucceſſione ab inteſtato aliàs ſunt pares, vel etiam potiores, his, in movenda querela, poſtponit, vitio laboret, alii viderint.

§. 13. Hæredibus eorum, qui de inofficioſo queri poſſunt, querela non datur *l. 6. §. f. l. 7. ff. l. 5. C. de inoff. teſtam.* quia defunctus, dum non queſtus eſt, injuriam cenſetur remiſiſſe, ſi autem de contraria voluntate conſtet, transmiſſio locum habet. Poſſunt igitur hæredes de inofficioſo agere, ſi querela (1.) inſtituta, aut (2.) præparata ſit *d. l. 6. §. f. l. 7. ff. l. 5. C. h.* vel (3.) excluſus, ante hæredis ſcripti aditionem, deceſſerit, tum enim in deſcendentes querelam transmittit *l. 34. 36. §. f. C. de inoff. teſtam.* ob moram enim hæredis ſcripti pro præparata habetur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 167.*

§. 14. In perſonis diverſi ordinis ſucceſſio quoad querelam, obtinet *l. 14. 31. de inoff. teſtam.* quia ſingulæ proprium jus habent. In perſonis verò ejusdem ordinis, illa ceſſat *l. 34. in fin. C. eod. arg. l. 6. pr. de injuſt. rupt. irrit.* quia jus, de perſona, in perſonam transmittendum erat, qualis transmiſſio non obtinet: Vera tamen hæc ſunt de deſcenden-

tibus, nam in ordine Parentum, ſucceſſio etiam locum invenit *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 168.* Si ex pluribus inique excluſis, unus querelam omittat, reliqui totam hæreditatem vindicant *l. 17. 23. §. fin. de inoff. teſtam.* Idem eſt, ſi unus juſte ſit exhæredatus, hic enim habetur pro mortuo *l. 1. §. 5. de conjung. cum emanc. lib.* licet alii diſſentiant *v.* LAUTERB. *C. J. de inoff. teſtam. lit. S. in fin.*

§. 15. Inſtituitur querela contra hæredes, inofficioſo teſtamento ſcriptos & hæreditatem adeuntes *l. 8. §. 10. de inoff. teſtam. v. l. 36. §. f. C. eod.* etiam contra Principem *l. 8. §. 2. eod.* aſcendentes & deſcendentes *l. 23. l. 31. §. 1. eod.* univerſales fideicommiſſarios *l. 1. C. eod.* ac eos, qui in inſtituti locum ſucceſſerunt *l. 10. C. eod. v.* EKHOLT. *adff. de inoff. teſtam. §. 5.* Quodſi autem quis teſtamentum poſſeſſioni ſuæ non prætexat, ſed ſimpliciter pro hærede vel poſſeſſore poſſideat, tum ſimplici hæreditatis petitione expelli debet.

§. 16. Materia querelæ, eſt teſtamentum inofficioſum, ſcriptum & nuncupativum *l. 31. C. de inoff. teſtam.* ac hæreditas illo delata *l. 21. §. 2. eod.* nam illud evertit, hanc vero vindicat. Querelæ tamen non ſubjacet (1.) teſtamentum militis, licet jure communi factum *l. 9. 24. C. de inoff. teſtam.* poſt miſſionem, ceſſat illa intra annum, modo jure militari conditum ſit *l. 8. §. 4. ff. eod.* (2.) teſtamentum filiifam. pagani, de peculio caſtrenſi & quaſi caſtrenſi factum *l. fin. C. eod.* quod poſt *Nov. 115. c. 4.* etiam obtinet, nam lex poſterior generalis, ex priori ſpeciali, merito reſtringitur *l. 26. ſeqq. de LL. l. 3. C. de ſilentiar.* filii vero ſui juris *l. 8. §. 3. de inoff. teſtam. l. fin. §. fin. C. eod.* ut & filiifam. Clerici *Nov. 123. c. 19.* hoc privilegio non gaudent.

§. 17. Querelæ quoque non ſubjacet (3.) teſtamentum pupillare *l. 8. §. 5. de inoff. teſtam.* quod etiam de tacito, ſub expreſſa ſcilicet ſubſtitutione vulgari, contento recte aſſeritur *l. 4. de V. & P. ſubſtit.* contraria tamen ſententia eſt magis communis *v.* CARPZ. *p. 3. C. 8. D. 1. 2.* LAUTERB. *C. J. de inoff. teſtam. lit. O.* In Electoratu Saxoniæ, pupillare teſtamentum, tam à matre *p. 3. Conſt. 8.* quam, poſito caſu habili, ab avo & avia, impugnari poteſt, niſi legitima iis recte ſit relicta *Dec. Sax. 47.*

§. 18. Olim excluſus probare debebat, ſe nihil commiſiſſe, propter quod excludi potuerit *l. 5. ff. l. 28. C. de inoff. teſtam.* cumque cauſæ ingratitudinis non eſſent definitæ; hinc facile actor ſuccumbere poterat, hoc

hoc igitur periculum pleniori penſabatur effectu, ut victor totum teſtamentum everteret *l. 8. §. 16. l. 13. 28. eod.* Sed cum jure novo, quoad liberos & Parentes, hæres inſtitutus cauſam ingratitudinis adjectam probare debeat, adeoque illis ſpes victoriæ ſit longe certior, ideo evertunt ſaltem inſtitutionem *Nov. 115. c. 3. 4. in fin.*

§. 19. In fratribus manſiſſe jus antiquum, multi exiſtimant *v.* LAUTERB. *C. J. de inoff. teſt. lit. E.* ſed cum, cauſis ingratitudinis, ad exiguum numerum, redactis, probatio, à fratribus ſuſcipienda, ſit facillima, ideo iis, in evertendo teſtamento inofficioſo, forte plus juris tribuere non licet, quam parentibus & liberis. Si actor ſuccumbat, tum ei, velut indigno, in teſtamento relicta aufert fiſcus *l. 8. §. 14. de inoff. teſtam. l. 13. §. 9. de jur. fiſc.*

§. 20. Nec proderit ei proteſtatio, de juribus conſervandis, licet eam quidam admittant *v.* STRTK. *in not. ad* LAUTERB. *de inoff. teſtam. ad p. 100.* nam jura, conſenſu admittenda, proteſtatio quidem conſervat, non verò quæ ob delictum pereunt. Plane ſi quis tutorio nomine teſtamentum inofficioſum dixerit, id ei non nocet *l. 30. §. 1. de inoff. teſtam. l. 22. de his quæ ut indign. §. 5. I. de inoff. teſtam.* idem eſt, ſi quis, ſuo etiam nomine, ſolennia ſaltem impugnet *l. 5. §. 1. l. 24. de his quæ ut indign.* RICHTER. *Dec. 42. n. 7.* LAUTERB. *d. l. lit. E. in fin.*

§. 21 Querela inofficioſi aliquando plane *ceſſat*, aliquando *competens deſinit.* Prius generaliter contingit, ſi teſtamentum vel ſit *ipſo jure nullum* (tum enim non opus eſt hac querela, ſed nullitatis actio inſtituitur, olim etiam bonorum poſſeſſio aliquando petebatur *l. 23. pr. de inoff. teſtam. l. fin. C. de lib. præter.* quo remedio hodie non amplius opus *v. c. 8. §. 18.*) vel *non inofficioſum*, tum enim plane non poteſt everti. Eſt autem non inofficioſum (1.) ſi legitima recte ſit relicta *l. 8. §. 8. de inoff. teſtam. Nov. 115. c. 3. 4.* (2.) ſi impubes arrogatus exhæredetur *l. 8. §. 15. de inofi. teſtam.* (3.) ſi juſta cauſa adjecta, ab hærede probetur *Nov. 115. c. 3. §. 14. in fin.* (4.) ſi clauſula codicillaris adjiciatur *v. c. 3. §. 42.* ac (5.) quoad fratres, ſi honeſta perſona ſit inſtituta *l. 27. C. de inoff. teſtam.*

§. 22. Poſterius accidit, vel ob *conſenſum excluſi*, vel *autoritatem legis poſitivæ.* Ille occurrit in *voluntatis defuncti agnitione*, nam conſenſus in exhæredationem, vivo teſtatore, datus, lege civili improbatur *l. 35. §. 1. C. de inoff. teſtam.* De cætero agnitio eſt, vel expreſſa *l. 31. §. 4. ff. l. 35.*

ff. l. 35. §. 1. in fin. C. eod. vel tacita *l. 8. §. 1. 10. l. 23. §. 1. ff. l. 8. §. 1. C. eod.* In ſpecie talis occurrit, in petitione legati *l. 10. §. 1. l. 12. l. 31. §. 3. eod.* etiamſi excluſus, nomine alieno, ſponte, aut, ut legatarii hæres, legatum petierit *l. 32. pr. §. 1. eod.* ſi quis vero ut tutor legatum exegerit, is nihilominus, ſuo nomine, de inofficioſo agere poteſt *§. 4. l. de inoff. teſtam. l. 10 §. 1. eod.*

§. 23. Cum jure novo legata ſubſiſtant, licet teſtamentum querelâ evertatur, ideo petitio legati, non videtur amplius involvere approbationem teſtamenti inofficioſi, nec excludere querelam, cum legatum valere, & nihilominus teſtamentum impugnari queat. Verum licet petitio legati, *neceſſario* approbationem teſtamenti non inferat, ſicut olim, ex rationibus juris antiqui, fiebat, attamen, ex *voluntate petentis* illam ſequi, omnino dicendum eſt: Cum enim rationi non conveniat, ut id, quod ſtatim conſequi potes, per moleſtas ambages exigas, hinc quando excluſus, qui, inſtituta querela, & hæreditatem, & legatum ſibi relictum, ſimul accipere potuiſſet, hoc ſeorſim petit, hæreditatem repudiaſſe omninò exiſtimandus eſt.

§. 24. Autoritas legis poſitivæ conſpicitur (1.) in *præſcriptione*, nam quinque annis, poſt aditam hæreditatem, quærela præſcribitur *l. 8. §. 10. 17. l. 9. ff. l. 34. in fin. l. 36. §. 2. C. de inoff. teſtam.* ob juſtam tamen cauſam *d. l. 8. §. 17.* vel ætatem minorem, longius illa durat *l. 2. C. in quib. cauſ. in integr. reſtit. neceſſ. non eſt* (2.) in *morte excluſi*, licet enim defunctus ſuo conſenſu querelam videatur remiſiſſe *v. §. 13. h.* attamen id ſaltem verum eſt, ex hypotheſi juris poſitivi, actionem illam ita formantis *l. 6. §. f. l. 7. de inoffic. teſtam. v. d. §. 13. h.*

§. 25. De *Legitima* ſpecialius nonnihil agendum eſt. Intelligitur hoc nomine, *Certa Portio, perſonis nonnullis, ne teſtamentum inofficioſum dicant, deficiente juſta excluſionis cauſâ, neceſſariò relinquenda.* Dicitur etiam *Quarta*, & *Falcidia v. l. 8. §. 6. 8. ff. l. 8. 29. 30. 31. 36. §. 1. auth.* unde & *C. de inoff. teſtam. l. 2. C. de inoff. donat. Nov. 1. c. 1. §. 1.* Debetur illa tantum jure poſitivo *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 172.* licet eam liberis & parentibus materialiter, jure naturali, deberi vulgò exiſtiment *v.* CARPZ. *p. 3. C. 12. D. 1. ſeqq.* LAUTERB. *C. J. de inoffic. teſtam. lit. J.*

§. 26. Relinquenda eſt legitima liberis, Parentibus, &, ſi turpis perſona inſtituatur, fratribus *v.* CARPZ. *p. 3. C. 12. D. 10.* & quidem illis ac

Digitized by Google

ac istis, *titulo institutionis*, non tamen præcisè integra *Nov. 115. c. 3. 4. 5.* his vero, *quovis alio* relinqui debet *§. fin. I. de inoff. testam. junct. Nov. 115. c. 5.* CARPZ. *p. 3. C. 9. D. 1. 2.* Onus à testatore adjectum detrahitur *l. 30. 32. 36. §. 1. auth.* novissima *C. de inoff. testam.* CARPZ. *p. 3. C. 12. D. 7.* hinc etiam, in æstimanda legitima, testatoris taxatio non observatur CARPZ. *p. 3. C. 12. D. 9.* Si tamen onus favorem liberorum respiciat *l. 25. C. eod.* CARPZ. *p. 3. C. 9. D. 11.* aut hi, post mortem testatoris, illud approbent, tum adjectio valet *l. 35. §. 2. C. eod. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 172. 173.*

§. 27. Olim *quarta pars* hæreditatis indifferenter, legitimæ loco, relinquenda erat *§. f. I. de testam. inoff. l. 8. §. 8. ff. l. 8. 31. C. eod. l. 2. C. de inoff. donat. l. pen. C. collat.* sed novo jure, quatuor vel paucioribus liberis, *triens*, quinque vero vel pluribus, *semis* debetur, quod augmentum etiam, quoad ascendentes & fratres, rectè asseritur *v. Nov. 18. c. 1.* STRAUCH. *exerc. 9. §. 36.* Quomodo autem personarum numerus, ex quo legitimæ quantitas dependet, sit conficiendus, & quis, ut est stilus communis, hic partem faciat, ad legitimam vel augendam, vel minuendam, id sæpe non satis liquet.

§. 28. Interim sic breviter dicendum videtur: Partem faciunt vel numerantur (1.) *liberi instituti*, qui enim ex liberis, in tota hæreditate, est institutus, is & in quantitate legitimæ cæteris relictæ, constituenda, attenditur, & ex ea partem aliquam aufert, sed (2.) *juste exhæredatorum* nulla ratio habetur, cum pro mortuis reputentur *l. 1. §. 5. de conjug. cum emanc. liber.* CARPZ. *p. 3. C. 10. D. 12. 13.* Idem dicendum (3.) de *iis, qui statuto à successione excluduntur*, ut & (4.) de *renunciantibus*, nam nec horum, in determinanda legitimæ quantitate, est habenda ratio. Verum (5.) *repudiantes* partem faciunt modo ad augendam, modo minuendam legitimam, prout vel in favorem eorum, quibus legitima debetur, vel hæredis scripti, jus suum repudiant *v.* OBSERV. LAUT *Obs. 174.*

§. 29. Si testator, ex præmortuo filio, v. gr. quinque nepotes relinquat, eorum legitima est semis, quia jure proprio succedunt. Si vero, ex duobus filiis præmortuis, tot, aut etiam plures nepotes adsint, illi solum accipiunt trientem, quia jure repræsentationis succedunt, adeoque quantitas legitimæ, juxta numerum stirpium, non furculorum, constitui debet. Idem dicendum, si nepotes cum thiis suis concurrant, hinc

ſi v. gr. adſit filius, &, ex altero filio præmortuo, quinque nepotes, legitima ſaltem eſt triens *v.* CARPZ. *p. 3. C. 12. D. 11.* STRAUCH. *exerc. 9. §. 36.*

§. 30. Ita vulgo doceri ſolet. Sed mihi nepotes non recte diſparari videntur, hinc puto, quod in conficienda legitima, numerus nepotum ſemper ſit attendendus, cum enim pluribus liberis, dubio procul major legitima ideo ſit data, quia omnes ſubſidio aliquo indigent, hæc autem ratio inprimis quoad nepotes quoque locum habeat, ideo idem jus merito, quoad eos, aſſeritur. Et ſi in primo caſu, quinque nepotes accipiunt ſemiſſem, cum tamen pater ipſorum, ſi vixiſſet, ſaltem conſecutus eſſet trientem, nulla ſolida apparet ratio, cur, in ſecundo & tertio, non idem ſit dicendum: Sane id rationi videtur conſentaneum, ut mors filii, vel ſemper, vel nunquam nepotibus profit!

§. 31. Parum obſtat, quod *nepotes primo caſu, jure proprio, ſecundo autem & tertio, jure repræſentationis ſuccedant, adeoque vice ſtirpis ſuæ fungantur*, nam hoc ſaltem obtinet ratione legitimæ *dividendæ*, non *conſtituendæ*, quæ duo male confunduntur. Verum eſt, quod, ſi ſucceſſores legitimæ, *inter ſe* conſiderentur, ac de *illa dividenda* agatur, ſtirpium diverſarum ſit habenda ratio; aſt ſi ſpectentur ratione *hæredis ſcripti*, ac de *quantitate legitimæ conſtituenda* quæſtio ſit, tum nihil vetat, quo minus ſinguli nepotes numerentur, imo, ut hoc fiat, ratio omninò exigit.

§. 32. In computanda legitima, reſpicitur tempus mortis *l. 6. C. de inoff. teſtam.* ac ita illa conceditur, ut accipientes, pro rata, debita hæreditaria ferre debeant, hinc vel, ante præſtationem legitimæ, illa deducuntur *l. 8. §. 9. de inoff. teſtam.* vel, ſi ex tota maſſa, illa præſtetur, accipientes debita, pro rata, exſolvere tenentur. Poteſt tamen teſtator onus æris alieni, ſoli hæredi ſcripto imponere, quod etiam feciſſe cenſetur, ſi certam rem, legitimæ loco, aſſignaverit *l. 13. C. de H. I. §. 9. I. de fideic. hæred. l. 1. §. 16. l. 30. §. 3. ad SCt. Trebell. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 175. 176.*

§. 33. Si tota legitima non ſit relicta, tum ejus ſupplementum petitur *l. 30. 35. §. 2. l. 36. C. de inoff. teſtam. Nov. 115. c. 5.* etiamſi relictum quis ſimpliciter acceperit *d. l. 35. §. 2. Nov. 115. c. 5.* aut hæredem ſcriptum agnoverit *d. Nov. 115. c. 5.* nec poteſt teſtator hanc ſuppletionem prohibere, aut aliud quid, in ejus præjudicium facere *Nov. 115. c. 5. l. 55. de legat. 1.* CARPZ. *p. 3. C. 12. D. 8. 9.* ſi vero quis ſupplemento renunciaverit, tum

tum peti nequit *l. 35. §. 2. C. de inoff. teſtam.* CARPZ. *l. 6. Rſp. 46.* Imputantur, autem vel in legitimam, vel ejus ſupplementum ea, quæ quis à teſtatore, ea intentione accepit, ut conferre debeat *l. 29. 30. 36. de inoff. teſtam. l. 20. §. 1. C. de collat. v.* CARPZ. *p. 3. C. 11. D. 17. ſeqq.* de qua collatione mox generaliter agendum erit.

§. 34. Legitima debite relictâ, teſtator ſecure teſtatur *l. 8. C. de inoff. teſtam. l. 10. C. fam. erciſc.* Illi verò, qui eam titulo inſtitutionis accipiunt, ſunt cohæredes, adeoque habent omnia remedia poſſeſſoria & petitoria, cohæredibus competentia, in ſpecie, pro caſuum varietate hæreditatis petitionem *l. 10. §. 1. de hæred. petit.* & actionem familiæ erciſcundæ *v. l. 2. §. 1. fam. erciſc. l. 35. pr. §. 1. de H. I.* Si vero titulo legati legitima relicta ſit, tum pro ea conſequenda, datur actio ex teſtamento *l. 29. §. 3. de legat. 3.* qua etiam ſupplementum legitimæ exigitur, ſi teſtator illud præſtari juſſerit, ſi non, condictione ex lege illud petitur *l. 35. §. 2. C. de inoff. teſtam. Nov. 115. c. 5. junct. l. un. C. de condict. ex leg.* ac competit hiſce caſibus etiam tacita hypotheca CARPZ. *l. 6. Rſp. 46.* De cætero illæ actiones omnes ſunt perpetuæ, & in hæredes tranſitoriæ *v.* RICHT. *Dec. 4. n. 22. 24.* LAUTERB. *C. J. de inoff. teſtam. in fin.*

§. 35. Quodſi querelam inofficioſi, & nullitatis comparemus, ex hujus ſpeciebus, de convenientia & differentia, erit judicandum. In ſpecie querela nullitatis, quæ competit perſonis illegitime excluſis, cum querela inofficioſi convenit quoad *effectum*, utraque enim inſtitutionem tantum impugnat; ſed differt ab ea (1.) quoad *durationem*, illa 30. hæc quinque annis præſcribitur (2.) *transmiſſionem*, illa in hæredes tranſit, hæc non (3.) *probationem*, in illa, de ſolennitate juris, in hac, de ingratitudine probanda agitur; Denique fortaſſis (4.) quoad *modum procedendi*, illa ſummario, hæc ordinario proceſſu tractatur.

CAPUT

CAPUT XV.

DE DIVISIONE HÆREDITATIS ET COLLATIONE.

SUMMARIA.

Diviſio hæreditatis eſt contractus conſenſualis §. 1.
Perficitur ſolo conſenſu à cohæredibus §. 2.
Ejus materia §. 3.
Nomina regulariter in diviſionem non veniunt §. 4.
Aliquando obligatio unum ſaltem ex cohæredibus afficit §. 5.
Res perniciosæ, delicto quæſitæ ac ex titulo ſingulari communes ad hunc contractum non pertinent §. 6.
Diviſionem æquitas & prudentia dirigit §. 7.
Dividendi modus §. 8.
Ad diviſionem faciendam competit actio familiæ erciſcundæ §. 9.
Circa quam quaſi-contractus fruſtra fingitur §. 10.
Actor adverſarium cohæredem non fatetur §. 11.
Actionis effectus & duratio §. 12.
Læſio circa diviſionem eveniens emendari debet §. 13. 14.
Præſtationes poſt diviſionem faciendæ quomodo exigantur §. 15.
Inter liberos dividentes quandoque opus eſt collatione §. 16.
Ejus varietas & ſubjectum §. 17. 18.
Liberi hæredes tantum conferunt §. 19.
Collationis objectum §. 20.
Exemplis ſpecialibus illuſtratum §. 21.
Quædam res collationi non ſubſunt §. 22. 23.
Conferendi modus §. 24.
Remedia exigendæ collationis §. 25.
Extra ordinem collatio aliquando ceſſat vel locum habet §. 26.
Diviſionis inſtrumentum §. 27.

§. 1.

PLures hæredes hæreditatem agnitam, vel communiter poſſident, vel, quod frequentius eſt, inter ſe dividunt. Diviſio eſt *contractus conſenſualis, quo cohæres juri in rem communem renunciat, eamque in ſolidum alteri attribuit, ea lege, ut hic tantundem faciat quo ita, ſublata communione, jura & res propriæ ſingulis acquirantur.* Similis igitur eſt diviſio permutationi, nam in hac res propriæ permutantur, in illa vero, rem communem alteri in ſolidum relinquo, quo aliam rem communem mihi ſoli concedat.

§. 2. Perficitur *conſenſu* cohæredum, *traditio* vero ad *executionem* pertinet, plerumque tamen conventionem ſtatim ſequitur, quæ res efficit, ut perfectio & conſummatio vix diſtingvatur. Suſcipiunt diviſionem cohæredes *l. 1. fam. erciſc.* teſtamentarii & legitimi *l. 2. eod.* fiduciarii & fideicomiſſarii *l. 24. §. 1. l. 40. eod.* & qui jure quodam ſingulari partem hæreditatis accipiunt *l. 2. §. 1. eod.* horumque omnium hære-

Digitized by Google

hæredes *l. 48. eod.* Potest etiam unus ad divisionem provocare, cæteris invitis *l. 43. eod.* licet cohæres minor sit *l. 17. C. de præd. minor.* ipse tamen minor sine curatoris consensu & judicis decreto immobilium divisionem urgere nequit *d. l. 17. v.* CARPZ. *p. 3. C. 15. D. 43. 44.*

§. 3. Materia divisionis, sunt hæreditas, aliæque præstationes accessoriæ *l. 25. §. p. de hared. petit. l. 22. §. 4. fam. ercisc.* ut commoda *l. 19. eod.* damna *l. 25. §. 16. eod.* usuræ ex mora *l. 18. §. 3. eod.* Nec refert, sive plenum sive minus plenum, verum vel præsumtum dominium, defunctus habuerit *l. 10. eod.* aut res, post mortem ejus, sint quæsitæ *l. 8. seqq. eod.* vel, ex pluribus hæreditatibus communes *l. 25. §. 3. eod.* Quæ autem alteri cohæredum defunctus specialiter assignavit, illa peti quidem possunt *l. 32. ff. l. 7. 18. C. fam. ercisc.* sed ad divisionem non pertinent.

§. 4. In divisionis contractum quoque non deducuntur jura personalia & obligationes, sive nomina activa & passiva *l. 4. 25. §. 1. fam. ercisc.* nam si sint indivisibilia, tum, ex provisione legis, ad singulos in solidum pertinent *l. 25. §. 9. seqq. eod.* si divisibilia, ipso jure, inter cohæredes, sunt jam divisa *l. 6. C. fam. ercisc.* Si tamen singulis hæredibus, certi debitores aut creditores sint assignandi, facto aliquo opus est, quo sensu nomina quoque in divisionem veniunt *l. 3. eod.* creditoribus tamen talis assignatio non obest, sed illi possunt omnes cohæredes, pro rata, convenire *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 276.*

§. 5. De eo aliquando inter cohæredes dubium esse potest, utrum *obligatio aliqua ad omnes pertineat, an vero unum tantum afficiat?* E. gr. Pater filium artifici, in arte instruendum eâ lege dedit, ut, huic 25. statim 25. verò, post exactum dimidium tyrocinii tempus, solverentur: Patre interim mortuo, quæritur, an residuos 25. omnes cohæredes conjunctim præstare debeant an solus filius, ex sua portione illos solvere teneatur? Posterius dicendum videtur, cum contractus solius filii utilitatem respiciat, quodsi tamen cæteri cohæredes, ex massa hæreditatis, alimenta interim soli perceperint, tum vel, hoc nomine, filio tyroni satisfacere, vel ejus debitum simul agnoscere debent.

§. 6. Res perniciosæ *l. 4. §. 1. fam. ercisc.* & delicto quæsitæ *l. 4. §. 2. eod.* ad divisionem etiam non pertinent, licet vel ex ignorantia, vel ex proposito, quandoque dividantur, quanquam prudenter quoque

æstimandum sit, an aliqua res, pernicioſis annumerari debeat. Res titulo ſingulari communes, dividi quidem poſſunt, ad hæreditatis tamen diviſionem, eæ non ſpectant *l. 25. §. 7. l. 45. fam. erciſc.* Inſtrumenta hæreditaria authentica, uni relinquenda ſunt, quem major hæreditatis pars, ætas, conſenſus aut ſors cæteris prætulit *l. 4. §. f. l. 5. fam. erciſc. l. fin. de fid. inſtrum.*

§. 7. In diviſione æquitas eſt obſervanda *l. p. C. comm. divid.* ut ſcilicet ſuum cuique tribuatur, tam ratione rerum principalium, quam damnorum & expenſarum *l. 19. 22. §. 4. l. 25. §. 15. 16. l. 49. fam. erciſc.* Si quædam indiviſa remaneant, diviſio repeti poteſt, quamvis tum, non tam hæreditatis, quam rerum ſingularium ſit *l. 20. §. 4. l. 25. §. 20. eod.* hujus tamen obſervationis nullus eſt effectus. Ipſam diviſionem prudentia dirigit, hinc quæ commode dividi nequeunt, æſtimari, ac per modum permutationis *l. 20. §. 3. ff. l. 14. C. fam. erciſc. l. 77. §. 18. de Legat. 2.* vel venditionis *l. 1. C. comm. utri. jud.* diſtribui debent *v.* CARPZ. *p. 3. C. 15. D. 34.* poteſt etiam proprietatis & uſusfructus conceſſione communio tolli *l. 16. §. 2. fam. erciſc. l. 6. §. 1. de uſufr.*

§. 8. Modus dividendi varius eſt, nam vel puro conſenſu diviſio peragitur, vel arbitris aut ſorti committitur; quæ quidem vel ſaltem ratione portionum deſignandarum, vel etiam ratione inæqualitatis ducitur. In Saxonia major dividit, minor eligit *Landr. l. 3. art. 29. p. 3. C. 15.* quod verum, ſi duo maſculi concurrant, ſi vero plures ſint, iſta dividendi ratio ceſſat. Si maſculus & fœmina adſint, hæc cum curatore ſemper dividit, ille vero eligit CARPZ. *p. 3. C. 15. D. 2. ſeqq.*

§. 9. Quodſi cohæres ſponte dividere nolit, *actione familiæ erciſcundæ* adigendus eſt *l. 2. ff. l. 3. C. fam. erciſc.* nam nemo in communione invitus manere cogitur *l. 1. pr. fam. erciſc. l. 77. §. 20. de legat. 2. l. fin. C. comm. divid. l. 2. C. quand. & quib. quart. pars* Eſt autem *actio realis, qua cohæres diviſionem rerum hæreditariarum urget, ac ratione damnorum, expenſarum aut fructuum ſibi ſatisfieri petit l. 22. §. 4. fam. erciſc.* Fundamentum, eſt *jus hæreditarium reale indiviſum*, cui *quaſi contractus*, ac *jus perſonale* vulgo, adjungitur ac ideo actio *mixta* dicitur *v.* LAUTERB. *C. J. fam. erciſc.*

§. 10. Sed non opus eſt illo commento, cum enim aliæ actiones reales, ut rei vindicatio, præſtationes etiam perſonales perſequantur, nec

nec tamen ideo quaſi contractus & aliqua mixtura circa eas aſſeratur, hinc, circa hanc actionem, figmento illo etiam carere poſſumus. Nec hoc oberit, quod in aliis actionibus, præſtationes illæ, *officio judicis*, in hac vero *jure actionis* petantur *v.* HUBER. *in poſit. ad l. de Off. judic. n. 10. in poſit. ad ff. de R. V. n. 15.* nam nec hoc fori Romani commentum alicujus uſus eſt.

§. 11. Qui actionem familiæ erciſcundæ inſtituit, adverſarium cohæredem eſſe, *præſupponit* quidem, ſed non *fatetur*, hinc, cognito errore, totam hæreditatem vindicare poteſt *l. 37. fam. erciſc. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 277.* ſi autem reus actorem, extra poſſeſſionem conſtitutum, cohæredem eſſe neget, tum hæc quæſtio præjudicialis, inſtituta hæreditatis petitione, ventilari debet *l. 1. §. 1. fam. erciſc.* ſed iſtis ambagibus, ad antiquum proceſſum formularium pertinentibus, hodie opus non videtur, cum de qualitate cohæredis, etiam in judicio familiæ erciſcundæ diſputari queat. Poteſt quidem actio familiæ erciſcundæ, ab eo etiam inſtitui, qui poſſidet *l. 1. §. 1. l. 25. §. 2. fam. erciſc.* ſed plerumque illi locus erit, ſi cohæres totam hæreditatem poſſideat.

§. 12. De cætero judex, in dividenda hæreditate regulas æquitatis & prudentiæ obſervare debet, ſecundum ea, quæ §. 7. diximus: quodſi tamen falſo cohæredi, per rem judicatam, quid datum, ac inde alter immodice læſus ſit, diviſio valet *l. 36. fam. erciſc. l. 1. C. de cond. indeb. l. 65. §. 2. ad SCt. Trebell. l. 4. C. de re jud. l. 2. C. quand. prov. non eſt. nec. l. 2. C. ſent. reſcind. non poſſ.* CARPZ. *p. 2. C. 34. D. 11. p. 3. C. 15. D. 20. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 278.* Per adjudicationem, dominium ſtatim transfertur §. *f. I. de O. I.* quod velut ſingulare notant *v.* HUBER. *in poſit. ad I. d. t. n. 20.* cujus fortaſſis hodie exiguus uſus. Præſcribitur actio familiæ erciſcundæ 30. annis *l. 1. §. 1. C. de annal. except. arg. l. 7. C. de hæred. petit.* dummodo unus hæreditatem tanquam ſuam poſſideat, nam alias ceſſat poſſeſſio & præſcriptio *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 281.*

§. 13. Diviſione vel ſponte, vel ad actionem inſtitutam, facta, de rerum diviſarum *traditione*, non facile quæritur, cum hæc illam ſtatim ſequi ſoleat, aſt, de *læſione emendanda*, non inſolitæ ſunt quæſtiones, quæ ex generalibus principiis debent decidi. Sic de dolo cohæres

tenetur *l. 35. de pact.* indebite per errorem ſolutum, poteſt condici, ſi rei judicatæ autoritas non obſtet *l. 36. fam. erciſc.* læſio ex pretio proveniens debet emendari, licet non ſit enormis *l. 3. C. comm. utri. judic.* quamvis alii ſanctionem *l. 2. C. de reſcind. vendit.* hic quoque obſervandam eſſe cenſeant *v.* CARPZOV. *p. 3. C. 15. D. 19.* BERLICH. *p. 1. Dec. 146.*

§. 14. Læſio quoque emendanda eſt, licet per ſortem diviſio facta ſit, dummodo ſors ſaltem, ad portiones deſignandas, pertinuerit, nam ſi, intuitu inæqualitatis, etiam ducta ſit, nihil emendandum, perinde ac ſi eo nomine tranſigatur *l. 122. §. f. de V. O.* vel læſio ex accidenti ſuperveniat *v.* CARPZ. *p. 3. C. 15. D. 20.* Inprimis evictio præſtanda eſt, vel ex conventione ſpeciali *l. 25. §. 21. fam. erciſc.* vel natura contractus *l. 14. C. eod.* licet ipſe teſtator res diviſerit, nam in dubio, ut ſuas, res dediſſe præſumitur *l. 77. §. 8. de legat. 2. add.* LAUTERB. *C. J. fam. erciſc.*

§. 15. Denique illud etiam facilè liquet, diviſionem à cohæredibus factam, abſentibus non nocere *l. 17. C. fam. erciſc.* De cætero ad præſtationes, quæ poſt diviſionem fieri debent, exigendas, non competit *actio familiæ erciſcundæ*, ſed ob erroneam ſolutionem, *condictio indebiti l. 36. fam. erciſc.* ob aliam verò læſionem, *actio præſcriptis verbis l. 14. C. eod. add. l. 35. de pact.* Hodie etiam dici poſſet *condictio ex moribus*, vel *actio diviſi*, aut *pro diviſo* ad exemplum actionis emti venditi, vel pro ſocio. Sed hanc curam aliis relinquamus.

§. 16. Inter liberos, hæreditatem dividentes, non raro de *Collatione* quæritur, de qua adeo non incongrue hic agi poterit. Eſt illa, *actus, quo ob voluntatem parentum, ex æquali affectu præſumtam, liberi res, quas animo non donandi, à vivis parentibus, quibus ſuccedunt, acceperunt, & adhuc poſſident, vel dolo & culpa amiſerunt, communi hæreditati, ad conſervandam æqualitatem, inferre tenentur.* Ex qua definitione jam liquet, collationem eſſe juris naturalis, cujus decreta jus civile recentius largius confirmavit *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 962.*

§. 17. Aliquando collatio ſaltem *promittitur* cum cautione *l. 1. §. 9. ſeqq. de collat.* aliquando revera *præſtatur*, hæc iterum fit vel *vera rerum injectione*, vel *calculo*, dum id quod conferendum erat, detrahitur *l. 1. §. 11. 12. de collat.* De cætero regulariter omnes liberi conferre tenen-

Digitized by Google

tenentur, sive ab intestato, sive ex testamento, Patri vel Matri succedant, sive sui, sive emancipati sint *l. 17. 19. C. de collat. Nov. 18. c. 6. v.* STRUV. *S.C. exerc. 37. §. 23. 24.*

§. 18. Nepotes etiam conferre debent, quæ eorum Parentes acceperunt, sive soli sint, sive cum propriis thiis concurrant *l. 2. 7. ff. l. 17. 19. C. de collat.* Quodsi autem, repudiata Parentum hæreditate, avitam ambiant, tum interest, utrum *soli nepotes adsint*, an cum *propriis thiis concurrant*, illo casu à collatione eorum, quæ parentibus data sunt, immunes sunt, hoc vero eam nihilominus facere debent CARPZOV. *p. 3. C. 11. D. 33. 34.* STRUV. *d. l. §. 25.* LAUTERB. *C. J. de collat.*

§. 19. Non aliter tamen liberi conferre tenentur, quam si parentibus hæredes existant, hinc filia dotem non confert, si hæreditate se abstineat *l. 1. §. 7. ff. l. 10. C. de collat. l. fin. de dot. collat.* idem est in aliis liberis, qui eo, quod acceperunt, contenti, hæreditatem repudiant *l. 25. C. fam. ercisc.* modo hoc non tendat in præjudicium legitimæ, reliquis liberis debitæ *l. un. C. de inoff. dot.* Ascendentes, collaterales, aut extranei hæredes non conferunt, neque enim quoad hos voluntas defuncti, collationem exigentis occurrit *v.* STRUV. *d. exerc. 37. §. 26.* Aliquando tamen statuta hæredibus extraneis collationem injungunt *v.* CARPZ. *p. 3. C. 11. D. 26.*

§. 20. Quoad res conferendas generalis est definitio, quod *liberi ea, quæ à parentibus, quibus succedunt, animo non donandi acceperunt, ac adhuc habent, vel habere possent, conferre teneantur.* Ex qua liquet, quod triplicis generis bona occurrant, quæ collationi non subsint (1.) aliunde obtenta (2.) à parentibus donata, & (3.) Animo non donandi quidem concessa, sed sine culpa liberorum amissa. Rationi autem est consentaneum, ut tamdiu regulæ inhæreamus ac bona collationi subjecta pronunciemus, quamdiu exceptio liquido non apparet.

§. 21. In specie igitur conferri debent (1.) bona profectitia *l. 12. C. de collat. l. 5. §. 2. de jur. dot. l. 45. §. 4. de A. O. H. l. 10. §. 6. de V. & P. subst. l. 6. de collat.* quorum collatio est quodammodo impropria, cum non ratione dominii, sed possessionis saltem illa fiat (2.) quæ in subsidium liberis sunt concessa *l. 13. C. de collat.* (3.) dos, donatio propter nuptias, aliaque in matrimonium liberorum collata *l. 1. de dot. collat. l. 17. 19. 20. §. 1. C. de collat. v.* CARPZ. *p. 3. C. 11. D. 11. seqq.* fructus

tamen & uſuræ harum rerum non præſtantur, quia Parentes donaverunt, niſi mora admiſſa ſit *l. 5. §. 1. de dot. collat.* impenſæ etiam neceſſariæ deducuntur *l. 1. §. 5. eod.* (4.) ob delictum filii, à parentibus ſoluta *v.* STRUV. *S. J. C. exerc. 37. §. 28. n. 3.*

§. 22. E contrario non conferuntur (1.) bona adventitia quando Patri ſucceditur, quia ab eo non dependent, ſi tamen uſumfructum liberis, in poteſtate exiſtentibus, ſimpliciter permiſerit, tum fructus extantes conferendi videntur; Emancipati vero liberi eos ex voluntate patris lucrantur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 964. add.* STRUV. *S. J. C. exerc. 37. §. 32. 33.* (2.) bona caſtrenſia & quaſi caſtrenſia, quæ non à Patre provenerunt, ob eandem rationem (3.) caſtrenſia & quaſi caſtrenſia, quæ Pater contulit, quia cenſetur donaſſe *l. 1. §. 15. ff. l. 21. C. de collat.* niſi alia Patris ſit voluntas *v.* CARPZ. *p. 3. C. 11. D. 17. ſeqq.* STRUV. *S. J. C. exerc. 37. §. 29. 30 31. Deciſ. Saxon. 50.*

§. 23. Porro non conferuntur, quæ (4.) ex mera liberalitate *l. p. §. 1. C. de collat. l. 18. C. fam. erciſc.* aut (5.) ob bene merita liberis conceduntur vel (6.) ipſis ultima voluntate relinquuntur *l. 10. 12. 16. C. de collat.* nam, hæc omnia parentes liberis, ut præcipua, conceſſiſſe, manifeſtum eſt (7.) lytrum *l. 17. C. de poſtlim. reverſ.* CARPZ *p. 3. C. 11. D. 25. n. 7.* nam & hic donatio, ex affectu parentum, merito præſumitur. Denique (8.) quæ tempore parentum, liberi non amplius habent, ſi tamen res, in eorum utilitatem, ſint verſæ, vel dolo aut culpa eas amiſerint, collatio obtinet *l. 1. §. 23. l. 2. §. 2. de collat. add.* LAUTERB. *C. J. de collat.*

§. 24. Fit autem collatio vel per *deductionem*, quæ in quantitatibus locum habet *v.* CARPZ. *p. 3. C. 11. D. 30.* vel *actualem illationem*, quæ quoad ſpecies cenſetur eſſe neceſſaria *l. 1. pr. l. 3. §. 3. ff. l. 11. C. de collat. l. 2. §. 1. de R. G.* niſi actualis collatio quodammodo ſit iniqua *v.* STRUV. *S. J. C. exerc. 37. §. 37.* PERETZ. *ad C. de collat. n. 24.* hinc in ſpecie dos, conſtante matrimonio, actualiter non eſt inferenda *l. 5. C. de collat.* Mihi in genere neceſſitas conferendi ipſas ſpecies, non ſatis probari, ac, ex affectu parentum, potius neganda videtur, cum enim eas liberis quibusdam conceſſerint, in iis habendis, illos potiores eſſe voluerunt cæteris, modo æſtimationem præſtent.

§. 25. Exigitur collatio (1.) *actione ex ſtipulatu*, ſi cautio eo nomine,

mine, fuerit interpoſita *l. 5. §. 1. ſeqq. de collat.* (2.) *imploratione officii judicis*, ſi nulla cautio interceſſerit *l. 8. C. de collat.* (3.) *exceptione*, qua agentes tamdiu repelluntur donec conferant *l. 1. §. 10. ff. l. 14. C. de collat.* Quodſi agens ſine exceptione ad hæreditatem admiſſus ſit, ad collationem nihilominus tenebitur, nam juri omiſſo hactenus non eſt præjudicatum, hinc, ſi liquidum ſit, adhuc per modum exceptionis, aliàs vero, per modum implorationis, in actum deduci poterit *add.* STRUV. *d exerc. 37. §. 38.*

§. 26. Quando collatio locum habeat vel ceſſet, id ex hactenus dictis intelligitur. Sed aliquando, præter regulam, in caſibus collationi obnoxiis, illa ceſſat, vel, vice verſa, in caſibus liberis, obtinet, id quod omne ex voluntate parentum dependere manifeſtum eſt. Prius fit ob *remiſſionem* expreſſam *Nov. 18. c. 6. auth.* ex teſtamento *C. de collat.* vel tacitam *l. 39. §. 1. fam. erciſc.* CARPZ. *p. 3. C. 11. D. 24.* hæc tamen, ex ſola inſtitutione teſtamentaria, non debet colligi *d. Nov. 18. c. 6.* Poſterius contingit propter *juſſum* de facienda collatione *v. §. 22. n. 3.*

§. 27. Super diviſione, quæ vel ſimpliciter, vel bonis, ubi opus erat, collatis, facta eſt, confici ſolet Inſtrumentum *v. l. 35. de pact.* in quo tum ſingulorum portiones deſcribuntur, tum etiam bona, ſi quæ forte indiviſa remanſerunt, annotantur, in uſum tam cohæredum, quam præcipue, ſi adſint, tutorum & curatorum. Ejus conficiendi modum non Jurisprudentia, ſed prudentia, experientia & uſus docent.

CAPUT XVI.

DE AGNITIONE LEGATORUM.

SUMMARIA.

Agnitio legatorum voluntati legantis debet eſſe conformis §. 1.

Acquiſitio legatis voluntate legatarii perficitur §. 2.

Legatum purum §. 3.

Et in diem, à tempore mortis, conditionale vero, ab exiſtente conditione, ipſo jure acquiritur §. 4.

Sed accedente agnitione, indiſtincte à tempore mortis fit acquiſitio §. 5.

Hæc tamen præſupponit aditionem hæreditatis §. 6.

Legatum purum & in diem in hæredes transmittitur, non vero conditionale §. 7.

Niſi certis in caſibus §. 8.

Sed illa ſanctio juris Romani voluntati legantis parum convenit §. 9.

Agnitio-

Agnitionis effectus §. 10.
Actionis ex teſtamento natura, fundamentum §. 11.
Subjectum §. 12.
Et objectum §. 13.
Obligatio ad fructus & uſuras poſt moram incipit §. 14.
Dolus culpa & aliquando caſus fortuitus præſtari debent §. 15.
Diverſarum actionum concurſus §. 16.
Cautio quoad legata non amplius in uſu eſſe videtur §. 17.
Interdicti de tabulis exhibendis uſus, natura & fundamentum §. 18.
Competit illud omnibus quorum intereſt §. 19.
Exhibitionis materia finis & requiſita §. 20.
Interdicti effectus duratio & modus procedendi §. 21.

§. 1.

ACceptationem hæreditatis, cum conſectariis, hactenus expendimus, poſtea igitur *agnitio* legatorum quoque erit conſideranda. Hæc eſt *declaratio voluntatis de habendo legato*, ac verbis & factis fieri poteſt, de cætero voluntati legantis debet eſſe conformis, hinc conjunctim legata, legatarius ſeparare non poteſt *l. 38. pr. de legat. 1. l. 4. ſeqq. de legat. 2.*

§. 2. Acquiritur quidem legatum ipſo jure, ſive acceptatione legali *l. 77. §. 3. l. 80. de Legat. 2. l. 64. de furt.* ſed illa, imperfecta eſt, expectatque legatarii arbitrium, quodſi adeo hic legatum repudiet, nunquam ei aliquid cenſetur acquiſitum, ſi vero legis acceptationem approbet, tum demum acquiſitio valida eſt *l. 44. §. 1. l. 86. §. 2. de legat. 1. l. 15. de reb. dub.* Atque juxta duplicem iſtam acceptationem etiam tempus, à quo legatum acquiratur, judicandum eſt.

§. 3. Ipſo jure acquiritur legatum *purum* à tempore mortis *l. 5. §. 1. quand. dies legat. l. un. §. 15. C. de caduc. toll.* ac cedit & venit dies *l. 213. de V. S.* exactio tamen legati, ob impedimenta extrinſecus advenientia, non ſtatim fieri poteſt *v. c. 12. §. 4.* Dicitur etiam acquiri legatum ex die aditæ hæreditatis *l. 44. §. 1. l. 86. §. 2. de legat. 1.* ſed hoc tempus, cum tempore mortis coincidit *l. 54. de A. O. H. l. 193. de R. J.* Legata tamen perſonalia à tempore mortis, ipſo jure non acquiruntur *l. 2. 3. 9. quand dies legat. l. un. §. 2. 4. quand. dies uſusfr. legat. ced.* cum enim acquiſitio legalis fiat ob transmiſſionem, hæc verò in legatis perſonalibus ceſſet, ideo nec illa opus *add. l. 3. c. 12. §. 5.*

§. 4. Legatum *in diem*, itidem acquiritur, ex tempore mortis *l. 5. §. 1. quand. dies legat. ced.* ſed cedit ſaltem dies, non autem venit, niſi poſt

poſt lapſum diei *l. 213. de V. S.* in legatis perſonalibus, ob rationem §. 3. datam, acquiſitio legalis, à tempore mortis, non fit *l. 5. §. 1. quand. d. legat. ced. l. un. §. 3. 4. quand. dies uſusfr. leg. ced.* Denique legatum *conditionale*, ante conditionis exiſtentiam, ipſo jure non acquiritur, adeoque nec cedit, nec venit dies *l. 5. §. 2. l. 22. l. 4. quand. dies legat. ced. l. 41. de condit. & demonſtr.* conditio vero, quæ certum tempus continet, vel impoſſibilis eſt, huc non pertinet, nam illo caſu legatum in diem *l. 4. §. 1. quand. dies legat.* hoc verò, purum eſt *l. 5. § 3. 4. cod.*

§. 5. Sed illi termini pertinent ad acquiſitionem legalem, ac, ad effectum trasmiſſionis in hæredes, obſervantur. Si vero legatarius ſua voluntate legatum agnoſcat, tum indiſtincte, à *tempore mortis*, illud acquiritur, hæc enim eſt voluntas legantis & legatarii. In ſpecie igitur legatum perſonale *l. 18. §. 1. de manum. teſtam.* & conditionale, ab illo tempore acquiſitum cenſeri debet *l. 105. de condit. & demonſtr.* licet enim legans non aliter legatum det, quam ſi conditio exiſtat, attamen poſtquam hæc extitit, ſtatim poſt mortem ſuam illud legatarium habere vult. Effectus autem hujus termini, in vindicandis legatis, eſt manifeſtus *d. l. 105.*

§. 6. Cæterum tam acceptatio legalis, quam legatarii non aliter effectum habent, quam ſi hæreditas fuerit adita, deficiente hac aditione, legata corruunt, etiamſi legatarius eadem conſervari vel maxime cupiat *l. 9. de teſtam. tutel. l. 181. de R. J. § 2. l. de leg. Falcid.* ſi tamen deficiente hærede, ſubſtitutus vel cohæres adſit, hi legata præſtare debent, niſi aliter à teſtatore cautum *l. 74. de legat. 1. l. 61. de legat. 2. v.* HUBER. *in poſit. ad l. de Legat. n. 93. 94.* Jure novo legata ſubſiſtunt, ſi legatarius deficientis hæredis vices ſubire velit *v. c. 8. §. 16.*

§. 7. Legatario poſt legantem mortuo, legatum *purum* & *in diem*, in ejus hæredem transmittitur *l. 4. §. 1. l. 5. pr. ff. l. 3. C. quand. dies legat. ced.* licet teſtator hæredem ſuum ſub conditione inſtituerit *l. 7. pr. §. 1. l. 29. §. 2. l. 21. in fin. eod.* modo non ſit perſonale *l. 2. 3. eod.* Legatum autem *conditionale* in hæredes non tranſit, legatario ante conditionem mortuo *l. 4. pr. l. 5. §. 2. l. 22. pr. eod. l. 10. de adim. leg.* Quodſi adeo in ſingulos annos legatum ſit, transmiſſio obtinet vel ceſſat, prout legatum tale, purum vel conditionale eſt *l. 10. 11. 12. § 1. l. 23. quand. dies legat. ced.* Aliud dicendum de legato puro, cujus præſtatio in tempus ſaltem dif-

fertur, hoc enim ſimpliciter in hæredes tranſit *l. 26. §. 1. ff. l. 5. C. eod. l. 46. ad SCt. Trebell.*

§. 8. Aliquando etiam legata conditionalia in hæredes tranſeunt, legatario ante conditionem defuncto (1.) ſi ſit conditio neceſſaria *l. 6. §. 1. l. 22. §. 1. l. 25. §. 1. quand. dies legat. l. 3. de legat. 1. l. 99. 107. de condit. & demonſtr.* (2.) ſi conditio impoſſibilis vel turpis adjiciatur *l. 5. §. 3. 4. quand. dies legat.* ſed hic proprie non eſt exceptio, cum illa legata, pura ſint (3.) ſi perſonæ morali, ut ſacerdotibus *l. 20. §. 1. de ann. legat.* aut Principi *l. 56. de legat. 2.* legetur, quod ſecus eſt ſi Auguſtæ datum ſit *l. 57. de legat. 2. v.* LAUTERB. *C. J. quand. dies legat.* Sed nec hic exceptio proprie occurrit, cum legatarius, ante conditionem, nunquam deficiat. De cætero iſta transmiſſionis ratio etiam in fideicommiſſis ſingularibus & univerſalibus obtinet *v. c. 12. §. 37.*

§. 9. Si ex voluntate defuncti pronunciandum eſſet, transmiſſio legatorum conditionalium, etiam ante conditionis exiſtentiam, obtinere deberet, modo, conditio vitæ legatarii non ſit innexa, adeoque ejus morte & conditio & legatum intercidat *v. l. 12. §. 1. quand. dies legat.* Cumque hoc circa contractus conditionales, admiſerint Romani *§. 4. I. de V. O. l. 42. de O. & A. l. 57. de V. O.* ſine gravi cauſa, aliud in legatis aſſeruerunt, nam meritum legatarii, quod teſtator reſpexit *v. l. 9. pro ſoc.* transmiſſionem adeo non excludit, ut eam potius exigat. Præterea ex diverſa illa transmittendorum legatorum ratione, dubia oriuntur, cum ſæpe expeditum non ſit, utrum legatum aliquod ſit conditionale, vel in diem *v. l 40. §. 2. de condit. & demonſtr.* aut purum *v. l. 10. de adim. legat. l. 6. pr. quand. dies legat.* quæ, ſublata illa diverſitate, ultro ceſſarent.

§. 10. Agnito legato, legatarius jus deſtinatum ipſo jure conſequitur *v. c. 7. §. 48. 49.* hinc in ſpecie, ſi dominium legatum ſit, rei fit dominus, ante hæredis traditionem *l. 1. §. 2. l. 2. de public. in rem act.* Propria tamen autoritate res legatas, licet vacuas, legatarius occupare nequit, ſed hæres eas præſtare debet, quo fine, contra invitum, variæ comparatæ ſunt actiones, nempe (1.) *Remedium l. fin. C. de edict. D. Hadrian. toll.* vid. CARPZ. *p. 3. C. 13. D. 35.* FINCKELTH. *Obſerv. 121.* (2.) *Rei vindicatio*, ſi dominium legatum, aliàs juri legato convenienter agendum eſt (3.) *Actio hypothecaria*, quæ ex pignore legali deſcendit,

Digitized b

dit, & (4.) *actio ex testamento l. 29. §. 3. de Legat. 3. §. 2. I. de legat.*

§. 11. Hæc est *actio personalis, competens legatariis, adversus hæredes aliasque personas oneratas, ad legata consequenda.* Oriri creditur ex *quasi contractu §. 5. I. de oblig. quæ quasi ex contr.* sed, re recte expensa, verum negotium consensuale hic subest; testator legatum donat, ac liberalitatis executionem hæredi injungit, postea verò tam legatarius, quam hæres defuncti voluntatem acceptat *v. l. un. §. 4. in fin. C. de cad. toll.* nulla igitur hic opus est consensûs fictione. Dicitur etiam actio *stricti juris* quæ tamen, in fructibus & usuris, bonæ fidei actiones imitetur *l. 34. de usur.* sed & hæc observatio, hodie otiosa est.

§. 12. Datur legatariis, fideicommissariis singularibus eorumque hæredibus *l. 1. C. comm. de legat.* Contra hæredes aliasque personas oneratas *l. 1. C. comm. de legat.* & quidem si plures sint hæredes, ac indefinite legatum relictum, adversus singulos pro rata *l. 33. 44. de legat. 2. l. 17. de duob. reis.* nisi testator aliud voluerit *l. 54. §. fin. l. 124. de legat. 1.* Si duo hæredes instituti, alter ex uncia, alter ex undecim unciis, ac iis fundus sit legatus, unciarius undecim, alter unciam ex legato accipit *l. 34. §. 11. 12. de legat. 1.* sed, juxta rationem, distributio legati, portionibus hæreditariis attemperanda erat *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 917. 918.*

§. 13. Competit hæc actio ad res legatas, cum suis accessionibus, consequendas *l. 8. pr. l. 24. §. 1. de legat. 1. l. 10. de legat. 2. l. 16. 91. §. 5. de legat. 3.* sic debetur ædificium in area legata exstructum *l. 39. de legat. 2. l. 44. §. 4. de legat. 1.* nisi testator mutaverit voluntatem *d. l. 44. §. 4. de legat. 1. l. 79. §. 2. de legat. 3.* quod etiam fecisse censetur, si in locum ædificii destructi, novum plane substituerit *l. 65. §. 2. de legat. 1.* Debentur quoque, in casibus habilibus, fructus tam percepti quam percipiendi, & usuræ *l. 39. §. 1. de legat. 1. l. 34. de usur.*

§. 14. Incipit tamen hæc obligatio demum à tempore *moræ*, etiam per interpellationem extrajudicialem contractæ *l. 23. de legat. 1. l. 78. §. 2. de legat. 2. l. 26. de legat. 3. l. 3. pr. de usur.* non verò à tempore *mortis*, licet enim ab hoc, legatario jus, ac aliquando etiam dominium, acquiratur, attamen dum hæredem non interpellat, in amissionem fructuum & usurarum consentit. Quando igitur, post *acquisi-*

tum dominium, fructus fideicommiſſario adjudicantur in *l. 42. de uſur.* hoc de dominio, voluntate & interpellatione ejus, acquiſito, intelligendum eſt, quemadmodum etiam *hæres ſciens*, ad fructus præſtandos, non aliter obligatus exiſtimari debet in *l. 40. de A. R. D.* quam ſi legatarii interpellatio præceſſerit, aut ille hunc legatum doloſe celaverit.

§. 15. Debet etiam hæres, in ſpeciebus legatis, dolum & culpam præſtare, & quidem diverſam, pro circumſtantiarum diverſitate *l. 47. §. 4. l. 108. §. 12. de legat. 1.* caſum autem fortuitum non præſtat, niſi mora efficax præceſſerit *l. 47. §. fin. de legat. 1. l. 26. de legat. 3.* ſi genus aut quantitas legata, caſus fortuitus hæredem non liberat, quia rem legatam non afficit *l. 30. §. 5. ad L. Falcid. l. 11. C. ſi cert. pet.* Parte rei peremta, reliquum debetur *l. 22. 63. de legat. 1.* ſublato vero principali, acceſſorium non eſt præſtandum *l. 2. de pecul. legat.* Aliquando etiam hæres pœnam ſolvere *§. 26. I. de action. §. 7. I. de oblig. quæ quaſ. ex delict.* aut culpa legatarii deperditum reſtituere cogitur *l. 11. §. 18. de legat. 3.*

§. 16. De concurſu memoratarum actionum ſic dicendum: Remedium poſſeſſorium præcedit petitorium *v. l. 24. de R. V.* actio ex teſtamento, cum ea, quæ ex jure legato oritur, concurrit elective *l. 76. §. 8. de legat. 2. l. 84. §. fin. de legat. 1.* Altera vero ex illis, cum hypothecaria, concurrit cumulative, ſed ita ut alternative petitio ſit inſtituenda *v.* MYNSING. *Cent. 1. Obſ. 58. add.* LAUTERBACH. *C. J. de legat.*

§. 17. Si præſtatio legati non ſtatim fiat vel fieri debeat, hæres legatario, de re præſtanda, cavere debet *t. t. ff. ut legat. ſiv. fideic. ſerv. cauſ. cav.* Si contumax ſit, legatarius, poſt ſex menſes, à tempore petitæ cautionis *l. 6. C. ut in poſſeſſ. legat.* in poſſeſſionem mittitur *t. t. ff. & C. ut in poſſeſſ. legat.* Sed cum hodie legatarii habeant hypothecam tacitam *l. 1. C. comm. de legat.* ideo cautio eique ſurrogata miſſio hodie forte ceſſat *v. l. 5. C. ut in poſſeſſ. legat.* LAUTERB. *C. J. d. t.* licet enim miſſio plenior ſit nuda hypotheca *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 953. 954.* attamen legatarii ita ratio habenda eſſe videtur, ut hæres non nimium gravetur.

§. 18. Tam circa aditionem hæreditatis *v. c. 12. §. 7.* quam agnitionem legatorum, aliquando locus eſt *Interdicto de tabulis exhibendis*, de

Digitized by Google

de quo adeo non incongruè hic aliqua dici poſſunt. Eſt *remedium ſummarium, competens omnibus quorum intereſt, adverſus illos, qui tabulas ultimæ voluntatis defuncti ſe exhibere poſſe vel debere negant, ad hoc ut tabulas exhibeant, vel intereſſe præſtent.* Oritur ex jure, quod quis ex teſtamento habet, ſive reali, ſive perſonali *v. l. 2. pr. teſtam. quemadm. aper. l. 3. §. 8. ad exhib.* cui in omnibus, qui tabulas poſſident, aliqua obligatio reſpondet *v. l. 1. §. 1. l. 4. de tab. exhib. l. 2. §. fin. teſtam. quemad. aper.* Cauſa ſummarii proceſſus, videtur eſſe *præſtationis facilitas*, ob quem remediis poſſeſſoriis aggregatur, cum aliàs remedium poſſeſſorium non ſit *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ.* 187.

§. 19. Datur omnibus, quorum intereſt *l. 3. §. 10. 13. 14. 17. de tab. exhib.* etiam hæredi ante aditionem *l. 3. §. 12. 15. ff. l. un. C. eod.* poſt eam vero, rei vindicatio & actio ad exhibendum ei competit *l. 3. §. 5. eod. l. 3. §. 8. ad exhib. l. 2. §. f. l. 3. teſtam. quemad. aper.* quæ ſollicitudo hodie ſupervacua videtur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ.* 1088. Inſtituitur contra illos, qui tabulas poſſident, vel dolo poſſidere deſierunt *l. 1. pr. l. 3. §. 2. 6. de tab. exhib.*

§. 20. Petitur exhibitio tabularum teſtamenti, vel codicilli *l. 1. pr. §. 2. d. t.* aut mortis cauſa donationis *l. 1. fin. C. de m. c. donat.* & quidem authenticarum *l. fin. teſtam. quemad. ap.* ac morte confirmatarum *l. 1. §. 10. de tab. exhib.* ut poſſint apprehendi *l. 3. §. 8. eod.* legi & deſcribi *l. 1. pr. teſtam. quemad. aper.* Requiritur vero ut tabulæ, quoad formam externam, recte ſe habeant, nam aliàs exhibendi neceſſitas ceſſat *l. 6. pr. ad L. Cornel. de falſ.* vitia verò intrinſeca exhibitionem non impediunt *l. 1. §. 3. ſeqq. de tab. exhib.* cum ſint altioris indaginis.

§. 21. Quodſi tabularum detentor ſine cauſa exhibitionem detrectet, in id, quod intereſt, condemnatur, adeoque, pro caſuum varietate, hæreditatis vel legati æſtimationem præſtare debet *l. 3. §. 12. 13. 14. de tab. exhib.* ac ſalva nihilominus eſt petitio hæreditatis vel legati, ſi alius, quam hæres, æſtimationem præſtiterit *l. 3. §. 15. eod. l. 7. §. 1. de condict. furt.* De cætero actio hæc eſt perpetua *l. 3. §. p. de tab. exhib.* nec ſummaria procedendi ratio deſinit, quia ejus fundamentum *v. §. 18. h.* ſemper durat *add.* LAUTERB. *C. J. d. t.*

CAPUT XVII.

DE MORTIS CAUSA DONATIONIBUS ET CAPIONIBUS.

SUMMARIA.

Mortis causa donationis natura & varietas §. 1.
Requirit illa consensum mutuum §. 2.
Ac aliquam aliquando solennitatem §. 3.
In donantibus requiritur testamenti factio, vel libera rerum administratio §. 4.
Donationis objectum personale & reale §. 5.
Vivo donatore, donatio inefficax est §. 6.
Ac tollitur ob voluntatis vel defectum vel mutationem §. 7. 8. 9.
Si morte donantis confirmetur, jus destinatum ipso jure donatario acquiritur §. 10.
Ex quo actiones habiles resultant §. 11.
Circa donationem mortis causa habet locum Falcidia & jus accrescendi §. 12.
Ejus cum legata comparatio §. 13.
Mortis causa capionis diversa suppositio §. 14.
Subjectum §. 15.
Et effectus §. 16.

§. 1.

EXplicatis diversis ultimæ voluntatis speciebus, *donatio* & *capio mortis causa* recte intelligi possunt, quarum adeò explicatio huic loco meritò reservatur. Donatio mortis causa est *actus, quo sub conditione mortis, in alium consentientem, gratis aliquid conferimus.* Fit vel sola mortalitatis & mortis consideratione, vel ob imminens mortis periculum *l. 2. seqq. l. 31. §. 2. in fin. l. 35. §. 4. de m. c. donat.* semper tamen, sub conditione mortis, fieri debet *l. 42. §. 1. eod.*

§. 2. Fit consensu donantis & donatarii *l. 1. de pact. l. 55. de O. & A.* quomodocunque declarato *l. 22. C. de fideicomm.* modo sententia intelligatur *l. 28. de m. c. donat.* In invitum igitur ignorantem & absentem, mortis causa donatio conferri nequit *l. 19. §. 2. de donat. l. 38. de m. c. donat.* ille tamen absens non est, qui per nuncium, procuratorem vel epistolam, donationem acceptat *v.* CARPZ. *l. 5. Resp. 62.* Valet etiam donatio absenti facta, in vim fideicommissi *l. 75. 77. §. 26. de legat. 2.* modo donans, hoc casu, habeat facultatem testandi *l. 2. de legat. 1. v.* CARPZ. *p. 3. C. 1. D. 35.*

§. 3. Præter consensum, aliquando etiam opus est aliqua solennitate,

nitate, de qua ita habendum: Si donatio fiat autoritate principis vel judicis, nulla ſolennitas alia requiritur *l. 31. C. de donat. l. 19. C. de teſtam. v.* CARPZ. *p. 3. C. 1. D. 25. ſeqq.* Porro quibus caſibus teſtamenta ſunt privilegiata, iis etiam donationes, ſine ſolennitate, ſubſiſtunt CARPZ. *d. l. D. 33.* Denique ſi fiant, præſente hærede, nihil etiam, niſi legitima probatio, requiritur *l. fin. C. de fideicomm.* Extra hoſce caſus, quinque teſtes, donatorem videntes & audientes, conjunctim adeſſe debent, quibus præſentibus donatio valet, etiamſi quingentos ſolidos excedat *l. fin. C. de m. c. donat. l. fin. §. fin. C. de Codic. Ord. Notar. 1512. tit. 2. §. 2.* CARPZ. *d. l. D. 29. ſeqq.* LAUTERB. *C. J. de m. c. donat. lit. C.*

§. 4. Mortis cauſa donare poſſunt, qui vel factionem teſtamenti, vel ſaltem liberam rerum adminiſtrationem, aut, hac deficiente, conſenſum ejus, cujus intereſt, habent. Recte igitur donant minores *l. 32. §. 8 de donat. int. V. & U.* CARPZ. *p. 3. C. 1. D. 22.* mulieres ſub curatoribus agentes CARPZ. *p. 2. C. 15. D. 10.* uſurarii *arg. l. 42. de pœn.* filiifam. & quidem bona caſtrenſia, & adventitia irregularia, ſine patris conſenſu *l. 7. §. 6. de donat. l. 6. pr. in fin. C. de bon. quæ lib. Nov. 117. c. 1.* profectitia verò & adventitia regularia, eodem conſentiente *l. 7. §. 4. de donat. l. 25. §. 1. de m. c. donat. l. fin. §. 5. verſ. fin. C. de bon. quæ lib.* Pupilli vero, prodigi ſimilesque donare non poſſunt, licet tutorum autoritas accedat *l. 1. §. 1. de tutel. & ration. diſtr.* nam adminiſtratoris nudi conſenſus, ſuſtinendæ ultimæ voluntati, non ſufficit *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1004.*

§. 5. Donari poteſt omnibus, etiam rationis uſu deſtitutis *§. 4. I. de hæred. qual. & diff.* qui ex teſtamento aliquid capere poſſunt *l. 9. de m. c. donat.* & ſufficit, ſi tempore mortis donatoris, ſint habiles *l. 22. eod.* hinc inter conjuges *l. 9. §. f. l. 10. de donat. inter V. & U. l. 43. de m. c. donat.* patrem & filium donatio mortis cauſa etiam valida eſt *l. 10. ff. l. 25. C. de donat. inter V. & U.* Donatione hac obligationes remitti *l. 18. §. 2. l. 31. §. 1. l. 28. de m. c. donat.* ac omnis generis jura, realia & perſonalia, cum ſuis objectis, transferri poſſunt *v. l. 9. 27. de donat.* Poſſunt etiam omnia bona, mortis cauſa donari, modo legitima non lædatur. In Electoratu Saxoniæ judicialiter donatio omnium bonorum fieri debet *v.* CARPZ. *p. 3. C. 1. D. 8. 9. 10. 23. ſeqq.*

§. 6.

§. 6. Quamdiu donator vivit, donatio mortis cauſa, quoad illum, inefficax eſt *l. 32. de m. c. donat.* hinc ſi nuda conventio interceſſerit, donatarius tantum habet ſpem incerti lucri *l. 42. de O. & A. l. 27. qui & à quib. manum. lib. non.* ſi vero traditio acceſſerit, tum, pro diverſa donantis intentione, vel nudam detentionem, vel dominium precarium habet *l. 2. 29. de m. c. donat.* nam licet donatarius donationem acceptet, conſtans tamen jus inde non acquirit, cum donator ſe ſemper illi præferat *l. 1. de m. c. donat.*

§. 7. Tollitur ergo donatio mortis cauſa ob *voluntatis* vel *defectum* vel *mutationem*, ſive (1.) ob *ceſſationem periculi*, nam qui, præſente periculo donat, is non aliter donaſſe cenſetur, quam ſi periculum ſequatur; hoc igitur ceſſante, donatio, ſine ulla alia revocatione, evaneſcit *§. 1. I. de donat. l. 8. §. 1. de m. c. donat*, ex quo liquet, quod hic modus ad donationes, extra periculum factas, non pertineat (2.) ob *mortem donatarii, vivo donatore*, nam tum quoque voluntas deficere cenſetur adeoque donatio exſpirat *§. 1. I. de donat. l. 18. pr. de R. C. l. 29. C. de m. c. donat.* Quodſi donator & donatarius ſimul pereant, in dubio donatio firma manet *l. 26. de m. c. donat. l. 18. de reb. dub.* ſi filio donatum ſit, filii vel patris mors attenditur, prout illi aut huic donatum eſt *l. 23. fin. de m. c. donat.* in dubio prius præſumitur *l. fin in fin. C. de uſufr.*

§. 8. Tollitur donatio (3.) ob *ſupervenientem poteſtatis defectum l. 7. de m. c. donat.* ſi igitur fœmina mortis cauſa, mobilia donaverit, ſecuto matrimonio, donatio, jure Saxonico, cenſetur fieri irrita *v.* STRUV. *Jurispr. forenſ. l. 2. tit. 10. §. 9.* CARPZ. *l. 6. Rſp. 62. n. 17.* Denique (4.) ob *pœnitentiam* ſeu *revocationem §. 1. I. de donat. l. 16. l. 39. ff. l. fin. C. de m. c. donat. l. 4. de adim. leg.* Hæc autem declaratur vel verbis, vel factis e. gr. ſpontanea alienatione *l. 18. 24. §. 1 de adim. legat. l. fin. C. de m. c. donat. l. 22. de donat. inter V. & U.* inſtitutio tamen hæredis donationem rei ſingularis non tollit *v.* LAUTERB. *C. J. de m. c. donat.*

§. 9. Aliquando quidam tollendi modi, per conventionem, excluduntur *l. 13. §. 1. l. 35. §. 4. de m. c. donat.* Quodſi autem adjiciatur clauſula, de donatione nullo modo revocanda, tum non eſt donatio mortis cauſa, ſed inter vivos, cujus executio in caſum mortis ſaltem confertur *l. 27. de m. c. donat.* CARPZ. *l. 5. Rſp. 55. p. 3. C. 1. D. 39. 40.*

EX-

Digitized by Google

ERHOLT. *ad ff. de m. c. donat. §. 10.* Sublata autem mortis cauſa donatione, donator rem promiſſam retinet, datam vero vel condictione, vel rei vindicatione repetit *l. 29. 30. 37. §. 1. l. 39. de m. c. donat.* deductis impenſis neceſſariis & utilibus *l. 14. eod.*

§. 10. Si donatio morte donatoris confirmetur, tum, ſi certæ ſpeciei dominium donatum ſit, donatarius ipſo jure ſine hæredis traditione illud acquirit *l. 1. §. 2. l. 2. de public. in rem act. l. fin. C. de m. c. donat.* Quodſi aliud jus reale *v. l. 9. 27. de donat.* aut res aliena, nomen quantitas vel genus donata ſint, tum donatarius etiam jus reale vel perſonale conſequitur *v. c. 7. §. 29. ſeqq.* denique ſi obligatio ei ſit remiſſa, inde accipit liberationem *l. 28. de m. c. donat. v. d. c. 7. §. 22. ſeqq.* ex quo liquet, male donationem mortis cauſa, indiſtincte pro *modo acquirendi dominium civili*, vulgò haberi *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1005.*

§. 11. Si res non ſit à defuncto tradita, non poteſt eam donatarius propria autoritate occupare *v. l. 1. §. 5. quod legat.* CARPZ. *p. 3. C. 1. D. 37.* hinc actionibus competentibus illa exigenda eſt, & habent quidem hic locum Remedium ex *l. fin. C. de edict. D. Hadrian.* Rei vindicatio ſimilisque, Hypothecaria, actio ex teſtamento *v. c. 16. §. 10. ſeqq.* vel condictio ex lege *l. 35. §. 5. C. de donat.* quæ, pro caſuum diverſitate, vel contra hæredem, vel extraneum inſtituuntur.

§. 12. Hæres autem deducit falcidiam *l. 5. C. ad L. Falcid. l. 2. C. de m. c. donat. l. 1. §. 5. quod legat.* CARPZ. *p. 3. C. 1. D. 1.* In Electoratu tamen Saxoniæ, in donatione omnium bonorum, detractio illa ceſſat CARPZ. *d. l. D. 5.* Si ante donatorem, unus ex donatariis defecerit, vel etiam, poſt ejus mortem, portionem repudiaverit, pars vacans cæteris accreſcit *l. un. §. 14. C. de caduc. toll. l. fin. C. de m. c. donat.* CARPZ. *p. 3. C. 2. D. 16. n. 2.* Quodſi tamen omnia bona quis donaverit, reſervata ſolum, de quibusdam diſponendi, facultate, nec poſtea de iis aliquid diſpoſuerit, illa non accreſcunt donatario, neque enim quoad hæc donatio occurrit, ſed manent penes hæredes ab inteſtato *v. Conſt. Sax. 2. p. 3.* STRUV. *Jurispr. forenſ. l. 2. tit. 10. §. 11.*

§. 13. Donatio mortis cauſa, eſt actus mixtus, nempe conventio & ultima voluntas, plus tamen, de hac, quam illa, participare videtur. *l. 37. de m. c. donat. l. fin. C. eod.* In ſpecie convenit cum legato (1.)

ratione ſolennitatis (2.) ceſſantis inſinuandi neceſſitatis *v. §. 3.* (3.) modorum finiendi *v. §. 7. ſeq.* (4.) effectus *v. §. 10. 11.* (5.) falcidiæ (6.) juris accreſcendi *§. 12.* Differt ab eo (1.) quod fiat inter præſentes *v. §. 2.* (2.) ſæpe res donatario tradatur *v. §. 6. v. l. 22. de legat. 2.* (3.) quod in ſingulos annos facta, pura ſit *l. 35. §. fin. de m. c. donat.* (4.) non pereat ob accuſatum teſtamentum *l. 5. §. 17. de his quæ ut indign.* (5.) donare queant illi, qui factionem teſtamenti non habent *v. §. 4.* (6.) donari poſſit ei, qui tempore donationis, eſt inhabilis *§. 5.*

§. 14. Mortis cauſa capio, aliquando accipitur (1.) pro donatione, quæ vel intuitu mortis propriæ, vel alienæ fit *l. 8. pr. inf. l. 11. 18. pr. de m. c. donat.* (2.) conventione, de omittenda hæreditate vel legato *l. 8. 31. §. 2. cod. l. 24. de A. O. H.* (3.) ſtipulatione vel pacto, in alterius mortem, concepto *l. 31. §. 2.* verb. *ſed & dos de m. c. donat.* Proprie autem eſt *lucrum, ex ultimæ voluntatis executione, alicui obveniens ſine titulo hæreditatis, legati, fideicommiſſi vel mortis cauſa donationis l. 31. pr. l. 38. de m. c. donat.*

§. 15. Mortis cauſa igitur capitur, quicquid hæres, legatarius, fideicommiſſarius vel mortis cauſa donatarius, conditionis implendæ gratia, alicui præſtare debet *l. 31. §. 2. l. 36. 38. de m. c. donat.* In ſpecie hæres, aliquando ab alia perſona honorata, mortis cauſa quid accipit *l. 8. l. 20. l. 31. §. 2. l. 41. de m. c. donat. l. 93. ad L. Falcid.* aliquando alii præſtat *l. 38. de m. c. donat. l. 18. C. ad L. Falcid.* quo caſu, ipſum falcidiam detrahere poſſe *c. 9. §. 19.* jam admonui.

§. 16. Licet verò is, cui teſtator, ſub dandi conditione, aliquid reliquit, id acceptare & repudiare queat, adeoque hactenus, mortis cauſa capturus, jus exigendi non habeat, attamen ſi perſona honorata voluntatem teſtatoris, quoad lucrum, agnoverit, conditionem utique implere debet, quo caſu adeo mortis cauſa capio, perinde ut legatum, exigi poteſt. Si tamen hæredi ab inteſtato conditio dandi ſit injuncta, is, omiſſa teſtamenti cauſa, eam eludere poteſt *l. 8. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* Quodſi etiam id, quod mortis cauſa capiendum eſt, non ſit in obligatione, ſed ſaltem præſtatione, tum exactio quoque ceſſabit *v. l. 1. §. 8. ad L. Falcid. l. 1. de pen. legat. add.* DONELL. *comm. jur. civ. l. 8. c. 24.*

CAPUT

CAPUT XVIII.

DE HÆREDITATIS SEPARATIONE ET VENDITIONE.

SUMMARIA.

Separationis bonorum natura, æquitas §. 1.
Et usus §. 2.
Competit separationis beneficium creditoribus hæreditariis §. 3.
Ac hodie etiam creditoribus hæredis §. 4.
Separationis effectus §. 5. Et contraria §. 6.
Venditio hæreditatis quatenus valeat §. 7.
Effectus venditionis, si hæreditas ad venditorem non pertineat §. 8.
Si vero ad eum spectat, ea præstat de quibus actum est §. 9.
In specie dolum, culpam & evictionem §. 10.
Ea quæ postea accedunt, sed ad portionem venditam haut pertinent, non præstat §. 11. 12.
Quoad nomina venditor emtorem probatione instruere debet §. 13.
In emtorem etiam transeunt onera hæreditaria §. 14.
Venditor, venditione peracta, hæres manet nec emtor talis fit §. 15. (§. 16.
Sed illud frustra dicitur, si venditor cum emtore
Ac debitoribus hæreditariis comparetur §. 17.
Si vero ad creditores hæreditarios referatur, alicujus effectus est §. 18.
Onus æris hæreditarii mediate & aliquando immediate fert emtor §. 19.

§. 1.

DE hoc duplici capite nunc non incommode agi posse videtur: Separatio, est *bonorum defuncti & hæredis distinctio, in usum creditorum, ex æquitate, facta.* Jure quidem civili, hæreditate sine inventario adita, bona defuncti & hæredis ita commiscentur, uti ipse, *hæres* nullam amplius separationem sperare queat, sed creditoribus hæreditariis in solidum teneatur *v. c. 12. §. 10. 17.* ast, ratione *creditorum*, manifesta æquitas separationem exigit, ne facto alieno ipsorum conditio reddatur deterior *v. l. 74. de R. J.*

§. 2. Igitur jam antiquo jure separatio bonorum, quoad creditores, obtinuit, eaque à Magistratu competente fuit concessa *l. 1. pr. §. 1. 14. de separat.* Postea, introducto inventario *l. ult. C. de jur. delib.* jus separationis non tantum, quoad creditores, magis dilatatum, sed &, ad hæredem ipsum extensum est, adeo ut & illi, & hic, non tam separationem, quam potius separationis, ipso jure factæ, executionem urgere queant, quæ omnia, admissa jurata specificatione, in quibusdam Germaniæ locis *v. c. 12. §. 15. 16.* magis aucta sunt.

§. 3. Competit separationis beneficium creditoribus hæreditariis

Digitized by Google

l. 1. §. 16. de ſeparat. etiam hæredibus inſtitutis *l. 7. C. de bon. aut. judic.* licet ſub conditione vel in diem ipſis aliquid debeatur *l. 4. de ſeparat.* In ſpecie competit liberis ratione legitimæ, & legatariis *l. 4. §. 1. l. 6. pr. eod. v.* STRUV. *S. J. C. exerc. 44. §. 61.* Solis tamen chirographariis ſeparatio videtur eſſe neceſſaria *l. 1. §. 3. de ſeparat.* nam hypothecarii, ex jure pignoris defuncti bona perſequi poſſunt *l. 2. qui pot. in pign. l. 38. §. f. de ſolut.* STRUV. *d. l. §. 60.* ſi tamen pignus certam rem immobilem non reſpiciat, ſeparatio hypothecariis quoque fit utilis.

§. 4. Creditoribus hæredis, contra defuncti creditores, ſeparatio regulariter non conceditur, quia licuit hæredi, adeundo hæreditatem, creditorum ſuorum conditionem facere deteriorem *l. 1. §. 2. de ſeparat.* add. *l. 1. § 5. 6. 9. l. 7. eod.* STRUV. *d. l. §. 62.* STRAUCH. *diſſert. 15. §. 18.* Sed illa ratio non ſatis concludit, nam ſi hæredi licet, adeundo, creditorum ſuorum conditionem facere deteriorem, tantundem licebit defuncto, hæreditatem alii relinquendo, hinc nec hæreditarii creditores ſeparatione gaudebunt; Si vero his factum alienum nocere non debet, nec creditoribus hæredis nocebit, ob generalem æquitatis regulam in *l. 74. de R. J.* Hodie, admiſſo inventario & jurata ſpecificatione, dubio procul creditores hæredis ſeparationis jure utuntur, cum hæres, ultra vires hæreditatis, creditoribus hæreditariis nequidem teneatur *v.* STRUV. *d. §. 62.*

§. 5. Beneficio ſeparationis, creditores defuncti, bona hæreditaria, &, novo jure, creditores hæredis, hujus bona conſequuntur. Si quid, ex bonis defuncti, ſuperſit, hoc creditores hæredis, ſibi recte arrogant, nam huic per aditionem eſt quæſitum; Si vero, vice verſa, creditores hæreditarii, ex hæreditate, ſuum plene non conſequantur, ad hæredem reverti nequeunt, cum eum, perita ſeparatione, dimiſerint *l. 1. §. 17. l. 5. de ſeparat.* etſi aliud viſum fuerit Papiniano *l. 3. §. 2. eod. v.* STRAUCH. *diſſert. 15. §. 18.* Jure novo ideò nihil ab hærede exigere poſſunt, quia, beneficio inventarii vel juratæ ſpecificationis, ultra vires hæreditatis plane non obligatur, hinc veterum diſſenſus, hodie innoxius eſt.

§. 6. Ceſſat ſeparatio ſi (1.) poſt aditionem, quinquennium ſit elapſum *l. 1. §. 13. de ſeparat.* (2.) bona ita commixta ſint, ut ſeparari amplius nequeant *l. 1. §. 12. eod.* (3.) ſi bona fide hæreditas vendita

l. 2.

l. 2. eod. (4.) si creditores hæreditarii, facta novatione, fidem hæredis sint secuti *l. 1. §. 10. 11. 15. eod. v.* STRUV. *S. J. C. exerc. 44. §. 64.* Sed illa omnia ad jus antiquum pertinere, ac hodie, ubi ipso jure, mediante inventario vel jurata specificatione, separatio fit, cessare videntur. In specie nunquam confusio ita contingere potest, quin, mediante æstimatione, bona separari queant, præterea hæres, vendita hæreditate, pretium, quod loco rei principalis est, accepit, denique, cum ipso jure securus sit, debita hæreditaria, non temere in se suscipiet.

§. 7. Venditio hæreditatis est *contractus consensualis, quo, pro hæreditate, certum promittitur pretium.* Eum perfici *solo consensu*, ac requirere *personas habiles*, nec non *pretium verum, certum* ac in *pecunia numerata consistens*, id ex tractatu generali *l. 4. c. 2. 4.* supponitur. Circa hæreditatem saltem observandum, quod vel *futura*, vel *præsens* sit. *Illa*, si respiciat hominem *incertum*, velut spes, valide vendi potest *v. l. 3. §. 2. pro soc. l. 8. de C. E. V.* CARPZ. *p. 2. C. 35. D. 17.* si vero *certum*, tum non aliter venditio valet, quam si hic consentiat, ac in ea voluntate perseveret *l. fin. C. de pact. l. 2. §. 2. de V. & P. substit. l. 29. §. 2. l. 30. de donat. l. 2. §. f. de his quæ ut indign.* CARPZ. *d. l. D. 19.* sed raro tantam patientiam à tertio forsitan expectare licet *add. l. 2. c. 4. §. 15. 16.*

§. 8. Si de hæreditate *præsente* contractus initus sit, tum hæreditas vel *ad venditorem non pertinet*, vel ad *eum spectat.* Priori casu modus contrahendi attendendus est; Si eam, ut *spem*, vendiderit, nihil venditor præstat, nisi emtorem deceperit *l. 10. 11. 12. 13. de H. vel A. V.* si vero illam, ut *rem vere præsentem*, alienaverit, tum, si *nulla plane sit*, restituto pretio, interesse præstat *l. 1. 7. 8. 9. eod.* si vero *ad alium pertineat*, æstimationem solvere debet *l. 8. 13. eod.*

§. 9. Posteriori casu, venditor efficere debet, quo emtor illa consequatur, quæ defunctus venditori, hæreditatis nomine, reliquit, quæque in venditionem sunt deducta. Debet igitur (1.) præstare res hæreditarias, quæ ad ipsum pervenerunt, etiam eas, quas alienavit *l. 2. §. 1. 3. l. 14. §. 1. l. 15. de H. vel A. V.* aut quas debuit defuncto *l. 2. §. 6. l. 20. eod.* quæ, ante venditionem, casu fortuito perierunt, regulariter non præstantur *l. 2. §. 1. eod.* multo minus, quæ post eam *l. 2. §. 9. eod.*

§. 10. In rebus, quæ tempore venditionis jam adfuerunt, aut, poſt eam, acquiri debuerunt, venditor dolum & culpam latam præſtat *l. 2. §. 5. eod.* in iis vero, quæ ultro exegit, etiam levem *l. 3. eod.* poterat enim ab exactione abſtinere, hinc major diligentia ab eo requiritur. Evictionem rerum non præſtat, quia eo jure eas vendit, quo penes defunctum fuerunt *l. 2. pr. eod. l. 1. C. de evict.* nec quæ ſpecialiter excepit *l. 2. §. 12. ſeqq. de H. vel A. V.*

§. 11. Si aliquid, poſt traditionem, ad venditorem perveniat, id quoque emtori præſtare debet *l. 2. §. 4. eod.* modo ad portionem venditam pertineat. Hinc quæ ex ſubſtitutione pupillari *l. 2. §. 2. eod.* aut indebite *d. l. 2. §. 7.* vel jure accreſcendi accepit, emtori non reſtituit, nam uti hoc, ſine dubio, hæredi accreſcit *l. 9. de ſuis & legit. hæred. l. 31. 53. §. 1. de A. O. H. l. un. §. 10. C. de caduc. toll.* ita, de iis omnibus reſtituendis, nihil regulariter actum eſt, hinc ultra intentionem agentium, actus non debet operari *v. l. 19. de R. C.*

§. 12. Accreſcit quidem aliàs portio portioni *l. 33. de uſufr.* ſed hoc verum eſt, ſi quis eam habeat ex diſpoſitione defuncti, quæ, quoad emtorem, deficit. Porro verum eſt, quod is, qui clam, contra legem, fidem dat, de hæreditate alii reſtituenda, etiam jure accreſcendi privetur *l. 83. de A. O. H. l. 1. 3. 43. de jur. fiſc. l. 10. de his quæ ut indign.* quemadmodum nec hæres fiduciarius, qui coacte hæreditatem adiit, ac reſtituit, eodem, cum effectu, gaudet *l. 4. 27. §. 2. 14. l. 43. ad SC. Trebell.* ſed ab illo & iſto, ad venditorem, non recte infertur, qui neque deliquit, neque jus competens, à ſe, repulit. Denique emtor tantum juris habet, quantum venditor *l. 2. pr. §. 4. 9. 18. de H. vel A. V.* ac omne commodum ad emtorem ſpectat *l. 7. de peric. & comm. rei vend.* ſed id, ratione portionis venditæ, exaudiendum eſt.

§. 13. Uti autem venditor res præſentes tradere, ita (2.) jura & actiones, ad res exigendas, cedere debet *l. 2. §. 3. 8. l. 14. pr. de H. vel A. V. l. 4. C. eod.* ante ceſſionem, actiones utiles ſaltem emtor inſtituere poteſt *l. 5. 9. C. eod. l. 16. de pact. l. fin. C. quand. fiſc. vel priv.* Sed hodie illa non valde inculcanda ſunt: Venditor potius, venditione facta, emtorem *probatione*, &, ſi ita viſum fuerit, *mandato* inſtruere debet, quo facto, vel nomine venditoris, vel proprio agere poteſt, quæ agendi diverſitas, actionis directæ & utilis elogio, incongruè exprimitur *v. l. 4. c. 4. §. 3. 12. 15.* §. 14.

§. 14. Non tantum autem emtor jura & res hæreditarias consequitur, sed & (3.) onera hæreditaria subire, eoque nomine, venditorem indemnem servare debet *v. l. 2. §. 9. de H. vel A. V.* hinc legata *l. 2. §. 3.* debita hæreditaria, etiam, ob sententiam, (secus si sponte) indebite, soluta *l. 2. §. 7. l. 18.* expensas in defuncti funus *l. 2. §. 17.* vel hæreditatem factas *l. 2. §. 11. 16.* venditor reputat, ac vel deducit vel repetit *l. 2. §. 15. cod. l. 45. de condict. indeb.* proprium debitum exigit *l. 2. §. 18.* ac servitutes confusione extinctas recipit *l. 2. §. 19. de H. vel A. V.*

§. 15. Venditione consummata, venditor nihilominus hæres manere *l. 88. de H. I. l. 7. §. 10. de minor.* emtor verò nunquam hæres fieri, hæredis tamen vicem obtinere *l. 2. §. 18. de H. vel A. V. l. 9. comm. prædior.* ac in effectu neque minus, neque plus juris, quam hæres, habere *l. 2. pr. de H. vel A. V.* denique, ratione actionum cessarum, procurator in rem suam, fieri dicitur *l. 5. C. cod. l. 34. 42. §. 2. de procur.* Sed pleraque illa ambigue, & sine aliquo usu dicuntur.

§. 16. Si venditorem cum *emtore* comparemus, tum, venditione perfecta, rerum hæreditariarum quidem ille adhuc est dominus, hactenus, ut illas alii valide vendere queat *l. 6. C. de H. vel A. V.* ast, venditione consummata & rebus traditis, nihil juris illum amplius habere, manifestum est. Quod verò actiones venditas attinet, illæ ad emtorem penitus pertinent, sive consummatam, sive perfectam saltem venditionem supponas, hinc utitur iis, eo cum effectu, quem *l. 4. c. 4. §. 4. seqq.* explicavimus. Ex quibus liquet, quod venditor, consummata venditione, intuitu emtoris, frustra *hæres* dicatur, aut huic plenum jus negetur.

§. 17. Ulterius si venditorem consideremus in ordine ad *debitores hæreditarios*, tum à *scientibus* nihil exigere, nec hi ultro ei solvere possunt, *ignorantes* vero vel sponte, vel ad venditoris exactionem, secure solvunt, sed hoc non arguit aliquod venditoris jus, utpote qui emtori acceptum restituere debet, sed ostendit saltem, quod debitores, ob justam ignorantiam, sint excusati, hinc, intuitu debitorum hæreditariorum, frustra etiam venditor, *hæres* vocatur *v. l. 4. c. 4. §. 13.*

§. 18. Aliter dicendum, si venditorem referamus ad *creditores hæreditarios*, cum enim his, non obstante venditione, teneatur, utpote cum invitis alium debitorem suo facto obtrudere non potuerit *l. 2. C. de*

H. vel

H. vel A. V. l. 2. C. de legat. l. 25. C. de pact. ideo hactenus *hæres* vocari potest. Est etiam, hac in re, dispar conditio *venditoris* & *hæredis fiduciarii*, hic enim ultra quadrantem, actiones excipere non cogitur; quia fideicommissarius, ex voluntate defuncti, maximam hæreditatis partem habet, adeoque ab eo quoque debita exigenda sunt §. 7. *I. de fideicom. hæredit. l. 1. C. ad SCt. Trebell.* id quod de emtore hæreditatis dici nequit.

§. 19. Quæ autem venditor creditoribus hæreditariis solvit, ea ab emtore repetit *l. 2. C. de H. vel A. V. l. 2. C. de legat.* Potest etiam venditor desiderare, quo emtor se defendat *v. l. 28. de donat.* Contra emtorem, creditores hæreditarii agere non possunt *l. 2. C. de H. vel A. V. l. 2. C. de pact.* nisi in subsidium, si venditor non sit solvendo *v. l. 94. §. 1. de legat. 1.* nam suo consensu locum hæredis subiit, hinc non immerito certo casu convenitur. Si fiscus hæreditatem vendidit, emtor simpliciter tenetur *l. 1. C. de H. vel A. V. l. 41. de jur. fisc.*

add. LAUTERB. *C. J. de H. vel A. V.*

LIBER

Digitized by Google

LIBER OCTAVUS.

CAPUT I.

DE SUBDITIS GERMANIÆ.

SUMMARIA.

Connexio §. 1.
Conditio Imperantium & Subditorum, in Germania, eſt dubia §. 2.
Olim in eadem obtinuit Monarchia laxior §. 3.
Hodie Cæſar & Status imperii imperant, ac incolæ Territoriorum ſunt ſubditi §. 4.
Qui dicuntur Landſaſſii §. 5.
Subjectioni accedunt alia vincula §. 6.
Subditorum diverſitas & ſubordinatio §. 7. 8.
Schrifftſaſſiorum nomen & origo §. 9.
Quinam ſubditi ſunt Schriffi- vel Amtſaſſii §. 10.
In Territoriis Germaniæ ſervitus & jus civitatis generale non occurrit §. 11. 12.
Obligatio ſubditorum §. 13.
Aliquando committunt crimen læſe Majeſtatis §. 14.
Ejus duæ ſunt ſpecies §. 15.
Committitur à ſubditis & ſociis perpetuis §. 16.
Non exteris §. 17.
Contra Rempublicam & Imperantes §. 18.
Intuitu Majeſtatis §. 19.
Forma perduellionis §. 20.
Et criminis læſæ Majeſtatis in ſpecie §. 21.
Delicta quæ Majeſtatem non tangunt, huc non pertinent §. 22.
Pœna perduellionis §. 23. 24. 25.
Et criminis læſæ Majeſtatis §. 26.
Subjectio quomodo deſinat. §. 27.

§. 1.

EXhibuimus jura, quæ hominum *exiſtentiam*, *propagationem* & *mortem* reſpiciunt. Sed primam tractationem nondum penitus abſolvimus, nam reſtant adhuc jura, quæ *imperium* & *ſocietatem civilem* concernunt, cum enim hæc, jura ad propagationem & mortem pertinenti, aſæpe præſupponant, ideo eorum explicatio huic loco merito reſervata eſt *v. l. 6. c. 1. §. 1.*

§. 2. In quavis Civitate, Imperantes & Subditi occurrunt, quorum indolem in genere *l. 2. c. 1. §. 4.* delineavi. In Germania uti dubio

procul illi etiam reperiuntur, ita non satis expeditum est, quis in classem Imperantium vel Subditorum referri debeat, cum Reipublicæ nostræ Status, non semper idem, omni vero tempore, incertus & involutus quodammodo fuerit *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 1. c. 2. seqq.* Interim dicendum tamen est, quod, sub Ludovico Germanico, in propriam suique Juris Rempublicam, se composuerit Germania.

§. 3. Fuisse autem illam monarchiam, vel ob solum Regis nomen, asserendum videtur, juxta regulas tamen monarchicas eam non recte satis fuisse constructam non minus dicendum erit. Sic ex præsenti statu, quoad tempora præterita, conjecturam formare licet, videtur semper familia minor, majori, aliquo vinculo, fuisse conjuncta. Si rustici Nobilibus, proprio eoque ampliori patrimonio instructis, nexu aliquo fuerunt obstricti, Nobiles bona sua, à Principe vel Comite, proprium patrimonium tenente, velut feuda, recognoverunt: Proceres opulentiores, integras ditiones ab Imperatore in feudum accepere, atque in illis vinculis, pro temporum illorum simplicitate, imperium & subjectio simul delituit.

§. 4. Olim igitur solus Cæsar imperium tenuit, reliqui omnes in classe subditorum constiterunt. Sed successu temporis, multi Proceres, ditiones suas proprio jure acquisiverunt, ac, laxato subjectionis nexu, sub nomine *Statuum imperii*, facti sunt Coimperantes & Cæsaris socii, sed ita, ut quædam pristinæ subjectionis reliquiæ remanserint *vid.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 7. c. 8.* Quoad eos autem, qui in Territoriis existunt, crescente dominandi peritia, subjectionis vinculum vel magis adstrictum, vel expolitum est. Hodie igitur in Germania, Cæsar & Status imperii, imperant, quorum jura, in Juris publici Disciplina, traduntur, sed qui in Statuum territoriis vivunt, subditorum classe censentur, ad quos secutura tractatio pertinet.

§. 5. Subditi Territoriorum germanicorum, *Landsassii* audiunt, quamvis hoc nomine, subditi honoratiores, prædia possidentes, ac aliqua jurisdictione instructi, nonnunquam saltem veniant *v.* SCHILT. *dissert. de Landsass.* quæ *exercit. 13. ad ff.* subjecta est; sed jam generalem sensum, qui non minus, quam specialis, in usu est, licet aliter videatur SCHILT. *d. dissert. c. 2.* sectamur. Involvit igitur Landsassiatus veram subjectionem, qua scilicet provinciales Domino Territo-

riali,

riali, quoad vitam & fortunas ſubſunt, in iis, quæ ad utilitatem Territorii pertinent, ac imperio humano obtineri poſſunt. *v.* MAURIT. *diſſert. de Nobilit. §. 30.* Illud etiam ex Statu Germaniæ liquet, ſubditos magis dominis Territorialibus, quam Cæſari, obligari *v.* SCHWED. *introd. ad Jus publ. part. ſpec. Sect. 2. c. 11. §. 6.*

§. 6. Conſtituitur Landſaſſiatus mutuo conſenſu, eoque vel expreſſo, vel tacito; Firmandæ autem ſubjectioni exigitur *Homagium*, cujus indolem breviter expoſui in SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 10.* Præter generale ſubjectionis vinculum, occurrunt etiam alii nexus, quibus domino territoriali, ſubditi obſtringuntur, qui illi debent ſubordinari. In ſpecie eo pertinet *Vaſallagium*, quod, in Territoriis Germaniæ, cum ſubjectione regulariter concurrit *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *d. c. 10. §. 20. ſeqq.*

§. 7. Apud veteres, tres ſubditorum fuiſſe claſſes, *Nobilium*, *Litorum* & *Servorum* refert SCHILT. *ad ff. exerc. 19. §. 19. add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 2. c. 19. 20.* Hodie diverſa ipſorum eſt conditio, variaque diſtributio. Generale diſcrimen eſt, quod vel in *oppidis*, vel *ruri* degant, præterea, in multis Territoriis, quidam ſubditi, ſub *Præfectis*, alii, ſub *Nobilibus* vel *Perſonis Illuſtribus*, agunt, dantur tamen etiam *Municipia*, quæ nec illis, nec his ſubſunt, ſed ad eorum exemplum, immediate domino Territoriali parent. Omnes autem illi Status provinciales, cum ſuis ſubditis, per *Circulos*, ſolent eſſe diſtributi, quibus eminentioris conditionis Præfectus, *Lands* vel *Creys-Hauptmann* præeſt *v.* SCHILTER. *comment. de Amtſaſſ. c. 4. n. 8. de Schrifftſaſſ. c. 6. n. 6.*

§. 8. Alias diſtingvuntur Landſaſſii, (1.) in *incolas*, qui ex habitatione, & *forenſes*, qui ex rebus ſitis, ſubditi ſunt (2.) in *ſimplices*, qui ſolo ſubjectionis vinculo & *Vaſallos*, qui inſuper nexu feudali domino Territoriali obſtringuntur (3.) in *Schrifft*-ſive *Cantzleyſaſſios*, qui coram Principe, ac in Curiis Provincialibus, & *Amtſaſſios*, qui coram Præfectis conveniuntur. His vero hodie addendi ſunt, qui coram *Nobilibus*, *Magiſtratu oppidano*, vel etiam *Academico*, conveniri poſſunt *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1462.* Imo Amtſaſſii quidam Jurisdictione gaudent, quorum ſubditos, *Unterſaſſios* non incongrue diceres, cum cæteris gradu ſint inferiores *v.* SCHILTER. *de Landſaſſ. c. 1. n. 14.*

§. 9. Schrifftſaſſii inde dicuntur, quod ipſis, peculiaribus Princi-

pum ſcriptis præcipiatur, cum cæteri Præfectorum præceptis parere teneantur *v.* SCHILT. *comment. de Schriffiſaſſ. c. 1.* Cenſetur autem diſcrimen inde ortum, quod Principi, omnibus & ſingulis jus dicere & reſcribere, nimis fuerit moleſtum, *v.* SCHILT. *de Amtſaſſ. c. 3.* juxta quam conjecturam, amtſaſſiatus Schrifftſaſſiatu vel junior eſt, vel ejusdem cum eo ætatis. Sed forte non improbabile eſt, ſi dicamus, jurisdictionem primæ inſtantiæ, à ſolis Præfectis, olim fuiſſe exercitam, ſed, ſucceſſu temporis, honoratiores quosdam, jurisdictioni illi fuiſſe non tantum exemtos, ſed & ipſis, imo etiam quibusdam Amtſaſſiis, jurisdictionem primæ inſtantiæ communicatam.

§. 10. Schrifftſaſſii plerumque ſunt, Nobiles aliæque Perſonæ illuſtres, Præfecti, nonnullæ Civitates municipales, ſic Lipſia à Theodorico, Marchione de Landsberg, *anno 1263.* Schrifftſaſſitatem cenſetur acquiſiviſſe. Porro Ballivi & Commendatores, aliquando etiam Pagi, & Officiales, ratione officii ſui *v.* SCHILT. *de Schriffiſaſſ. c. 1. 2.* ut & Collegia Academica *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 402.* Amtſaſſii ſunt plerumque Pagi & Oppida exigua, nec non quidam Nobiles. Ex quibus etiam liquet, tam Schrifft- quam Amtſaſſios, modo jurisdictione aliqua gaudere, modo deſtitui.

§. 11. Sed uti Landſaſſiorum varietas & diſtributio, ex ſtatu cujusvis Territorii, accuratius cognoſci debet, ita in genere forſitan non male aſſeritur, nullos in Germania dari *ſervos*, &, per conſequentiam, nullos *libertinos*, quamvis hoc nomen, ſed alio ſenſu, iis applicari queat, qui ex conditione hominum propriorum, dimiſſi ſunt. Porro non videtur peculiare *jus civitatis*, ratione Territoriorum germanicorum, occurrere, quod aliis juribus, velut fundamentum, ſubſterni debeat, cum experientia ſatis oſtendat, peregrinos non minus, quam indigenas, tam jurium privatorum, quam munerum publicorum eſſe capaces. *v. l. 2. c. 1. §. 18. 19.*

§. 12. Peregrinorum autem nomine, non tantum ii, qui in exteris Rebuspublicis nati ſunt, ſed & Germani, ex aliis Territoriis oriundi, intelliguntur. Interim æquum non minus, quam Nationi alicui glorioſum, ac Territoriis utile cenſeri debet, ſi, in munerum collatione, cæteris paribus, indigenarum major, quam exterorum habeatur ratio. Illud quoque verum eſt, quod nonnunquam peregrinis quædam jura,

ut

ut ſucceſſionis, negentur, ſed inde regula conſtitui nequit. Denique cavendum, ne hactenus dicta, ad jus civitatis municipale, transferamus, de hujus enim exiſtentia & veritate, nullum eſt dubium, ut ſuo loco dicetur. *add.* SCHILT. *diſſert. de jur. peregrin.* quæ *exercit. 5. ad ff.* ſubjecta eſt.

§. 13. Obligantur ſubditi Territorio & Imperanti, quoad vitam, corpus & bona, ſed non aliter quam quatenus Territorii utilitas, & conſequenter ſingulorum felicitas hoc exigit: Nam ſocietates civiles, non alio fine, conſtitutæ ſunt, aut conſtitui debent, quam quo ſint fundamentum vitæ, à ſingulis tranquille & feliciter exigendæ, hinc ad onera publica, aliasque præſtationes moleſtas, ſubditi non alio nomine tenentur, quam quo fundamentum illud conſervetur. Gravis igitur iis infertur injuria, ſi Imperans præſtationes illas, ad ambitionem & voluptatem referat, vel etiam, prava adminiſtratione, Rempublicam in caſum det, ludibrioque aliorum exponat.

§. 14. Inprimis ſubjectio exigit, ne ſubditi, in perniciem Reipublicæ, aliquid machinentur, alias *crimen læſæ majeſtatis*, committunt. Hoc in genere eſt *Crimen, quo Respublica, quoad libertatem ſuam & imperium civile, ab iis, qui vinculo civili eidem conjuncti ſunt, læditur v. l. 1. §. 1. ad L. Jul. Maj.* Prohiberi illud jure naturali, ſatis manifeſtum eſt, nam, pacta & jus alienum violari, illud vetat, quam prohibitionem leges humanæ confirmant, ac ſanctione pœnali muniunt *vid.* THEODORIC. *Colleg. Crim. c. 5. aph. 1.* Ex quo liquet, criminis hujus & indolem, & mortalitatem, ex principio omnibus gentibus communi, intelligi *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1300.*

§. 15. Diſtinguitur in *Perduellionem*, qua quis totam Majeſtatem, vel in ſubjecto proprio, vel communi petit, & *crimen læſæ Majeſtatis in ſpecie*, quo quis jura Majeſtatis uſurpat *l. 1. ſeqq. ad L. Jul. Majeſt.* quas ſpecies, atrocitatis gradu, differre, ex objecto intelligitur. Ad utramque autem requiritur dolus *l. 1. §. 1. ad L. Jul. Maj.* hinc, eos, qui rationis uſu deſtituuntur, hoc crimen committere non poſſe, ultro patet *v. l. 7. §. 3. h. t. l. 12. de ſicar. l. 14. de offic. Præſ.*

§. 16. Committunt hoc crimen ſubditi, cujuscunque ſint conditionis, nam ſufficit, quod, ratione ſubjectionis, conveniant *v. l. 29. ad municip.* etiam Clerici *v. c. 23. X. de ſent. excomm. c. 19. cauſ. 22. qu. 5.*

Socii, quibus ſucceſſu temporis ſubjectio imponitur, ejusdem criminis rei fieri poſſunt *l. 7. §. 2. de captiv. & poſtlim.* idem dicendum de iis, qui perpetuo fœdere, in peculiare corpus ſeu civitatum ſyſtema coaluerunt *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1301.*

§. 17. Exteri, qui vel extra Rempublicam degunt, vel ad tempus, in ea commorantur, crimen hoc non committunt, quin tamen ſubditi, eorum ope, ſe eodem polluere queant *v. l. 5. C. ad L. Jul. majeſt.* vel etiam exteri, tanquam hoſtes & proditores, ſi deprehendantur, puniri poſſint, dubium non eſt *v. l. 3. de offic. Præſ.* ex quo etiam liquet, controverſiæ, de qualitate criminis, exiguam eſſe utilitatem. Vaſalli erga Rempublicam delinquentes, feloniam committunt, *v. Clem. 2. de ſent. & re jud.* qui & ipſi tamen, ſimul velut hoſtes puniri poſſunt. *add.* MATH. *de crimin. l. 48. tit. 2. c. 1.*

§. 18. Committitur hoc crimen erga liberas Respublicas & Imperantes: Hinc, in germania, contra Cæſarem *v.* CARPZ. *qu. 41. n. 41. ſeqq.* Vicarios Imperatores *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 5. c. 9. §. 6.* licet vulgo diſſentiant *v.* CARPZ. *d. l. n. 27.* Regem Romanum, ſi pro electo Imperatore accipiatur, aut Cæſaris abſentis, vicarius ſit: non autem, ſi ut nudus ſucceſſor conſideretur CARPZ. *d. l. n. 47. ſeqq.* Denique in Status Imperii IDEM. *d. l. n. 59.* nam & hi Majeſtatem habent, quod, poſt alios, jam agnovit CARPZ. *d. l. n. 83. ſeqq. v.* SPEC. JUR. PUBL. *l. 7. c. 8. §. 14. ſeqq.*

§. 19. Reſpicit hoc crimen, Majeſtatem, quæ vel in ſubjecto proprio, ſive Imperante, vel communi, id eſt, Republica *v. l. 1. §. 1. ad. L. Jul. majeſt.* vel in Principis conſiliariis læditur *l. 5. C. eod.* Sed hoc ultimum non aliter admittendum videtur, quam ſi quis animo proditorio & rebelli, in miniſtros Imperantis, aliquid machinetur, licet ſolam, in necem Conſiliariorum, molitionem ſufficere exiſtimet CARPZ. *d. qu. 41. n. 56. ſeqq.* dum verba *d. l. 5. C. h. t.* ſtricte nimis captat, cum tamen, ex objecto, de hoc crimine ſit ferendum judicium.

§. 20. Crimen perduellionis ſummatim committi videtur, ſi quis erga *totam Majeſtatem*, vel *libertatem civilem*, aliquid machinetur, quod variis modis fieri poteſt, quos lex poſitiva certius nonnunquam definit *v. l. 1. ſeqq. ad L. Jul. maj.* MATH. *de crim. l. 48. tit. 2. c. 2.* Aliquando etiam mali Imperantes, in extendendo hoc crimine, eodemque

Digitized by

demque ſubditis inſontibus imputando, valde ſunt ingenioſi, quo præcipue referas, quod hierotyrannis perduellionem interpretetur, ſi ſubditi male uſurpato in conſcientias imperio, obſequi nolint *v. l. 7. §. 3. ad L. Jul. majeſt.*

§. 21. Crimen læſæ majeſtatis in ſpecie committitur, ſi quis ejus *partes* ſibi arroget, vel *ſplendori* officiat, ut ſi ſtatuas Principis conſecratas violat *l. 4. §. f. l. 5. ad L. Jul. majeſt.* quod hodie nullius uſus videtur, monetam cudat ſub falſo ſigno *l. 2. C. de falſ. monet.* privatum carcerem exerceat *l. un. C. de privat. carc.* jurisdictionem, præcipue criminalem, ſibi arroget *v.* CARPZ. *d. qu. 41. n 123. ſeqq.* nomen ſuum operibus publicis inſcribat *l. 10. C. de oper. publ.* niſi imperans permiſerit *l. 2. pr. l. 3. §. 2. ff. eod.*

§. 22. Alia autem delicta, in Imperantem commiſſa, ut furtum, rapina ſimiliaque, in crimen læſæ Majeſtatis non incidunt. Idem dicendum de injuria ſive verbali, ſive reali *l. un. C. ſi quis Imper. maledixer. Ord. Polit. Francofurt. 1577. tit. 35. §. 2. v.* THEODOR. *Colleg. crim. c. 5. aph. 4. n. 33.* CARPZ. *d. qu. 41. n. 109.* neque ſola verba ſeditioſa ad hoc crimen ſufficere videntur *l. 28. §. 3. de pœn.* niſi effectus facile ſequatur *l. 1. in fin. ad L. Jul. maj.* Denique inobedientia ſola, hoc crimen non involvit, neque enim Majeſtatem imminuit, ſed ei ſaltem, auſu inefficaci, ſe opponit.

§. 23. Pœna perduellionis, tam conſummatæ, quam attentatæ, eſt ultimum ſupplicium *l. 5. C. ad L. Jul. maj. O. C. art. 124.* CARPZ. *d. qu. 41. n. 89. ſeqq.* damnatio memoriæ & confiſcatio bonorum *l. 5. 6. 7. 8. C. ad L. Jul. majeſt. l. fin. ff. eod. l. 24. de pœn. v.* RÆVAND. *Conject. l. 3. c. 16.* CARPZ. *d. l. n. 11. ſeqq.* Mortuo etiam reo, proceſſus inſtitui, ac pœna, ſuo modo, imponi poteſt *l. 6. 7. 8. C. ad L. Jul. maj.* Filii quoque Perduellis, fiunt infames, ac omnium ſucceſſionum incapaces *l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. maj. v.* CURT. *l. 8. c. 6. n. 28. c. 8. n. 18.*

§. 24. Sed hoc ultimum nimis inhumanum eſt, nec defendi poteſt, quomodocunque tandem explicetur. Licet igitur per *l. 22. C. de pœn.* abrogatum cenſeri nequeat *v.* THEODORIC. *Coll. Crim. c. 5. aph. 6. n. 67.* imo licet in *A. B. c. 24.* confirmatum videatur, attamen valere non debet, cum legibus divinis repugnet. Quin tamen perſonis ſuſpectis emigratio queat injungi, dubitandum non eſt *add.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 1302. ſeqq.*

§. 25

§. 25. Solent etiam multa ſingularia, circa hoc crimen, commemorari; Quod ſolus Imperator ſit judex, regulæ juris communis non obſerventur, abſens hujus criminis damnari queat, teſtes inhabiles admittantur, tortura ſine prævíis indiciis decerni poſſit, appellatio reo non concedatur, Advocatus intervenire non debeat, & quod crimen hoc nullo tempore præſcribatur. Sed illa vel ſine fundamento dicuntur, vel à Statu Germaniæ abhorrent, aut iniqua ſunt, ut eorum nulla ſit habenda ratio *v.* MATH. *de crim. l. 48. tit. 2. c. 4.*

§. 26. Crimen læſæ Majeſtatis in ſpecie, arbitrarie punitur, *v. l. 24. 40. de pœn.* aliquando etiam ultimo ſupplicio *l. 2. C. de falſ. monet.* CARPZ. *qu. 41. n. 97.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 1347.* confiſcatio bonorum non obtinet, ac crimen morte extinguitur *l. fin. ad L. Jul. maj.* damnatio memoriæ etiam non occurrit, ſigna tamen honoris, jure Romano, quandoque ſublata ſunt *l. 24. de pœn.* Liberi, ex crimine paterno, nullam pœnam ſentiunt *add.* LAUTERB. *C. J. ad L. Jul. majeſt.*

§. 27. Subjectio tollitur emigratione *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1468.* quo caſu, de bonis voluntarie emigrantis, aliquid detrahi ſolet *v.* BRANDES *de jur. detract.* VITRIAR. *J. J. P. l. 3. tit. 18. §. 42. ſeqq.* Deſinit quoque ſubjectio, ſi quis, ob delictum, civitate expellatur: quodſi ejecto bona immobilia adhuc poſſidere liceat, tum ſubjectio ex parte manet, quemadmodum illa ſaltem ſuſpenditur, ſi ad tempus expulſio fiat.

CAPUT II.
DE UNIVERSITATIBUS.

SUMMARIA.

Univerſitatum natura §. 1.
Formantur conſenſu habili §. 2.
Etiam corpora libera aut à ſummo Imperante formata, hoc nomine venire poſſunt §. 3.
Univerſitates dependentes permiſſum Imperantis requirunt §. 4.
Numerus hominum in univerſitatibus eſt indefinitus §. 5.
Earum objectum & forma §. 6.
Differt univerſitas à ſocietate, familia, cognatione, territorio & vico §. 7.
Ejus varietas §. 8.
Collegii & corporis diverſa acceptio §. 9.
Univerſitates jure privatorum regulariter utuntur §. 10. 11. 12.
Opus habent Syndico §. 13.
Hujus conſtitutio §. 14. 15.
Habilitas & obligatio quoad munus ſuſcipiendum §. 16.
Poteſtas & officium in tractandis negotiis §. 17.
Præcipue judicialibus §. 18.
Quibus modis Syndicus deſinat §. 19.
Conſtitutio univerſitatis ſine conſenſu Imperantis, incidit in crimen §. 20.

§. 1.

§. 1.

SUbditi certæ alicujus civitatis, in peculiaria Corpora, conſociari ſolent, quæ conjunctio, diſpenſando eo commodius imperio civili, quandoque etiam eſt neceſſaria; Exinde oriuntur *Univerſitates*, quæ in genere ſunt *Cœtus hominum, certo ſub regimine, propria autoritate, vel, in ſtatu civili, ſummæ poteſtatis conſenſu, communis commodi cauſa, in perpetuum conſociati.* Dici ſolent *perſonæ myſticæ*, evidentius, *morales compoſitæ*, i. e. plures perſonæ phyſicæ, ad juris alicujus effectum, conjunctæ *v. l. 22. de fidejuſſ.*

§. 2. Conſtituitur Univerſitas *conſenſu* eorum, quorum intereſt, & quidem vel ſolo, ſi ſui juris ſint, vel accedente conſenſu ſummæ poteſtatis, cui ſubſunt. Equidem HUBER. *in poſit. ad ff. quod cujusque univerſ. n. 5.* poſterius præciſe ad Univerſitatem requirit, hinc Rempublicam, & corpora, juſſu Imperantis inſtituta, ut exercitum, cohortes, centurias, naves, in belli aut mercandi uſum inſtructas, univerſitates eſſe negat.

§. 3. Verum cum Imperantis permiſſus, non aliam ob cauſam, requiratur, quam ut conſenſus velut redintegretur, hinc non appareret ratio, quare corporibus, conſenſu nunquam imminuto, ſed ſemper integro, conſtitutis, nomen Univerſitatis ſit negandum. Sed de hoc forte non valde litigari debet, cum diſceptatio illa, non de re, ſed nomine eſſe videatur. An jus Romanum, liberas Respublicas, Univerſitatibus annumeraverit, non ſatis liquet, cum Reipublicæ titulum, civitatibus municipalibus quoque tribuere ſoleat *v. l. 1. §. 1. 2. 8. quod cujusque univerſ. l. 9. §. 1. quod met. cauſ. l. 10. §. 4. de in jus voc. l. 5. §. 1. ad L. Jul. de vi publ. l. 1. §. 7. de quæſt. v.* MATH. *de crim. l. 47. tit. 15. c. 1. n. 4.*

§. 4. Illud certum, quamcunque eligas ſententiam, quod Respublica, ab aliis corporibus dependentibus, quoad modum conſtituendi, differat. Ad hæc autem, permiſſus Imperantis, ob metum factionum, vel commeſſationum & compotationum intemperantiam, requiri exiſtimatur *v.* MATH. *d. l. n. 5.* Sed hoc particulare eſt, ac morbum Reipublicæ Romanæ arguit; Generalis igitur ratio, ex indole ſocietatis civilis, dependet, hæc enim non patitur, ut ea, ex quibus com-

modum vel incommodum insigne, in illam redundare possunt, privato ausu instituantur *v. l. 1. quod cujusque univers.*

§. 5. Constituunt universitatem *aliquot homines*, nec, in statu civili, semper requiruntur subditi plene tales, sed ex advenis quoque temporariis, res aliquas, in civitate, habentibus, universitas consistere potest *v.* HUBER. *in posit. ad ff. quod cujusque univers. n. 3.* Numerus autem indefinitus est, jure Romano minimum tres requiruntur *v. l. 85. de V. S. l. 7. §. 2. quod cujusque univ.* possunt tamen etiam duo collegium constituere, licet ita non videatur MATHÆI *d. l. n. 1.*

§. 6. Materia Universitatis est *commune commodum*, nam, hujus causa, illa initur, debet tamen commodum illud, bono publico subordinari, non opponi, *v.* HUBER. *d. l. n. 7.* Ut autem cœtus aliquis, Universitatis nomen mereatur, sub *certo regimine*, *in perpetuum consociari* debet, quod ultimum tamen, non præcise de *effectu*, sed *intentione* saltem coeuntium, accipiendum est, hinc aliquando Universitates vel mutuo dissensu, vel casu aliquo aut lege positiva dissolvi possunt, quod tamen intentæ perpetuitati non obest, quare etiam Universitates, regulariter sunt velut immortales *v. l. 76. de judic.*

§. 7. Ex his liquet, quod ab universitate differat (1.) *societas*, in qua nec aliquod regimen, nec perpetuitas occurrunt *v.* MATH. *d. l. n. 6. in fin.* (2.) *familia*, nam hæc morte personarum intercidit, nec permissum summæ potestatis requirit, ut censet HUBER. *d. l. n. 5.* (3.) *Cognatio*, in hac enim, præter vinculum sangvinis, nulla est consociatio (4.) *Territorium* aut (5.) *vicus* i. e. continuata ædium series, nam hæc limitibus continentur, sed regimen aliquod vel conjunctionem non notant, aut saltem ab his, in terminorum illorum suppositione, abstrahi potest.

§. 8. De cætero Universitates, sunt vel *Independentes*, ut liberæ civitates, vel *dependentes*, quæ arbitrio summæ potestatis subsunt. Hæ iterum gradibus differunt, nam sunt *majores*, ut provinciæ, oppida, pagi, Academiæ, Ecclesiæ Parochiales, non quatenus externum religionis cultum exercent, ut putat HUBER. *d. l. n. 11.* sed quoad habitum politicum *v.* SPECIM. JUR. ECCLES. *l. 5. c. 1.* & *minores*, ut collegia Opificum, mercatorum & similia *v. l. 1. quod cujusque univers. l. 1. de colleg. & corp. l. 2. §. 6. de O. J. v.* MATH. *d. l. n. 6.* SCHILTER. *ad ff. exerc. 49. §. 54. 55.*

§. 9. Mi-

§. 9. Minores universitates, *collegia* plerumque audiunt, vel etiam *corpora*, quod probari videtur *l. 1. pr. §. 1. quod cujusque univers.* Sed alii universitatem & corpus, genus, collegium vero, speciem esse contendunt. Quidam collegium, cohabitationem collegarum requirere putant, quæ à corpore possit abesse *v.* MATH. *d. l. n. 2. seqq.* Nonnulli collegium, plurium personarum, corpus, collegiorum conjunctionem dicunt EKHOLT. *ad ff. de colleg. & corpor. § 3. in fin.* Totius disceptationis exigua est utilitas, cum ad nominis usum saltem pertineat.

§. 10. Universitates constitutæ, jure privatorum utuntur, regulariter communi, aliquando etiam singulari. Habent igitur jura & res proprias *l. 7. §. 1. l. 8. quod cujusque univers. l. 10. §. 4. de in jus voc.* arcam, negotia communia, sigillum & Syndicum *l. 1. §. 1. quod cujusque univers. v.* MATH. *d. l. n. 3.* Statuta condunt, & quidem Collegia, etiam sine superioris confirmatione, ex sententia BERLICHII *p. 1. Dec. 150. n. 15.* quæ tamen probari nequit: Plane statuta non confirmata, in vim pacti, valere possunt inter consentientes, modo rationibus publicæ utilitatis non repugnent.

§. 11. Gaudent etiam quibusdam privilegiis, ut, exercitium artis suæ aliis prohibendi *v.* BERLICH. *d. l. n. 33. 34.* immunitatis *l. 5. §. p. de jur. immun.* Possunt contrahere, qui contractus etiam successores obligant, modo, nomine universitatis, sint initi, aut in ejus utilitatem cesserint *l. 27. de R. C. v.* HUBER. *in posit. ad ff. quod cujusque univers. n. 17.* Aliquando etiam Universitates delinquunt *l. 9. §. 1. quod met. caus.* quæ delicta tamen neque iis, qui non consenserunt, neque successoribus imputantur, nisi quatenus exinde locupletiores facti *v. l. 15. §. 1. de dol.* nam, quoad delicta, nulla est, aut esse debet consociatio, hinc quorundam factum aliis imputari non debet.

§. 12. Universitates etiam hæredes instituuntur *l. 8. C. de H. I.* vel iis legatur *l. 2. 20 de Reb. dub. l. 1. C. de Judæ.* Læsæ, ad minorum exemplum, restituuntur in integrum *c. 1. 2. 3. X. de restit. in integr. l. 4. C. quib. ex caus. major. l. 3. C. de jur. Reipubl. l. 9. de appellat.* BERLICH. *p. 2. Dec. 216.* & regulariter quidem intra quadriennium, à tempore læsionis, computandum *l. fin. C. de tempor. in integr. restit. clement. un. de restit. in integr.* ob justam tamen causam, etiam post illud tempus

audiendæ ſunt *c. 1. 2. de reſtit. in integr. in 6.* BERLICH. *p. 2. Dec. 218.* RICHTER. *p. 2. Deciſ. 71. n. 13.* CARPZ. *l. 2. Reſp. 69.* Quodſi univerſitas aliqua ſaltem utcunque toleretur, uſus jurium quoque ſolet eſſe circumſcriptus *v.* HUBER. *d. l. n. 15. de jur. civit. l. 3. c. 8. 9.*

§. 13. Cum Univerſitas ipſa, negotia ſua commode expedire nequeat, ideo adminiſtratoribus ſimilibusque perſonis indiget. Inprimis *Actore* vel *Syndico* opus habet *v.* CARPZ. *p. 1. C. 13. D. 5.* qui eſt *Miniſter Univerſitatis, ad expedienda ejus negotia, actractandas præcipue lites, legitime conſtitutus l. 1. §. 1. l. 6. §. 1. quod cujusque univerſ.* Omnia autem Collegia licita Syndicos habere poſſunt *d. l. 1. §. 1.* licet forte non ſemper habeant.

§. 14. Conſtitutio Syndicorum, ex legibus ſpecialibus cujusvis Univerſitatis, primario judicanda eſt *v. l. 6. §. 1. in fin. quod cujusque univerſ.* Iis deficientibus, Syndicus conſtituitur, legis diſpoſitione vel univerſitatis electione *l. 3. quod cujusque univerſ.* & quidem vel per eos, qui univerſitatem repræſentant *l. 6. §. 1. eod. v.* CARPZ. *p. 1. C. 13. D. 7.* vel immediate, convocatis omnibus *v. l. 2. C. de decur. c. 28. X. de elect.* & præſentibus ad minimum duabus partibus *l. 3. 4. quod cujusque univerſ. l. 3. de decret. ab ordin. fac.* per majora *l. 19. ad municip. l. 46. C. de decur.* ac prodeſt electo etiam votum patris vel filii *l. 5. 6. quod cujusque univerſ.* forte etiam proprium, quia hoc nullibi prohibitum *v.* STRYK. *ad Lauterb. quod cujusque univerſ.* BERGER. *in reſol. eod. qu. 1.*

§. 15. In pagis tamen, omnium & ſingulorum conſenſum & ſubſcriptionem requiri, cenſet CARPZ. *p. 1. C. 13. D. 8.* Quodſi pupilli aut viduæ in univerſitate reperiantur, tam hoc, quam præcedente caſu, curatorum autoritas accedere debet ID. *d. l.* Superioris conſenſus regulariter non requiritur, nam conſtitutioni Univerſitatis jam ineſt *v. l. 1. §. 1. l. 3. 6. §. 1. quod cujusque univerſ. junct. l. un. C. de theſaur.* Quodſi major pars univerſitatis deceſſerit, tum renovatio Syndicatus, & litis reaſſumtio, quoad ſucceſſores, neceſſaria exiſtimatur CARPZ. *d. l. D. 9. 10.* quod tamen dubium videtur, cum, quoad actus licitos, univerſitas, ſemper eadem eſſe cenſeatur *v. l. 7. §. 2. quod cujusque univerſ.*

§. 16. Conſtituuntur Syndici, qui procuratores eſſe poſſunt, & regulariter quivis cenſetur habilis, donec probetur contrarium *v. l. 43.*

§. 1.

§. 1. de procur. l. 6. § fin. quod cujusque univerſ. v. l. 8. de muner. & honor. Electus munus ſuſcipere cogitur, quod ex natura ſocietatis fluit *v. l. 1. §. 2. quod cujusque univ. l. 18. §. 13. de muner. & honor.* niſi ſit extraneus, nam hic quidem recte etiam eligitur *v.* CARPZ. *p. 1. C. 13. D. 6.* ſed invitus non cogitur, quia in eo ratio allata ceſſat. Plures unius Univerſitatis Syndici, in dubio, in ſolidum cenſentur conſtituti *v.* CARPZ. *1. Dec. 26.* SCHILT. *ad ff. exerc. 10. §. 53. ſeqq.*

§. 17. Tractant Syndici negotia Univerſitatis tam politica, quam forenſia *v.* SCHILTER. *ad ff. exerc. 10. §. 59.* & quoad illa quidem, ſpeciale mandatum ſemper requiri videtur; ad hæc vero, in dubio, generaliter conſtitutus cenſetur *l. 1. §. 1. l. 6. §. 1. in fin. quod cujusque univ.* utut olim ſecus fuerit *d. l. 6. §. 1. l. 18. §. 13. de muner. & honor. v.* SCHILT. *d. l. §. 59. 60.* Admittuntur igitur, dummodo ſe legitime conſtitutos probent, inſtrumento Syndicatus, quod valet ex ſolo Univerſitatis ſigillo CARPZ. *1. Dec. 28.* vel, quoad pagos, ſi à Notario, aut à judice confectum ſit ID. *p. 1. C. 13. D. 8.* Si aliquo defectu laboret inſtrumentum, cautione rati juvari debet *l. 6. §. 3. quod cujusque univerſ.* SCHILT. *d. l. §. 56. ſeqq.*

§. 18. In judicio funguntur partibus procuratorum, hinc omnia bona fide peragere debent. Eorum culpa, univerſitati, ratione adverſarii, nocet, cui tamen, ad damnum reſarciendum, obligantur *l. 10. C. de procur. l. 13. C mand.* ſi ſolvendo non ſint, univerſitas reſtituitur in integrum *l. 3. C. de jur. Reipubl. l. 13. in fin. C. de judic. l. 4. C. ex quib. cauſ. major.* Habent Syndici, ex quorundam ſententia, eandem poteſtatem, quam procuratores omnium bonorum, ſive cum libera, *v.* ZAHN. *Ichnograph. municip. c. 89. n. 9.* hinc tranſigunt & juramenta deferunt *c. 4. de procur. in 6.* ſed non præſtant CARPZ. *p. 1. C. 13. D. 1.* Victoria ipſorum univerſitati prodeſt *v. l. 6. §. 3. quod cujusque univerſ.*

§. 19. Vice verſa Univerſitas Syndicum indemnem conſervare, ac promeritum ſalarium exſolvere debet. Definit officium Syndici (1.) morte (2.) reſignatione ac (3.) revocatione, ob juſtam cauſam, facta, nam hodie non indiſtincte doctrina *l. 6. §. 3. quod cujusque univ. ex iisdem cauſis mutandi actoris poteſtas erit, ex quibus etiam procuratoris,* obtinere videtur, cum muneri obtento ſæpe quis rationes ſuas ſuperſtruat, adeoque injuſtum videatur, ſine cauſa eum abdicare *add.* LAUT. *C. J. quod cujusque univ.*

§. 20. Si ſine conſenſu Imperantis, Univerſitas conſtituatur, incidit illa coitio, in crimen *extraordinarium*, vel hodie *publicum v. l. 1. de colleg. & corpor. l. 1. §. fin. de offic. præf. urb. l. 2. de extraord. crim.* RÆVARD. *Conject. l. 2. c. 13.* Hinc collegium diſſolvi debet *l. 3. de colleg.* quodſi malo fine inſuper facta ſit conſociatio, tum arbitrarie punitur, aliquando etiam pœna criminis læſæ Majeſtatis *l. 2. de colleg. l. 1. §. 1. ad L. Jul. maj.* MATH. *de crim. l. 47. tit. 15. c. 2. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1282.*

CAPUT III.
DE PAGIS.

SUMMARIA.

Pagorum indoles §. 1.
Et diverſitas §. 2.
Conſtitutio & origo §. 3.
Pagos conſtituunt ruſtici §. 4.
Qui ſunt vel immediati vel mediati §. 5.
Hi vel homines proprii vel liberi §. 6.
Horum iterum diverſa eſt conditio §. 7.
Prædia etiam ruſticorum diverſæ ſunt naturæ §. 8.
Ac variis partibus conſtant pluresque requirunt miniſtros §. 9.
In pagis occurrunt Sculteti, tribuni plebis & Scabini §. 10.
Habent etiam pagi propria judicia & ordinationes §. 11.
Ut & communia bona, ſcholas, eccleſias, encænia aliasque lætitiæ ſpecies §. 12.
Opificia & commercia regulariter à pagis exulant §. 13.
Quod etiam dicendum de jure coquendi cereviſiam & jure œnopolii §. 14.
Pagi ad diverſos dominos ſpectare ſolent §. 15.
Prædiorum ampliorum poſſeſſores dicuntur Landſaſſii §. 16.
Hi regulariter ſunt ſtatus provinciales ac jurisdictione gaudent §. 17.
Iis etiam jus occupandi bona vacua, aliaque jura competunt §. 18. 19.
Jus exigendi ſervitia jurisdictioni non cohæret §. 20.
Servitiorum ruſticorum varietas §. 21.
In dubio ſervitia negari debent §. 22.
Domino territoriali ad quid ruſtici teneantur §. 23.
Differentia ruſticorum præfecturalium & Landſaſſicorum quoad præſtandas operas §. 24.
Dominus Territorialis jurisdictionali in exigendis operis præferendus videtur §. 25.
Res pecuaria, ruſticorum eſt quodammodo communis §. 26.
Circa ovilia quid obtineat §. 27.

§. 1.

ANtiquiſſimæ fere Univerſitates, in Civitatibus, ſunt *Pagi*, quo nomine olim eximius terræ tractus, fuit indigitatus *v.* LEHM. *Chron. Spir. l. 2. c. 18. l. 4. c. 9.* ſed hodie Pagi ſunt *Univerſitates hominum, agri colendi cauſa, cohabitantium.* Dum *univerſitates* dicimus, rationem conſociationis ſatis indicamus; Reſpi-

Digitized by Google

Respicit vero illa consociatio præcipue *agriculturam*, quo ipso pagi à municipiis distingvuntur, in quibus agricultura vel plane cessat, vel aliæ negotiationes ei accedunt. Quod autem pagi muris careant, id ad accidentia referendum videtur *v. l. 4. pr. de cens.* FRITSCH. *de pag. c. 1. 3. 4. ac Suburb. c. 1.*

§. 2. Distingvuntur Pagi in *immediatos*, qui Imperio immediate subsunt *v. Instrum. Pac. art. 5. §. 2.* & forsitan hodie plus nominis quam rei habent, ac *mediatos*, qui in Territorio Status alicujus reperiuntur. Hi iterum sunt vel Pagi *Præfecturarum*, *Amtsdörffer*, qui præfectis parent, vel *Nobilium*, *Gerichts-* sive *Adeliche dörffer*, in quibus Nobiles habent jurisdictionem, vel, qui omnino addendi sunt, *Oppidani*, *Stadt-* vel *Academici*, *Universitäts dörffer*, qui Municipio aut Academiæ subsunt. Præterea Pagi sunt vel *proprii*, qui unum dominum agnoscunt, vel *communes*, *Gemeinschafftis dörffer*, qui pluribus parent, *die drey, vier, fünff und mehr herrisch sind v.* FRITSCH. *de pag. c. 3.* LYSER. *Jus Georg. l. 3. c. 5. n. 13. seqq.*

§. 3. Sicut autem aliæ Universitates, sine consensu Imperantis, institui nequeunt, ita dubio procul, idem de Pagis dicendum, id quod inprimis liquet in pagis noviter instituendis. De cætero antiquissimus est pagorum usus, nam ista cohabitandi ratio fere Germanis unice olim placuit, donec, ob frequentes præcipue hostium irruptiones, oppida condi, ac, pro captu illorum temporum, muniri cœperint, ex quo discrimen inter plebem rusticam & urbanam, exortum est *v.* FRITSCH. *d. tr. c. 2.* LYSER. *d tr. l. 3. c. 5. n. 9. seqq.*

§. 4. Pagos constituunt Rustici, *qui rus colunt*, in quorum mores & ingenium falsè ludi solet, sed uti Status Rusticorum est cæteris omnibus innocentior, ita, eos fere nonnisi irritatos delinquere, non improbabile videtur *v.* FRITSCH. *d. tr. c. 4. 22.* Successu temporis etiam Nobiles, Cives vel Pastores pagani, prædia rustica acquisiverunt, qui quamvis, ratione status sui, rustici non sint, attamen intuitu prædiorum, pro rusticis omnino haberi debent.

§. 5. Est autem rusticorum non eadem conditio, nam licet ineptientis *Malleoli* divisio, quæ passim commemorari solet *v.* EYBEN. *Elect. jur. feud. c. 8. §. 12.* RHET. *comm. jur. feud. l. 1. tit. 1. n. 3. p. 124.* FRITSCH. *d. tr. c. 6. n. 1.* LYSER. *Jus Georg. l. 1. c. 27. n. 10.* nullius sit usus,

Digitized by

uſus, alio tamen reſpectu, illi recte diſtingvuntur. Nimirum (1.) *à ſubjectione fundamentali*, ſunt vel *immediati*, qui immediate Imperio germanico ſubeſſe dicuntur *v. §. 2. h.* vel *mediati*, qui Statibus imperii ſubjecti ſunt, de quibus potiſſimum ſermo eſt.

§. 6. Hi (2.) *à diverſo ſtatu*, ſunt vel *Homines proprii*, *Leibeigene*, *Laſſen*, qui dominis ſuis non tantum ad operas tenentur, ſed & in eorum dominio exiſtunt, adeo, ut, illis invitis, diſcedere nequeant, ſed aufugientes vindicentur, quorum deterrima eſt conditio; tales in ſpecie ſunt *Wildfangii*, qui in Palatinatu Rheni, terrisque adjacentibus occurrunt *v.* RHET. *J. J. P. l. 2. tit. 3. §. 9. ſeqq.* VITRIAR. *J. J. P. l. 3. tit. 11. §. 21.* vel *homines liberi* qui ſui juris ac nullius in dominio exiſtunt, adeoque ſedes ſuas libere mutare poſſunt.

§. 7. Horum iterum diverſa eſt conditio. In nonnullis regionibus ruſtici comitiorum provincialium ſunt participes, ut in Friſia orientali: Alicubi ſunt liberi à domino immediato, & nihil præſtant, niſi quod communis ſubjectio exigit, quales in Svevia eſſe perhibentur ac *Freybauern* audiunt. Quidam de prædiis certam ſaltem ſolvunt domino immediato penſionem, ac *Pachter* vel *LandSiedler* dicuntur. Plerique vero non tantum canonem quendam, ſed & operas præſtare coguntur: Atque hi iterum, *à diverſitate operarum præſtandarum* ſunt vel *manſarii*, *Hüffner*, *Anſpanner*, qui equis vel bobus, vel *operarii*, *Handfröhner*, *Gotſaſſen*, qui manibus pedibusque operas exhibere tenentur *v.* FRITSCH. *d. tr. c. 5. 6. 8.* LYSER. *d. tr. l. 1. c. 27. 28.*

§. 8. Ex his liquet, quod prædia ruſticorum, aliquando ſint libera, plerumque vero domino alicui obligata, hinc utplurimum ruſtici bona emphyteutica vel cenſualia ſimiliaque poſſident, præterea illis ſervitutes variæ, tam in patiendo, quam agendo conſiſtentes, inhærent. Aliquando etiam prædia dividere prohibentur, quemadmodum Nobilibus prædia ruſtica comparare quandoque non licet; quodſi autem hoc illis liberum ſit, non aliter tamen illa, quam cum conſvetis oneribus, acquirere poſſunt. In dijudicandis igitur prædiorum ruſticorum juribus, ſtatuta, pacta & præſcriptiones attendi debent *v.* FRITSCH. *d. tr. c. 7.* LYSER. *d. c. 27. 28.*

§. 9. De variis autem prædiorum rureſtrium partibus, ut agris, hortis, vineis, pratis, paſcuis ſimilibusque; Vel de perſonis, ad prædiorum

rum culturam neceſſariis, ut villico, Saltuario, ſervis, famulis & pecorum paſtoribus; Aut in univerſum, de re œconomica & agricultura, diſſerere, jam non attinet, nam uti multa, ex regulis prudentiæ œconomicæ dependent, ac extra diſciplinam juris ſunt, ita cætera fere, ex locis communibus, de dominio, ſervitutibus, contractibus ac damni reſtitutione, derivanda ſunt, quæ prolixe perſequi, inſtituti anguſtia non permittit *v* LYSER. *d. tr. l. 2. c. 1. ſeqq. l. 3. c. 6. ſeqq.* FRITSCH. *de jur. prætorum, Hortorum, de meſſe &c.*

§. 10. Sicut aliæ Univerſitates Officialibus ſuis inſtructæ ſunt, ita in pagis quoque tales occurrunt. Eo pertinet *Scultetus, Schultheis* vel *Richter*, qui rerum univerſitatis curam gerere, mores ruſticorum obſervare, ac in judicio, apparitoris vice, fungi debet. Ei adjungi ſolent *Tribuni plebis*, *die Heimbürgen*, qui plebem ruſticanam defendere tenentur, & fortaſſis alibi *Syndici* audiunt, nec non *Scabini, die Schöpffen*, qui aſſeſſorum & executorum munere, in judicio, funguntur. Conſtituuntur à domino Jurisdictionali, hinc ſi Jurisdictio ad plures pertineat, plures etiam Sculteti, in uno pago, occurrere ſolent *v.* FRITSCH. *de pagis c. 10. 11. 12. 23.* LYSER. *Jus Georg. l. 3. c. 5. n. 23. ſeqq.* Aliquando munera illa certis prædiis cohærent, ac cum iis, ad omnes poſſeſſores, tranſeunt *v.* LYSER. *d. tr. l. 1. c. 27. n. 20. ſeqq.*

§. 11. Olim habuerunt pagi *peculiaria judicia*, ſed hodie juſtitiæ adminiſtrandæ ratio plane mutata eſt, licet antiqui ritus, ſcenæ cauſa, hodiernorum judiciorum exercitio nonnunquam præmitti ſoleant. Habent quoque pagi *ordinationes paganicas*, quas non dominus Jurisdictionalis, ſed Territorialis dare vel confirmare ſolet, & confirmatio quidem plerumque à Præfecto vel Quæſtore, rarius à Curia Principis, fieri cenſetur, ſed de hoc forte, ex diverſitate pagorum, utrum Præfectis, an Landſaſſis ſubſint, diſtinctius judicandum videtur.

§. 12. Non minus etiam Pagi habent *communia bona*, quibus vel communiter utuntur, vel quæ per præfectos adminiſtrant. Occurrunt quoque in pagis *Scholæ* & *Eccleſiæ*, de quibus ſocietatibus, ſuo loco, in genere dicendum erit. Nec penitus ceſſat lætitia publica, quo pertinent *Encænia* vel *Renovalia, die Kirchmeſſen*, quæ in memoriam dedicationis templi, introducta cenſentur, ut & alia *convivia*, v. gr. quando ruſtici congregantur, *das pfingſt oder gemeine bier zutrincken.* Iſtæ

ruſticanæ plebis recreationes, rigidiori cenſura, à multis, excipi ſolent non aliam, ut videtur, ob cauſam, quam quod iis conſvetudo & ſplendor deſit, ſi hæc accederent, rerum laudabilium & elegantium elogium, illæ facile mererentur *v.* FRITSCH. *de pagis c. 13. ſeqq.* LYSER. *d. tr. l. 3. c. 5.*

§. 13. Opificia & commercia Pagis ſolent eſſe interdicta, quo ſcilicet urbes habeant, ex quo rem facere poſſint. Neque tamen id ſtricte nimis accipiendum eſt, cum in nonnullis pagis quædam commercia permittantur, imo & mercatus habeantur, præterea ubique fere fabri lignarii, ferrarii, linteones, aut etiam ſartores occurrant. Inprimis à regula diſcedi ſolet, in pagis noviter, in uſum artificum exulantium, inſtitutis, nam in his artes mechanicæ, vel opificia aſſidue exercentur.

§. 14. Ex eodem fundamento jus coquendi & vendendi cereviſiam, pagis quoque adimi ſolet. Sed nec hoc perpetuum eſt, nam non tantum pagis, extra urbium diſtrictum ſitis, jus illud competit, ſed & conventione, præſcriptione vel lege provinciali, aliis idem aliquando acquiritur *v.* FRITSCH. *de pag. c. 19.* LYSER. *Jus Georg. l. 3. c. 21.* Idem dicendum de jure œnopolii, quod regulariter pagis ademtum eſt *v.* FRITSCH. *de jur. œnopol.* LYSER. *d. l. 3. c. 20.* Aliud obtinet quoad confectionem & venditionem vini aduſti, quæ iis non negatur, licet dubitandum non ſit, quin libertas illa reſtringi queat, cum vinum illud eximiam commerciis hodie ſuppediret materiam *v.* LYSER. *d. l. 3. c. 22.*

§. 15. Sicut autem quidam pagi ad Dominum Territorialem pertinent, ac per ejus Præfectos gubernantur, ita alii, prædiorum majorum poſſeſſores, velut dominos agnoſcunt. Hi licet plerumque nobilitate, vel etiam majori dignitate gaudeant, attamen Cives quoque, vel Univerſitates, ejusmodi prædia acquirere poſſunt & ſolent, quemadmodum etiam Nobiles, aliquando vel nullos, vel paucos ſubditos habent *v.* FRITSCH. *de pag. c. 15.*

§. 16. Iſti prædiorum ampliorum poſſeſſores, ſenſu ſtrictiori, *Landſaſſii* dicuntur, quorum eſſentiam, in *acquiſita, in ſubditos ſuos, jurisdictione*, conſiſtere cenſet SCHILTER. *de Landſaſſ. c. 2. n. 4.* Hinc amplius *c. 7. n. 3. p. 461.* infert: *quod civitates, quatales, non gaudeant jurisdictione, ſed quatenus in numerum Landſaſſiorum ſint cooptatæ.* Verum uti hoc ultimum nimis contortum eſt, cum nulla cogat neceſ-

ſitas,

Digitized by

ſitas, ut jurisdictionem civitatum, ex aliquo Landſaſſiatu repetamus, ſed hæc potius precaria ſupoſitio ſit, ita nec prius admittendum videtur: Landſaſſiatus eſſentia conſiſtit potius in *libertate prædii*, ſive *immunitate ab oneribus prædiorum ruſticorum.* Jurisdictio aliaque jura, ad ejus naturalia, pertinent.

§. 17. Landſaſſii regulariter ſunt, Status provinciales, *Landſtände v.* SCHILTER. *de Landſaſſ. c. 7. n. 3. ſeqq.* cujus conditionis etiam ſunt pleræque Civitates, quibus tamen ideo qualitas Landſaſſica affricari non debet: Præterea Landſaſſii variis juribus, in ſubditos ſuos, gaudent. Eo pertinet (1.) *jurisdictio* tam civilis, quam criminalis, ſi Imperans tam large eam conceſſerit. De cætero Landſaſſii non raro jurisdictione conceſſa, ad vexandos ſubditos, abuti ſolent, quamvis nec in Præfecturis, abuſus ceſſet *v.* FRITSCH. *de pag. c. 16.*

§. 18. Jurisdictioni criminali cohæret (2.) *jus occupandi bona vacua, erbloſe güter*, nam hoc, in compenſationem onerum jurisdictionalium, conceſſum eſſe cenſetur, hinc etiam Dominus regulariter ſumtus inquiſitionis ferre debet *v.* SCHILTER. *de Landſaſſ. c. 7.* Ad jura Landſaſſiorum ſpectat (3.) *jus detractus*, ſi id impetraverint, (4.) *jus exigendi cenſum, ex ſubditorum negotiatione*, v. gr. venditione vini aduſti, quod ſub eadem conditione, intelligendum, nam neutrum jus jurisdictioni cohæret *v.* LYSER. *Jus Georg. l. 3. c. 22. n. 8. in fin.*

§. 19. Præterea Landſaſſiis competit (5.) *jus exigendi canonem, cenſum* & *laudemium* ex bonis ſubditorum, ſi hi ejus generis prædia poſſideant. Habent quoque illi aliquando (6.) *jus protimiſeos* circa res ruſticorum vendendas *v.* CARPZ. *p. 2. C. 51. D. 10.* ut & (7.) *prærogativam* in conducendis eorum operis *v. Sächſ. Geſinde Ordnung 1651. tit. 3.* CARPZ. *d. l. D. 9.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 586.* ac inprimis (8.) *jus exigendi operas* ſeu *ſervitia, frohndienſte.*

§. 20. Cenſetur autem hoc jus cohærere jurisdictioni, & quidem ex nonnullorum ſententia, criminali, ex aliorum autem, civili, *vid.* LYSER. *Jus Georg. l. 3. c. 27. n. 44. 45.* Quidam vero generaliter hic nihil definiri poſſe, ſed id ex cujusvis regionis conſvetudine dijudicandum eſſe arbitrantur, cum experientia conſtet, jus operarum modo criminali, modo civili jurisdictioni eſſe annexum FRITSCH. *de pag. c. 8. §. 4.* Verum rectius neutri illud cohærere dicitur, jurisdictionem

enim & jus operarum, esse plane diversa, ex utriusque indole facile apparet, & miscent secus sentientes, jurisdictionem & Superioritatem territorialem, quæ tamen, ut alio, ita hoc etiam respectu, penitus differunt.

§. 21. Varie autem rusticorum operæ distingvuntur (1.) à *consvetudine regionis*, in usitatas & inusitatas (2.) ab *objecto*, in eas, quæ agriculturam, ædificia vel alia negotia Domini respiciunt (3.) ab *instrumentis*, in manuarias, pedestres & jumentarias (4.) à *diversa quantitate*, in determinatas & indeterminatas. Exigendis autem variis illis servitiis constitui solet Præfectus operarum, *der Frohn Voigt*. *v.* FRITSCH. *d. c. 8.*

§. 22. Non raro autem, quoad præstationem operarum, inter dominum & subditos, oriuntur controversiæ *v.* CARPZ. *p. 2. C. 4 51. 52.* LYSER *Jus Georg. l. 3. c 27.* Circa quas in genere observandum, quod in dubio operæ negari debeant, cum enim, ex facto aliquo, jus operarum oriatur, ideo, illo non apparente, hoc utique male asseritur. Ex eodem fundamento, extensio operarum non facile est admittenda, quemadmodum etiam ille abusus cavendus, quo, ex juribus plane separatis, jus operarum elicitur.

§. 23. Hæc Rusticorum onera respiciunt dominos immediatos sive jurisdictionales, præterea vero illi Domino Territoriali, ex communi subjectione, obligantur ad tributa & collectas, nec non ad operas præstandas, quæ *Herrschaffts frohnen* dici solent, cujus generis sunt *Jagt, Bau* & *Reise frohnen*. Eo etiam pertinent *angariæ* & *parangariæ*, quæ præcipue, tempore belli, ad transferenda exercitus impedimenta, exiguntur *v.* FRANSK. *l. 2. Resol. 15.*

§. 24. Est tamen aliqua inter Rusticos differentia, nam Præfecturales *die Amtsbauren*, soli domino Territoriali serviunt, sed rustici Landsassiorum, tam illi, quam his, operas præstare tenentur. Ob hanc diversitatem, priores, ad servitia Domino Territoriali exhibenda, frequentius adstringuntur, quam posteriores, ut forte hi tantum in subsidium teneantur. Solet etiam quoad hos quæri, utrum dominus Territorialis an Jurisdictionalis, in exigendis servitiis, potior sit? pro hoc respondendum censet FRITSCH. *de pag. c. 8. §. 3.* si privative cum operis sit investitus.

§. 25. Ve-

§. 25. Verum uti illa inveſtiendi ratio, rarior eſt, ita, ea admiſſa, ſuperior ab exactione operarum, plane excluditur. Quare dicendum, quod Dominus territorialis, in exigendis operis, domino inferiori præferatur, nam jura privata, per imperium Civile limitantur, neque tamen ideo, ad inſtantiam cujusvis agaſonis vel calonis aulici, ruſtici operas ſtatim præſtare debent, quod etiam legibus provincialibus caveri ſolet *v.* FRITSCH. *d.l.* De cætero prava conſvetudine, tam præſtationes pecuniariæ, quam operæ, nimium ſæpe intenduntur, ut Ruſticus ſit animal miſerum, & commiſeratione dignum *v.* FRITSCH. *d. tr. c. 9.*

§. 26. Circa rem pecuariam illud breviter quoque notandum, quod, ejus intuitu, tam ruſtici, quam eorum domini, ſæpe rationes habeant communes, ex quo uſus dominii reſtringitur. Sic numerus ovium, pro quantitate agrorum & pratorum, determinari ſolet, ut, v. gr. unum manſum, poſſidenti, octo oves habere liceat, quia communiter paſci debent *v.* LYSER. *jus Georg. l. 2. c. 14. n. 38.* Nemini etiam permiſſum jure Saxonico ſeparatim ſua pecora paſcere, in præjudicium communis paſtoris, niſi habeat tres manſos *Landr. l. 2. art. 54.* LYSER. *d. tr. l. 3. c. 10. n. 27.*

§. 27. Ex eodem fundamento fluit, quod quivis prædium ovile, *eine Schäfferey*, inſtituere non poſſit, nam hoc jus habet adjunctam ſervitutem paſcendi in alienis agris, quæ omnibus non competit. Hinc etiam ille, qui jure habendi ovile, in aliquo loco, gaudet, ad alium locum illud transferre nequit, nec prædium ovile, inter hæredes, dividi poteſt, ne ſcilicet invitis ſervitus imponatur, vel jam conſtituta, durior fiat *v.* LYSER. *d. tr. l. 2. c. 14. n. 26. ſeqq.* De cætero multiplex pecorum eſt utilitas, ſi prudentia œconomica omnia rite diſpenſet; Eo etiam pertinet ſtercoratio ovium, ſeu uſus Cratium, *der Hortenſchlag v.* LYSER. *d.l. n. 51.* quarum utilitatum intuitu, varii contractus celebrari ſolent.

CAPUT IV.
DE MUNICIPIIS.

SUMMARIA.

Municipiorum indoles §. 1.
Ad ea requiritur conſociatio & ſubjectio §. 2.
Nec non regulariter exiſtentia in urbe §. 3.
Urbium germanicarum origo & progreſſus §. 4.
Municipiorum diverſitas §. 5.
Suburbiorum habitus & utilitas §. 6.
Conſtituuntur municipia conſenſu domini territorialis ex civibus §. 7.

Hodie cives ſola aſſumtione fiunt §. 8.
Hujus natura & ſubjectum §. 9.
Jus civitatis certis modis amittitur §. 10.
A municipibus differunt incolæ §. 11.
Forenſes, peregrini & pagani §. 12.
Inter cives occurrunt tribuni civium & Senatus §. 13.
Huic jurisdictio in cives olim non videtur competiiſſe §. 14.
Jura municipiorum ſunt vel eſſentialia vel naturalia §. 15.
Exempla jurium eſſentialium communium §. 16.
Et propriorum §. 17.
Ad ea inprimis pertinet jus opificiorum & mercaturæ, ſub quo jus braxandi continetur §. 18. 19.
Ad milliare hæc jura in Saxonia reſtringuntur §. 20.
Ratio computandi milliare §. 21. 22.
Exempla jurium municipalium naturalium §. 23.
Municipia regulariter utuntur jure pivatorum §. 24.
Poſſunt contrahere §. 25.
Ex teſtamento acquirere, præſcribere ac præſcriptionem pati, habent etiam quædam privilegia §. 26.
Municipiorum lites & delicta §. 27.
Deſinunt delicto, bello, revocatione & renunciatione §. 28.

§. 1.

UNiverſitatum majorum alteram ſpeciem, in Territoriis Germaniæ, conſtituunt Municipia *v. l. 18. in fin. de V. S.* ſive Civitates municipales *Städte, Landſtädte v.* ZAHN. *Ichnograph. municip. c. 1. n. 1. 24.* Eſt autem Municipium, *Univerſitas civium, domino Territoriali ſubjectorum, ac in urbe habitantium*, quæ definitio licet nimis ſuperficiaria videatur, attamen, ſi recte intelligatur, naturam definiti ſatis explicat.

§. 2. Nomen *Univerſitatis*, conjunctionem, omnibus univerſitatibus communem, innuit. Eſt autem *univerſitas civium*, i. e. hominum mercaturam & opificia exercentium, agricultura tamen à civitatibus, præcipue tenuioribus, non plane exulat. Debet quoque municipium *ſubeſſe domino Territoriali* quæ ſubjectio, ſi dubia ſit, per conſveta ſubjectionis argumenta probatur *v.* ZAHN. *Ichnograh. c. 2. n. 17. ſeqq. c. 93.* Hac nota autem diſtinguitur municipium à *Civitatibus imperialibus*, quarum libertas, in Jure publico explicatur, in cæteris hæ, cum municipiis, fere conveniunt.

§. 3. Denique municipium eſt *univerſitas in urbe habitantium.* per urbem intelligitur *congeries ædificiorum muris & portis circumdatorum v. l. 2. 173. §. 1. l. 239. §. 6. 7. de V. S.* Ejus exſtructio, apud Romanos, variis ritibus fieri ſolebat *v.* ZAHN. *d. tr. c. 1. n. 12. ſeqq.* Civitas ergo notat cœtum hominum, urbs vero, locum, in quo ille exiſtit, de cætero hæc, illi non eſſentialis, ſed naturalis cenſeri debet, nam poteſt

reſt etiam civitas eſſe ſine urbe. Non raro etiam, nomina civitatis & urbis, promiſcue accipiuntur, iisdemque modo civium receptaculum *v. l. 6. 8. C. de ædif. priv.* modo ſocietas, modo utrumque notatur.

§. 4. Olim in Germania non adeo multæ fuerunt Urbes, ſed ſucceſſu temporis, & inprimis, ab Henrico Aucupe, plures exſtrui aut muniri cœperunt *v.* LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 1.* CONRING. *de Urb. German.* MONZAMB. *de Stat. imper. germ. c. 3. §. 9.* Inde nomen civium *der Bürger* invaluit, à *burgis*, id eſt locis muro vel alio ſepimento firmatis *v.* LIMN. *Jur. publ. tom. 3. c. 1. n. 20.* Et ab initio forte, Cives & Ruſtici, non tam vitæ genere quam ſola ſedium diverſitate, fuerunt diſtincti, ſed, creſcentibus commerciis ac artibus mechanicis, etiam vivendi genere diſtingvi cœperunt, atque ita urbibus acceſſit civitas, hinc etiam hodie, in quibusdam urbibus, agricultura perinde fere viget, ac in pagis, ſed in aliis, per opifica & mercaturam, maximam partem, expulſa eſt.

§. 5. Hodie non exiguus municipiorum eſt numerus, & ſunt illa vel *majora*, quæ civitatum nomen gerunt, vel *minora*, quæ oppida *v.* LIMN. *d. l. n. 1.* vel vici, *Marckflecken* dicuntur, quæ tamen nihilominus jus municipiorum habere videntur, niſi forte alii municipio, vel Landſaſſio cuidam ſubſint, tum enim pagis potius, quam municipiis, erunt annumeranda. Forte etiam oppida intermediam quandam univerſitatem, inter pagos & municipia, conſtituunt, in quod alii diſtinctius inquirant.

§. 6. Habent etiam Urbes, præcipue majores, ſua *Suburbia*, quæ regulariter pro parte civitatis habentur *v. l. 2. de V. S.* niſi forte alterius, v. gr. Præfecti, Jurisdictioni ſubſint, tum enim magis ad pagos accedunt. Utilitas autem Suburbiorum in eo conſiſtere cenſetur, quod incolæ commodius habitare, ac inprimis, opifices tenuiores, vel cum ſtrepitu artem ſuam exercentes, in iis degere, aut etiam ædificia, ad agri culturam neceſſaria, exſtrui queant *v.* FRITSCH. *de jur. & ſtat. ſuburb.* quæ non incongrue quidem dicuntur, fatendum tamen ſimul eſt, quod Suburbiorum alluviones, Territorii morbum non raro arguant.

§. 7. Conſtituitur municipium conſenſu Domini Territorialis, *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 5. c. 3. §. 60.* licet vulgo ſoli Cæſari id jus competere exiſtiment *v.* ZAHN. *Ichnogr. c. 2. n. 12. ſeqq.* Componitur vero, ex civibus ſive municipibus, qui ſcilicet *jurium & onerum municipalium*

lium ſunt participes, ac in *plenos* qui municipio ſimpliciter, & *minus plenos*, qui ſaltem, ratione rerum immobilium, ei ſubſunt, recte diſtinguuntur.

§. 8. Jure Romano, jus civitatis acquiritur nativitate *v. l. 1. §. 2. l. 9. ad municip. l. 3. C. eod. l. 24. de ſtat. hom.* adoptione *l. 15. §. fin. l. 17. §. 9. ad municip. l. 7. C. de adopt.* & manumiſſione *l. 1. pr. l. 22. pr. ad municip. l. 2. C. eod. l. 7. C. de incol.* Sed uti poſterior hodie plane ceſſat, ita duæ priores non jus civitatis tribuunt, ſed ſubjectionem ſaltem & forum operantur. Hodie igitur ſola allectio ſive aſſumtio civem facit, quæ uti juris gentium eſt, ita apud Romanos quoque obtinuit *l. 7. C. de incol.*

§. 9. Eſt aſſumtio, *actus, quo quis, ſoluta certa pecunia, ac præſtito juramento, in numerum civium recipitur.* Ejus expediendi poteſtas eſt penes Senatum, & regulariter quivis recipi poteſt, donec probetur reſtrictio, hæc autem occurrit in hominibus propriis, habent tamen quædam civitates illud jus, ut, ſi homo proprius, per annum & diem, inter cives, ſine contradictione, commoratus fuerit, à domino amplius vindicari nequeat *v.* ZAHN. *Ichnogr. c. 14. v.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 7. c. 70. ſeqq.*

§. 10. Amittitur jus civitatis *reſignatione* quæ regulariter libera eſt, *v. l. 34. ad municip.* ut & *delicto*, ob quod quis civitate expellitur, hinc etiam relegatio, jus civitatis quandoque tollere poteſt, neque ad illud pertinet ſanctio *l. 4. 7. §. 3. de interd. & releg. §. 2. J. q. m. j. p. p. ſ.* licet hanc eo trahere ſoleant *v.* PHILIPP. *Uſ. pract. l. 1. Eclog. 75.* Denique tollitur etiam *emigratione*, quæ ab Imperante aliquando injungitur: Primo & ſecundo caſu, aliquid, ex bonis diſcedentis, detrahi poteſt, ſed ultimo, detractio eſt iniqua. Exerit etiam ſe jus detractionis, ſi bona, ex civitate, alio transferantur *v.* ZAHN. *d. tr. c. 76.*

§. 11. A municipibus differunt (1.) *incolæ*, qui in municipio domicilium conſtituerunt, eidemque ſubſunt, ſed tamen juribus civium propriis non fruuntur *v. l. 239. §. 2. de V. S.* LEHM. *Chr. Spir. l. 4. c. 14.* Ad onera municipalia incolæ tenentur *l. 29. ad municip. l. 3. C. de incol. add.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 1463. ſeqq.* ſunt etiam capaces ſtatutorum, hinc v. gr. geradam ex ſtatuto lucrantur, cum enim ſtatuta, à civitate municipali condantur, ideo ad omnes, qui ei ſubſunt, pertinere in dubio

Digitized by Google

bio censenda sunt *add.* ZAHN. *d. tr. c. 90.* Aliud dicendum, si quis municipio non subsit, hinc v.gr. Statutum Lipsiense, de gerada uxoris, marito concedenda, non attinet eos, qui in ditione, Præfecturæ subjecta, quæ *der Rosenthal* vulgo dicitur, degunt *v.* CARPZ. *p. 2. C. 14. D 53. n. 8.*

§. 12. A municipibus porro differunt (2.) *forenses*, qui quidem in civitate existunt, aliquando etiam bona immobilia possident, sed tamen neque domicilium, neque jus civitatis acquisiverunt. Ad hos jura municipalia non pertinent, oneribus tamen, si immobilia ipsis possidere liceat, merito subjiciuntur (3.) *Peregrini*, qui ad tempus in civitate commorantur, ac, ratione delictorum & contractuum, ei subsunt, sed aliorum jurium non sunt participes, nec ad onera regulariter tenentur *v. l. 3. C. de incol.* Denique (4.) *Pagani*, qui ruri degunt, quorum, à municipibus, diversitas ex præcedentibus intelligitur. *add.* LAUTERB. *C. J. ad municip.*

§. 13. Quo autem Cives commode agere queant, aliquod, inter eos, regimen requiritur. Eo fine constituuntur (1.) *Tribuni civium*, qui cives, in negotiis nonnullis, repræsentare, eorumque jura defendere tenentur (2.) *Senatus*, cujus membra jure Romano, Decuriones *v. l. 239. §. 5. de V. S.* POLLET. *histor. for. Roman. l. 3. c. 8.* hodie vero, Senatores: Capita autem Duumviri *l. 1. de alb. scrib.* hodie, Consules dicuntur. De illorum requisitis, varietate, constituendi modo & abusu, quædam dicere non attinet, cum illa rectius, ex statutis & praxi cujusvis municipii, quam doctrina generali, intelligantur *v.* ZAHN. *Ichnograph. c. 16. seqq.*

§. 14. Illud observandum, quod Senatui in Cives, ex primæva municipiorum indole, nullum *imperium* vel *jurisdictio*, sed saltem aliqua *autoritas* competat, perinde sicut se res habet, in aliis Universitatibus, ac in specie, Opificum Collegiis. Equidem ZAHN. *d. tr. c. 7. n. 1. seqq.* existimat, *jurisdictionem inferiorem, esse essentiale & necessarium requisitum omnium municipiorum.* Verum quod municipia, ab initio, nullam habuerint jurisdictionem, sed potius per Præfectos, in iis, hæc dispensata sit, vel ex eo probabile est, quod nonnulla municipia titulo locationis, jurisdictionem hodie teneant *v.* CARPZ. *l. 5. Resp. 15. add.* LEHMAN. *Chron. Spir. l. 4. c. 11.* Sed successu temporis Magistratuum municipalium potestas crevit, ut plerumque jurisdictionem propriam,

ac aliquando liberius etiam imperium in municipes habeant.

§. 15. Jurium municipiis competentium magna eſt varietas, nec facile certum eorum inire licet numerum; Forte tamen ad duo genera revocari poſſunt, ſunt enim jura vel *eſſentialia*, quæ ex indole Univerſitatis fluunt, vel *naturalia*, quæ ſcopus municipiorum quidem non requirit, quæ tamen ſæpe adeſſe ſolent. Priora iterum ſunt vel *communia*, vel *propria*. In genere autem obſervandum eſt, quod illa aliquando, ſine ſuperioris conſenſu, exerceantur, aliquando vero, ad eorum exercitium, Imperantis permiſſus concurrere debeat.

§. 16. Jura communia ſunt, ſine quibus Univerſitas vix ſubſiſtere poteſt. Eo ergo pertinet (1.) jus conſtituendi officiales ac in ſpecie Syndicum *v.* ZAHN. *d. tr. c. 36. 80. 89.* (2.) condendi ſtatuta, ac diſponendi de iis, quæ ad utilitatem municipii pertinent ID. *d. tr. c. 37. 39. 40. 77.* Si civitas Schrifft ſaſſica ſit, eam ſine Superioris confirmatione, ſtatuta condere poſſe cenſet SCHILT. *de Schriffiſaſſ. c. 6. n. 12. ſeqq.* ſed cum ex jurisdictione omnimoda, quam ille fundamenti loco ſubſternit, libera illa facultas minime fluat, merito illa regulariter negatur *v.* CARPZ. *Proc. tit. 2. art. 2. n. 187.* (3.) jus mittendi deputatos, (4.) habendi bona univerſitatis (5.) curiam (6.) archivum (7.) ſigillum & ſimilia *v.* ZAHN. *d. tr. c. 43. 56. 57. 58. 59.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 4. c. 11.*

§. 17. Propria jura ſunt, quæ municipium, à cæteris univerſitatibus diſtinguunt. Eo referas (1.) jus colligendi ſumtus neceſſarios, tam ordinarios, quam extraordinarios, quæ collectio, non imperio, ſed libero conſenſu, peragenda eſt *v.* ZAHN. *d. tr. c. 63.* (2.) jus urbem, ſartam tectam conſervandi, ac in ſpecie, ſi municipium muris cinctum ſit, (3.) jus illos reficiendi, nec opus eſt ad hoc, conſenſu Imperantis, niſi forte, ex certa cauſa, diruti ſint, vel munitionis pars cenſeantur quo pertinent *l. 9. §. 4. de R. D. l. 6. de oper. publ. l. 12. C. eod.* (4.) cura viarum municipalium *v.* ZAHN. *d. tr. c. 68. 74.* Ad reparationem tamen lithoſtroti, per quem via publica dirigitur, non municipium, ſed dominum vectigalis eſſe obligatum, cenſet Dn. LYNCKER. *Deciſ. Jenenſ. Dec. 387.*

§. 18. Inprimis huc pertinet (5.) jus exercendi opificia, & (6.) mercaturam cum juribus connexis, ut nundinarum *v.* ZAHN. *d. tr. c. 61. 62. 67.* Ad mercaturam quoque referri poteſt (7.) jus braxandi, ſive coquen-

coquendi & vendendi cereviſiam ZAHN. *d. tr. c.* 88. Videtur quidem hoc eſſe effectus dominii, ſed cum promiſcuus hujus uſus, in ſocietate civili, noxius ſit adeoque varie reſtringi debeat, ideo jus illud, ex ſolo dominio repeti nequit, ſed potius, pro peculiari jure, ab Imperante concedendo, haberi debet *v.* LYSER. *Jus Georg. l. 3. c. 21. n. 6. ſeqq.*

§. 19. Hinc etiam Ordinationibus cereviſiariis, exercitium illius juris dirigi ſolet, quæ eo tendunt, aut tendere debent, quo, in uſum ſubditorum, cereviſia rite præparetur, ac inter municipes æqualitas obſervetur. Sed illas avaritia ſæpe turbat, ut, in multis municipiis, jus braxandi, ſit pomum Eridos & non leves aliquando excitet turbas. Ex præſuppoſitis, illud etiam ſequi videtur, quod jus braxandi, utpote cum aliorum incommodo conjunctum, ad exemplum ſervitutis, ſolo non uſu amittatur, nec præciſe aliorum prohibitio accedere debeat, etſi aliquando contrarium mihi placuerit *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1036.* Uſus tamen penitus ceſſare debet, hinc ſi vel ſignum juris braxatorii maneat, præſcriptio non obtinet *arg. l. 6. de S. P. U.*

§. 20. Jus autem opificiorum & mercaturæ, municipiis aliquando privative competit, ut pagis idem ſit negatum. Jure Saxonico municipia privilegio gaudent, ne intra milliare circumcirca, habeatur vinum vel cereviſia extranea venalis, & ne fiant braſia aut decoctiones hujusmodi, neque habitare permittantur artifices vel mechanici in villis adjacentibus *v.* ZIEGLER. *de jur. Majeſt. l. 1. c. 43. n. 9. ſeqq.* Milliare autem Saxonicum, ex communi ſententia, continet ſexaginta jugera, jugerum ſexaginta virgas, virga ſeptem ulnas cum dimidia.

§. 21. Intelliguntur autem virgæ ſ. perticæ & ulnæ uſitatæ eo in loco, in quo de computatione milliaris, controvertitur; Neque dimenſio inſtituitur geometrice & diametraliter, juxta rectam lineam, neque per ſemitam, ſed per multos viæ regiæ anfractus, ac ipſa etiam montium juga & valles *v.* CARPZ. *p. 4. C. 47. D. fin.* LYSER. *Jus Georg. l. 3. c. 21. n. 31.* Licet vero hanc dimetiendi rationem, tanquam nimis liberalem, aliqui rejiciant *v.* ZIEGLER. *d. c. 43. n. 11. ſeqq.* ei tamen, donec alia lege publica conſtituatur, ſtandum eſſe, recte admonuit DN. MYLIUS *in Select. for. concluſ. n.* 10.

§. 22. Initium menſurationis, non à porta urbis, ſed ab extremis ſuburbii ædificiis, faciendum, cum enim ſuburbium, Imperantis

conſenſu, municipio accedat, ejusque jure fruatur, ideo, eo adjecto, civitatis privilegium creſcere dicendum eſt. Terminus porro, ad quem milliare extenditur, ſtricte merito accipiendus eſt, hinc ſi milliare v. gr. in pagi medio finiatur, reliqua pars extra illud, & conſequenter municipale privilegium, conſtituta cenſeri debet *v.* LYSER. *d. c. 21. n. 32.* BEIER. *de colleg. opif. c. 9. §. 11. ſeqq.*

§. 23. Ad jura municipiorum accidentalia ſive naturalia *v. §. 16.* referimus (1.) jurisdictionem, cum variis ſuis, vel partibus, vel ſpeciebus *v.* ZAHN. *Ichnogr. c. 6. ſeqq. c. 33. 34. 42. 46. 47. 52. 53. 69. 70. 81.* (2.) jus occupandi bona vacantia ID. *d. tr. c. 54. 55.* quod jurisdictioni ſuperiori cohærere cenſetur *v. cap. præc. §. 18.* (3.) jus approbandi collegia opificum ZAHN. *d. tr. c. 38.* (4.) cudendi monetam ID. *d. tr. c. 45.* (5.) inſtituendi ſcholas & Eccleſias parochiales ID. *d. 28. ſeqq.* (6.) jus tributorum & acciſiarum ID. *c. 60. 65. 66.* (7.) dominium eminens ID. *c. 72.* (8.) jus venandi (9.) inſtituendi exercitium jaculatorium, & ſimilia ZAHN. *d. tr. c. 75. 85. 41.*

§. 24. Ad exemplum aliarum Univerſitatum, municipia quoque varios actus vel ſuſcipiunt, vel patiuntur, circa quos in genere notandum, quod regulariter utantur jure communi, aliquando etiam ſingulari. *v. l. 15. de SCt. Maced. 16. d. V. S.* Fœdera quidem civitates municipales regulariter inire nequeunt *v.* ZAHN. *d. tr. c. 35.* poſſunt tamen omnis generis alios contractus celebrare v. gr. fidejubere & bona civitatis oppignorare, res ſuas in feudum concedere, villas pagosque emere, ac aliquando jure retractus uti *v.* ZAHN. *d. tr. c. 51. 71. 73. 82. 86.*

§. 25. In ſpecie etiam civitas ex mutuo obligatur, dummodo ipſi, aut qui eam repræſentant, pecunia ſolvatur, nam alias ſoli adminiſtratores, qui pecuniam acceperunt, tenentur, niſi in utilitatem civitatis pecunia ſit verſa *l. 27. de R. C. Deciſ. Saxon. 16.* CARPZ. *l. 2. Reſp. 106. p. 2. C. 6. D. 18. 19.* RICHTER. *Dec. 71.* SCHILTER. *ad ff. exerc. 22. §. 58.* In genere igitur contrahentes, in explorando civitatis ſtatu, cautos eſſe oportet, ne cum iis tantum contrahant, qui civitatem obligandi jus, ſibi quidem aſſerunt; ſed non habent, nam verum non eſt, quod ZAHN. *d. tr. c. 16. n. 22. ſeqq.* aſſerit: *conſules in municipiis mandatum generale cum libera habere.*

§. 26. Poſſunt etiam civitates, ex teſtamento, aliquid acquirere

vid.

vid. l. 32. §. 2. l. 73. §. 1. l. 117. 122. de legat. 1. l. 97. de condit. & demonstr. l. 2. de reb. dub. l. 23. C. de SS. Eccles. Non minus præscribunt & præscriptionem patiuntur, quo ultimo casu quadraginta annos plerumque requirunt *v. Nov. 111. c. 1. Nov. 131. c. 6.* quamvis alii præscriptionem centenariam demum civitatibus obesse putent *v.* ZAHN. *Ichnograph. c. 84.* Jure Saxonico Electorali sufficiunt triginta anni, annus & dies *p. 2. c. 6.* In concursu creditorum gaudere censetur civitas aliqua prærogativa *l. 38. §. 1. de reb. autor. jud. possid.* tribuunt quoque ei beneficium competentiæ: Restitutio vero in integrum ei omnino competit *v. c. 2. §. 12. add.* ZAHN. *d. tr. c. 48. 49. 50.*

§. 27. Lites forenses, tam inter municipes & Senatum, quam inter municipia & exteros, sæpe occurrunt, aliquando etiam civitas talioni sibi prospicit *v.* ZAHN. *d. tr. c. 64. 79. 87.* De eo etiam dubitandum non est, quin municipia, committere & pati possint delicta *vid.* ZAHN. *d. tr. c. 15. 44. 78. 91. 92.* iis tamen, qui non consenserunt, nec in partem emolumenti venerunt, nec bona delinquentium nacti sunt, nihil potest imputari: Neque admittenda est doctrina ZAHNII *d. c. 92. n. 3. ex delicto magistratus, totam universitatem teneri*, censentis.

§. 28. Desinunt municipia, ob *delictum*, si nimirum ob hoc, jure municipali priventur, *v. can. 25. C. 25. qu. 2.* vel etiam penitus destruantur *v. l. 21. quib. mod. usufr. amitt.* RÆVARD. *Conject. l. 2. c. 7.* id quod etiam, sine prævio delicto, per *bellum* aliquando fieri potest: Quodsi forte civitas restituatur, obligationes eatenus contra eam reviviscunt, quatenus in res, prioris civitatis illa succedit. Præterea etiam municipia *revocatione* Imperantis, vel *renunciatione* propria desinere dicuntur, sed illi modi vix occurrunt. *Non usus* quoque locum non invenit, licet jus aliquod speciale eodem amitti queat *v. l. 1. de nundin.* ZAHN. *d. tr. c. 94.*

CAPUT V.

DE COLLEGIIS MUNICIPUM.

SUMMARIA.

Municipes certa habent collegia §. 1.
Horum denominatio & summa genera §. 2.
Collegiorum opificum varietas §. 3.
Collegiorum origo & constitutio §. 4.
Numerus & requisita collegarum §. 5.
Infames & levis notæ macula laborantes à collegiis excluduntur §. 6.
Collegæ sunt diversæ conditionis §. 7.

Forma collegiorum §. 8.
Habent res proprias archivum, ſigillum & conventus §. 9.
Statuta, jurisdictionem quandam aliaque jura politica §. 10.
In ſpecie habent jus artem ſuam docendi §. 11.
Et exercendi etiam cum prohibitione §. 12.
Collegia aliquando diſſolvuntur §. 13.
Eorum utilitas ratione ſocietatis civilis §. 14.
Sed illa non ſatis certa eſt §. 15.
Eique in commoda prævalent §. 16.

§. 1.

IN plerisque municipiis, municipes, in peculiaria collegia, ſeparari, ac ſingula, propriis legibus, conjungi ſolent, de quibus ſumma capita nunc breviter etiam exhibenda ſunt. Collegia illa ſunt *Univerſitates, quæſtus civilis gratia, ab iis qui idem, aliquando etiam diverſum, ſectantur artificium, inſtitutæ.* Univerſitatis nomen, conjunctionis modum ſatis explicat, perſonæ vero conſtituentes, materia & finis, hæc collegia, ab aliis univerſitatibus, diſcernunt.

§. 2. Varie autem collegia illa denominantur, *Gilden, Zünffte, Gaffeln, Æmter, Innungen,* circa quæ nomina, certa derivatio plerumque ignoratur *v.* BEIER *de colleg. opif. c. 1.* Cum vero duo quæſtus genera, mercatura ſcilicet & opificia, in municipiis occurrant, hinc etiam ſummatim collegia ſunt vel mercatorum, *der Zünffte*, vel opificum *der Gewercker v.* FRITSCH. *de colleg. opif. p. 1. c. 1. §. 6.* quæ tamen in eſſentialibus conveniunt.

§. 3. Collegia Opificum varie iterum diſtingvuntur (1.) in *indonata, ungeſchenckte,* & *donata, geſchenckte Handwercke*, quorum hæc inde dicuntur, quod bœthis advenientibus munus & epulum gratis dari ſoleat, ſed cum hæc conſvetudo ignaviam alat, aliaque incommoda pariat, ideo legibus quandoque prohiberi ſolet *v. Ord. Polit. 1548. tit. 37. §. 2.* FRITSCH. *d. l. §. 7.* (2.) in *definita*, quæ certum habent ſodalium numerum, & *indefinita*, quæ certo numero non ſunt circumſcripta (3.) in *pura*, quæ ex unius generis opificibus conſtant, *mixta*, quibus pauciores nonnulli alterius generis artifices ſunt admixti, & *compoſita*, quæ diverſi generis opifices æquali fere numero continent *v.* BEIER. *d. tr. c. 2.*

§. 4. Origo collegiorum ſatis antiqua eſt *v. l. 1. pr. ff. de colleg.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 4. c. 14.* FRITSCH. *d. tr. c. 2. §. 2.* Ad eorum vero

Digitized by Google

vero introductionem, eorum, quorum intereſt conſenſus & confirmatio Imperantis requiritur nec regulariter conſenſus Magiſtratus inferioris ſufficit, licet nonnullis ita videatur. Quodſi per longum tempus, collegium palam habitum ſit, ſuperioris conceſſio merito præſumitur FRITSCH. *d. tr. c. 4.* De eo etiam dubitandum non videtur, quin ſi utilitas Reipublicæ hoc exigere videatur, Imperans invitos opifices, ad conſtituenda collegia, adigere poſſit *v.* BEIER. *d. tr. c. 3.*

§. 5. Ad collegium minimum tres perſonæ requiruntur, ex communi ſententia FRITSH. *d. c. 4. §. 1.* BEIER. *d. tr. c. 4.* cujus tamen valida ratio non eſt *v. c. 2. §. 5.* In recipiendis vero requiritur (1.) ut ſint integræ exiſtimationis adeoque nec infamia, nec levis notæ macula laborent (2.) ejus artis, in cujus conſortium cooptari cupiunt, peritiam ſufficientem habeant, cui explorandæ artificium ſeu opus magiſteriale *meiſterſtück* à recipiendo exigitur, circa quod ille abuſus etiam occurrit, quod ſæpe tale quid conficiendum ſit, cujus hodie nulla eſt utilitas *v.* FRITSCH. *d. tr. p. 2. c. 7.*

§. 6. Infames igitur in collegia non recipiuntur, vel ex iis expelluntur, quod etiam dicendum de iis, qui levis notæ macula laborant, quales ſunt ſpurii, vel qui ſordidum vile vel ludicrum vitæ genus ſectantur, in quem cenſum referunt carnifices, excoriatores & lictores. Sed in extendenda vel infamia, vel levis notæ macula, ſæpe ultra modum opifices ſunt ingenioſi, hinc paſtores pecorum, linteones molitores, eorumque liberos, nec non qui lictoris viduam, vel ab alio imprægnatam, aut proprio ſtupro cognitam, in uxorem ducunt, in collegiis tolerandos haud eſſe cenſent. Sed, ſi ſtatuta, publica autoritate probata, haud obſtent, contrarium dicendum eſt, idque eo magis, quo minus levis notæ maculæ commentum, cum regulis ſocialitatis congruit, & q. 10. minus par eſt, homines, ſubtractione mediorum, quibus vitam honeſte tueri poterant, punire *v. Ordinat. polit. 1548. tit. 37. Reform. polit. 1577. tit. 38.* CARPZ. *p. 2. C. 6. D. 12. 13. 14.* BEIER. *d. tr. c. 5.* FRITSCH. *d. tr. p. 2. c. 4.*

§. 7. Ii vero, qui collegium conſtituunt, non ſunt ejusdem conditionis. Occurrunt enim Primicerii collegiorum *Handwercksmeiſter* Aſſeſſores & miniſteriales, quales in ſpecie ſunt Juniores, *die jungmeiſter*, Contribules *Mitmeiſter*, Sodales provinciales & pagani, qui, ſi toleren-

Hodie cives ſola aſſumtione fiunt §. 8.
Hujus natura & ſubjectum §. 9.
Jus civitatis certis modis amittitur §. 10.
A municipibus differunt incolæ §. 11.
Forenſes, peregrini & pagani §. 12.
Inter cives occurrunt tribuni civium & Senatus §. 13.
Huic jurisdictio in cives olim non videtur competiſſe §. 14.
Jura municipiorum ſunt vel eſſentialia vel naturalia §. 15.
Exempla jurium eſſentialium communium §. 16.
Et propriorum §. 17.
Ad ea inprimis pertinet jus opificiorum & mercaturæ, ſub quo jus braxandi continetur §. 18. 19.
Ad milliare hæc jura in Saxonia reſtringuntur §. 20.
Ratio computandi milliare §. 21. 22.
Exempla jurium municipalium naturalium §. 23.
Municipia regulariter utuntur jure pivatorum §. 24.
Poſſunt contrahere §. 25.
Ex teſtamento acquirere, præſcribere ac præſcriptionem pati, habent etiam quædam privilegia §. 26.
Municipiorum lites & delicta §. 27.
Definunt delicto, bello, revocatione & renunciatione §. 28.

§. 1.

UNiverſitatum majorum alteram ſpeciem, in Territoriis Germaniæ, conſtituunt Municipia *v. l. 18. in fin. de V. S.* ſive Civitates municipales *Städte, Landſtädte v.* ZAHN. *Ichnograph. municip. c. 1. n. 1. 24.* Eſt autem Municipium, *Univerſitas civium, domino Territoriali ſubjectorum, ac in urbe habitantium*, quæ definitio licet nimis ſuperficiaria videatur, attamen, ſi recte intelligatur, naturam definiti ſatis explicat.

§. 2. Nomen *Univerſitatis*, conjunctionem, omnibus univerſitatibus communem, innuit. Eſt autem *univerſitas civium*, i. e. hominum mercaturam & opificia exercentium, agricultura tamen à civitatibus, præcipue tenuioribus, non plane exulat. Debet quoque municipium *ſubeſſe domino Territoriali* quæ ſubjectio, ſi dubia ſit, per conſveta ſubjectionis argumenta probatur *v.* ZAHN. *Ichnograh. c. 2. n. 17. ſeqq. c. 93.* Hac nota autem diſtinguitur municipium à *Civitatibus imperialibus*, quarum libertas, in Jure publico explicatur, in cæteris hæ, cum municipiis, fere conveniunt.

§. 3. Denique municipium eſt *univerſitas in urbe habitantium*, per urbem intelligitur *congeries ædificiorum muris & portis circumdatorum v. l. 2. 173. §. 1. l. 239. §. 6. 7. de V. S.* Ejus exſtructio, apud Romanos, variis ritibus fieri ſolebat *v.* ZAHN. *d. tr. c. 1. n. 12. ſeqq.* Civitas ergo notat cœtum hominum, urbs vero, locum, in quo ille exiſtit, de cætero hæc, illi non eſſentialis, ſed naturalis cenſeri debet, nam poteſt

teſt etiam civitas eſſe ſine urbe. Non raro etiam, nomina civitatis & urbis, promiſcue accipiuntur, iisdemque modo civium receptaculum *v. l. 6. 8. C. de ædif. priv.* modo ſocietas, modo utrumque notatur.

§. 4. Olim in Germania non adeo multæ fuerunt Urbes, ſed ſucceſſu temporis, & inprimis, ab Henrico Aucupe, plures exſtrui aut muniri cœperunt *v.* LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 1.* CONRING. *de Urb. German.* MONZAMB. *de Stat. imper. germ. c. 3. §. 9.* Inde nomen civium *der Bürger* invaluit, à *burgis*, id eſt locis muro vel alio ſepimento firmatis *v.* LIMN. *Jur. publ. tom. 3. c. 1. n. 20.* Et ab initio forte, Cives & Ruſtici, non tam vitæ genere quam ſola ſedium diverſitate, fuerunt diſtincti, ſed, creſcentibus commerciis ac artibus mechanicis, etiam vivendi genere diſtingvi cœperunt, atque ita urbibus acceſſit civitas, hinc etiam hodie, in quibusdam urbibus, agricultura perinde fere viget, ac in pagis, ſed in aliis, per opifica & mercaturam, maximam partem, expulſa eſt.

§. 5. Hodie non exiguus municipiorum eſt numerus, & ſunt illa vel *majora*, quæ civitatum nomen gerunt, vel *minora*, quæ oppida *v.* LIMN. *d. l. n. 1.* vel vici, *Marckflecken* dicuntur, quæ tamen nihilominus jus municipiorum habere videntur, niſi forte alii municipio, vel Landſaſſio cuidam ſubſint, tum enim pagis potius, quam municipiis, erunt annumeranda. Forte etiam oppida intermediam quandam univerſitatem, inter pagos & municipia, conſtituunt, in quod alii diſtinctius inquirant.

§. 6. Habent etiam Urbes, præcipue majores, ſua *Suburbia*, quæ regulariter pro parte civitatis habentur *v. l. 2. de V. S.* niſi forte alterius, v. gr. Præfecti, Jurisdictioni ſubſint, tum enim magis ad pagos accedunt. Utilitas autem Suburbiorum in eo conſiſtere cenſetur, quod incolæ commodius habitare, ac inprimis, opifices tenuiores, vel cum ſtrepitu artem ſuam exercentes, in iis degere, aut etiam ædificia, ad agri culturam neceſſaria, exſtrui queant *v.* FRITSCH. *de jur. & ſtat. ſuburb.* quæ non incongrue quidem dicuntur, fatendum tamen ſimul eſt, quod Suburbiorum alluviones, Territorii morbum non raro arguant.

§. 7. Conſtituitur municipium conſenſu Domini Territorialis, *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 5. c. 3. §. 60.* licet vulgo ſoli Cæſari id jus competere exiſtiment *v.* ZAHN. *Ichnogr. c. 2. n. 12. ſeqq.* Componitur vero, ex civibus ſive municipibus, qui ſcilicet *jurium & onerum municipalium*

lium ſunt participes, ac in *plenos* qui municipio ſimpliciter, & *minus plenos*, qui ſaltem, ratione rerum immobilium, ei ſubſunt, recte diſtinguuntur.

§. 8. Jure Romano, jus civitatis acquiritur nativitate *v. l. 1. §. 2. l. 9. ad municip. l. 3. C. eod. l. 24. de ſtat. hom.* adoptione *l. 15. §. fin. l. 17. §. 9. ad municip. l. 7. C. de adopt.* & manumiſſione *l. 1. pr. l. 22. pr. ad municip. l. 2. C. eod. l. 7. C. de incol.* Sed uti poſterior hodie plane ceſſat, ita duæ priores non jus civitatis tribuunt, ſed ſubjectionem ſaltem & forum operantur. Hodie igitur ſola allectio ſive aſſumtio civem facit, quæ uti juris gentium eſt, ita apud Romanos quoque obtinuit *l. 7. C. de incol.*

§. 9. Eſt aſſumtio, *actus, quo quis, ſoluta certa pecunia, ac præſtito juramento, in numerum civium recipitur.* Ejus expediendi poteſtas eſt penes Senatum, & regulariter quivis recipi poteſt, donec probetur reſtrictio, hæc autem occurrit in hominibus propriis, habent tamen quædam civitates illud jus, ut, ſi homo proprius, per annum & diem, inter cives, ſine contradictione, commoratus fuerit, à domino amplius vindicari nequeat *v.* ZAHN. *Ichnogr. c. 14. v.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 7. c. 70. ſeqq.*

§. 10. Amittitur jus civitatis *reſignatione* quæ regulariter libera eſt, *v. l. 34. ad municip.* ut & *delicto*, ob quod quis civitate expellitur, hinc etiam relegatio, jus civitatis quandoque tollere poteſt, neque ad illud pertinet ſanctio *l. 4. 7. §. 3. de interd. & releg. §. 2. J. q. m. j. p. p. ſ.* licet hanc eo trahere ſoleant *v.* PHILIPP. *Uſ. pract. l. 1. Eclog. 75.* Denique tollitur etiam *emigratione*, quæ ab Imperante aliquando injungitur: Primo & ſecundo caſu, aliquid, ex bonis diſcedentis, detrahi poteſt, ſed ultimo, detractio eſt iniqua. Exerit etiam ſe jus detractionis, ſi bona, ex civitate, alio transferantur *v.* ZAHN. *d. tr. c. 76.*

§. 11. A municipibus differunt (1.) *incolæ*, qui in municipio domicilium conſtituerunt, eidemque ſubſunt, ſed tamen juribus civium propriis non fruuntur *v. l. 239. §. 2. de V. S.* LEHM. *Chr. Spir. l. 4. c. 14.* Ad onera municipalia incolæ tenentur *l. 29. ad municip. l. 3. C. de incol. add.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 1463. ſeqq.* ſunt etiam capaces ſtatutorum, hinc v. gr. geradam ex ſtatuto lucrantur, cum enim ſtatuta, à civitate municipali condantur, ideo ad omnes, qui ei ſubſunt, pertinere in dubio

bio cenſenda ſunt *add.* ZAHN. *d. tr. c. 90.* Aliud dicendum, ſi quis municipio non ſubſit, hinc v.gr. Statutum Lipſienſe, de gerada uxoris, marito concedenda, non attinet eos, qui in ditione, Præfecturæ ſubjecta, quæ *der Roſenthal* vulgo dicitur, degunt *v.* CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 53. n. 8.*

§. 12. A municipibus porro differunt (2.) *forenſes*, qui quidem in civitate exiſtunt, aliquando etiam bona immobilia poſſident, ſed tamen neque domicilium, neque jus civitatis acquiſiverunt. Ad hos jura municipalia non pertinent, oneribus tamen, ſi immobilia ipſis poſſidere liceat, merito ſubjiciuntur (3.) *Peregrini*, qui ad tempus in civitate commorantur, ac, ratione delictorum & contractuum, ei ſubſunt, ſed aliorum jurium non ſunt participes, nec ad onera regulariter tenentur *v. l. 3. C. de incol.* Denique (4.) *Pagani*, qui ruri degunt, quorum, à municipibus, diverſitas ex præcedentibus intelligitur. *add.* LAUTERB. *C. J. ad municip.*

§. 13. Quo autem Cives commode agere queant, aliquod, inter eos, regimen requiritur. Eo fine conſtituuntur (1.) *Tribuni civium*, qui cives, in negotiis nonnullis, repræſentare, eorumque jura defendere tenentur (2.) *Senatus*, cujus membra jure Romano, Decuriones *v. l. 239. §. 5. de V. S.* POLLET. *hiſtor. for. Roman. l. 3. c. 8.* hodie vero, Senatores: Capita autem Duumviri *l. 1. de alb. ſcrib.* hodie, Conſules dicuntur. De illorum requiſitis, varietate, conſtituendi modo & abuſu, quædam dicere non attinet, cum illa rectius, ex ſtatutis & praxi cujusvis municipii, quam doctrina generali, intelligantur *v.* ZAHN. *Ichnograph. c. 16. ſeqq.*

§. 14. Illud obſervandum, quod Senatui in Cives, ex primæva municipiorum indole, nullum *imperium* vel *jurisdictio*, ſed ſaltem aliqua *autoritas* competat, perinde ſicut ſe res habet, in aliis Univerſitatibus, ac in ſpecie, Opificum Collegiis. Equidem ZAHN. *d. tr. c. 7. n. 1. ſeqq.* exiſtimat, *jurisdictionem inferiorem, eſſe eſſentiale & neceſſarium requiſitum omnium municipiorum.* Verum quod municipia, ab initio, nullam habuerint jurisdictionem, ſed potius per Præfectos, in iis, hæc diſpenſata ſit, vel ex eo probabile eſt, quod nonnulla municipia titulo locationis, jurisdictionem hodie teneant *v.* CARPZ. *l. 5. Reſp. 15. add.* LEHMAN. *Chron. Spir. l. 4. c. 11.* Sed ſucceſſu temporis Magiſtratuum municipalium poteſtas crevit, ut plerumque jurisdictionem propriam,

ac aliquando liberius etiam imperium in municipes habeant.

§. 15. Jurium municipiis competentium magna est varietas, nec facile certum eorum inire licet numerum; Forte tamen ad duo genera revocari possunt, sunt enim jura vel *essentialia*, quæ ex indole Universitatis fluunt, vel *naturalia*, quæ scopus municipiorum quidem non requirit, quæ tamen sæpe adesse solent. Priora iterum sunt vel *communia*, vel *propria*. In genere autem observandum est, quod illa aliquando, sine superioris consensu, exerceantur, aliquando vero, ad eorum exercitium, Imperantis permissus concurrere debeat.

§. 16. Jura communia sunt, sine quibus Universitas vix subsistere potest. Eo ergo pertinet (1.) jus constituendi officiales ac in specie Syndicum *v.* ZAHN. *d. tr. c. 36. 80. 89.* (2.) condendi statuta, ac disponendi de iis, quæ ad utilitatem municipii pertinent ID. *d. tr. c. 37. 39. 40. 77.* Si civitas Schrifft-saſſica sit, eam sine Superioris confirmatione, statuta condere posse censet SCHILT. *de Schrifft-saſſ. c. 6. n. 12. seqq.* sed cum ex jurisdictione omnimoda, quam ille fundamenti loco substernit, libera illa facultas minime fluat, merito illa regulariter negatur *v.* CARPZ. *Proc. tit. 2. art. 2. n. 187.* (3.) jus mittendi deputatos, (4.) habendi bona universitatis (5.) curiam (6.) archivum (7.) sigillum & similia *v.* ZAHN. *d. tr. c. 43. 56. 57. 58. 59.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 4. c. 11.*

§. 17. Propria jura sunt, quæ municipium, à cæteris universitatibus distinguunt. Eo referas (1.) jus colligendi sumtus necessarios, tam ordinarios, quam extraordinarios, quæ collectio, non imperio, sed libero consensu, peragenda est *v.* ZAHN. *d. tr. c. 63.* (2.) jus urbem, sartam tectam conservandi, ac in specie, si municipium muris cinctum sit, (3.) jus illos reficiendi, nec opus est ad hoc, consensu Imperantis, nisi forte, ex certa causa, diruti sint, vel munitionis pars censeantur quo pertinent *l. 9. §. 4. de R. D. l. 6. de oper. publ. l. 12. C. eod.* (4.) cura viarum municipalium *v.* ZAHN. *d. tr. c. 68. 74.* Ad reparationem tamen lithostroti, per quem via publica dirigitur, non municipium, sed dominum vectigalis esse obligatum, censet Dn. LYNCKER. *Decis. Jenens. Dec. 387.*

§. 18. Inprimis huc pertinet (5.) jus exercendi opificia, & (6.) mercaturam cum juribus connexis, ut nundinarum *v.* ZAHN. *d. tr. c. 61. 62. 67.* Ad mercaturam quoque referri potest (7.) jus braxandi, sive coquen-

Digitized by

coquendi & vendendi cereviſiam ZAHN. *d. tr. c.* 88. Videtur quidem hoc eſſe effectus dominii, ſed cum promiſcuus hujus uſus, in ſocietate civili, noxius ſit adeoque varie reſtringi debeat, ideo jus illud, ex ſolo dominio repeti nequit, ſed potius, pro peculiari jure, ab Imperante concedendo, haberi debet *v.* LYSER. *Jus Georg. l. 3. c. 21. n. 6. ſeqq.*

§. 19. Hinc etiam Ordinationibus cereviſiariis, exercitium illius juris dirigi ſolet, quæ eo tendunt, aut tendere debent, quo, in uſum ſubditorum, cereviſia rite præparetur, ac inter municipes æqualitas obſervetur. Sed illas avaritia ſæpe turbat, ut, in multis municipiis, jus braxandi, ſit pomum Eridos & non leves aliquando excitet turbas. Ex præſuppoſitis, illud etiam ſequi videtur, quod jus braxandi, utpote cum aliorum incommodo conjunctum, ad exemplum ſervitutis, ſolo non uſu amittatur, nec præciſe aliorum prohibitio accedere debeat, etſi aliquando contrarium mihi placuerit *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1036.* Uſus tamen penitus ceſſare debet, hinc ſi vel ſignum juris braxatorii maneat, præſcriptio non obtinet *arg. l. 6. de S. P. U.*

§. 20. Jus autem opificiorum & mercaturæ, municipiis aliquando privative competit, ut pagis idem ſit negatum. Jure Saxonico municipia privilegio gaudent, ne intra milliare circumcirca, habeatur vinum vel cereviſia extranea venalis, & ne fiant braſia aut decoctiones hujusmodi, neque habitare permittantur artifices vel mechanici in villis adjacentibus *v.* ZIEGLER. *de jur. Majeſt. l. 1. c. 43. n. 9. ſeqq.* Milliare autem Saxonicum, ex communi ſententia, continet ſexaginta jugera, jugerum ſexaginta virgas, virga ſeptem ulnas cum dimidia.

§. 21. Intelliguntur autem virgæ ſ. perticæ & ulnæ uſitatæ eo in loco, in quo de computatione milliaris, controvertitur; Neque dimenſio inſtituitur geometrice & diametraliter, juxta rectam lineam, neque per ſemitam, ſed per multos viæ regiæ anfractus, ac ipſa etiam montium juga & valles *v.* CARPZ. *p. 4. C. 47. D. fin.* LYSER. *Jus Georg. l. 3. c. 21. n. 31.* Licet vero hanc dimetiendi rationem, tanquam nimis liberalem, aliqui rejiciant *v.* ZIEGLER. *d. c. 43. n. 11. ſeqq.* ei tamen, donec alia lege publica conſtituatur, ſtandum eſſe, recte admonuit DN. MYLIUS *in Select. for. concluſ. n. 10.*

§. 22. Initium menſurationis, non à porta urbis, ſed ab extremis ſuburbii ædificiis, faciendum, cum enim ſuburbium, Imperantis

conſenſu, municipio accedat, ejusque jure fruatur, ideo, eo adjecto, civitatis privilegium creſcere dicendum eſt. Terminus porro, ad quem milliare extenditur, ſtricte merito accipiendus eſt, hinc ſi milliare v. gr. in pagi medio finiatur, reliqua pars extra illud, & conſequenter municipale privilegium, conſtituta cenſeri debet *v.* LYSER. *d. c. 21. n. 32.* BEIER. *de colleg. opif. c. 9. §. 11. ſeqq.*

§. 23. Ad jura municipiorum accidentalia ſive naturalia *v. §. 16.* referimus (1.) jurisdictionem, cum variis ſuis, vel partibus, vel ſpeciebus *v.* ZAHN. *Ichnogr. c. 6. ſeqq. c. 33. 34. 42. 46. 47. 52. 53. 69. 70. 81.* (2.) jus occupandi bona vacantia ID. *d. tr. c. 54. 55.* quod jurisdictioni ſuperiori cohærere cenſetur *v. cap. præc. §. 18.* (3.) jus approbandi collegia opificum ZAHN. *d. tr. c. 38.* (4.) cudendi monetam ID. *d. tr. c. 45.* (5.) inſtituendi ſcholas & Eccleſias parochiales ID. *d. 28. ſeqq.* (6.) jus tributorum & acciſiarum ID. *c. 60. 65. 66.* (7.) dominium eminens ID. *c. 72.* (8.) jus venandi (9.) inſtituendi exercitium jaculatorium, & ſimilia ZAHN. *d. tr. c. 75. 85. 41.*

§. 24. Ad exemplum aliarum Univerſitatum, municipia quoque varios actus vel ſuſcipiunt, vel patiuntur, circa quos in genere notandum, quod regulariter utantur jure communi, aliquando etiam ſingulari. *v. l. 15. de SCt. Maced. 16. d. V. S.* Fœdera quidem civitates municipales regulariter inire nequeunt *v.* ZAHN. *d. tr. c. 35.* poſſunt tamen omnis generis alios contractus celebrare v. gr. fidejubere & bona civitatis oppignorare, res ſuas in feudum concedere, villas pagosque emere, ac aliquando jure retractus uti *v.* ZAHN. *d. tr. c. 51. 71. 73. 82. 86.*

§. 25. In ſpecie etiam civitas ex mutuo obligatur, dummodo ipſi, aut qui eam repræſentant, pecunia ſolvatur, nam alias ſoli adminiſtratores, qui pecuniam acceperunt, tenentur, niſi in utilitatem civitatis pecunia ſit verſa *l. 27. de R. C. Deciſ. Saxon. 16.* CARPZ. *l. 2. Reſp. 106. p. 2. C. 6. D. 18. 19.* RICHTER. *Dec. 71.* SCHILTER. *ad ff. exerc. 22. §. 58.* In genere igitur contrahentes, in explorando civitatis ſtatu, cautos eſſe oportet, ne cum iis tantum contrahant, qui civitatem obligandi jus, ſibi quidem aſſerunt, ſed non habent, nam verum non eſt, quod ZAHN. *d. tr. c. 16. n. 22. ſeqq.* aſſerit: *conſules in municipiis mandatum generale cum libera habere.*

§. 26. Poſſunt etiam civitates, ex teſtamento, aliquid acquirere

vid.

vid. l. 32. §. 2. l. 73. §. 1. l. 117. 122. de legat. 1. l. 97. de condit. & demonstr. l. 2. de reb. dub. l. 23. C. de SS. Eccles. Non minus præscribunt & præscriptionem patiuntur, quo ultimo casu quadraginta annos plerumque requirunt *v. Nov. III. c. 1. Nov. 131. c. 6.* quamvis alii præscriptionem centenariam demum civitatibus obesse putent *v.* ZAHN. *Ichnograph. c. 84.* Jure Saxonico Electorali sufficiunt triginta anni, annus & dies *p. 2. c. 6.* In concursu creditorum gaudere censetur civitas aliqua prærogativa *l. 38. §. 1. de reb. autor. jud. possid.* tribuunt quoque ei beneficium competentiæ: Restitutio vero in integrum ei omnino competit *v. c. 2. §. 12. add.* ZAHN. *d. tr. c. 48. 49. 50.*

§. 27. Lites forenses, tam inter municipes & Senatum, quam inter municipia & exteros, sæpe occurrunt, aliquando etiam civitas talioni sibi prospicit *v.* ZAHN. *d. tr. c. 64. 79. 87.* De eo etiam dubitandum non est, quin municipia, committere & pati possint delicta *vid.* ZAHN. *d. tr. c. 15. 44. 78. 91. 92.* iis tamen, qui non consenserunt, nec in partem emolumenti venerunt, nec bona delinquentium nacti sunt, nihil potest imputari: Neque admittenda est doctrina ZAHNII *d. c. 92. n. 3. ex delicto magistratus, totam universitatem teneri*, censentis.

§. 28. Desinunt municipia, ob *delictum*, si nimirum ob hoc, jure municipali priventur, *v. can. 25. C. 25. qu. 2.* vel etiam penitus destruantur *v. l. 21. quib. mod. usufr. amitt.* RÆVARD. *Conject. l. 2. c. 7.* id quod etiam, sine prævio delicto, per *bellum* aliquando fieri potest: Quodsi forte civitas restituatur, obligationes eatenus contra eam revivisunt, quatenus in res, prioris civitatis illa succedit. Præterea etiam municipia *revocatione* Imperantis, vel *renunciatione* propria desinere dicuntur, sed illi modi vix occurrunt. *Non usus* quoque locum non invenit, licet jus aliquod speciale eodem amitti queat *v. l. 1. de nundin.* ZAHN. *d. tr. c. 94.*

CAPUT V.
DE COLLEGIIS MUNICIPUM.

SUMMARIA.

Municipes certa habent collegia §. 1.
Horum denominatio & summa genera §. 2.
Collegiorum opificum varietas §. 3.
Collegiorum origo & constitutio §. 4.
Numerus & requisita collegarum §. 5.
Infames & levis notæ macula laborantes à collegiis excluduntur §. 6.
Collegæ sunt diversæ conditionis §. 7.

Forma collegiorum §. 8.
Habent res proprias archivum, ſigillum & conventus §. 9.
Statuta, jurisdictionem quandam aliaque jura politica §. 10.
In ſpecie habent jus artem ſuam docendi §. 11.
Et exercendi etiam cum prohibitione §. 12.
Collegia aliquando diſſolvuntur §. 13.
Eorum utilitas ratione ſocietatis civilis §. 14.
Sed illa non ſatis certa eſt §. 15.
Eique in commodo prævalent §. 16.

§. 1.

IN plerisque municipiis, municipes, in peculiaria collegia, ſeparari, ac ſingula, propriis legibus, conjungi ſolent, de quibus ſumma capita nunc breviter etiam exhibenda ſunt. Collegia illa ſunt *Univerſitates, quæſtus civilis gratia, ab iis qui idem, aliquando etiam diverſum, ſectantur artificium, inſtitutæ.* Univerſitatis nomen, conjunctionis modum ſatis explicat, perſonæ vero conſtituentes, materia & finis, hæc collegia, ab aliis univerſitatibus, diſcernunt.

§. 2. Varie autem collegia illa denominantur, *Gilden, Zünffte, Gaffeln, Æmter, Innungen,* circa quæ nomina, certa derivatio plerumque ignoratur *v.* BEIER *de colleg. opif. c. 1.* Cum vero duo quæſtus genera, mercatura ſcilicet & opificia, in municipiis occurrant, hinc etiam ſummatim collegia ſunt vel mercatorum, *der Zünffte*, vel opificum *der Gewercker v.* FRITSCH. *de colleg. opif. p. 1. c. 1. §. 6.* quæ tamen in eſſentialibus conveniunt.

§. 3. Collegia Opificum varie iterum diſtingvuntur (1.) in *indonata, ungeſchenckte,* & *donata, geſchenckte Handwercke*, quorum hæc inde dicuntur, quod bœthis advenientibus munus & epulum gratis dari ſoleat, ſed cum hæc conſvetudo ignaviam alat, aliaque incommoda pariat, ideo legibus quandoque prohiberi ſolet *v. Ord. Polit. 1548. tit. 37. §. 2.* FRITSCH. *d. l. §. 7.* (2.) in *definita,* quæ certum habent ſodalium numerum, & *indefinita*, quæ certo numero non ſunt circumſcripta (3.) in *pura*, quæ ex unius generis opificibus conſtant, *mixta,* quibus pauciores nonnulli alterius generis artifices ſunt admixti, & *compoſita,* quæ diverſi generis opifices æquali fere numero continent *v.* BEIER. *d. tr. c. 2.*

§. 4. Origo collegiorum ſatis antiqua eſt *v. l. 1. pr. ff. de colleg.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 4. c. 14.* FRITSCH. *d. tr. c. 2. §. 2.* Ad eorum vero

Digitized by

vero introductionem, eorum, quorum intereſt conſenſus & confirmatio Imperantis requiritur nec regulariter conſenſus Magiſtratus inferioris ſufficit, licet nonnullis ita videatur. Quodſi per longum tempus, collegium palam habitum ſit, ſuperioris conceſſio merito præſumitur FRITSCH. *d. tr. c. 4.* De eo etiam dubitandum non videtur, quin ſi utilitas Reipublicæ hoc exigere videatur, Imperans invitos opifices, ad conſtituenda collegia, adigere poſſit *v.* BEIER. *d. tr. c. 3.*

§. 5. Ad collegium minimum tres perſonæ requiruntur, ex communi ſententia FRITSH. *d. c. 4. §. 1.* BEIER. *d. tr. c. 4.* cujus tamen valida ratio non eſt *v. c. 2. §. 5.* In recipiendis vero requiritur (1.) ut ſint integræ exiſtimationis adeoque nec infamia, nec levis notæ macula laborent (2.) ejus artis, in cujus conſortium cooptari cupiunt, peritiam ſufficientem habeant, cui explorandæ artificium ſeu opus magiſteriale *meiſterſtück* à recipiendo exigitur, circa quod ille abuſus etiam occurrit, quod ſæpe tale quid conficiendum ſit, cujus hodie nulla eſt utilitas *v.* FRITSCH. *d. tr. p. 2. c. 7.*

§. 6. Infames igitur in collegia non recipiuntur, vel ex iis expelluntur, quod etiam dicendum de iis, qui levis notæ macula laborant, quales ſunt ſpurii, vel qui ſordidum vile vel ludicrum vitæ genus ſectantur, in quem cenſum referunt carnifices, excoriatores & lictores. Sed in extendenda vel infamia, vel levis notæ macula, ſæpe ultra modum opifices ſunt ingenioſi, hinc paſtores pecorum, linteones molitores, eorumque liberos, nec non qui lictoris viduam, vel ab alio imprægnatam, aut proprio ſtupro cognitam, in uxorem ducunt, in collegiis tolerandos haud eſſe cenſent. Sed, ſi ſtatuta, publica autoritate probata, haud obſtent, contrarium dicendum eſt, idque eo magis, quo minus levis notæ maculæ commentum, cum regulis ſocialitatis congruit, & q. 10. minus par eſt, homines, ſubtractione mediorum, quibus viram honeſte tueri poterant, punire *v. Ordinat. polit. 1548. tit. 37. Reform. polit. 1577. tit. 38.* CARPZ. *p. 2. C. 6. D. 12. 13. 14.* BEIER. *d. tr. c. 5.* FRITSCH. *d. tr. p. 2. c. 4.*

§. 7. Ii vero, qui collegium conſtituunt, non ſunt ejusdem conditionis. Occurrunt enim Primicerii collegiorum *Handwercksmeiſter* Aſſeſſores & miniſteriales, quales in ſpecie ſunt Juniores, *die jungmeiſter*, Contribules *Mitmeiſter*, Sodales provinciales & pagani, qui, ſi toleren-

lerentur, collegiis inſeri vel incorporari ſolent. Iis opponuntur (1.) opifices *forenſes*, qui vel nulli, vel ſaltem non collegio ejus loci, ubi degunt, interſunt, quique turbatores *Störer* dici ſolent, ſi invito opificum collegio artem exerceant (2.) *irregulares* ſive *excommunicati Geſcholtene meiſter*, qui, ob non ſervatam conſvetudinem opificiariam, à conſortio cæterorum tamdiu arcentur, donec ei ſe conformes geſſerint, id quod etiam Bœthis nonnunquam accidere ſolet *v.* BEYER. *c. 6. ſeqq.* ſed iſta excommunicatio, plerumque non ferenda opificum improbitas eſt.

§. 8. Eſſentia Collegiorum conſiſtit in conſociatione, ſub certo regimine, ad communem utilitatem, facta, quæ quidem generali cœuntium pacto producitur, ſpecialibus vero pactis, quibus vel munera quædam nonnullis deferuntur vel alia, pro re nata, determinantur, magis excolitur ac firmatur. Ne vero, ad illicita, ea deflectant, ac ut ſucceſſores quoque obligent, conſenſus Superioris accedere ſolet, imo, certo modo debet, quo ipſo pacta, in ſtatuta vel leges degenerant. Aliquando etiam diverſa collegia, aliquo vinculo connectuntur, ac, in nonnullis, rationes communes habent. *v.* BEIER. *d. tr. c. 13. c. 22. §. 4. ſeqq.*

§. 9. Collegia conſtituta habere ſolent res proprias, ut arcam ac ædificia. Gaudent quoque aliquo velut archivo, in quo ea, quæ ad memoriam conſervandam, & fidem faciendam pertinent, ut matriculæ, Protocolla, acta, privilegia, ſimiliaque aſſervantur. Non minus etiam aliquo ſigillo, alioque inſtrumento, quo res confectæ ſignari ſolent, aliquando etiam peculiari vexillo inſtructa ſunt. Habent quoque jus coeundi, ac de rebus artem ſuam ſpectantibus deliberandi & decernendi *v.* BEIER. *d. tr. c. 12. 14. 15. 20.*

§. 10. Condunt quoque ſtatuta, quorum tamen & confirmatio, & interpretatio authentica, eſt penes Imperantem *v.* FRITSCH. *de colleg. opif. p. 2.* Competit etiam Collegiis aliqua velut jurisdictio, de rebus ad artem ſuam ſpectantibus, nec non jus, ſecundum ſtatutorum tenorem, multandi *v.* CARPZ. *p. 2. C. 6. D. 9. 10.* FRITSCH. *d. tr. p. 1. c. 3.* BEIER. *d. tr. c. 16. ſeqq.* Executio tamen hic non tam ex aliquo imperio, quam promiſſo potius dependere videtur. Alicubi ipſis etiam jus voti in Senatu, vel aliquæ, in Senatu eligendo, partes tribuuntur, id quod, ex ſtatu civitatum ſingularum, ſpecialius intelligendum *v.* BEIER. *d. tr. c. 12. §. 13.* §. 11.

Digitized by Google

§. 11. Inprimis ad jura Collegiorum pertinet facultas artem ſuam alios docendi, quo fine tirones, mediante locatione recipiuntur, ac exacto tirocinii tempore, ſocii vel miniſtri declarantur, quæ quidem non nude peraguntur, ſed, communi velut gentium jure, aliqua ſtultitiæ ſpecimina admiſcentur *add.* BEIER. *d. tr. c. 20.* Porro ad Collegia ſpectat jus artem exercendi; Ne vero opifices, in æſtimandis rebus vel operis ſuis, modum excedant, ſæpe legibus provincialibus, certo pretio æſtimari ſolent *v.* FRITSCH. *d. tr. p. 2. c. 8.* ſed vix illæ ſervari poſſunt, cum, mutatis & ſæpe auctis cæterarum rerum pretiis, eodem ſemper opificum res & operas taxare pretio, iniquum ſit.

§. 12. In iis, quæ ad artem ſuam ſpectant, collegia gaudent jure prohibendi, hinc non tantum turbatores expellunt, ſed & aliquando collegia cognata, ut ephippiariorum & frænariorum, carnariorum & lanionum ſimiliaque, ratione certi alicujus operis, vel atteſtatorum, tironibus aut boethis dandorum, inter ſe colliduntur, qua in re cujusvis municipii habitus ſpectandus, cavendumque, ne, à collegiis certi alicujus loci, indiſtincte ad collegia alterius municipii, argumentemur *v.* BERLICH. *p. 1. Dec. 26.* FRITSCH. *d. tr. p. 1. c. 2. §. 4. c. 5. & in addit.* BEIER. *d. tr. c. 20. §. 23.*

§. 13. Sicut autem aliquando, unus vel alter Collegio renunciat, vel ob delictum, eodem expellitur, ita etiam totum collegium quandoque diſſolvitur (1.) morte omnium collegarum (2) communi renunciatione & ſeparatione (3.) revocatione ſuperioris, ob delictum collegii, vel aliam juſtam cauſam facta (4.) bellica vel ſimili calamitate. Semel autem diſſolutum collegium, ſine Imperantis conceſſione, reſtaurari non poſſe, ex natura ſocietatis civilis facile intelligitur. Bona denique collegii diſſoluti, regulariter ad collegas ſuperſtites pertinent, niſi forte vel à ſuperiore profecta, vel ad uſum, qui ſoluto etiam collegio, maneat, deſtinata ſint, tum enim ſuperior illa acquirit *v.* CARPZ. *p. 2. C. 6. D. 17.* FRITSCH. *d. tr. p. 1. c. 6.* BEIER. *d. tr. c. 12. §. 16.*

§. 14. Quodſi Collegia Opificum, intuitu Societatis civilis, conſideremus, pro utilitate eorum adduci ſolet (1.) quod mediantibus iis opificia eo rectius exerceri, ac (2.) tributa facilius colligi, aliaque Reipublicæ negotia commodius expediri queant, denique quod (3.)

conſervandæ libertati idonea ſint media, adeo ut, eadem non admittere, vel introducta tollere, tyrannicum videatur. Quo tamen utilitas illa obtineatur, Magiſtratui proſpiciendum eſſe, monent, quo opificia ſincere, diligenter ac in loco congruo exerceantur, eorumque confuſio evitetur *v.* FRITSCH. *d. tr. p. 1. c. 2. conf.* BEIER. *d. tr. c. 13. §. 6.* ZIEGLER. *de Jur. Maj. l. 1. c. 41. n. 40.*

§. 15. Enimvero illæ utilitates, vel nullæ ſunt, vel ſine collegiis opificum, obtineri poſſunt; Rem opificiariam directione aliqua indigere, certum eſt, ſed illa rectius per leges & Magiſtratus, quam per collegia opificum, inſtituitur: In exigenda pecunia publica, expediendisque aliis negotiis, ad collegia ſemel introducta, ſubinde reſpici, utique verum eſt, ſed, hæc, ad illa expedienda, præciſe requiri, probari nequit. Denique uti inſtituta, quæ libertatem, contra unius vel paucorum dominatum, defendunt, omnino laudari debent, ita illa, in collegiis opificum, vel omnino non, vel ſaltem ex accidendi, occurrunt, cum hæc, non diſpenſandi imperii civilis, ſed quæſtus privati cauſa, introducta ſint.

§. 16. E contrario non levia ſæpe Collegiorum opificialium ſunt incommoda, quibus tollendis unius Territorii leges vix ſufficiunt *v.* FRITSCH. *d. tr. p. 2. c. 4. 7.* Nimirum inhumanitatem, avaritiam, ignaviam, imperitiam & ferociam non raro alunt, artium incrementa impediunt, colliſiones, inter opifices, excitant; inutiles boethorum circumcurſitationes cauſantur, commeſſationibus anſam præbent, ſtultos ritus ac impias quandoque conſvetudines introducunt, ut omnino ſatius videatur, collegia illa non admittere, ceu factum eſt in Belgio, quam fovere. In ſpecie inutilia cenſeri debent bœthorum collegia, nam proxime ad Pennaliſmum accedunt. *add.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 7. c. 115. in addit.* Illud autem facile liquet, ſi quid emendandum hic ſit, id non unius Domini Territorialis, ſed communi potius conſenſu & auxilio expediendum eſſe.

CAPUT

Digitized by Goog

CAPUT VI.

DE DISTRICTIBUS PAGORUM ET URBIUM.

SUMMARIA.

Pagi & urbes certos habent diſtrictus §. 1.
Diſtrictum generaliter acceptorum varietas §. 2.
Diſtrictus pagani & urbici natura §. 3.
Varia denominatio §. 4.
Fluhr generaliter & ſpecialiter accipitur §. 5.
Diſtrictus finibus ſunt muniendi §. 6.
Diverſa jura ejusdem diſtrictus non ſemper cohærent §. 7.
Diſtrictuum origo & conſtitutio §. 8.
Deſcriptio inſpectio §. 9.
Et mixtura §. 10.
Impediendæ confuſioni alienatio agrorum in vicini diſtrictus poſſeſſores aliquando prohibetur §. 11.
De finibus ſæpe contentiones exiſtunt §. 12.
Circa quas opus eſt legitima probatione §. 13.
Cuſtodiendis diſtrictibus officiales ſunt conſtituendi §. 14.

§. 1.

IAm pagi quam urbes, certum aliquem terræ tractum poſſident, qui *diſtrictus* nomine, *eines Bezircks*, venire ſolet, de quo aliqua hic dicenda erunt. In genere diſtrictus eſt *certum aliquod terræ ſpatium, jure quodam ad aliquem pertinens.* Dum igitur unius vel nonnullorum eſt, neceſſario *terminos* ſive *fines* requirit, quibus à rebus aliorum diſcernatur.

§. 2. Dantur igitur diſtrictus *privati*, certorum ſcilicet prædiorum, quorum fines, *Hauß-* vel *Hoff-Gräntzen*, aut etiam *Hoffreiten* dicuntur. Occurrunt etiam *publici*, iique ſatis ampli, qui, ſi cum jure independente, ſeu Superioritate territoriali, ſpectentur, proprie *Territoria*, ſi cum jure dependente, *Provinciæ* audiunt; Eorum autem fines, *Landwehren* dici ſolent. Denique reperiuntur diſtrictus velut *intermedii*, diverſæ iterum quantitatis, quales ſunt, diſtrictus Præfecturarum *Amts-Pflegen*, nec non pagorum & urbium, de quibus in ſpecie agendum *add.* FRITSCH. *de diſtrict. univerſ. agror. civit. vel pag. c. 2. §. 2.*

§. 3. Hi diſtrictus, cum variis juribus, præcipue tamen, dominio, jurisdictione, jure venandi & ſervitutibus, ſpectari poſſunt. Sunt igitur, *univerſitas agrorum, in qua jura illa, municipio vel pago com-*

Digitized by Google

petunt, ex quo definitiones ſpeciales, ratione ſingulorum jurium, facile formari poſſunt. Nomine agrorum autem non tantum agri in ſpecie, *felder*, ſed & horti, prata, vineæ, ſylvæ adeoque omnia bona ruralia immobilia, ad univerſitatem aliquam ſpectantia, intelliguntur.

§. 4. Diſtrictus, cum dominio vel proprietate ſpectatus, dicitur *Fluhr*, quod nomen primitivum videtur, Jure Romano, *territorium l. 239. §. 8. de V. S.* Cum jurisdictione conſideratus, *Weichbild*, *Zwing*, *Bann*, & hodie *Gerichte*; Cum jure venandi, *Forſt*, quod nomen tamen particulare eſt, ac ad ſylvas tantum pertinet; Cum ſervitutibus, *Trifft*, *Hut*, vel *Weide* audit. Solet etiam nomen *Fluhr*, generaliter de omnis generis diſtrictibus accipi, ſed uſu vulgi, ut cenſet FRITSCH. *d. tr. c. 1.*

§. 5. Non videtur utraque ſuppoſitio ratione deſtitui, nam *Fluhr* Germanis nihil aliud ſignificare videtur, quam terræ planitiem aut tractum: Cum vero dominium, cæteris juribus, ſit antiquius, ideo ejus intuitu, nomen illud, diſtrictui alicui primo videtur eſſe tributum, ex quo ſpecialis ſenſus enatus; poſtquam cætera jura quoque invaluerunt, illius uſus, ad hæc quoque eſt extenſus, nec nominis proprietas obſtare videtur, quo minus *Gerichts-Jagt* & *Trifft-Fluhr* etiam dicamus.

§. 6. Singuli diſtrictus finibus ſuis ſunt circumſcribendi, qui lapidibus aliisve ſignis deſignantur, hinc *Fluhr - Gerichts - Jagt - Hut-Steine*, *Hege-Säulen*, *Friedepfäle* & *Feldmarcken* innotuerunt *v.* ZAHN. *Ichnograph. c. 18. n. 16.* In ſpecie olim jurisdictionis diſtrictus, lignea cruce, cui manus & gladius, in ſignum *der Gerichte über hals und hand*, impoſita, ſignatus fuit FRITSCH. *d. tr. c. 1. §. 6.* Eodem fine, ad terminos jurisdictionis, furcæ erigi ſolent, quæ tamen ſic collocandæ eſſe cenſentur, ne earum umbra vicinum territorium attingat ZAHN. *d. tr. c. 6. n. 48.*

§. 7. Cum autem jura antea memorata, diverſa ſint, hinc, ab uno ad aliud non ſtatim inferri poſſe, facile liquet, nec valet conſequentia: *In hoc diſtrictu nobis competit dominium*, ergo etiam *jurisdictio*, *jus venandi vel jus paſcendi.* Nec vice verſa recte infertur: *diſtrictus dominio tuo non ſubeſt*, ergo *jurisdictionem*, *jus venandi aut paſcendi*, *in eodem exercere non potes!* In dubio tamen, jura illa connexa,

nexa, iisdemque limitibus concluſa recte dicemus *v.* FRITSCH. *d. tr. c.* 1. §. 5. *c.* 8. §. 1. *ſeqq.* ZAHN. *Ichnograph. c.* 83.

§. 8. Origo diſtrictuum ad ea tempora pertinet, quibus univerſitates conſtitui iisdemque certa jura & res attribui cœperunt, quæ accurate determinare nec licet, nec refert *v.* FRITSCH. *d. tr. c.* 2. ſicut autem privati prædiorum fines arbitrio poſſeſſorum conſtitui, vel confuſi renovari poſſunt *v. l.* 11. *ff. l.* 2. *C. fin. regund.* CARPZ. *p.* 2. *C.* 41. *D.* 17. FRITSCH. *d. tr. c.* 7. §. 6. ita pagorum civitatumque diſtrictus, eorum quorum intereſt, ut & domini jurisdictionalis conſenſu conſtituendi ſunt. Quodſi rationes Territorii res illa attingat, aut alias Domini Territorialis interſit, ejus quoque voluntas accedere debet FRITSCH. *d. tr. c.* 3.

§. 9. Quo autem de finibus diſtrictuum res certior ſit, utile eſt, ut tabulæ publicæ conficiantur in iisque illi accurate deſcribantur, nam hoc, tam in componendis controverſiis, quam exigendis oneribus publicis, inſignem habet uſum. Solent autem agri utplurimum, à poſſeſſoribus, vicinis & dominis cenſualibus deſcribi, *v. l.* 4. *de cenſ.* Sed ſatius erit, ex naturali eorum ſitu ac habitu, addita etiam ichnographia, deſcriptionem mutuari. Ad conſervandam diſtrictuum certitudinem etiam ſpectant ſolennes limitum inſpectiones, *die Flur und Gräntzbeziehungen*, quæ, autoritate domini Jurisdictionalis, adhibitis agrimenſoribus, ac præſentibus vicinis, fieri, ac peractæ diligenter conſignari debent *v.* FRITSCH. *d. tr. c.* 4. 5. 6. *add.* LEHMAN. *Chr. Spir. l.* 7. *c.* 115. *in addit.*

§. 10. Diſtrictibus rite conſtitutis, jura Univerſitatum certa ſunt, & regulariter quidem proprietas, jurisdictio, jus venandi & paſcendi, iisdem limitibus concluſa cenſeri debent *v.* §. 7. *h.* Aliquando tamen aliter ſe res habet, ac jura modo relata, diſtrictum proprietatis excedunt, & conſequenter alterius dominii diſtrictum reſtringunt, ſed iſta varietas ſemper probari debet. De cætero vel ab initio illa conſtitui, vel ex poſtfacto, mediante uſurpatione & præſcriptione, aut alienatione voluntaria introduci poteſt, nam ſi v. gr. pars diſtrictus urbici, transferatur ad diſtrictum paganum, tum proprietas quidem ad pagum ſpectare, ſed cætera jura civitati reſervata eſſe poſſunt.

§. 11. Cum igitur alienatio, jurium confuſioni, vel juris acqui-

ſiti extenſioni anſam præbere ſoleat, ideo legibus provincialibus nonnunquam caveri ſolet, ne prædia, in confinio diſtrictus ſita, in poſſeſſores diſtrictus vicini alienentur, maxime ſi hi alieno etiam territorio, ac potentioris inprimis imperio ſubſint, ne ſcilicet, ut fieri ſolet, prætextu proprietatis acquiſitæ, vicini cætera quoque jura, vel in ſolidum, vel ex parte, ſibi aſſerant: *Wenn das Eigenthum der Aecker hinweg iſt, ſo macht man Prætenſion an den Jagden, nach dieſen wird die Jurisdiction angefochten, ſodann die Steurbarkeit, und endlich das Territorium. v.* FRITSCH. *d. tr. c. 8.*

§. 12. Cæterum cum diſtrictuum fines, non ſemper ea, qua par erat, cura conſtituantur, præterea vetuſtate aliisque caſibus incerti ſæpe reddantur, hinc frequentiſſimæ, de finibus, tam publicis, quam privatis, ſolent eſſe lites *v. c. 10. X. de V. S.* In his ergo componendis, amicabili transactioni, primo locus eſt concedendus, quodſi autem, per eam, finale jurgium *v. l. 5. C. fin. regund.* tolli nequeat, ad judicem competentem, eundem erit. Sublata controverſia, fines, per agrimenſores, à domino jurisdictionali, regulariter conſtitutos, lapidibus, ſimilibusve ſignis, rite deſignari debent *v.* FRITSCH. *d. tr. c. 7.*

§. 13. Ad expediendas vero lites, opus eſt legitima probatione. Hæc fieri poteſt (1.) per ocularem inſpectionem, eique ſurrogatam limitum deſignationem ſive ichnographiam, à peritis & juratis artificibus confectam, *v. R. J. 1654. §. wen es. 51.* (2.) per inſtrumenta (3.) teſtes (4.) lapides terminales, in quibus dijudicandis, circumſpectione opus eſt, ne lapidem privatum, *einen Fluhrſtein*, pro jurisdictionali aut territoriali, *vor einen Gerichts-oder Land Gräntz-Stein*, vel vice verſa, accipiamus (5.) per opinionem incolarum, præcipue ſeniorum, ac denique (6.) per præſumtionem, quæ præcedentibus ſpeciebus fere ſurrogatur *v.* FRITSCH. *d. tr. c. 9.*

§. 14. Cuſtodiendis diſtrictibus, eorumque proventibus, certi agrorum cuſtodes, *Fluhr-oder Feld-Schützen* conſtitui ſolent, qui adeo finium curam gerere, damna præcavere, aut illata, captis, ſi fieri queat, pignoribus, Magiſtratui denunciare debent. Eorum conſtitutio ad dominum jurisdictionis, pertinet, hinc hæc etiam, ſi forte in dubium vocetur, illius, ut & damnorum campeſtrium punitionis argumento, probari poteſt *v.* FRITSCH. *d. tr. c. 10. conf.* WIEGER. *diſſert. de renovat. bannor. hab. Argentor.*

CAPUT

CAPUT VII.
DE SUBDITORUM EXISTIMATIONE.

SUMMARIA.

Subditorum germanicorum diversa est existimatio §. 1.
Dividuntur illi in plebejos & nobiles §. 2.
Nobilitas est inferior vel superior §. 3.
Illius iterum variæ sunt species §. 4. 5.
Superior nobilitas est secularis & ecclesiastica §. 6.
Utriusque exempla §. 7.
Nobilitatis indicia sunt tituli & insignia §. 8.
Olim nobilitas saltem fuit personalis §. 9.
Nobilium vita genus antiquum §. 10.
Jus nobilitandi cui in Germanica competat §. 11.
Causa & modus nobilitatis conferendæ §. 12.
Nobilitas in liberos legitime natos transit §. 13.
Nobilium privilegia falsa §. 14.
Et vera §. 15.
Nobilitatis contraria §. 16.
Datur etiam existimatio temporaria & communicata §. 17.
Existimationis diversitas parit lites de præcedentia §. 18.
Ac ordinationes politicas §. 19.

§. 1.

SUbditorum germanicorum diversam esse conditionem & hinc ortam existimationem, manifestum est, & vel, ex hactenus dictis, intelligitur, de ea igitur nunc quædam dicere, non incongruum erit. De existimatione eique opposita infamia, in genere *l. 3. c. 3.* actum est, hic existimationis intensivæ varietas, quoad subditos Germaniæ, breviter erit repræsentanda.

§. 2. Generalis divisio, ut alibi, ita etiam in Germania est, quod subditi sint vel *plebeji*, vel *nobiles*. Plebeja conditio est *existimatio, qua quis pro homine honesto habetur, ac pro ratione ætatis, vita generis aliarumque circumstantiarum, aliis præfertur, postponitur aut æqualis est.* Ejus duæ sunt species, existimatio *Rusticorum* & *Municipum* Nobilitas est *existimatio* vel *dignitas, qua quis conditione plebeja eximitur v.* MAURIT. *dissert. de nobilit. hab. Tubing. 1660. §. 7.*

§. 3. Dividitur in nobilitatem *inferiorem* & *Superiorem.* Illa hodie in specie, *Nobilitas*, *Adel*, *Ritterschafft*, audit, ac qui ea præditi sunt, *Nobiles*, *Edelleute* dicuntur *v.* MAURIT. *d. l. §. 1. seqq.* LIMN. *J. P.*

Digitized by Google

J. P. l. 6. c. 1. licet olim Nobilium nomen, Nobilitati ſuperiori ſit tributum *v.* EYBEN. *diſſert. de titul. nobilis.* LEHM. *Chr. Spir. l. 4. c. 14.* ſicut hodie fere tantum Nobilitati equeſtri ſeu ſagatæ vindicari ſolet. Olim plerumque audiebant *Edele Knechte*, nec non *des Reichs dienſtmanne*, à ſervitiis quæ præſtare tenebantur *v.* COCCEJ. *J. P. P. 15. §. 30. ſeqq.* Eos quoque *Frilingos* dictos eſſe, docet LEHM. *Chron. Spir. l. 2. c. 19.*

§. 4. Habet autem Nobilitas inferior iterum varias ſpecies. Nam (1.) à *loco* diſtingvitur in *urbanam* & *campeſtrem*, *Stadt und Land-Adel*, quarum illam efficiunt Patritii, *die Geſchlechter* (2) à *diverſitate functionum*, in *ſagatam* ſeu *ſecularem*, & *togatam* ſive *eccleſiaſticam*, qualis eſt Doctoratus, de quo alibi. Prior comprehendit *nobilitatem*, & *conditionem equeſtrem in ſpecie*, quarum hæc, ſummus illius gradus eſſe videtur *v.* LIMN. *J. P. l. 6. c. 2.* (3.) à *durationè*, in *perſonalem*, quæ cum perſona extinguitur, & *tranſitoriam*, quæ ad liberos extenditur.

§. 5. Prioris exemplum eſt, in nobilitate togata ac conditione equeſtri, poſterioris vero, in nobilitate ſagata, in ſpecie ſic dicta. Equidem hanc non tranſire in liberos, ſed hos potius immediate, ex voluntate concedentis, eam conſequi, aliqui cenſent *v.* MAURIT. *d. diſſert. §. 21.* Sed cum his facile transegeris. Verum quidem eſt, quod, ex voluntate concedentis, liberi nobilitatem habeant, ſed tamen illam, facto paterno, conſequuntur, hinc à Patre, in liberos, illa transmitti, aut tranſire recte quoque dicitur, licet transmiſſio non demum poſt mortem patris, ſed ſtatim, poſt liberorum nativitatem, fiat.

§. 6. Superior Nobilitas eſt *Dominorum* & *Principum*, quorum illi, *edle Herren*, vel *Mann*, hi, *Hohe Mann* olim dicti ſunt, quemadmodum illi etiam *Mittelfreye*. Ii *Hohefreye* audierunt *v.* COCCEJ. *J. P. P. c. 15. §. 32.* licet LEHM. *Chr. Spir. l. 4. c. 14.* Nobiles in ſpecie, *Mittelfreye* fuiſſe dictos exiſtimet, in quo tamen falli videtur: Hodie *Standes-Perſonen* dicuntur. De cætero ſuperior etiam nobilitas in *ſecularem* & *eccleſiaſticam* diſtinguitur.

§. 7. Sub illa comprehenduntur (1.) Barones, *Freyherrn*, *Semperfreye*, vel *Sempermann*, quæ denominationes omnes, germanicæ ſunt *v.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 1. c. 108*, SCHILTER. *adjus aleman. c. 1.* §. 1.

§. 1. *p.* 35. §. 18. (2.) Domini, *Herren*, quæ denominatio, vel cum præcedentibus coincidit, vel ea ratione fortaſſis ab iis differt, quod ſolam libertatem notet, cum illæ munus quoque ſignificent *v.* COCCEJ. *J. P. P. c.* 15. §. 34. SCHWED. *J. ad J. P. p. ſp. Sect.* 2. *c.* 8. §. 4. (3.) Comites, quæ denominatio ſupremum dignitatis in hoc ordine gradum, ac ſimul munus judiciarium notat *v.* CONRING. *de Duc. & Comit.* §. 12. (4.) Principes *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l.* 1. *c.* 4. §. 6. *ſeqq.* Sub hac autem ſunt Abbates & Epiſcopi, quos ſuperſtitio Comitum & Principum claſſi inſeruit *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *d. l. c.* 5.

§. 8. Nobilitatis indicia ſunt *Tituli* & *inſignia*, quæ olim Nobilibus propria fuerunt, ſed cum ad plebejos ſenſim quoque tranſierint, in ſignum prærogativæ, Nobiles galeas coronare, ac tandem clatratim aperire cœperunt *v.* MAURIT. *de Nobilit.* §. 17. 18. In genere autem circa Nobiles obſervandum, quod quidam ſint Status imperii, quorum conditio, in Jure publico explicatur, quidam vero aliis Statibus ſubſint, qui ad Jurisprudentiam privatam pertinent. *v.* MAURIT. *d. diſſert.* §. 25. *ſeqq.*

§. 9. Nobilitatem, usque ad Francorum imperium, autoritate & virtute æſtimatam, nec ad poſteros transmiſſam eſſe, niſi quos virtus viciſſim agnoverit, & quibus geſtæ res autoritatem pepererint, cenſet Dn. RHET. *J. J. P. l.* 1 *tit.* 2. §. 35. *conf.* MAURIT. *de nobilit.* §. 16. 23. Poſtea tamen nobilitas tranſitoria invaluit, & quidem ex doctrina LEHM. *Chr. Spir. l.* 2. *c.* 19. *l.* 4. *c.* 14. omnes ingenui, fuerunt Nobiles *Rittermäſſig*, qui etiam ſoli, in civitatibus, jus civicum conſecuti ſunt: Liberti tamen in tertia generatione, idem quoque meruerunt, aſſumto familiarum, *Geſchlechter* nomine: Cæteri, incolæ dicti, ac omnes ſervilis conditionis fuiſſe cenſentur.

§. 10. Nobiles porro ſtipendiis vel proprio cenſu ac agricultura vixiſſe; in civitatibus tamen, & liberti quidem potiſſimum, mercaturam exercuiſſe perhibentur, opificiis vero ſoli ſervi & incolæ vacarunt. Sed Henrici V. conſtitutione opifices quoque libertate & jure civitatis donati ſunt, à quo tempore cives, in *antiquos*, Nobiles ſcilicet & familias, ac *novos*, opifices nimirum, à ſervitute liberatos, diſtingvi cœperunt: Cumque hi certa conſtituerent Collegia ſeu tribus, illi, ſocietate contracta, Monetarii & Oeconomi, *Münzer* & *Hausgenoſſen* dici

maluerunt. Nonnulli originem *Patritiorum*, ad tempora Henrici I. referunt *v.* LEHMAN. *l. 5. c. 1. in addit. p. 338.* quæ omnia an veritati ſatis conveniant, alii viderint.

§. 11. Nobilitatem in Imperio noſtro confert Imperator & Vicarii, non vero Rex Romanus niſi ex voluntate Imperatoris. Reges quoque Bohemiæ, Archiduces Auſtriæ & Comites Palatini Rhenani nobilitatem conferre poſſunt, ſed ſuis ſaltem ſubditis; De cætero nobilitas ab his collata, valet in toto Imperio, imo etiam aliis Rebuspublicis *v.* MAURIT. *de nobilitat. §. 8. ſeqq. v. ſupr. l. 1. c. 10. §. 26.* Status imperii nobilitatem, in Territorio valituram, etiam poſſunt impertiri *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 5. c. 3. §. 61.* licet diſſentiat MAURIT. *d. diſſert. §. 11.* atque ad illum effectum, Collegio Electorum jus nobilitandi forte etiam tribuendum erit, *v.* MAURIT. *d. l. §. 10.* quamvis LIMNÆUS *J. P. l. 6. c. 1. n. 31.* ſimpliciter ei illud adſcribat. Comites Palatini titulares illo jure non gaudent. MAURIT. *d. l. §. 11.*

§. 12. Nobilitas conferenda ſaltem erat, ob virtutes Reipublicæ utiles, ſed abuſus id ſæpe negligit *v.* MAURIT. *d. l. §. 15. 16.* AGRIPP. *de vanit. ſcient. c. 80.* De cætero collatio fit vel *expreſſe*, dato Nobilitatis diplomate quod quidem in Cancellaria Imperii expediendum eſt, vel *tacite*, dum munus nobile ab eo, qui poteſtate nobilitandi gaudet, eamque exercere ſolet, alicui conceditur. In Gallia etiam præſcriptione quadragenaria nobilitas acquiritur *v.* MAURIT. *d. l. §. 17. ſeqq.*

§. 13. Expreſſe collata nobilitas, ad liberos legitime natos tranſit in infinitum ex more ſeculi. Cenſetur autem ſufficere, ſi quis ex patre nobili generatus ſit, accedens tamen matris nobilitas ſplendorem auget. In nothos nobilitas non derivatur, hinc inſignibus familiæ etiam uti nequeunt, niſi uſu regionis id peculiariter ſit receptum, ut in Gallia *v.* LIMN. *J. P. l. 6. c. 6. n. 16.* Ignobiles à Nobili adoptati, hodie nobilitatem quoque non conſequuntur cum deficiat voluntas Imperantis, utut jure Romano aliud videatur obtinuiſſe *l. 13. 35. de adopt. l. 5. 6. 10. de Senat. v.* MAURIT. *d. l. §. 21. ſeqq.*

§. 14. Effectus collatæ nobilitatis eſt, quod Nobiles plebejis præferantur, ac inter ipſos etiam, pro ratione dignitatis obtentæ, aliquis ordo ſit. De cætero regulariter utuntur jure communi, aliquando vero

vero privilegiis quibusdam gaudent, in quibus tamen repræsentandis, scriptores non raro excedunt, quandoque etiam ad ineptias eunt. Speciminis loco nonnulla recensebimus: Ad falsa privilegia pertinet, quod Nobili, si legatus sit, fides habeatur, etiamsi non exhibeat literas credentiales; ad ridicula, quod uxores nobilium, non teneantur maritis lavare caput, cibos parare, lectum sternere, filios lactare & similia præstare *v.* MAURIT. *d. l. §. 32. seqq.*

§. 15. Ista vero plerisque probari solent (1.) quod pro Nobilibus, in dubio major, quam pro plebejis sit virtutis præsumtio *v. l. un. §. 1. de offic. Præf. prætor.* (2.) ipsis reverentia & honor debeatur, ac in specie illi reverenter sint salutandi *v. l. 3. C. de offic. diverf. jud.* (3.) quod Nobiles, ad collectas & munera publica non teneantur ac (4.) ob delicta regulariter mitius puniendi sint, nec in specie torturæ subjici debeant *l. 4. C. ad L. Jul. majeſt.* Licet vero illa non penitus fundamento destituantur, attamen, in eliciendis consectariis, plus justo nonnunquam interpretes sunt liberales; inhærendum igitur erit juri communi, quando exceptio liquido probari nequit *v.* MAURIT. *d. l. §. 35. seqq.* LIMN. *J. P. l. 6. c. 4.*

§. 16. Amitti dicitur nobilitas (1.) juris infamia *v. l. 2. C. de secund. nupt. l. 12. C. de dignit.* quæ tamen liberis regulariter non nocet (2.) exercitio vilis artificii, *v. l. 6. C. de dignit.* in quem censum omnia fere opificia referunt. Sed illo modo non tam tollitur, quam suspenditur saltem nobilitas, ut taceam, pravo sæpe judicio, artificia illa postponi functionibus, quibus Nobiles vacare solent (3.) mercatura *l. 3. C. de commerc.* sed hæc sententia neque textu, neque ratione nititur, hinc mercaturam Nobilitati non obesse dicendum est (4.) matrimonio fœminæ nobilis, plebejo nubentis *l. 8. de Senat. l. 13. C. de dignit.* & licet hoc, extra ambiguitatis aleam, esse dicatur, attamen verius est, tali matrimonio non tolli, sed quodammodo saltem suspendi nobilitatem *add.* MAURIT. *d. dissert. §. 57. seqq.*

§. 17. Præter existimationem generalem & velut fundamentalem, quam hactenus repræsentavimus, datur etiam inter subditos (1.) *specialis* & *temporaria*, quæ ex muneribus, vel peculiari vitæ genere dependet, ac, pro istorum diversitate, multiplex est, (2.) *communicata*, quæ, ob arctam conjunctionem, sine speciali Superioris concessione,

in alios redundat; Talem regulariter habent uxores & liberi *v. l. 8. de ſenator. l. 5. de curat. furioſ. l. 13. C. de dignit.* nam v. gr. uxor & liberi Doctoris, de exiſtimatione mariti & patris, quidem participant, ſed Doctoratus formaliter iis non competit. Alia tamen eſt ratio liberorum nobilium, hi enim non communicata, ſed propria, à facto licet patris, dependente gaudent dignitate *v. §. 5.*

§. 18. Cum igitur tam varia & multiplex Subditorum ſit exiſtimatio, hinc ſæpe non liquet, quænam dignitas, alteri præferri aut poſtponi debeat. Ex qua incertitudine frequentiſſimæ, de præcedentia, oriuntur lites, in quibus decidendis, ad poſſeſſionem, ſi propiora fundamenta deficiant, reſpici ſolet *v.* KULPIS *de jur. legat. c. 14. §. 34.* Non eſt ſane injuſtum, dignitate legitimæ acquiſitam tueri, modo faſtus abſit, ſed difficile eſt, hic modum tenere, & vanitas humana ſemper novas deproperat edere formas *v.* DN. HORN. *decad. de jure proëdriæ.*

§. 19. Ob diverſam illam Subditorum exiſtimationem, *Ordinationes politicæ* ferri ſolent, quibus convivia, res veſtiaria ſimiliaque diriguntur, quo quisque, ſtatui ſuo convenienter, illis utatur. Sed uti ſæpe, non aliam ob cauſam, illæ feruntur, quam quia potentiores tenuioribus vanitates velut invitent, aut, ſibi tantum luxui & vitiis indulgere licere, exiſtimant, ita plerumque etiam male ſervantur. Id magis cavendum eſt, ne dignitates ignaviam aliosque pravos mores alant, aut ad tenuiorum oppreſſionem evaleſcant.

CAPUT VIII.
DE ONERIBUS SUBDITORUM.

SUMMARIA.

Munerum civilium natura & diverſitas §. 1.
Sub iis continentur onera varii generis §. 2.
Eo pertinet tributum ſive collecta §. 3.
Ejus varietas §. 4. 5.
Onera imponuntur à Domino Territoriali §. 6.
Ac in iis imponendis juſtitia obſervanda eſt §. 7.
Contributio ſecundum as & libram, æqua ſed applicatu difficilis eſt §. 8.
Hinc aliis modis cenſus exigi ſolet §. 9.
Ad exigenda tributa opus eſt deſcriptione & cataſtro §. 10.
Quod aliquando emendari jubet æquitas §. 11.
Imponuntur tributa ſubditis §. 12.
Immunitas aliquando oritur ex conditione ſubjecti & objecti §. 13.
Aliquando lege, conſvetudine §. 14.

Privi-

Privilegio & præſcriptione tribuitur §. 15.
Monita quoad immunitatis acquiſitionem amiſſionem & effectum §. 16.
Ad tributa etiam tenentur forenſes §. 17.
Fiſcus in exigendis tributis ſequitur poſſeſſorem §. 18.
Qui tamen de ſuo non ſemper ſolvit §. 19.
Impoſitio tributorum debet fieri ob utilitatem publicam §. 20.
Moroſi ſubditi ad ſolutionem tributorum varie compelluntur §. 21.
Habet etiam fiſcus eo nomine tacitum pignus & prælationem §. 22.
Tributa exacta recte collocanda ſunt §. 23.

§. 1.

QUemadmodum conſervandæ Reipublicæ, ſumtus & operæ requiruntur, ita, à ſubditis illa præſtanda eſſe, ex natura ſubjectionis ultro apparet. Veniunt illa nomine *Muneris*, quod in genere eſt *actio* ſive *præſtatio, ad utilitatem Reipublicæ, à ſubdito ſuſcipienda, cum jure percipiendi commodum, aliquando conjuncta v. l. 18. 214. de V. S.* Diſtinguitur in perſonale, patrimoniale & mixtum *v. l. 1. 3. 6. 18. de muner.* Illud magis proprie *muneris*, iſtud & hoc, *oneris* nomine exprimi poteſt. Primo igitur de oneribus, poſtea de muneribus agemus.

§. 2. Onera ergo ſunt vel *patrimonialia* ſive *realia*, quæ ex bonis, præcipue immobilibus, præſtantur *l. 18. §. 21. de muner.* vel *mixta*, quæ perſonæ operam & ſumtus requirunt *d. l. 18. §. 26. 27.* quo præcipue pertinent ruſticorum operæ *v. c. 3. §. 23. ſeqq.* Realia iterum varie exiguntur, vel enim certa portio ex fructibus præſtatur *v. l. 9. C. de ſuſceptor. præpoſ. & arcar.* vel uſus rerum eſt concedendus, quo pertinet onus recipiendi milites *v. l. 3. §. 14. l. 18. §. 29. 30. de muner. l. 11. de vacat. & excuſ. mun. l. 5. C. de metat. l. un. C. de ſalg. hoſp. non præſt.* ſimiliaque *l. 18. §. 21. de muner. t. t. C. de curſ. publ. l. 1. 2. C. de nav. non excuſ. l. 7. C. de SS. Eccleſ. l. 7. C. de oper. publ. l. un. C. de tractor. & ſtativ.* vel denique ex rebus certa pecuniæ quantitas eſt ſolvenda.

§. 3. Hoc onus, tributi *l. 4. §. 2. de cenſ. t. t. C. de ann. & trib.* contributionis *l. 6. §. 4. l. 18. §. 23. de muner. l. 1. C. de apoch. publ. l. 32. §. 6. de admin. tut.* exactionis *c. 23. Cauſ. 24. qu. 3.* & collectæ *auth. item nulla C. de epiſcop. & Cler.* nomine venit. Blandiori loquendi genere, *collatio, ſubſidium, ſubventio, auxilium, preces, donum gratuitum* audit.

Germanice *Anlage, Steuer, Schoß, Schatzung, Hülffgeld*, barbare *Steura* & *Berna* dicitur *v.* ZIEGLER. *dissert de jure exig. collect. ad elocat. filiar. illustr. §. 2.* In genere Collectæ sunt *pensiones, in usum Reipublicæ, à subditis & sociis systematicis solvendæ v. l. 3. pr. de ann. legat.* ZIEGLER. *d. l. §. 3.*

§. 4. Intuitu Germaniæ distingvuntur in *Imperiales*, quæ in Jure publico explicantur *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 6. c. 2. §. 24. seqq.* & *Provinciales*, quæ hujus loci sunt. Hæ (1.) ab *indigentiæ diversitate* dispescuntur in *Ordinarias*, quæ ob consvetam Territorii necessitatem, & *extraordinarias*, quæ extra ordinem, ob emergentem aliquam causam, exiguntur *v. l. un. C. de vacat. publ. mun. l. 6. 8. §. 3. de vacat. & excus. mun. R. J. 1570. §. wiewol nun. 26.* in quem censum, in specie, refertur collecta, ad elocationem filiarum illustrium, exigi solita *Fräulein-Steuer v.* ZIEGLER. *d. dissert.* nec non aurum coronarium *Cronen-Steuer v. l. un. C. de aur. coron.* DN. STRYK. *dissert. de aur. coron.*

§. 5. Deinde (2.) ab *objecto* distinguuntur in collectas *rerum immobilium*, quæ de prædiis ac negotiationibus, & *mobilium*, quæ de cæteris bonis solvuntur, quales sunt collectæ animalium *v. l. 2. C. de immun. nem. conced.* capitatio *l. un. C. de capitat.* sive tributum capitis *l. 3. pr. de cens.* Accisia, quæ de iis, quæ ad victum & amictum spectant, solvi solet, & similes. Est autem ista tributorum diversitas, non plane negligenda, cum jura eorum, præcipue quoad nonnullorum immunitatem, diversa esse soleant. Illud quoque non infrequens est, ut collecta, præter ordinem introducta, in ordinariam aliquando degeneret.

§. 6. Imponuntur onera provincialia à Domino territoriali *vid. l. 214. de V. S. II. f. 56.* & mixta quidem, cum tenuiores tangant, fere pro lubitu, ac sæpe ultra modum; collectæ autem, cum consensu Statuum provincialium, licet hunc obicem nonnulli vel amoliti sint, vel removere conentur. Magistratui autem municipali, aut alii domino jurisdictionali, jus imperandi tributa non competit, sed ea, quæ Universitatum utilitas requirit, libero consensu conferri debent *v.* ZIEGL. *de jur. Majest. l. 2. c. 1. n. 16. seqq.* Interim negandum non est, quin aliquando Magistratus aliquod imperium acquirat, quo casu distributio onerum, ab Imperante impositorum, ei quoque adscribi potest *v.* CARPZ. *4. Resp. 72.*

§. 7.

§. 7. Uti autem optime facit Princeps, ſi cum ſubditorum conſenſu tributa imponat, ita his ad ſuffragium admiſſis, regulariter ſufficit, ſi major pars illa comprobet *v.* ZIEGLER. *d. l. 2. c. 3. n. 1. ſeqq.* De cætero, ſive unius, ſive multorum arbitrio hæc res determinetur, juſtitia exigit, ut juſta proportione, ſubditis onera imponantur, quo fine varia collectandi ratio adhiberi poteſt. Æquiſſima autem dubio procul eſt illa, quæ fit ſecundum æs & libram, qua unusquisque, pro modo fortunarum ſuarum, in uſus publicos, aliquid confert. *v.* ZIEGLER. *d. l. n. 24. ſeqq.*

§. 8. Sed uſus hujus modi eſt perdifficilis, nam primo magna ſubeſt difficultas in numero & æſtimatione bonorum ineunda, dein licet de eo ſinguli poſſeſſores certi tandem reddantur, veritatis tamen lubrica nimis eſt inveſtigatio, præterea, in tanto exactionum abuſu, ac inſidiatorum numero, ingenuæ profeſſionis non leve incommodum ac periculum ſubeſt *v. l. 2. C. de alim. pupill. præſt. l. 2. in med. C. quand. & quib. quart. pars.* Denique potentes & divites iſtum modum valde averſantur, quibus indigna res videtur, eadem, cum tenuioribus, claſſe cenſeri.

§. 9. Fere igitur ad capitationem, aut cenſum, ſecundum fumantes, ſolvendum devenitur *v.* ZIEGLER. *d. l. n. 49. 50.* vel de eſculentis, potulentis ac iis, quæ ad amictum ſpectant, particula decerpitur, aut pecorum tributum exigitur. Inprimis, ex rebus immobilibus & negotiatione cenſus, juxta certam quantitatem v. gr. ſexagenas, *nach den Schocken* vel rationem temporis, *nach den quatembern*, ſolet exigi, id quod, ex ſtatu cujusvis territorii, ſpecialius intelligendum eſt. De cætero omnes illi modi, cum aliqua iniquitate ſunt conjuncti, ob defectum tamen melioris, excuſari poſſunt.

§. 10. Semper autem, ad exigenda tributa, opus eſt aliqua deſcriptione, inprimis vero, quoad bona immobilia, requiritur cataſtrum, in quod illa, cum accurata deſignatione, referri debent *v. l. 4. de cenſ.* Debet autem illud fieri publica autoritate, vocatis iis, quorum bona deſcribenda ſunt, ac rebus eorum rite taxatis, illudque ad acta publica referri *v.* MEV. *p. 4. D. 34.* hujus libri, præter alias utilitates, ea etiam eſt, quod per eum, inter Rempublicam & profitentem, contractus veluti, de ſolvendis tributis, inducatur, hinc etiam immunis, ſi ſe in illum referre patiatur, privilegium perdit ZIEGLER. *d. l. n. 39.*

§. 11.

§. 11. Cum vero, in bonis deſcribendis vel æſtimandis, facile errari queat, præterea bona civium non ſemper in eodem ſtatu maneant, aliquando etiam, circa ſubjectionem, incidat mutatio, ideo cataſtra cenſitorum nonnunquam mutari & emendari jubet æquitas, hinc etiam gravati æſtimum inſpiciendum exigere poſſunt: mutationem vero eſſe ab eo faciendam, penes quem eſt jus imponendi tributa, ultro liquet. De cætero cataſtrum legitime confectum, plene probat, cum, qui illi inſertus eſt, imperio domini Territorialis ſubeſſe *vid.* ZIEGLER. *d. c. 3. n. 41. ſeqq.*

§. 12. Imponuntur tributa ſubditis, perpetuis & temporariis, plenis & minus plenis, & tamdiu quidem, pro neceſſitate ferendorum onerum, pronunciandum erit, donec exceptio probetur. Immunitas autem eſt vel *ordinaria*, quæ ex conditione ſubjecti & objecti reſultat, vel *extraordinaria*, quæ ex lege, conſvetudine, privilegio aut præſcriptione dependet ZIEGLER. *d. tr. c. 2. n. 1. 2.*

§. 13. Quodſi adeo tributum, ex certis rebus, ſolvendum ſit, eos, qui ejusmodi bona non poſſident, immunes eſſe, ultro patet. Inprimis ergo pauperes immunitate à tributis gaudent *l. 4. §. 2. de muner. l. 10. §. 3. de vacat. mun.* Ex rebus porro ſterilibus, quæ nullos fructus ferunt, tributum exigi nequit ZIEGLER. *d. c. 2. n. 3. ſeqq.* hinc ſi etiam per temporum injuriam, vel calamitatem bellicam ſimilemve, prædia deſerta fiant, exactio ceſſat, nec poteſt hoc onus cæteris imponi ZIEGLER. *d. tr. c. 3. n. 42. ſeqq.*

§. 14. Lege immunitas tribui ſolet Clericis, Principum Conſiliariis, Profeſſoribus, Doctoribus, Advocatis & Militibus, ſed illa nec per omnia ſatis liquida eſt, nec ad bona immobilia facile extendi debet *v. l. 10. de vacat. muner.* ZIEGLER. *d. c. 2. n. 14. ſeqq.* Ex conſvetudine immunitatem nonnunquam habent Senatores à quibusdam oneribus, ut & Nobiles ratione bonorum allodialium, nam feudalium propria eſt ratio, ex quibus, loco tributorum, ſervitia præſtantur *v.* ZIEGL. *d. l. n. 47. ſeqq.* MAURIT. *diſſert. de nobilit. §. 40.* etſi cum aliæ rationes, tum præcipue neceſſitatis caſus, tributis illa bona quandoque ſubjiciant *v. R. J. 1544. §. 27.* CARPZ. *4. Reſp. 70. 71.*

§. 15. Privilegio quoque, ab oneribus, quidam immunes aliquando redduntur *l. 11. de vacat. muner.* ſed ejusmodi privilegia rariſſime con-

concedi, conceſſa autem concedenti Principi, non aliis ſubditis nocere, ac ſtricte explicari debent *v.* ZIEGLER. *d. c. 2. n. 43. ſeqq.* Denique immunitas etiam præſcriptione immemoriali acquiri poſſe cenſetur *v. l. 7. C. de fund. rei privat.* nam non improbabile eſt, Imperantem legibus poſitivis, quibus ipſe uti ſolet, contra ſubditos, ſe quandoque ſubjicere, nec tamen eodem plane modo, vim legum erga ſe admittit *v. l. 6. C. de præſcript. 30. vel 40. ann.* ZIEGLER. *d. l. 2. 52.*

§. 16. In genere autem circa immunitatem notari ſolet (1.) quod vix ſine peccato affectari queat, præſertim ſi onus, ad reliquos devolvatur (2.) unico actu contrario amittatur *v. l. p. §. f. de vacat. mun. l. p. §. f. de jur. immun.* (3.) quod ad extraordinaria onera, quæ inevitabilis neceſſitas imperat, illa non pertineat *v. l. 18. §. 24. de muner. l. 5. C. de SS. Eccleſ. l. 1. C. ut nem. lic. in emt. ſpecier.* ZIEGLER. *d. c. 2. n. 53. ſeqq.* Ex hoc tamen non ſequitur, quod ad extraordinaria onera, indiſtincte omnes teneantur, nam ſi cauſa quosdam non tangat, illi jure communi immunes ſunt. Sic ſi, ad avertendum incendium, hoſti aliquid ſolvendum ſit, illi, qui agros tantum poſſident, nihil, perfecta obligatione, conferre tenentur *v. l. 2. §. 3. ad L. Rhod. de jact.* ZIEGLER. *d. l. n. 67. 68.* RICHTER. *p. 2. D. 70. n. 51.*

§. 17. Forenſes ad tributa non teneri, multi exiſtimant, cum non ſint ſubditi *l. 6. §. f. de muner. l. 17. §. 5. ad municip. l. 4. C. de incol. R. J. Spir. 1542. §. dieweil aber 68. R. J. 1544. §. damit nun ſolcher 45.* niſi onera ſimpliciter, poſſeſſoris nulla habita ratione, ſint impoſita *l. 6. §. 4. 5. l. 18. §. 21. 22.* Sed, regulariter illos ad onera ferenda, obligari, omnino dicendum eſt, licet enim non ſint municipes vel incolæ, quod volunt textus juris Romani, attamen ſubditi, ratione rerum ſuarum, omnino ſunt, nec hoc in *d. R. J.* negatur, ſed in theſi ſaltem ibi aſſeritur, quod ſubditi onera ferre debeant, quis verò in illum cenſum referri debeat nec ne, ibi non definitur. Quodſi autem cauſa in forenſem non quadret, tum eum immunem eſſe, facile liquet, quemadmodum etiam dubitari non debet, quin ab uno alterove onere, immunitas ei ſpecialiter concedi queat *v.* ZIEGLER. *d. c. 2 n. 63. ſeqq.*

§. 18. Cum autem prædiorum poſſeſſores aliquando mutentur, fiſcus quidem, in exigendis tributis, ſemper præſentem ſequitur *l. 7. de public.* qui tamen aliquando ipſe onera fert, aliquando ab alio illa

repetit. Sic emtor tributa anteceſſori impoſita ſolvere debet, ſed ab hoc, quod ſolvit, recuperat, niſi aliter conventum ZIEGLER. *d. c. 2. n. 66.* Tale autem pactum, quo venditor tributa, impoſterum ſolvenda, in ſe recipit, neque ratione fiſci, neque paciſcentium, valet *l. 2. C. ſine cenſ. & reliq. Deciſ. Saxon. 65.* ZIEGLER. *de J. M. in mantiſſ. ad l. 2. c. 4.* BERG. *in reſolut.* LAUTERB. *de A. E. V. qv. 7.*

§. 19. Uſufructuarius vero, onera, tam ordinaria quam extraordinaria ſuſtinere debet, niſi forte fructuum quantitatem excedant ZIEGL. *d. tr. l. 2. c. 3. n. 36. ſeqq.* videtur tamen id accipiendum de uſufructuario, qui titulo lucrativo rem tenet *l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. de uſufr. l. 28. de uſufr. legat.* nam ſi oneroſo eam habeat, onus potius ad proprietarium pertinebit, cum pro re pretium acceperit, niſi aliter conventum ſit. Creditores quoque antichretici, id quod ſolverunt, à domino repetunt, vel in debitum imputant *l. 6. C. de pignor. v.* ZIEGLER. *d. c. 3. n. 35. 38.* Idem dicendum de inquilinis & colonis *l. un. §. 3. de via publ. l. 2. C. de ann. & tribut. l. 36. de uſur. l. 38. 39. de uſufr. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 615.* Domini autem temporarii vel utiles onera ferre debent *v. l. 13. de impenſ. in res dot.*

§. 20. Impoſitio tributorum debet fieri ob utilitatem publicam, quæ multiplex eſſe poteſt, ab hoc fine ſi abeatur, per injuriam illa & imponuntur & exiguntur *v.* ZIEGLER. *d. tr. l. 2. c. 4.* In ſpecie quæritur, an ad elocationem filiarum illuſtrium ſubditi conferre teneantur? quod quidam negant, alii ſimpliciter, quidam vero, ſub illa limitatione, affirmant, ſi cum conſenſu ſubditorum impoſitio fiat, vel immemoriali præſcriptione jus collectandi Princeps acquiſiverit *v.* ZIEGL. *diſſert. de jur. exig. collect. ad elocat. filiar. illuſtr. §. 9. ſeqq.* Ego non dubito, quin, ob hanc cauſam, collectæ recte imponantur, modo abuſus abſit, qui tamen, ut alio, ita hoc etiam reſpectu, ſæpe occurrit, ac non injuſtas ſubditorum provocat querelas.

§. 21. Subditi moroſi, ad ſolutionem tributorum, varia ratione compelli ſolent (1.) proceſſu ſummario, adeo, ut in cauſa liquida & urgente, appellatio non admittatur *v. l. 4. 8. C. quor. appell. non recip.* nec poſſit fiſco compenſatio obverti *l. 3. C. de compenſ. l. 46. §. 5. de jur. fiſc.* (2.) rerum diſtractione *l. 1. 2. C. ſi propt. publ. penſit. l. 8. C. de exactor. tribut. l. 5. §. 2. de cenſ. l. 45. §. 10. de jur. fiſc.* (3.) pignoris capione

v. l. 7.

v. l. 7. 8. C. quæ res pign. oblig. (4.) incarceratione, quæ tamen jure civili non obtinuiſſe videtur *v. l. 2. C. de exactor. tribut.* (5.) multa, &, qui uſitatiſſimus exigendi modus eſt (6.) manu militari, ſive immiſſis executoribus *v. l. 1. C. de offic. præf. Aug. l. 2. §. 11. C. de offic. præf. prætor. Afric.* ZIEGLER. *de jur. majeſt. l. 2. c. 3. n. 51. ſeqq.*

§. 22. Poſſunt illa admitti, ſi tributa, ob juſtam cauſam, ſint impoſita, ac in ſubditis aliqua occurrat contumacia. Sed, intra illos limites, exactiones publicas ſemper conſiſtere, nemo facile dixerit. Aliás, ob non ſoluta onera, fiſco competit tacitum pignus in omnibus debitoris bonis & privilegium prælationis *l. 1. C. ſi. propt. publ. penſit. l. 1. C. in quib. cauſ. pign. tac.* Si vero, contracto tributi debito, fundus ad alium pervenerit, novi hujus poſſeſſoris bona in genere non ſunt obligata, ſed ſaltem res noviter accepta *v. l. 3. C. de præd. & omn. reb. navicul.* ZIEGLER. *d. c. 3. n. 56. ſeqq.*

§. 23. Tributa exacta fideliter ab iis, quorum curæ commiſſa ſunt, adminiſtrari, ab Imperante vero recte collocari debent, ſed, hoc officium enormiter ſæpe violari, experientia docet *v.* PERETZ. *ad C. de exact. tributor. n. 29. 30.* Uti autem perfidi adminiſtratores dignis ſuppliciis merito ſunt coercendi *v. l. 1. 2. C. de his qui ex publ. ration.* ita Imperantem, ad tributa, quæ ultra modum exacta, aut male collocata ſunt, ſubditis reddenda, in conſcientia teneri, rerum moralium ſcriptores recte aſſerunt, quorum nonnulli etiam cenſent, ſubditos, abuſum collectarum certo ſcientes, ad illas ſolvendas in conſcientia haut obſtringi *v.* ZIEGLER. *d. c. 3. n. 52. c. 4. n. 7.* conf. GERDES. & WILDVOGEL. *diſſert. de collect.*

CAPUT IX.

DE MUNERIBUS PUBLICIS.

SUMMARIA.

Munerum perſonalium varietas §. 1.
Conſtitutio §. 2. Et ſubjectum §. 3.
Obligatio ad ea ſuſcipienda §. 4.
Immunitas conceſſa quibus profit §. 5.
Recte illa & conferenda & ambienda ſunt §. 6.
Circa ea aliquando occurrit crimen ambitus §. 7.
Munere obtento recte quis fungi debet §. 8.
Crimen reſidui & repetundarum hic non infrequens eſt §. 9.
Quinam hoc committant §. 10. 11.
Exinde oritur obligatio ad damni reſtitutionem & pœnam §. 12. 13. 14.
Munera certis modis deſinunt §. 15.
Eorumque varia ſunt exempla §. 16.

§. 1.

NUnc de his etiam dicendum erit *v. §. 1. cap. præc.* Distingvuntur (1.) ab *adjuncto*, in *onerosa*, quæ, sine aliqua compensatione, præstari debent, tale est e. gr. tutela, & *lucrativa*, quæ salario pensantur. Deinde in *Honorata*, quibus dignitas aliqua adhæret, & *Inhonorata*, quæ hac carent, utraque gradibus suis amplius discernuntur *v. l. 6. §. 3. l. 12. 14. pr. l. 18. §. 2. de muner. l. 12. seqq. C. de excus. mun.* (2.) ab *objecto*, in *publica* & *privatâ v. l. 14. §. 1. de muner. l. 1. §. f. l. 18. §. 1. eod. l. 6. §. 15. de excus. tutor.* quæ posteriora, ratione finis, nihilominus etiam sunt publica *pr. I. de excus. tutor. l. 9. de his qui sui vel alien. jur.* (3.) à *durationè* in *perpetua*, quæ ad mortem usque durant, & *temporaria* quæ post aliquod tempus desinunt.

§. 2. Constituuntur munera mutuo consensu, delatione scilicet & acceptatione. Deferunt autem munera, penes quos eorum dispensandorum est arbitrium *v. l. 214. de V. S.* Aliquando igitur illa confert solus Imperans, aliquando Magistratus municipalis *v. l. 9. de muner. l. 6. §. 2. de tutel. v. c. 2. §. 15. h. l.* plerumque autem collegium aliquod & Imperans, in deferendo munere, concurrunt, id quod ex legibus cujusvis Territorii specialius intelligendum est.

§. 3. Deferuntur munera certis personis, in quibus habilitas merito adesse debet. Ut cives & incolæ sint, aliqui requirunt *l. 17. §. 13. ad municip. l. 4. C. de incol.* quod ad munera onerosa referendum videtur, aut si magistratus inferior munus conferat, nam Imperanti utique integrum erit, etiam extraneo munus conferre, qui tamen, eo suscepto, subjectione plerumque constringitur, vel saltem, ratione functionis suæ, Reipublicæ subjicitur. Subditos autem, ad munera suscipienda, obligari, ac adeo invitos compelli posse, ex natura subjectionis facile intelligitur *v. l. 9. 14. §. 6. de muner. l. 13. §. 2. de vacat. muner.*

§. 4. Sed uti, quoad munera lucrativa, vix opus est, aliquam obligationem asserere, cum illa non declinari, sed magno studio ambiri soleant, ita circa onerosa etiam, non adeo rigida est obligatio, ut non aliquando munus deprecari liceat, nam excusant sexus *l. 3. §. 3. de muner. l. 2. de R. J.* ætas, vel nimis tenera *l. 8. de muner. l. 2. pr. de vacat. mun.*

rium. l. 11. de decur. vel provecta *l. 2. §. 1. de vacat. l. 3. de jur. immun. l. 11. de decur.* invaletudo *l. 2. §. 7. de vacat. l. 3. C. qui morb. se excus.* numerus liberorum *pr. I. de excus. l. 2. §. 1. de vacat. t. t. C. de his qui num. liber. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1476. 1477.* similiaque *v.* LAUTERB. *C. J. de vacat. muner.*

§. 5. Immunitas concessa personis cohæret, nec ad hæredes transit *l. 3. §. 6. de muner. l. 1. §. 1. l. 5. §. 4. de jur. immunit. l. 13. C. de excus. muner.* aliquando tamen conjunctis prodest *l. 6. C. de profess.* imò nonnunquam posteris etiam concedi solet *l. 4. de jur. immun.* quo casu tamen, ad descendentes agnatos, tantum pertinet *l. 1. §. f. eod. l. 13. de muner.* Collegio concessa immunitas, perpetua est *l. 5. §. 12. de jur. immun. l. 7. §. 2. quod cujusque univ. nom.* Ea vero omnia, quatenus merè positiva sunt, arbitrio Imperantis subjacent *add.* LAUTERB. *C. J. de vacat. muner.*

§. 6. De cætero munera provido consilio conferenda sunt *v. l. 11. 14. §. 3. de muner.* sæpe tamen non aptitudinis, sed aliarum circumstantiarum haberi rationem, ac collationem non ex rationibus utilitatis publicæ, sed privatæ, expediri, experientia docet. Non minus etiam, in ambiendis muneribus, quivis conscientiam excutere, adeoque ea, quibus obeundis vel inidoneus, vel impar est, cum læsione aliorum, non affectare, aut, quando petere licet, importunis precibus nihil extundere debebat, verum, hic etiam pravos mores inoleviſſe, negari nequit, qui tamen hactenus extra crimen sunt.

§. 7. Si quis verò pecunia iis, quibus accipere non licet, soluta, munus redimat, tum *crimen ambitus* committit, quod jure Romano aliquando extra pœnam, aliquando, & præcipue quidem jure recentiori, punitum fuit *v. l. un. ff. & C. de ambit. Nov. 8. c. 1. 7. 8. Nov. 161. l. 16. C. si cert. petat.* DN. D. WINCKLERI *dissertat. de ambit. hab. Heidelberg. 1690.* conf. MATH. *de crimin. l. 48. tit. 11. c. 1. 2.* ZOES. *ad ff. de ambit. n. 4. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1358.* Hodie prohibitiones quidem non cessant, sed rarò observantur. In nonnullis civitatibus, eludendæ ministrorum avaritiæ, munera palam venduntur, quod nec jure Romano plane inusitatum fuisse videtur *v. l. 1. §. 1. l. 6. 9. 14. de pollicit.* quo instituto utrum crimen ambitus sit sublatum, an canonisatum, non satis liquet.

§ 8. Quando quis munus obtinuit, tum vel communia legis naturalis decreta exigunt, ut quis eodem recte fungatur, hoc adeo ut quis præſtare poſſit, cognitio tum ipſius muneris, tum eorum, quæ hoc requirit, eſt neceſſaria. Sed hac etiam in parte frequenter exceditur, nam vel ex ignorantia, vel propoſito munus negligitur, cujus exceſſus pœna maximè naturalis fuerit, ſi ei, qui munus concreditum, obire vel non poteſt, vel nonvult, illud auferatur. Aliquando munere, ad alios lædendos, quidam abutuntur, qui tamen exceſſus, cum ſub ſpecie recti exerceatur, ferè extra pœnam eſt.

§. 9. Inprimis duo delicta, circa munera, committi ſolent (1.) crimen reſidui, de quo *l. 5. c. 2. §. 10.* dictum, (2.) crimen repetundarum ſive Dorophagia, *qua in munere publico conſtituti dona accipiunt, quo magis vel minus officium faciant v. l. 6. pr. §. 2. l. 7. §. 2. de L. Jul. repet.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1350.* Repugnat hoc delictum juri naturali, nam accipiens, perfidus, dans verò ultrò, perfidiæ autor eſt; Iſtam prohibitionem naturalem, apud Romanos, cum aliæ leges, tum præcipue lex Julia, confirmarunt, addita ſanctione pœnali *v.* MATH. *de crimin. l. 48. tit. 8. c. 1. n. 1. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1349. 1351.*

§. 10. Prohibentur in munere publico conſtituti, accipere dona *l. 1. de L. Jul. repet.* quo magis aut minus officium faciant *l. 3. 4. ff. h. l. 2. §. 2. de condict. ob turp. cauſ.* & nihil refert, ſive immediate, ſive mediate per alios, ut uxorem & liberos, ſive durante ſive finito officio *l. 1. fin. C. de L. Jul. repet.* MATH. *d. l. c. 1. n. 8.* donatione vel venditione aut locatione *l. 8. §. 1. ff. eod.* datione vel promiſſione *l. 1. & auth. ſeqq. C. de pœn. judic.* aliquid accipiant.

§. 11. Pecuniam corrumpendi gratia offerre, quoque prohibitum eſt *l fin. C. de L. Jul. repet.* nam perinde peccat, qui perfidiæ autor eſt, quam qui perfidiam committit. Xenia tamen i. e. eſculenta & potulenta, quæ paucis diebus abſumi poſſunt, licite dari & accipi poſſe cenſentur *l. 18. de offic. præſ.* quemadmodum etiam, à cognatis & uxore, dona offerri *l. 1. §. 1. l. 7. §. 1. de L. Jul. repet.* & magiſtratus urbani, quotannis, usque ad centum aureos accipere poſſe videntur *l. 6. §. 2. eod.* Sed & forte illa referenda ſunt ad eum caſum, quo, ſine conſideratione certi alicujus negotii, benevolentiæ & honoris cauſa, aliquid datur,

tur, nam hoc uti naturaliter licitum eſt, ita à Romanis nihilominus quodammodo limitatum videtur, ne, ſub hoc colore, fraus legi fieret *add.* MATH. *d. l. c. 1. n. 9. 10.* CARPZ. *qv. 93. n. 52. ſeqq.*

§. 12. De damni reſtitutione & pœna, res jure Romano non ſatis liquida videtur, forte tamen ita dicendum: Si officialis aliquid extorſerit, tum quadruplum reddere tenetur, quod totum quidem ab initio, læſo ceſſit *l. 1. C. ad L. Jul. repetund.* poſtea vero, inter eum & fiſcum, dividi cœpit *l. 3. C. de aſſeſſor. v.* MATH. *d. tit. 8. c. 2. n. 5. 6.* de cætero ab hæredibus quoque lædentis exigitur *l. 2. de L. Jul. repetund. l. fin. ad L. Jul. pecul. l. 20. de accuſ. l. 2. C. ad L. Jul. repetund.* Potuit etiam criminaliter ad pœnam duriorem, agi *l. 7. §. fin. de L. Jul. repet. l. 38. §. 10. de pœn. l. 1. 2. de concuſſ.* quo caſu læſus ſuum recuperavit condictione ob turpem cauſam *l. 3. C. de condict. ob turp. cauſ.*

§. 13. Si quis autem ſponte dedit, tam accipiens, quam dans quadruplo punitur, quod fiſco cedit *l. fin. C. ad L. Jul. repetund.* ſi tamen dans ſponte factum confeſſus ſit, ipſe veniam meretur, ſed accipiens, pro caſuum diverſitate, triplo vel duplo multatur *auth. novo jure C. de pœn. jud. v.* MATH. *d. c. 2. n. 6.* & etiam hoc caſu pœna ab hæredibus poterit exigi, per ea, quæ *§. præc.* adduxi. Si gravius delictum ſubſit, pœna durior delinquentibus imponitur *l. 7. §. f. de L. Jul. repet. l. 38. §. 10. de pœn.* MATH. *d. l. n. 4.*

§. 14. Quodſi in ſpecie judex corruptus male judicaverit, tum, præter pœnam modo adductam, ſententia eſt ipſo jure nulla *l. 7. C. quand. provoc. non eſt neceſſ.* corrumpens cauſa cadit *l. 1. C. de pœn. jud. mal. judic.* ac judex læſo ad ſolidam litis æſtimationem tenetur *l. fin. C. eod.* Omni etiam caſu, res data fit vitioſa *l. 8. de L. Jul. repet. add.* LAUTERB. *C. J. d. t.* Quid hodie obtineat, vix liquet, cum raro hoc delictum puniatur, auſim tamen dicere, varias illas pœnas non obſervari, ſed delinquentem arbitrarie puniri *add.* MATH. *d. tit. 8. c. 3.* de quibus etiam dictum *lib. 5. c. 9. §. 14. ſeqq.*

§. 15. Deſinunt munera (1.) *morte* in iis tamen regionibus, in quibus illa venduntur, hæredibus pretium quandoque eſt reſtituendum, dantur etiam aliquando munera hæreditaria (2.) *elapſo tempore*, quod inprimis, quod oneroſa munera obtinet (3.) *ceſſante qualitate*, ob quam illa delata (4.) *delicto*, propter quod quis à munere removetur

tur (5.) *renunciatione*, quæ cuivis regulariter conceſſa eſt, cum Respublica inde non lædatur. Non tamen ſicut quis muneri ſuo renunciare poteſt, ita vice verſa deferenti illud etiam revocare licet, nam illud innoxium, hoc vero cum magno ejus, qui munus ſemel obtinuit, incommodo conjunctum eſt, ex qua adeò diverſitate, diverſum jus non immerito aſſeritur.

§. 16. Eſt de cætero magna munerum varietas, & non raro peculiaria quædam, in certa aliqua civitate, occurrunt *v. l. 18. de muner.* In ſpecie in jure Romano memorantur Legatio *t. t. de legat.* adminiſtratio rerum publicarum *t. t. de adminiſtr. rer. ad civit. pertin.* & cura operum publicorum *t. t. de publ. oper. v.* LAUTERB. *C. J. d. t. t.* In his aliisque, generalia, ſemper ſunt eadem, ut nempe quis legitime munus acquirat, ac obtento recte fungatur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1481. ſeqq.* Sed ſpecialia, ex habitu cujusvis muneris, ſunt intelligenda, quæ hic tradere non licet *add.* SCHILT. *diſſert. de Secretar.* quæ *exercitationi quintæ ad ff.* ſubjecta eſt.

CAPUT X.
DE JURISDICTIONE.

SUMMARIA.

In omnibus civitatibus occurit munus judicis §. 1.
Hujus requiſita §. 2.
Conſtitutio §. 3.
Officium §. 4.
Ejusque neglectus §. 5.
Jurisdictionis diverſa acceptio §. 6.
Formaliter ſuppoſitæ indoles §. 7.
In dijudicanda jurisdictione ad ſtatum Reipublicæ reſpiciendum §. 8.
Ex uſu Germaniæ jurisdictio eſt ordinaria & extraordinaria §. 9.
Illa eſt civilis & criminalis §. 10.
Illius duæ ſunt partes, cognitio & executio §. 11.
Jus exequendi dicitur mixtum imperium §. 12.
Quæ denominatio inania peperit litigia §. 13. 14.
Civilis jurisdictio diſcernitur etiam in voluntariam & contentioſam §. 15. 16.
Indoles jurisdictionis criminalis §. 17.
Diſcrimen civilis & criminalis jurisdictionis aliquando eſt incertum §. 18.
Porro jurisdictio diſtinguitur in eccleſiaſticam & ſecularem, allodialem & feudalem §. 19.
In eam quæ in proprio & alieno territorio exercetur §. 20.
A modo habendi, in ordinariam & extraordinariam §. 21.
Quæ diviſio hodie ceſſat §. 22. 23.
In perſonalem & patrimonialem §. 24.
Modus hanc concedendi §. 25.
Defenditur remediis poſſeſſoriis §. 26.
Et petitoriis, ac certis modis amittitur §. 27.
Denique diſtingvitur jurisdictio in propriam & communicatam §. 28.
Uſus hodiernus jurisdictionis mandatæ §. 29.
Et prorogatæ §. 30.
Actionis de albo corrupto hodie nullus uſus §. 31.

§. 1.

§. 1.

USitatissimum, in omnibus Rebuspublicis, est *munus Judicis*, de quo adeo seorsim quædam dicenda sunt. Judex generaliter acceptus, est *persona*, *potestatem causas controversas dirimendi*, *ex concessione Imperantis*, *vel consensu privatorum*, *habens*. Qui causas dirimit, ex consensu privatorum, *Arbiter*, qui autoritate publica, *Judex in specie* dicitur, ad quem, in hac tractatione, potissimum respicimus.

§. 2. Ad judicem, si ipse actu judicare debeat, requiritur usus rationis, integri sensus, quatenus hi, ad illius exercitium sunt necessarii, & legum peritia *v. Nov. 82. pr.* præterea vero, leges positivæ ratione ætatis, sexus, libertatis, existimationis & conjunctionis, quædam specialius definire solent *v. l. 12. §. 2. l. 77. 78. de judic. l. 10. de jurisdict.* v. LAUTERB. *C. J. de judic.* verbo: *judex*. Sed cum hodie jurisdictio in patrimonium sæpe concedatur, ideo illa requisita non adeo stricte observantur. Imo cum illi etiam, qui actu judicant, fere ex aliorum pendeant consilio, hinc vix alia juris peritia in iis exigitur, quam ut processum utcunque intelligant.

§. 3. Constituuntur judices, *delatione* ejus, penes quem illius rei arbitrium est, & *acceptatione* futuri judicis, quam acceptationem jurejurando plerumque confirmare tenetur *v. l. 14. C. de judic.* quæ ex legibus cujusvis Territorii, specialius intelligenda sunt. Sed illa pertinent, ad judices actu tales, nam jurisdictio patrimonialis iisdem titulis acquiritur, quibus alia jura consequimur. Is autem, qui eo modo jurisdictionem tenet, si habilis sit, eam ipse exercere potest *v. Decis. Saxon. 39.* sed plerumque illa aliis mandatur. Alicubi etiam licitum est, subditos, coram proprio judicio, convenire, quo instituto tamen illis parum prospicitur *v. Ord. Proc. Saxon. tit 2. §. fin. ibique* MARTIN. *in comment.*

§. 4. In Judice constituto occurrit (1.) *obligatio*, quæ ejus *officium* dirigit (2.) *jus* sive *potestas judicandi*. Officium judicis, est *actio*, *obligationi injunctæ attemperata*, *vel attemperanda*. Dividi solet in *Nobile* & *Mercernarium v. l. 10. 38. de hæred. petit. l. 49. §. 1. de A. E. V. l. 54. pr. locat. l. 82. §. 2. de legat. 1. §. 9. l. eod.* quæ divisio, ex fori corruptione

videtur habere originem. Obligatio autem judicis quæ ſit, ex fine muneris injuncti, facile intelligitur: Debet ſcilicet ortas controverſias legitime componere, hinc (1.) inter partes amicabilem compoſitionem tentare, &, hac deficiente (2.) ſecundum leges, ſepoſitis pravis affectibus, litem dirimere tenetur *v. l. 52. §. 2. ad L. Aquil. l. 74. de judic. l. 9. C. eod. Nov. 82. c. 13. pr. I. de offic. judic. l. 13. C. de ſentent. & interloc. Nov. 126. c. 1. can. 3. diſt. 4.*

§. 5. Utrum judex ſecundum acta & probata, an conſcientiam judicare debeat, diſputari ſolet *v.* FRANSK. *l. 2. Reſol. 22.* Quæ quæſtio uti rariſſimè uſum habebit, ita putem, actis & conſcientia inter ſe luctantibus, neutrum ipſum facere, ſed depoſita perſona judicis, teſtem agere debere. Quodſi Judex officium negligat, vel neglecturus præſumatur, tum dicitur *ſuſpectus*, quod vitium, ex iisdem fere circumſtantiis colligitur, ex quibus teſtis fit ſuſpectus *v.* LAUTERB. *C. J. de judic.* verbo: *ſuſpectum judicem.* Contra illum ergo comparata eſt *Exceptio judicis ſuſpecti v. l. 16. C. de judic. c. 5. X. de except.*

§. 6. Jus, quod Judici competit, ſi in ſe ſpectetur, *Jurisdictio*, ſi ratione litigantium, vel minimùm Rei, *Competentia*, ſtilo forenſi dicitur, de utraque ſpecialius nonnihil agendum erit. Jurisdictio ſumitur vel *eminenter*, pro parte imperii civilis, quo ſenſu illa etiam Statibus imperii tribuitur, vel *vulgariter*, hoc ſenſu iterum accipitur vel *materialiter*, pro diſtrictu, in quo illa exercetur *§. 4. I. de attil. tutor. l. 6. §. 10. de injuſt. rupt. irrit.* qui Saxonica denominatione, *Weichbild* dicitur *conf. l. 3. de offic. Præſ.* vel *formaliter* pro ipſo jure.

§. 7. Hoc reſpectu, generaliter eſt *juris dicendi poteſtas*, ſpecialiter vero eſt *publica*, ab Imperante ſcilicet conceſſa, *juris dicendi poteſtas.* Reſpicit ergo Jurisdictio omnis generis controverſias, civiles & criminales, eaque ſuppoſitio, uti maxime naturalis eſt, ita nec juri Romano repugnat *v. l. 2. §. 16. 23. de O. J. l. 7. §. 2. de offic. proconſ. l. 1. pr. de offic. ejus cui mand.* utut hoc plerumque jurisdictionem ſtrictius accipiat pro ſola civili *l. 1. 3. de jurisd. l. 1. §. 4. de ſuſp. tutor.* Sed in Germania prior ſuppoſitio ſemper obtinuit, licet interpretibus, ex inolito præjudicio, nonnunquam aliter videatur.

§. 8. Cum autem jurisdictio, ex conceſſione vel promiſſione Imperantis, dependeat, hinc manifeſtum eſt, quod, in ea dijudicanda, ad ſta-

ſtatum cujusvis Reipublicæ, primario ſit reſpiciendum; Interim cum Respublicæ in nonnullis conveniant, in quibusdam vero differant, hinc idem, ratione jurisdictionis, deprehendere licet. In Germania igitur jurisdictio Summorum imperii Tribunalium, & ipſorum Statuum occurrit, quæ in Jure publico explicatur, ac hic præſupponitur, præterea vero in Territoriis, Magiſtratus dependentes jurisdictione gaudent, quæ hujus loci eſt.

§. 9. Dantur autem variæ ejus ſpecies, quarum nonnullæ, in jure Romano, etiam occurrunt. Nos ſi non omnes, potiores tamen, juxta certos reſpectus, adducemus. Ex uſu igitur Territoriorum germanicorum, Jurisdictio eſt vel *ordinaria*, quæ, in modum regulæ, ab Imperante conſtituitur, vel *Extraordinaria*, quæ vel, præter regulam, ab ipſo conceditur, vel pacto privatorum tribuitur, eo pertinet Jurisdictio Commiſſariorum & Arbitrorum.

§. 10. Ordinaria ab *objecto* & *modo habendi* varie iterum dividitur. Nimirum ab *objecto* Jurisdictio diſtingvitur (1.) in *civilem*, quæ circa cauſas pecuniarias & leviora delicta, ac *criminalem*, quæ circa graviora crimina occupatur. Civilis etiam dicitur, *inferior*, *baſſa*, *erbgerichte* & *Vogteia*, quod nomen tamen valde ambiguum & incertum eſt *v.* LINCK. *diſſert. de Vogteia* Criminalis jure Romano *merum imperium* & *poteſtas gladii* vocatur *l. 3. de jurisd. l. 6. pr. de offic. proconſ.* Hodie audit Jurisdictio *Superior*, *Alta*, *Obergerichte*, *Blutbann*, *Centena*, *Fraisliche obrigkeit*, ſed hæc poſteriora nomina ſunt etiam valde ambigua *v.* LINCK. *diſſert. de Centen.* add. CARPZ. *Proc. tit. 2. art. 1. p. 3. qu. 109. 1. Reſp. 49.*

§. 11. Jurisdictio civilis conſtat duabus partibus *cognitione* & *executione*, prior, apud Romanos, vel inſtituebatur juxta formulam præſcriptam, vel, liberiori judicio, juxta jus conſtitutum: Illa *notio* dicebatur *l. 5. de re judic. l. 99. de V. S.* ac competebat judicibus pedaneis *t. t. C. de pedan. judicib.* Hæc vero, *jurisdictio in ſpecie* vocata, à Magiſtratibus exercebatur *l. 3. de jurisdict. l. 6. §. 2. de tutel.* Sed, in Germania, hoc diſcrimen nunquam obtinuit, hinc cognitio fit tantum juxta jus conſtitutum.

§. 12. Facultas exequendi jure Romano dicitur *mixtum imperium*, quod facultati cognoſcendi cohæret *l. 3. de jurisdict. l. 1. §. f. l. c.*

§. 1. de offic. ejus cui mand. interdict. de cætero executio, contra invitos, varie fieri poteſt, manu militari *l. 68. de R. V. l. 3. pr. ne vis fiat ei qui.* captis pignoribus multa vel corporis retentione *l. 9. §. f. ad L. Jul. pecul. l. 4. §. 2. de damn. infect. l. un. pr. ſi quis jus dic. non obtemper.* Pertinent autem, ad jurisdictionem Civilem & mixtum imperium etiam actus ſplendidiores *v. l. 3. 4. de jurisd. l. 2. §. 1. quis ord. in poſſ. l. 5. pr. de V. O. l. 3. ne vis fiat ei l. f. C. ubi & apud quem cognit.* ac omnibus magiſtratibus illa jura competunt, non tamen in eodem gradu *v. l. 26. ad municip. l. un. pr. ſi quis jus dic. non l. 5. C. de defenſ. civit. l. 131. de V. S.*

§. 13. Illud facilè liquet, ſollicitudinem, qua facultas cognoſcendi & exequendi, diverſis nominibus inſignitur, minime eſſe neceſſariam, cum enim duplex illa poteſtas cohæreat, ideo, utrique exprimendæ, nomen jurisdictionis ſufficere poteſt. Ex iſta autem minutiarum conſectatione, controverſia enata eſt, utrum v. gr. reſtitutio in integrum ſpectet ad mixtum imperium, quod aliqui volunt *v.* Zoes. *ad ff. de jurisd. n. 13.* an ad jurisdictionem, quod accuratiores adſtruunt, qui *imperium*, de quo nonnulli textus loquuntur *v. l. 4. de jurisdict. l. 32. de injur. l. 12. §. 1. de judic. l. 8. 16. de offic. proconſ. l. 3. de offic. ej. cui mand. l. 7. §. 14. de pact. l. 14. de re judic.* de jurisdictione *imperioſa* & *excellenti* explicant *v.* Lauterb. *C. J. de jurisdict. n. 2.*

§. 14. Sed inane litigium eſt, cum enim cognitio & executio nec poſſint nec debeant divelli, ideo actus illi, ad jurisdictionem & mixtum imperium ſimul pertinent, nam & cognitionem, & pro re nata, executionem illi utique deſiderant. Hodie juris Romani, hac in parte, exiguus vel nullus eſt uſus, nam nomine jurisdictionis, facultas & cognoſcendi, & exequendi, venit, præterea quid ad jurisdictionem civilem referri debeat, aut quid juris, huic aut illi magiſtratui, adſcribendum ſit, nec ne illud, non ex jure Romano, ſed propriis principiis judicandum eſt, utut forte, ex regulis artis legulejæ, nonnunquam aliter pronuncietur.

§. 15. Dividitur jurisdictio civilis in *contentioſam*, quæ in invitos & contradicentes exercetur *v. l. 83. §. 1. de V. O. v.* Carpz. *proc. tit. 2. art. 1. n. 41.* & *voluntariam*, quæ inter volentes & conſentientes, autoritatis gratiâ, interponitur *l. 2. de offic. proconſ.* vel ſine, vel cum cauſæ cognitione *v. l. 15. §. 2. l. 17. de adopt. l. 8. §. 8. de tranſact. l. 1. de reb.*

Digitized by Google

reb. eor. qui sub. tut. Eo pertinent adoptio & emancipatio *l. 2. de offic. proconf. l. 2. de offic. prætor. l. 2. de offic. præf. l. 3. 4. de adopt. v.* CARPZ. *p. 3. C. 3. D. 14.* transactio de alimentis testamento relictis *l. 8. de transact.* alienatio prædiorum minorum *l. 1. de reb. eor. qui sub. tutel.* insinuatio ultimarum voluntatum, & similes actus CARPZ. *proc. tit. 2. art. 1. n. 36.*

§. 16. Contentiosa tantum exercetur in eos, qui jurisdictioni subsunt, sed voluntaria etiam in illos, qui ei haut parent, hinc extra districtum quoque exerceri potest CARPZ. *d. l. n. 32. 49 p. 3. C. 3. D. 13.* LAUTERB. *C. J. de jurisd. n. 1.* Cæterum cum aliquando dubium sit, utrum actus aliquis contentiosæ, an voluntariæ jurisdictionis censeri debeat *v. Decis. Saxon. 59.* ideo, præcavendis litigiis & nullitatibus satius foret, si lege constitueretur, ut omnes actus, coram judice competente, expedirentur.

§. 17. Jurisdictio criminalis itidem *cognitione* & *executione* constat. In Republica Romana olim soli populo illa competebat *l. 2. §. 16. de O. J.* postea vero quibusdam Magistratibus speciali lege concessa est *l. 1. pr. §. 1. de offic. ej. cui mand. jurisd.* idque vel plene, vel minus plene *l. 6. §. 8. de offic. præf. l. 6. §. 1. de interd. & releg. l. 2. §. 1. de pœn. l. 1. §. 3. de Legat. 3.* Sed, in Germania, illa usum non habent, verum, ex propriis institutis, res hæc dijudicari debet, &, eodem modo jurisdictionem civilem & criminalem concedi, experientia, nisi fallor, satis comprobat.

§. 18. Uti autem jurisdictio civilis & criminalis, aliter comparata est jure Romano, aliter moribus, ita sæpe incertum est, quid ad illam, vel hanc referi debeat *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 109.* quæ incertitudo, à prisca ruditate, eamque insecuto Legulejismo, quo instituta Germanica, ex rationibus Romanis perverti cœperunt, dependet. Oriri autem, ex illa incertitudine, magnum administrandæ justitiæ impedimentum, dum illi, inter quos divisa est jurisdictio, cum neglectu causæ principalis, sæpe colliduntur, adeoque Reipublicæ morbum, lege vel pacto, merito emendandum, hic subesse, facile liquet.

§. 19. Porro ab objecto distingvitur Jurisdictio (2.) in *Ecclesiasticam*, quæ in personas & causas ecclesiasticas, utplurimum in Consistoriis, exercetur, de qua, suo loco, pluribus dicemus: Ejus fundamentum

eſt Jus Sacrorum, cujus origo & habitus in Jure publico explicatur *v.* SPECIM. JUR. PUBLIC. *l. 3. c. 6.* & *Secularem*, quæ, ad perſonas & cauſas ſeculares, pertinet (3.) in *allodialem*, quæ allodialia, & *feudalem*, quæ feudalia negotia expedit: Utraque, ab objectis magis ſpecialibus, ſpecialius v. gr. *foreſtalis*, *metallica* aut *aquatica*, denominari poteſt.

§. 20. Denique (4.) in eam, quæ reſpicit territorium *proprium*, & *alienum*, nam, per modum ſervitutis, jurisdictio, in alieno territorio, acquiri poteſt, quo pertinet jurisdictio, quæ jus conducendi comitatur *die Gleitliche Obrigkeit*, nec non criminalis, ſive centena limitata, *die fraisliche obrigkeit*, de qua tradunt, quod is, qui eam, in alieno territorio, habet, non poſſit, quodam jurisdictionis actu, hoc introire, inſalutato domino *v.* LINK. *diſſert. de Cent. c. 3. §. 13.* Eccleſiaſtica quoque jurisdictio, inter pontificos, ſæpe, ad aliena territoria extenditur *v. J. P. W. art. 5. §. 48.* De cætero quatuor illæ diviſiones ſunt generales, & ſingulæ, peculiares objecti qualitates, ſibi invicem non ſubordinandas, reſpiciunt.

§. 21. A *modo habendi v. §. 10.* Jurisdictio diſtingvitur jure Romano (1.) in *ordinariam*, quæ jure magiſtratus competit, & jure ordinario, à majoribus recepto, magiſtratus officio ineſt, & *extraordinariam* ſive *legalem*, quæ ſpeciali legis conceſſione, nonnullis ſaltem tributa eſt *l. 7. §. f. de offic. proconſ. l. 6. §. 2. de tutel.* Erat autem vel civilis, eaque aut contentioſa *d. l. 6. §. 2. de tutel.* aut voluntaria *l. 4. ff. l. 1. C. de adopt. l. 3. de offic. proconſ. l. 1. de offic. jurid.* vel criminalis *l. 1. de offic. ejus cui mand.* non poterat etiam jurisdictio legalis aliis mandari *d. l. 1. l. 6. pr. de offic. proconſ. l. 5. de jurisd. l. 70. de R. J.*

§. 22. Uti autem controverſiæ nonnullæ circa hanc diviſionem occurrunt, ita tricis illis omnibus hodie non utimur, ſed jurisdictio quævis, jure magiſtratus competit, ac aliis mandari poteſt. De extraordinaria civili, hoc vulgo concedunt *v.* LAUTERB. *C. J. de jurisdict. n. 1. 2.* ſed de criminali aliter ſentiunt, nam jus civile, nec jure canonico, nec hodierno mutatum eſſe, adeoque criminalem jurisdictionem nec hodie jure magiſtratus competere, nec mandari poſſe cenſent *Ord. crimin. art. 2. v.* LAUTERB. *d. l.* verbo *criminalis.*

§. 23. Verum licet jus civile mutatum dici nequeat, attamen nec jure canonico approbatum *v.* ZOES. *ad ff. de jurisdict. n. 55. ſeqq.*

PE-

Digitized by Google

PERETZ. *ad C. eod. n. 23.* nec hodie receptum est, cum experientia satis ostendat, jurisdictionem criminalem & civilem eodem modo concedi, ac utramque etiam aliis mandari. Neque refragatur *Ord. Crim. art. 2.* sed potius id, quod diximus, confirmat, jurisdictionem enim criminalem prædiis cohærere ostendit, præterea facultatem mandandi non negat, sed potius necessitatem, in casu inhabilitatis propriæ, inculcat, ut taceam Status imperii, lege illa solutos esse.

§. 24. Utilior est divisio, qua Jurisdictio hodie distingvitur (2.) in *personalem*, quæ personis, ratione officii conceditur ac cum persona extingvitur *v. c. 2. de offic. legat. in 6.* & *realem* sive *patrimonialem*, quæ intuitu certæ alicujus rei, ad modum aliorum jurium privatorum, acquiritur, & in successores, etiam singulares, transfertur. Talis jurisdictio occurrit in feudis nobilibus *v. c. 3. §. 17.* nec non, ut videtur, in præfecturis, ac quibusdam municipiis *v. c. 4. §. 15. 23.* CARPZ. *p. 3. C. 3. D. 21.* Eo etiam referenda videtur jurisdictio, quæ titulo locationis conductionis habetur *v.* CARPZ. *5. Rsp. 15.* licet enim hoc medio plane propria non fiat, in patrimonium tamen quodammodo redigitur.

§. 25. Patrimonialis jurisdictio regulariter privative seu subordinate conceditur CARPZ. 2. *Rsp. 11.* ex quo etiam sequitur, quod arrestum, coram Superiori, impetrari nequeat, si res debitoris, sub unius jurisdictione sint sitæ *v.* DN. BERG. *in resolut. ad* LAUTERB. *de jurisd.* Si castrum cum jurisdictione, *mit den gerichten*, simpliciter concedatur, etiam superior data censetur CARPZ. *p. 2. C. 40. D. 6.* in *Proc. tit. 2. art. 1. n. 71.* conf. *disp. feud. 4. §. 24.* In liberos proprios tamen, patri nobili, Jurisdictio non competit, nisi ob delictum *v.* CARPZ. *p. 4. C. 43. D. 11.* Jurisdictio etiam ecclesiastica, sub generali concessione non continetur *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 3.* quia scilicet inferioribus concedi non solet.

§. 26. Turbata jurisdictio defenditur interdicto uti possidetis *v. l. 8. §. 5. in fin. si serv. vind. c. 9. X. de probat.* CARPZ. *p. 2. C. 7. D. 11. 12.* poterit etiam contra turbantem actio injuriarum institui *l. 13. in f. de injur.* CARPZ. *p. 1. C. 32. D. 27. n. 3.* hæc tamen ad remedia possessoria ideò non pertinet. Interdictum unde vi, aliaque recuperandæ possessionis remedia, circa jurisdictionem solitariè spectatam, vix locum

cum habent. Si crimen fractæ pacis interveniat, etiam hoc nomine agi potest, sed pœnæ persecutio, ad remedia possessoria itidem non pertinet.

§. 27. Si adversarius sit in possessione, remedio petitorio jurisdictio vindicanda est, & vulgo huc referunt actionem confessoriam *v.* CARPZ. *1. Rsp. 78.* Probatur jurisdictio instrumentis & aliis probandi mediis *v.* CARPZOV. *d. l.* Amittitur propter abusum *v. c. 7. distinct. 74.* non etiam ob solum non usum *v.* CARPZ. *p. 2. C. 3. D. 23.* nisi abusum involvat *v.* CARPZ. *qu. 103. n. 54. in fin. qu. 110. n. 76.* vel alium, in conditione præscribendi constituat *add.* LAUTERB. *C. J. de jurisd. lit. I. n.*

§. 28. Denique à modo habendi, distingvitur Jurisdictio (3.) in *propriam*, quam quis ab Imperante habet, & *Communicatam*, quam quis, ex consensu judicis, vel privatorum exercet. Ejus duæ jure Romano sunt species, *mandata*, quæ à magistratu alteri confertur *l. s. 16. de jurisdict. l. 4. §. f. de offic. procons. l. 1. §. 1. l. 3. de offic. ejus cui mand. jurisd.* ac ejus revocatione vel morte extingvitur *l. 6. §. 1. de offic. procons. l. 6. de jurisdict.* & *Prorogata*, quæ voluntate partium, ultra terminos consvetos extenditur *v. l. 15. 18. de jurisdict. l. 1. C. de jurisd. omn. judic.* *v.* LAUTERB. *C. J. de jurisdict. n. 3.*

§. 29. Hodie jurisdictio mandata præcipue occurrit, in judiciorum administratoribus, *Gerichts Verwaltern* & potest quævis jurisdictio mandari *v. §. 22. 23.* nec extingvitur revocatione, quia per modum contractus onerosi conceditur, nec morte mandantis, quia principalis jurisdictio certo prædio vel districtui velut adhæret adeoque principale subjectum, morte licet interveniente, non deficit. Prorogata jurisdictio hodie cessat, cum subditis integrum non sit, alienæ jurisdictioni se subjicere *v.* CARPZ. *Pr. tit. 2. art. 1. n. 18.*

§. 30. Aliquando tamen hodie jurisdictio prorogatur, autoritate legis, in *causis* scilicet *connexis*, quarum determinatio, judicis arbitrio ferè relinquitur *v.* CARPZOV. *p. 1. C. 7. D. 4. 12.* Non improbabile est, si quamvis petitionem reciprocam, contra extraneum, qui Domino Territoriali non subest, pro causa connexa habeamus, ad hunc effectum, ut reus adversarium, ad judicem suum, trahere pos-

possit, quæ sententia in *Ord. proc. Saxon. tit. 6. §. 3.* verb. *den wir befinden* satis perspicuè fundata videtur.

§. 31. Jure Romano contra eos, qui id, quod, jurisdictionis causa, propositum est, violant, datur actio de albo corrupto, ad 500. aureos *l. 7. seqq. de jurisdict. v.* LAUTERB. *C. J. d. t. in fin.* Sed hodie illius actionis nullus est usus, licet enim illi, qui hoc modo delinquunt, puniri possint & soleant, attamen nec jus puniendi, nec determinatio pœnæ, ex jure Romano dependet. Interim multis persvasum est, sine nomine actionis Romanæ, in Germania agi non posse *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 40.*

CAPUT XI.
DE FORO COMPETENTE.

SUMMARIA.

Forum competens §. 1.
Ex habitu civitatis potissimum dependet §. 2.
Forum generale ex triplici causa oritur §. 3.
Ex subjectione fundamentali §. 4.
Nativitate parentum §. 5. 6.
Et liberorum §. 7.
Ac domicilio §. 8.
Hujus constitutio §. 9.
Mutatio §. 10.
Et diversitas pro diversa subditorum conditione §. 11.
In loco domicilii regulariter omnes actiones instituí possunt §. 12. 13.
Speciale forum oritur ex contractu §. 14.
Nec tamen in eo loco agere semper consultum est §. 15.
Aliquando contractus forum non operatur §. 16.
Forum speciale resultat quoque ex delicto §. 17.
Contra absentem quousq; illud sit efficax §. 18. 19.
In loco rei sitæ actiones reales institui possunt §. 20.
Quoad extraneos res sita etiam generale forum operari potest §. 21.
Forum speciale oritur ex connexitate causarum §. 22.
Suspecta justitiæ administratione, privilegio actoris §. 23. 24.
Qualitate causarum §. 25.
Munere §. 26. Et arresto reali §. 27.
Forum competens ad hæredes transmittitur §. 28. 29.
In secunda instantia judex competens est Superior §. 30.
De quo ex statu Reipublicæ judicandum §. 31.
In constituendis judiciis leges positivæ status imperii non obligent §. 32.

§. 1.

POstea etiam de *Competentia* dicendum erit *v. cap. præc. §. 6.* Hæc nihil aliud est, quam *jurisdictio in certas personas competens.* Huic igitur respondet *obligatio* in subjectis, qua alterius jurisdictionem admittere tenentur; Exinde oritur *judicium* vel *forum competens*, in quo quis, si necessitas exigat, actionibus

pulsari queat. Illud autem, ex indole imperii facilè liquet, ad actionem instituendam, non requiri, ut uterque litigantium alterius jurisdictioni subsit, sed sufficere, si reus ei subjiciatur, hinc etiam tralatitium est, quod actor sequatur forum rei *l. 2. §. C. de jurisdict. l. fin. C. ubi in rem act. c. 8. X. de for. compet.*

§ 2. De foro competente Statuum imperii, in jure publico agendum est *v.* DN. COMIT. *de* WURMBRAND. *dissert. de for. Princip. S. R. imper. hab. Traject. 1692.* Hic, quoad Statuum subditos, hæc res spectari debet. Uti autem competentia fori, ex habitu societatis civilis dependet, ita, cum Respublicæ in quibusdam conveniant, in aliis differant, instituta certæ alicujus civitatis, quandoque alibi etiam locum habent, aliquando verò cessant, id quod, exemplo juris Romani, intelligitur.

§. 3. Sortitur autem quis forum vel *in genere*, quoad omnes, vel *in specie*, quoad certas quasdem actiones. Prius contingit ob triplicem causam (1.) *subjectionem fundamentalem* (2.) *originem* & (3.) *habitationem* sive *domicilium*. Quidam tres illas causas nomine domicilii comprehendunt, quod aliis displicet, hinc, præcavendis logomachiis, distincta nomina non immerito adhibentur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 149. seqq.*

§. 4. Ob subjectionem fundamentalem, jure Romano, omnes subditi fortiuntur forum generale in urbe Roma, velut metropoli *l. 2. §. 3. seqq. l. 24. de judic. l. 33. ad municip.* Sed, in Germania, illius fori nullus est usus, neque ratione totius Reipublicæ, cujus status systematicus id non admittit *v. Ord. Camer. p. 2. tit. 1. §. 2.* neque ratione singulorum territoriorum, in quibus, ob concessam jurisdictionem patrimonialem, forum illud cessare videtur.

§. 5. Forum originis, jure Romano, ex nativitate Patris, ac aliquando matris, deduci videtur. E. gr. Cajus natus est Lipsiæ, non fortuito, sed juxta intentionem parentum suorum, postea Dresdæ domicilium constituit, ac ibi genuit Sempronium: Hic forum originis habet Lipsiæ *l. 6. §. 1. ad municip.* Liberi extra matrimonium nati, sequuntur originem matris, quod aliquando etiam quoad legitimos, ex privilegio, obtinet *l. 1. §. 2. l. 9. ad munic.*

§. 6. Est autem, in æstimando hoc originis foro, præcise in persona patris

Digitized by Google

patris subsistendum, ea ratione, ut filius ex nativitate patris sui, & hic iterum, ex origine sui patris, & ita porro, forum originis sortiatur, nam hoc perspicue satis fundatur in *l. 1. §. 2. l. 6. §. 1. ad municip.* & nisi in patre subsistas, res in infinitum extenditur, quod sine dubio ineptum. De cætero forum originis, est immutabile & perpetuum, nec tollitur licet vel Pater vel filius alibi domicilium constituat *l. 6. pr. l. 29. ad municip. l. p. f. C. eod.*

§. 7. Hodie forum illud originis, est incognitum, alio tamen sensu aliquod occurrit, nimirum quod ex *domicilio Patris* & *nativitate liberorum*, existit, nam hoc utique est rationibus Societatis civilis consentaneum, ut liberi in loco, in quo pater habitat, ac ipsi ex intentione parentum, regulariter nascuntur, forum sortiantur, quod tamen an Romanis etiam fuerit cognitum, non satis liquet *v. l. 11. de Senator.* Est verò hoc forum mutabile, nam si vel pater domicilium mutet, vel filius novum constituat, tum originis nulla amplius habetur ratio, etiamsi quis eo in loco forte reperiatur *v.* CARPZ. *Pr. t. 1. 3. art. 1. n. 11. §. 8. l. 2. Rsp. 21.* Imo forum illud originarium, revera oritur ex domicilio liberorum necessario, de quo mox in genere.

§. 8. Domicilium est *habitatio, certo in loco, animo ibi perpetuo consistendi, si causa superveniens non avocet, instituta.* Exinde oritur *incolatus v. l. 7. C. de incol. l. 17. §. 5. 13. l. 20. 27. §. 2. ad municip. l. 203. 239. §. 2. de V. S. v. c. 4. §. 11.* Est autem domicilium vel *necessarium*, quod ex necessitate hypothetica existit. Tale habent (1.) uxores legitimæ *l. 65. de judic. l. f. §. 3. ad municip. l. fin. C. de incol. l. 13. C. de dignit.* etiam post mortem mariti, usque ad secunda vota *l. 22. §. 1. ad municip. l. f. C. de incol.* non etiam uxores illegitimæ *l. 37. §. 1. ad municip.* nec sponsæ *l. 32. eod.* (2.) relegati *l. 22. §. 3. ad municip.* (3.) Senatores ob dignitatem *l. 11. de Senat. l. 8. C. de incol.* Sed utrumque hodie nullius est usus, vel *voluntarium*, quod libera voluntate constituitur, etiam duobus in locis *l. 6. §. 2. l. 27. §. 2. ad municip. v.* CARPZ. *l. 2. Rsp. 24.*

§. 9. Declaratur autem voluntas vel expresse *v.* CARPZ. *l. 2. Rsp. 21. n. 15.* vel tacitè, quod ex circumstantiis colligendum, ut si quis jus civitatis alicubi impetret *v.* CARPZ. *Proc. tit. 3. art. 1. n. 17.* vel potiores res suas ibi habeat *l. 2. C. ubi Senat.* aut aliquo in loco diu commoratus sit *d. l. 2. & l. 27. §. 1. ad municip.* nisi de alia mente constet *l. 2. C. de*

Digitized by Google

incol. l. 19. §. 2. de judic. v. CARPZ. *d. art. 1. n. 33. l. 2. Rſp. 213.* Poteſt aliquis, ubi vult, domicilium conſtituere, niſi prohibitio adſit *l. 31. ad municip.*

§. 10. Domicilium conſtitutum pro lubitu etiam regulariter poteſt mutari, ſed ſi de mutatione non ſatis conſtet, prius manet *l. 7. in f. C. de incol. l. 22. §. 6. l. 27. §. f. ad municip.* & in dubio magis animus manendi, quam mutandi præſumi debet *v. l. 20. 27. §. 2. ad municip.* hinc etiam vagabundus forum originis retinere cenſetur *v.* CARPZ. *l. 2. Rſp. 25. l. 6. Rſp. 40.* quodſi autem mutatio ſatis appareat, tum merito admittitur *v.* CARPZ. *d. tit. 3. art. 1. n. 36.* Quodſi civis oppidanus, ex privilegio Principis, tonſtrinam, Præfecturæ nomine, *eine Amtsbarbierſtube*, in urbe, inſtituat, domicilium eo ipſo mutaſſe dici nequit.

§. 11. De cætero, pro diverſa ſubditorum conditione, diverſum eſt domicilium. Schrifftſaſſii illud cenſentur habere ſub Curia provinciali, vel regimine aulico, Amtſaſſii in Præfectura ſua: Municipes illud habent in municipio, Landſaſſiorum ſubditi, in pagis: Academici, non omnes, ſed qui animum manendi habent, in Academia *v.* CARPZ. *Pr. tit. 3. art. 6. n. 58. l. 2. Rſp. 37.* Clericorum domicilium eſt ſub Conſiſtoriis. Haut igitur Academicorum & Clericorum forum, ex privilegio repeti debet, cum perinde, ut cæteri ſubditi, ex domicilio ſuo illud ſortiantur.

§. 12. In foro domicilii, reus conveniri poteſt omnibus actionibus realibus & perſonalibus, poſſeſſoriis & petitoriis *v. l. 19. §. f. de judic. l. 2. C. de jurisdict. l. f. C. ubi in rem act. l. un. C. ubi de hæred. c. 17. X. de for. comp. v.* CARPZ. *Pr. tit. 3. art. 1. n. 46.* VINN. *S. Q. l. 1. qu. 18.* Etſi plura habeat domicilia, actoris eſt electio *v. l. 2. §. 3. de eo quod. cert. loc.* CARPZ. *d. art. 1. n. 51.* Cæterum ſi res immobilis extra Territorium ſit ſita, tum conſultius eſt in loco rei ſitæ, quam domicilii, actionem inſtituere *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 152.* Judæos non tantum in loco domicilii ſui, ſed & in judiciis imperii, conveniri poſſe, ideo quod ſint ſervi Cameræ Cæſareæ, aliqui putant *v.* MAURIT. *de nobilit. §. 52. in fin.* ſed id præſens Germaniæ ſtatus vix admittit.

§. 13. Aliquando tamen actio perſonalis, in loco domicilii, inſtitui non poteſt *v. l. 2. C. de jurisdict.* quod, circa adminiſtratores, præcipue contingit *v. l. 1. 2. C. ubi de ratiocin. l. 54. §. 1. de procur. l. 19. §. 1. l. 45. §. 1. de judic. Deciſ. Saxon. 36. v.* CARPZ. *2. Rſp. 33.* Quodſi ſtudio-

rum

Digitized by

rum cauſa, quis ad Academiam ſe conferat, domicilium, in patria, dubio procul retinet, ſed ſi in ipſa Patria, Academia exiſtat, & municipis filius albo Studioſorum inferatur, forum domicilii urbici ceſſat, licet novum, coram Academia, nondum ſit conſtitutum, cujus ratio forte ex eo dependet, quod illud, ſi in Patria maneat, aliquando ſit conſtituturus.

§. 14. In ſpecie, quoad certas cauſas, quis ſortitur forum (1.) in *loco contractus*, in quo ſcilicet hic perfecte celebratus eſt *l. 19. §. 2. l. 45. pr. de judic.* CARPZ. *Pr. tit. 3. art. 2. n. 7.* ſi tamen ſolutioni certus locus adjectus ſit, in eo debet agi *l. 19. §. 1. 2. f. l. 20. de judic. l. 21. de O. & A. l. 3. de reb. autor. jud. poſſid.* CARPZ. *d. l. n. 4.* Quodſi debitum ſimpliciter, ſine loci adjectione, conſtituatur, tum primæ conventionis habetur ratio *l. 8. de judic. l. 5. §. 1. de conſtit. pecun. v.* ZOES. *ad ff. de legat. n. 3.*

§. 15. Si quis autem in loco contractus agere velit, is primò expendere debet, num etiam executio ibi haberi queat. Contra præſentem igitur recte actio inſtituitur, ut & contra abſentem, ſi domino territoriali ſubſit, id quod juri Romano probari videtur *l. 19. §. 1. de judic. Nov. 96. c. 2. §. 1.* Jure tamen Canonico & hodierno abſens comparere tenetur *v. c. 1. §. contrahentes de for. compet. in 6. v.* CARPZ. *l. 2. Rſp. 30. n. 3.* Contra extraneum vero fruſtra, in loco contractus, agetur, cum ceſſet ſpes executionis, ſi tamen vel abſens, vel extraneus bona ibidem habeant, actio recte movetur, cum in illa, executio fieri queat *d. c. 1. de for. compet. in 6.* CARPZ. *d. Rſp. 30. n. 8. tit. 3. art. 2. n. 23. ſeqq. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 153.*

§. 16. Ceſſat fori competentia, ſi ei renunciatum *l. 19. §. 2. de judic.* deinde, ſi cum advena, ſtatim diſceſſuro, fide de pretio habita, quis contraxerit *d. l. 19. §. 2.* quod tamen hodie, ſi ſpes executionis adſit, forte non obſervatur. Denique ſi ad reſcindendum contractum agatur *l. 2. C. ubi & ap. quem cognit.* etſi alii, hoc caſu, fori hujus competentiam, non improbabiliter defendant *v.* CARPZ. *l. 2. Rſp. 29. n. 10.* Ob privilegium de non evocando, forum contractus regulariter non ceſſat *v.* CARPZ. *d. Rſp. 29. n. 13. in Pr. tit. 3. art. 2. n. 13.*

§. 17. Forum ſpeciale oritur (2.) ex *delicto*, nam in loco, in quo id perpetratum eſt, delinquens deprehenſus recte convenitur, licet alias jurisdictioni illi non ſubſit, id quod ex natura imperii civilis reſultat *v. l. 3. de offic. præſ. l. 7. §. 4. l. fin. de accuſ. l. 11. de cuſtod. reor.*

l. 1. C. ubi de crimin. c. fin. X. de for. compet. v. CARPZ. *Pr. tit. 3. art. 2. n. 55. l. 2. Rſp. 28. p. 3. qu. 110. n. 37.* In injuriis, locus delicti eſt, in quo injuria inſinuata, non ubi ſcripta *v.* BERLICH. *p. 2. D. 181.* cujus ratio eſſe videtur, quod injuria, ante inſinuationem, pro delicto civili, omnino haberi nequeat *add.* CARPZ. *l. 2. Rſp. 26. n. 18.*

§. 18. Quodſi delinquens abſit, jure civili ad locum delicti remitti debet *l. 7. §. f. de accuſ. l. 7. de cuſtod. reor. l. 28. §. 15. de pœn. Nov. 134. c. 5.* CARPZ. *p. 3. qu. 110. n. 45.* quæ remiſſiones hodie non ex neceſſitate, ſed urbanitate fieri cenſentur CARPZ. *d. l. n. 54.* judex tamen deprehendens delinquentem punire tenetur CARPZ. *d. l. n. 72. ſeqq.* Abſentem, ob injurias illatas, in loco delicti commiſſi, convenire poſſe, cenſet BERLICH. *p. 2. D. 181.* ſed negat CARPZOV. *tit. 3. art. 2. n. 55. 56. l. 2. Rſp. 26.* cujus ſententia, in Electoratu Saxoniæ, approbata eſt *Deciſ. Saxon. 89.*

§. 19. Sed illa, ex rationibus ſocietatis civilis, de judicibus, uni Domino ſubjectis, intelligi debent, inter illos enim, comunis dominus jurisdictionis exercitium definire poteſt. Sed ſi delinquens in alieno territorio deprehendatur, tum deprehendenti quidem, jus puniendi ſtatim vulgò tribuitur, ſed, niſi ſimul judex domicilii ſit, probabilius videtur, quod ſola deprehenſio jus illud ei non tribuat, verum ille deprehenſum alteri offerre teneatur, ac, ceſſante acceptione, demum illum punire poſſit *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 154. 155.*

§. 20. Speciale forum operatur (3.) *Res ſita c. f. X. de for. compet.* & nihil refert, ſive univerſalis ſive particularis *l. un. C. ubi de hæred. l. 50. pr. de judic.* immobilis an mobilis ſit *l. 38. in fin. de judic. l. f. C. ubi in rem. act. l. 9. de R. V.* CARPZ. *Pr. tit. 3. art. 3. n. 9.* ſive ex dominio ſive alio jure reali, v. gr. ſervitute, vindicentur, quo caſu fruſtra vindicatio rei incorporalis aſſeritur *v.* CARPZ. *d. l. n. 35.* Inſtituuntur in loco rei ſitæ, omnis generis actiones reales, contra quemvis poſſeſſorem, cujuscunque ille ſit conditionis *v.* CARPZ. *d. l. n. 20.*

§. 21. Sed illa ſunt intelligenda, de ſubditis unius territorii, nam quoad eos, res ſita non tribuit forum, niſi in actionibus realibus. Si vero extranei in aliquo territorio bona poſſideant, eaque, ſine ſubjectionis lege, habere ipſis non liceat, tum res ſita generale forum efficit *v.* LYSER. *de Landſaſſ. §. 28.* LYNCKER. *Deciſ. Jenenſ. p. 1. D. 126.* id quod uſus

Digitized by Google

uſus germaniæ dudum comprobavit quoad bona feudalia *v.* CARPZ. *Pr. tit. 3. art. 4. n. 50. ſeqq.* hinc quo minus idem in allodialibus obſervari queat, nulla ratio impedit. Quodſi autem quis magnam bonorum partem aliquo in loco habeat, ea intenſione, ut ibi ſimul domicilium conſtituat, tum exinde quoad omnes poſſeſſores forum generale oritur, quo tendere videtur doctrina SCHILTERI *ad ff. exerc. 13. §. 22. 23.*

§. 22. In hunc cenſum referenda (4.) *connexitas cauſarum*, propter quam, coram eodem judice, hæ expediri poſſunt *l. 10. C. de judic. l. 1. 2. de quib. reb. ad eund. l. 5. C. arbitr. tutel. l. 13. C. de R. V. c. 16. f. X. de reſcript. c. 1. X. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Ex hoc fundamento, plures rei diverſarum jurisdictionum, coram judice ſuperiore conveniri poſſunt, modo hic, in omnes habeat jurisdictionem *v. Rec. deput. 1600. §. 23. 24.* quemadmodum etiam eandem actionem, ſive realem, ſive perſonalem, ad res diverſarum jurisdictionum, competentem, in judicio ſuperiori proponere licet, quod ſecus eſt, ſi plures & diverſæ actiones alicui competant *v.* CARPZ. *tit. 3. art. 5. l. 2. Reſp. 16, 17. 18.* LAUTERB. *C. J. de quib. reb. ad eund. judic.*

§. 23. Simili fere ratione huc referri poteſt (5.) *ſuſpecta juſtitiæ adminiſtratio*, ob hanc enim inferior judex recuſari, & ſuperior adiri poteſt: Nobilis tamen, vel magiſtratus municipalis, ſubditum coram proprio judicio conveniens, in Electoratu Saxoniæ, ſuſpectus non eſt *v.* CARPZ *tit. 3. art. 4. n. 82. ſeqq.* (6.) *Privilegium actoris*, nam miſerabiles perſonæ, ut pupilli & viduæ, adverſarios ſuos, ſtatim coram Principe convenire poſſunt *l. un. C. quand. Imper. inter. pupill.* CARPZ. *tit. 3. art. 6. l. 2. Reſp. 18.*

§. 24. Illa juris Civilis ſanctio, in ſummis imperii tribunalibus non obſervatur, quia ſtatus Reipublicæ eam non admittit *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 157.* in territoriis vero Statuum, illa locum habet. De cætero, quænam perſonæ, miſerabiles dicendæ ſint, judicis arbitrio fere definiendum relinquitur ac interpretationi uſuali multum hic tribui debet: Ad virgines, privilegium illud non pertinere, quorundam eſt ſententia CARPZ. *d. art. 6. n. 11. ſeqq.* ſed alii hoc illis vindicant *v.* SCHILT. *ad ff. exerc. 13. §. 21.*

§. 25. Porro forum ſpeciale oritur (7.) ex *qualitate cauſarum.*

Eo

Eo pertinent cauſæ Laicorum eccleſiaſticæ, de quibus ſuo loco plenius dicendum erit; cauſæ feudales, ſed non ubique forum peculiare illæ hodiè ſortiuntur *v.* CARPZ. *tit. 3. art. 4. n. 42.* qua de re itidem alio loco. Cauſæ ſtatus *t. t. C. ubi cauſ. ſtat.* fiſcales *t. t. C. ubi cauſ. fiſc.* ſed uti priores hodie non occurrunt, ita, quoad poſteriores, peculiare forum, forte non occurrit. In hunc cenſum forſitan etiam referendæ cauſæ metallicæ, de quibus, aliisque, ex ſtatu cujusvis territorii, ſpecialius judicandum erit *conf.* LAUTERB. *C. J. de judic. lit. R.* verb. *ut ſit competens.*

§. 26. Inter cauſas fori ſpecialis forte etiam referendum (8.) *Munus*, quod quis ſuſtinet, nam in cauſis, quæ illud concernunt, ſpeciale forum ſortiri poteſt *v.* HEIG. *p. 2. qu. 25.* licet CARPZOV. *tit. 3. art. 4. n. 78.* illud negare velit, ſed experientia comprobat, quod non raro milites & miniſtri aulici, ratione functionis ſuæ, proprio in judicio conveniantur. Imo videtur forum muneris, eſſe exemplum fori contractus *v. l. 19. §. 1. de judic.*

§. 27. Denique huc etiam referri poteſt (9.) *Arreſtum reale*, nam uti hoc aliquando contractui ſurrogatur *v. §. 15. h.* ita per ſe etiam forum producere poteſt, cujus enim arbitrio executio ſubeſt, ei quoque reus, quoad cognitionem, ſe ſubmittere debet, niſi res, alterius imperio ſubjectas, velit perdere. Cavendum tamen eſt, ne hoc modo rationes ſocietatis civilis turbentur, aut inhumanitas committatur. Hinc uti, inter unius domini ſubditos, arreſtum vix recte adhibetur, ſi alia fori cauſa non concurrat, ita, contra extraneos, ſaltem in ſubſidium videtur eſſe adhibendum, ſi adminiſtratio juſtitiæ aliter haberi nequeat *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 3. c. 8. §. 52. 53.*

§. 28. Forum competens ad hæredes tranſit, hinc in foro defuncti, actiones contra ipſum competentes, hæres excipere cogitur, licet abſens ſit, aut proprio jure, forum hoc aliàs declinare queat, vel actio, contra defunctum, nondum ſit inſtituta *l. 19. pr. l. 34. de judic. v.* LAUTERB. *C. J. de judic.* verb. *ex alterius perſona.* Eſt tamen illa res non ſatis liquida, nam alii, hæredem actiones, in judicium deductas, in foro defuncti, ſaltem excipere debere, exiſtimant *v.* ZOES *ad ff. de judic. n. 72.* hinc uſus judiciorum præcipuè ſpectandus erit.

§. 29. Illud tamen æquitati eſt conſentaneum, ut hæredes, qui in diver-

diverſis locis, domicilium conſtituerunt actionem perſonalem licet nondum in judicium deductam, in foro defuncti excipiant, ſi res quædam hæreditariæ, in quas executio fieri queat, ibi reperiantur, ne aliàs actor, magna cum moleſtia actionem diverſis in locis, inſtituere cogatur. Id etiam obſervandum, transmiſſionem fori, pertinere ad eos caſus, quibus, à facto defuncti, hoc dependet, quale eſt forum domicilii, contractus & aliquando delicti, nam cæteræ fori competentis cauſæ, hæredem perinde ac defunctum afficiunt, hinc, iis caſibus, non ex obligatione transmiſſa, ſed propria, convenitur.

§. 30. Hactenus dicta pertinent ad primam inſtantiam: In ſecunda autem, judex competens, eſt Superior, ad quem, per appellationem, lites devolvuntur. Quis autem Superior ſit, id, ex ſtatu cjusvis Reipublicæ, intelligendum eſt. Quid igitur vel in Republica Romana olim obtinuerit, vel in aliis civitatibus hodie obtineat *v.* LAUTERB. *C. J. de appellat. lit. §.* id ad nos non pertinet: In Germania autem, Status imperii, à Magiſtratibus territorialibus ſeparari debent.

§. 31. An & quousque, à Statibus imperii, appellari queat, ejus rei explicatio ad jus publicum ſpectat *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 6. c. 2. §. 41. ſeqq.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1401. 1410. 1411.* Sed Magiſtratuum Territorialium conſideratio, hujus loci eſt. In Territoriis igitur germanicis, juxta leges provinciales, ab inferiore judice, ad ſuperiorem appellatur, e. gr. à Magiſtratu Amtſaſſio, ad Præfectum, à Schrifftſaſſio, ad Curiam Provincialem, vel Regimen aulicum, id quod omne, ex habitu cujusvis Territorii, ſpecialius intelligendum eſt.

§. 32. Id obſervandum, quod, in conſtituendis judiciis provincialibus, leges poſitivæ Status imperii non obligent. Sic, ex harum præſcripto, appellatio ad judicem immediate Superiorem, dirigenda eſt *v. l. 1. §. 3. de appell. l. 4. C. de jurisdict. omn. judic. c. 58. 66. X. de appellat. can. 45. c. 2. qu. 7.* Sed in Saxonia Electorali, vel ad Curiam provincialem, vel Regimen aulicum, à Schrifftſaſſiis appellari poteſt, licet illa huic ſubſit. Jure Civili ab eadem ſententia ter appellare non licet *l. un. C. ne lic. in una eademque cauſ.* verum, in Saxonia, trina appellatio locum aliquando invenit *v.* CARPZ. *l. 3. R. 100. add.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 1403. 1412.*

CAPUT XII.

DE COMMISSARIIS ET ARBITRIS.

SUMMARIA.

Jurisdictio extraordinaria competit Comissariis §. 1.
Quorum tamen non eadem est conditio §. 2.
Et arbitris §. 3.
Compromissariorum natura, varietas §. 4.
Et constitutio §. 5.
Quinam compromittere possint & in quos compromittatur §. 6.
Etiam judex potest esse arbiter §. 7.
Plurium arbitrorum constitutio & potestas §. 8.
Compromissorum materia §. 9.
Finis & effectus §. 10.
Modus expediendæ cognitionis §. 11.
Sententiæ latæ autoritas §. 12.
Inde oritur exceptio & actio §. 13.
Compromissum varie finitur §. 14.
Ejus usus hodiernus §. 15.

§. 1.

COnsideranda nunc etiam est *Jurisdictio Extraordinaria* Commissariorum & Arbitrorum *v. c. 10. §. 9.* quo loco tamen statim notandum, quod non tantum jurisdictio, sed & aliûs generis potestas, Commissariis concedi soleat. Non eodem autem modo Commissarii accipiuntur *v.* KULPIS *de jure legat. c. 3. §. 7.* Plerumque sunt *Ministri summæ potestatis, quibus negotia quædam, inter subditos expedienda, committuntur,* olim, sub Imperatoribus Francicis, *Missi* dicebantur.

§. 2. De cætero omnis generis negotia, ipsis committi solent, nam aliquando toti processui præficiuntur, quandoque aliquis articulus, ut examen testium, similisque ipsis committitur, aliquando negotia extrajudicialia, ut visitatio, vel ecclesiastica, vel politica, illis demandantur, ut adeo, per plures juris articulos, usus Commissariorum extendatur. Officium eorum, primariò mandato sive commissione, quam vocant, dirigitur, ubi liberius arbitrium ipsis concessum est, jura, cuivis negotio propria, observare tenentur *v. c. 5. 21. 33. X. de offic. & potest. deleg. c. 22. X. de rescript.* CARPZ. *tit. 2. art. 3. p. 1. C. 1. D. 17.*

§. 3. Arbitri variè accipiuntur *v. l. 21. C. mand. l. 38. pro soc. l. 24. deposit. l. fin. rem pupill. salv. l. 9. qui satisdar. cog. l. 1. §. 6. si*

cui

Digitized by Google

cui plus quam per L. Falcid. l. 16. 18. C. de judic. Utplurimum hoc nomine intelliguntur, *quia libera voluntate, à privatis, ad componendas controverſias, eliguntur,* & quidem vel ex æquo & bono, qui *arbitratores* audiunt *v. l. 13. §. 2. de recept. l. 76. pro ſoc. l. 25. locat. l. fin. C. de C. E. V.* vel obſervato judiciorum ordine, quos *arbitros compromiſſarios* vocant *v. l. 1. 13. §. 2. de recept. l. 5. §. 1. C. eod. l. 14. pr. C. de judic. l. 3. C. ubi & apud quem cognit. in integr. v.* CARPZOV. *p. 1. C. 1. D. 13. n. 5.* LEHMANN. *Chron. Spir. l. 7. c. 26. 29. 48.*

§. 4. Arbitri igitur compromiſſarii, ſunt *judices, libera partium, propriaque voluntate, ad controverſias, ſecundum tenorem compromiſſi, & conſvetum judiciorum ordinem, arbitrio proprio, definiendas conſtituti v. l. 1. 3. §. 1. l. 13. §. 2. l. 17. §. 3. l. 19. pr. de recept.* Illud autem, tam quoad certas quasdam, quam omnes lites, fieri poſſe, manifeſtum, ex quo arbitrorum diverſitas enaſcitur *v. l. 21. §. 6. l. 43. 46. de recept. v.* LAUTERB. *C. J. d. t.* Id quoque certum eſt, arbitros non juris Romani, ſed gentium eſſe.

§. 5. Conſtituitur Arbiter compromiſſo *l. 11. §. 1. de recept.* quod libero ipſius *l. 3. §. 1. eod.* & partium conſenſu abſolvitur *l. 11. §. 4. l. 17. §. 3. l. 19. pr. ff. l. 5. pr. C. eod.* Jure Romano conſenſus ille pacto vel ſtipulatione explicabatur *l. 13. §. 2. 3. l. 31 ff. l. 5. C. eod.* quæ hodie coincidunt. Firmandæ conventioni, additur clauſula doli *l. 31. eod.* pœna *l. 3. §. 2. l. 11. §. 2. l. 30. 32. eod. c. 9. X. de arbitr.* & jusjurandum *v. l. 4. C. de recept. Nov. 82. c. 11. v. c. 2. 9. X. de arbitr.* Olim etiam clauſula obſtagii, compromiſſo aliquando fuit inſerta v. LEHMAN. *Chr. Spir. l. 7. c. 26.*

§. 6. Compromittere poſſunt, qui tranſigendi habent facultatem; Qui igitur ſuo nomine compromittunt, liberam rerum ſuarum habere adminiſtrationem, qui verò alieno, conſenſu ſufficienti inſtructi eſſe debent *v. l. 3. 32. §. 2. l. 35. de recept. l. 17. §. 3. l. 35. de jurejur.* LAUTERB. *C. J. de recept. lit. S.* Regulariter etiam quivis, in arbitrum, poteſt eligi *v. l. 5. 6. 7. de recept. l. 43. §. 1. de procur.* niſi vel naturale impedimentum, vel legis prohibitio obeſt *v. l. 7. pr. §. 1. l. 9. §. 1. l. 41. l. 51. ff. l. fin. C. eod. c. 4. 8. X. de arbitr.*

§. 7. In ſpecie in judicem, ad cujus cognitionem, cauſa jure ordinario pertinet, compromitti nequit, ex ſententia communi *l. 9. §. 2.*

de recept. quam juris Civilis ſanctionem, nec jure Canonico mutatam eſſe *v. c 5. 7. 10. X. de arbitr. c. 21. X. de præbend.* nec hodie ceſſare, amplius exiſtimant. Sed non improbabiliter jus Civile accipitur de *judice jubente* & *cogente*, ut nihil aliud conſtituerit, quam quod jam naturaliter obtinet, nempe judicem, ad compromiſſum, partes non debere compellere *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 132.*

§. 8. Aliquando etiam plures eliguntur *l. 17. §. 5. ſeqq. de recept.* qui omnes debent eſſe habiles, alias compromiſſum non valet *l. 7. §. f. eod.* Regulariter quoque omnes conjunctim debent ferre ſententiam *l. 17. §. 2. 7. l. 18. eod.* niſi alternativè fuerint electi *l. 8. 17. §. 4. eod.* aut unus contumaciter ſententiam dicere detrectet *c. fin. de arbitr. in 6.* ſi diſſentiant arbitri, valent majora *l. 17. §. f. l. 27. §. 3. de recept.* ſi vota ſint paria, nihil agitur, niſi in quantitate tantum diſſentiant, tum enim in minorem omnes conſenſerunt *l. 27. §. 3. eod. c. 1. de arbitr. in 6. v.* CARPZ. *p. 1. C. 1. D 14.* LAUTERB. *C. J. de recept. lit. P.*

§ 9. Arbitri deciſioni ſubjici poſſunt omnes controverſiæ, quæ ſunt privati arbitrii, hinc excipiuntur (1.) crimina & alia delicta famoſa *l. 32. §. 6. de recept.* quatenus tamen rei perſecutionem continent, arbitro committi poſſunt *l. 13. §. 5. de his qui not. infam.* (2.) cauſæ ſtatus *l. 32. §. 7. de recept.* (3.) reſtitutio in integrum *l. fin. C. ubi & apud quem c. p. X. de reſtit. in integr.* ſi ſcilicet rationes publicas illa attingat, ut, ſi contra fatalia proceſſus facienda ſit, nam ſi intereſſe privatum non egrediatur, arbitro omnino ſubjici poſſe videtur (4.) cauſæ matrimoniales *c. p. X. de reſtit. in integr.* (5.) excuſatio tutelæ *l. 3. de recept.* (6.) res judicatæ *c 11. X. de arbitr.* LAUTERB. *d. l. lit. O.* Sed hoc ultimum, ſaltem ex rationibus papalibus conſtitutum videtur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 133.*

§. 10. Finis Compromiſſorum eſſe dicitur, ut lites abbrevientur ex *l. 1. 37. de recept.* LAUTERB. *d. l. lit. F.* ſed, re recte expenſa, magis ad eas augendas & prorogandas, illa pertinent *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 134.* Suſcepto autem officio arbiter rite defungi debet, alias à magiſtratu compellitur, niſi juſtam habeat excuſationem *l. 3. §. 1. l. 32. §. 3. 12. de recept. l. 9. §. f. ad L. Jul. pecul. l. 9. §. 4. 5. l. 10. ſeqq. de recept.* Poteſt tamen ſaltem cognoſcere de negotiis commiſſis, & quæ ipſis cohærent *l. 32. §. 15. 21. de recept. c. 6. X. de arbitr.* nec alium regulariter ſubſtituere poteſt *l. 32. §. 16. de recept.* §. 11.

§. 11. Modus expediendæ cognitionis, dependet primariò ex compromiſſo *l. 27. §. 4. l. 32. §. 15. 21. de recept.* hoc deficiente, conſveta procedendi ratio obſervari debet *l. 1. de recept. l. 14. pr. C. de judic.* hinc partes citantur *l. 32. §. 18. l. 49. §. 1. de recept.* procuratores & advocati admittuntur *l. 31. 32. §. 18. de recept.* abſentium contumacia punitur *l. 39. eod.* exiguntur cautiones ac dilatoriæ exceptiones opponuntur *v.* CARPZ. *p. 1. C. 3. D. 19. 20.* offertur libellus, intervenit litis conteſtatio, probatio peragitur *l. 39. de recept. l. fin. C. de teſtib.* merita cauſæ examinantur *l. 3. §. 1. de recept. c. 10. X. de arbitr.* ſententia fertur *l. 19. §. 1. 2. l. 20. l. 21. pr. §. 3. l. 32. §. 14. de recept.* præſentibus partibus *l. 27. §. 4. 5. l. 47. eod.* debito tempore *l. 13. §. p. l. 21. §. 5. 8. ff. l. 1. C. eod.* & loco *l. 21. §. 10. 11. eod.* LAUTERB. *C. J. de recept. lit. Q.*

§. 12. Sententiæ arbitri ſtare debent partes, ob compromiſſum *l. 37. de recept.* CARPZ. *p. 1. C. 1. D. 13.* nec ſubjacet illa appellationi *l. 1. C. de recept. v. c. 34. 37. C. 2. qu. 6.* quod ſecus eſt in arbitris, à magiſtratu conſtitutis *l. 9. qui ſatisd. cog. l. 2. à quib. appell. non lic.* nec reductioni ad boni viri arbitrium, licet iniqua ſit *l. 27. §. 2. de recept. l. 76. pro ſoc.* modo dolus arbitri abſit *l. 32. §. 14. ff. l. 3. C. de recept.* nec partes querelam iniquitatis, in compromiſſo ſibi reſervaverint. Quodſi ſententia arbitri, ex aliqua cauſâ, ſit invalida, tum impune negligitur *l. 21. §. 7. 8. ff. l. 1. C. de recept.*

§. 13. Quodſi adeo arbiter dixerit ſententiam abſolutoriam, abſolutus inde conſequitur exceptionem *l. 5. pr. C. de recept.* ſi condemnatoriam, victori acquiritur actio in factum *v. l. 5. pr. C. eod.* qua victum, coram judice competente, ad implendam ſententiam, urget, licet compromiſſum, nudo pacto factum ſit, modo ſententia expreſſe vel tacite à partibus fuerit approbata *d. l. 5. C. h. t.* quæ approbatio hodie non eſt neceſſaria. Poteſt etiam victor, ſi contra ſententiam agatur, pœnam vel id quod intereſt, exigere *l. 27. § fin. de recept.* qui effectus, jure antiquo, unice obtinuiſſe videtur *v. l. 2. ff. l. 1. C de recept.* Soluta autem pœna, ſententia arbitri evaneſcit ac cauſa controverſa, in priſtino ſtatu, relinquitur *auth. decernit C. de recept.* LAUTERBACH. *d. tit. lit. E.*

§. 14. Finitur compromiſſum ſententia arbitri *l. 19. § fin. de recept.* Abrumpitur voluntate partium, quæ ex morte arbitri *v. c. 50. X. de*

teſtib. & litigantium *l. 27. §. 1. l. 32. §. 3. 19. l. 49. §. 2. de recept. c. f. X. de arbitr.* CARPZ. *p. 1. C. 1. D. 16.* ex lapſu temporis adjecti *l. 21. §. 8. l. 32. §. 3. ff. l. 1. C. de recept.* remiſſione pœnæ *l. 13. pr. l. 32. §. 3. eod.* acceptione judicii vel electione aliorum arbitrorum *l. 9. §. f. l. 10. ſeqq. l. 30. eod.* transactione & rei controverſæ interitu colligitur *l. 32. §. 5. eod.* Evaneſcit denique compromiſſum ſoluta pœna, niſi aliud actum ſit *l. 27. §. 1. l. 34. §. 1. de recept. conf.* LAUTERB. *d. t. lit. J.*

§. 15. Hodie arbitri compromiſſarii, ſunt rarioris uſus, videntur enim, apud Romanos, judicibus pedaneis, ſæpe ſurrogati fuiſſe, ſed magiſtratus noſtri, cauſarum diſcuſſioni, ipſi vacant, nec temere eam à ſe amoliuntur. Alio tamen ſenſu *Compromiſſa* hodie occurrunt, quæ *fori Germanici* dici ſolent, & ſunt *conventiones, quibus litis ambages tolluntur, quo judex competens, vi jurisdictionis ordinariæ, eo celerius controverſiam finire queat v.* CARPZ. *p. 1. C. 1. D. 15.* SCHILTER. *ad ff. exerc. 12. §. 2.* de quibus, profeſſa opera, egit DN. D. RITTER *in diſſert. de Comprom. for. germ. hab. Altorff. 1693.*

CAPUT XIII.

DE JURE SUBDITORUM CIRCA RES PUBLICAS.

SUMMARIA.

Subditis aliquid juris competit in res publicas §. 1.
Harum diverſitas §. 2.
Jus ſubditorum multiplex eſt §. 3.
Theſaurus eſt res nullius extra civitatem §. 4.
In ſtatu civili quando pro re publica habendus §. 5.
Juris Germanici & Romani diverſa ſententia §. 6.
Acquiſitio theſauri juxta jus Romanum §. 7.
Cujus juris applicatio aliquando eſt dubio §. 8.
Quid obtineat in re vendita §. 9.
Dotali, dotalitio ac re bona fide poſſeſſa §. 10.
Circa acquiſitionem theſauri pronunciandum potius pro privatis quam fiſco §. 11.
Viæ natura, diverſitas §. 12.
Commoditas, ſecuritas §. 13. 14.
Reparatio, jurisdictio §. 15.
Communio, uſus & reſtitutio §. 16.
Ad res publicas etiam pertinent incrementa fluvialia & jus Grutiæ §. 17.
Hoc aliquando jure ſervitutis habetur §. 18.

Ac privatis conceditur §. 19.
Transductio lignorum debet esse innoxia §. 20.
Operæ & res in ejus usum præstandæ, ac delicta puniendi §. 21.
Damnum fortuitum non resarcitur bene tamen culposum §. 22.
Aggerum natura & diversitas §. 23.
Eorum jus diversum est §. 24.

§. 1.

VIdimus hactenus, circa subditos, subjectionem fundamentalem, potiores nexus subalternos, existimationem, onera & munera: Non inopportunum nunc erit, etiam jura ipsorum, circa res publicas, breviter exhibere. Dantur utique quædam res, quarum dominium, proprie dictum, est penes Rempublicam & Imperantes, quæque adeo, a dominio hoc, *publicæ* merito dicuntur, de quo actum est in SPECIM. JUR. PUBL. *l. 3. c. 7.*

§. 2. Videntur autem res publicæ, duplicis generis esse, vel enim *usum actu præbent*, quo pertinent e. gr. sylvæ ac flumina, vel *eundem demum præstant, si factum aliquod interveniat*, per hoc autem vel *res jam existentes usui applicantur*, quo referre licet v. gr. metalla, vel *de novo producuntur*, quarum exemplum est in molendinis, cum enim hæc, sine permissu publico, exstrui nequeant, ideo, si Respublica jus suum, in alios, devolvi non patiatur, inter publicas res illa utique locum sortirentur.

§. 3. Subditorum vero jus, circa publicas res, multiplex est, nam vel usus innoxius illis conceditur, cujus rei exemplum occurrit, in viis & fluminibus publicis: Vel cura rerum illarum illis committitur, aut, ad res istas conservandas, sumtus conferre illi debent, quod onus, circa vias & pontes, se præcipue exserit, vel denique dominium, si non plenum, tamen utile, in subditos transfertur, quo ipso publicæ res, pro diversitate dominorum, universitatis, vel privatæ evadunt, id quod nonnullis exemplis declarabimus.

§. 4. Huc igitur referri potest *thesaurus*, qui est pecunia, sive res mobilis alicujus pretii *v. l. 5. 178. 222. de V. S. l. 2. §. 1. C. de constit. pecun. l. 7. §. 3. de SCt. Maced.* olim deposita *v. l. 44. de A. A. P. l. 4.*

l. 4. § 6. ad L. Jul. pecul. cujus primus dominus, ob vetuſtatem, vel aliam ignorantiæ cauſam, eſt ignotus *l. 31. §. 1. de A. R. D. l. 67. de R. V.* CARPZ. *p. 2. C. 53. D. 10.* Ejusmodi theſaurus, ſi à ſtatu civili abſtrahamus, ſine dubio eſt res nullius, adeoque naturaliter inventori acquiritur.

§. 5. Sed id ſaltem naturale eſt, pro certo ſtatu, adeoque non ſemper obtinet. Utrum ergo, in ſtatu civili, theſaurus rebus publicis annumerari debeat, quæritur? Cum ille ſemel, in dominio privatorum fuerit, ideo non antea rebus publicis annumerandus videtur, quam ſi legibus poſitivis, id cautum ſit *v.* GROT. *de J. B. P. l. 2. c. 8. §. 7.* ut adeo, ex ſola civitatis conſtitutione, theſaurus dominio publico non ſubjiciatur, quod quidem, juxta philoſophiam rigidiorem, videri poterat.

§. 6. Interim jure Germanico antiquo theſaurus, ad res publicas, videtur relatus *v. Landr. l. 1. art. 35.* HEIG. *l. 1. qu. 13. n. 64. ſeqq. add.* LYSER. *Jus Georg. l. 3. c. 25. n. 31.* Jure autem Romano, olim, pro re nullius, fuit habitus ac inventori ceſſit *l. 31. §. 1. de A. R. D.* poſtea verò variatum eſt *v. Nov. Leon. 51.* HEIG. *d. l. n. 54. ſeqq.* tandem tamen in eam ſententiam deventum, ut idem, aliquo modo, pro re nullius, & acceſſione fundi, in quo latuit, haberetur *l. un. C. de theſaur. §. 39. I. de R. D.*

§. 7. Jure igitur Romano, ſi quis theſaurum, in loco proprio invenerit, totus inventori acquiritur, niſi artibus illicitis fuerit uſus, quo caſu, in pœnam, fiſco cedit *l. un. C. de theſaur. l. 3. C. de malef. & mathem.* BERLICH. *p. 2. Concl. 66. n. 6.* LAUTERBACH. *C. J. de A. R. D. lit. E.* ſi quis autem in loco alieno, data opera, ſive licita, ſive illicita, eum repererit, totus domino fundi acquiritur, inventor vero, vel nihil, vel mercedem, vel pœnam, pro caſuum diverſitate, accipit; ſi vero, caſu fortuito, theſaurus inventus ſit, pars dimidia inventori conceditur *l. 3. §. p. de jur. fiſc.* Utroque autem caſu, ad dicendam veritatem, juramento vel tortura quandoque inventor adigitur *v.* CARPZ. *p. 2. C. 53. D. 8. p. 2. qu. 86. n. 21. ſeqq.*

§. 8. In applicatione autem doctrinæ, nonnunquam variant interpretes. Equidem ſi quis pignus vel uſumfructum, in fundo alte-

alterius, habeat, tum fundus nihilominus proprietarii est *l. 63. §. 4. de A. R. D. l. 11. de damn. infect. l. 25. de V. S. l. 7. §. 12. solut. matrim.* CARPZ. *p. 2. C. 53. D. 6.* Feudum vero, emphythensis & superficies quoad effectum thesauri acquirendi, ad dominum directum pertinere censetur LAUTERB. *C. J. de A. R. D. lit. E.* sed verius est, etiam juxta rationes juris civilis, quod ad Vasallum, emphytentam & superficiarium illa spectent, adeoque thesaurus, ab his inventus, in solidum iis acquiratur CARPZ. *d. l.*

§. 9. Venditor, ante traditionem, thesaurum in re vendita inveniens, ejus fit dominus, ex quorundam sententia *v.* LAUTERBACH. *C. J. de A. E V. tit. O. K. n. 2.* sed cum illius dominium saltem sit precarium, hinc rectius inventoris jure censetur *v. l. 4. c. 3. §. 18. add.* LYSER. *Jus Georg. l. 3. c. 25. n. 41.* si quis thesaurum, in prædio, retrovenditioni obnoxio, inveniat, tum merito ipsi adjudicatur, est enim dominus *v. l. 66. de R. V.* LYSER *d. l. n. 37.* aliud dicendum, si emtio, ex addictione in diem, vel pacto commissorio, retro resolvatur, tum enim venditor, pro domino, erit habendus *l. 2. 4. §. 3. de addict. in diem l. 1. 5. de leg. commissor. l. 41. de R. V.*

§. 10. Thesaurus, à marito, in re dotali, repertus, pro parte dimidiâ, ad uxorem pertinet, soluto matrimonio *l. 7. §. 12. solut. matrim.* nam certum est, quod res dotalis, ad eam, sit reditura, hinc maritus, in solidum, pro domino haberi nequit. Vidua, in dotalitio thesaurum inveniens, sine dubio, inventoris jure censeri debet, cum sit usufructuaria. Bonæ fidei possessor thesaurum repertum domino supervenienti reddere tenetur; est enim revera, in alieno repertus *v. l. 3. §. 3. de A. A. P.* ipse tamen, si delictum absit, semper partem dimidiam accipiet, cum, ob bonam fidem, in alieno, thesaurum, data opera quæsiviſse, dici nequeat.

§. 11. In dubio, thesauri reperti, in Germania, fisco erunt attribuendi, nam jus patrium, extraneo & subsidiario præferri debet: Jus tamen Romanum observandum erit, si de ejus receptione satis constet, ut in Saxonia Electorali *p. 2. C. 53.* Videntur etiam leges, quæ privatis favent, æquæ & utiles *v. Nov. Leon. 51.* nam licet leges, quæ fisco thesaurum concedunt, irrationabiles aut iniquas dicere

non liceat *v.* LYSER *d. c. 25. n. 32. in fin.* attamen, ob magnum imperii civilis, abusum, illæ his ferè præstant.

§. 12. Huc etiam referri possunt *Viæ publicæ.* Via in genere est *certa terræ portio, in usum itionis, destinata*, est vel *privata*, quæ in rebus propriis vel servientibus occurrit, nec omnium usibus patet, vel *publica*, cujus dominium plerumque ad civitatem pertinet ac usus omnibus conceditur. Hæc iterum est vel *agraria*, quæ in agros aut sylvas ducit, vel *vicinalis*, qua in vicos pergitur, vel *regia*, quæ per universam regionem decurrit *v. l. fin. de loc. & itin. publ. l. 2. §. 21. 22. ne quid in loc. publ.* Latitudo viæ regiæ, secundum usum commeantium, definienda est, sed sæpe loci conditio id non admittit *v. Landr. l. 2. art. 59.* LYSER *Jus Georg. l. 3. c. 31. n. 1. seqq. c. 32. n. 1. seqq.*

§. 13. Uti autem viæ, per loca commoda, quantum quidem regionis indoles permittit, dirigendæ sunt, ita Imperantis est, commeantibus præstare securitatem, modo hostes non sint, aut ob delictum, jure illo exciderint *v.* SCHILTER. *de Amtsaff. c. 4.* Quo autem illa eo rectius obtineatur, viatores, datis comitibus, vel promissa securitate, per regiones, aliquando deducuntur, quod *jus conducendi* dicitur, ac imperio Civili inest, in regionibus verò alienis, per modum servitutis, quandoque acquiritur. Regulariter autem, pro præstita securitate gvidagium exigere non licet, cum Officium Imperantis defensionem exigat.

§. 14. Quodsi viatores damnum patiantur, dominus Territorii illud resarcire tenetur, sive salvus conductus petitus & concessus, sive non concessus sit, modo posteriori casu, culpa aliqua subsit, nec propria læsorum culpa, dum v. gr. per vias insolitas iverunt, concurrat *v. R. J. 1559. §. damit den die 34.* LAUTERB. *C. J. de publican. lit. J.* LYSER *d. c. 32. n. 5. seqq.* licet hic non omnium eadem sit sententia *v.* CARPZ. *Pr. Crim. p. 2. qu. 91. n. 61. seqq.* Quodsi Principi salvus conductus concessus sit, tum nihil, nisi licentiam transeundi, involvere nonnullis censetur, hinc concedens, si culpa absit, ad damnum resarciendum haut obligatus existimatur *v.* LYSER *d. l. n. 28. seqq.*

§. 15. Præterea etiam Imperantes, ad viarum publicarum compla-

planationem & reparationem, propriis ſumtibus faciendam, tenentur, niſi forte vectigalia, aliique viarum fructus ad hoc non ſufficiant, tum enim ſubditis reparationis onus incumbit, quamvis hoc, etiam ſine illa cauſa, facilè in illos devolvi ſoleat *v. l. un. §. 3. de via publ.* Jurisdictio in viis publicis, ad dominum Territorii ſpectare, non vero magiſtratibus, jurisdictionem criminalem licet habentibus, competere cenſetur, niſi legitimo modo illam acquiſierint. In Saxonia tamen Electorali, magiſtratibus inferioribus jurisdictio, in viis publicis, competit, exceptis ſaltem nonnullis criminibus *v.* COLER *Deciſ. 237.* LINCK *de centen. c. 3. §. 5.* CARPZ. *pr. crim. qu. 110. n. 39. ſeqq.* LYSER *d. l. n. 31. ſeqq.*

§. 16. Si via publica, intra duo territoria, exiſtat, in dubio communis cenſeri debet, hinc etiam jurisdictio aliaque viarum jura, ad utrumque dominum territorialem, pertinebunt. Ex lege humanitatis, dominus territorii, in viis ſuis, transductionem captivorum vel mortuorum merito concedit, quamvis, ſi præjudicium eo nomine metuatur, neceſſaria cautio recte exigatur *v.* LYSER *d. l. n. 34. 37. 38.* Quodſi via publica, aliquo caſu pereat, vicinus proximus novam præſtare tenetur *l. 14. §. 1. quemadm. ſerv. amitt. l. 1. §. 25. ne quid in loc. publ.* Denique notandum, quod facultati per viam publicam eundi, nullo tempore præſcribatur, cum nemo intentionem præſcribendi habeat *v. l. 2. §. 21. ne quid in loc. publ. l. 2. de via publ. & itin. publ. v.* LYSER *d. l. n. 40. ſeqq. add.* FRITSCH. *tr. de via publ.* Sed de viis publicis plenius nonnihil agendum erit *l. 10. c. 11.*

§. 17. Publicis rebus quandoque etiam accenſentur *Incrementa fluvialia*, ut alluviones & inſulæ, de quibus breviter actum *l. 3. c. 5. §. 17. 18. 19.* In ſpecie hic memorari meretur *Jus Grutiæ*, quod vocant, ignota denominandi ratione, *das Floß-Recht*, i. e. *jus traducendi per flumina, aut foſſas manufactas, ligna ſive ſoluta ſive colligata*, ex qua conjunctione oriuntur rates, antiquum navigii genus, *v. l. 1. §. 14. de flum.* Eſſe autem hujus inſtitui magnam utilitatem, facile liquet, nam, tolerabili ſumtu, ligna, in uſum multorum vendi, atque ita reditus fiſci, ex rebus, aliàs fere perituris, augeri poſſunt *v.* LYSER *Jus Georg. l. 3. c. 35. n. 1. ſeqq.*

§. 18. Jus Grutiæ ad Regalia pertinet, quod eo ſenſu verum eſt,

quatenus vel in flumine plane publico, vel in quo pluribus privatis, jus aliquod quæſitum eſt, exerceri debet, nam quin illud, vi dominii privati, in flumine proprio, competat, dubium non eſt. Quodſi in alieno Territorio exerceatur, tum vel rationem ſervitutis, vel juris precarii habet *v.* CARPZ. *p. 3. D. 288.* In fluminibus majoribus, deductio ratium, quæ perinde, ac uſus aliorum navigiorum, innoxia eſt, privatis etiam permittitur *v.* LYSER *d. l. n. 6. 7.*

§. 19. Poteſt hoc jus, & plerumque quidem per modum feudi, privatis concedi, id quod etiam factum cenſetur, ſi quis cum fluminibus omnibusque eorum emolumentis, inveſtitus ſit LYSER *d. l. n. 7. ſeqq.* de quo tamen non immerito dubitare licet, cum iſta conceſſio, ad flumina propria, videatur reſtringenda, minime vero ad publica, aut in quibus aliis jus quæſitum eſt, extendenda. Si conceſſio titulo benefico facta ſit, Princeps jus Grutiæ nihilominus exercere quoque poſſe cenſetur, quemadmodum etiam illa aliis nocere non debet, hinc non tantum damna, lignorum transvectione data, ſunt reſarcienda, ſed & Vectigal eo nomine ſolvendum iis, quibus id jus antea competit LYSER *d. l. n. 13. ſeqq.*

§. 20. Cum autem transductio lignorum, privatos incomodet, hinc æquitas exigit, ne quovis tempore illa inſtituatur, præterea quoque ſubditi, ac præcipue molitores, mandatis moneri ſolent, quo, contra impetum lignorum transvehendorum, molendina præmuniant, *mit Einſchlagung eines Flosrechens vor die Mühllache.* Promovendæ etiam transvectioni, ripæ ab impedimentis quandoque ſunt purgandæ, quas operas tamen, ut ſubditi, non ſuis, ſed domini ſumtibus, præſtent, æquitas exigit, quemadmodum hæc etiam requirit, ut, finito traductionis actu, damna, quæ illum regulariter comitantur Princeps reſarciat LYSER *d. l. n. 20. ſeqq.*

§. 21. Præterea ſubditi operas *Floß-Dienſte*, & utplurimum quidem ſuo victu, præſtare tenentur, quanquam quibusdam in locis alimenta ipſis præberi ſoleant, quæ conſvetudo, æqua cenſeri debet; Id quoque merito cavendum, ne exactione harum operarum, ruſtici ab agricultura avocentur: Denique nec quibusvis in locis, ligna extrahere ac exponere, par eſt, ſed agris & pratis parcendum: Si publica utilitas exigat, ut per agros ſubditorum aquæductus & cataractæ fiant,

fiant, recepto æquo pretio, in uſum publicum, illi ſunt concedendi: In fures autem lignorum, ob commodiſſimam furandi occaſionem, gravior pœna ſtatui ſolet LTSER *d. l. n. 24. ſeqq.*

§. 22. Quodſi fluminis excreſcentis impetu, diſruptis repagulis, ligna, ad alia loca deferantur, domino illa ſunt reſtituenda *v. l. 9. §. 1. de damn. infect.* & quidem ſine ulla damni præſtatione, ſi caſu fortuito id acciderit, neque hic habet locum noxæ deditio, utut eò inclinare videatur JCtus in *l. 7. §. 1. de damn. infect.* nam ligna proprio motu damnum dediſſe dici nequeunt. Si verò culpa domini concurrat, dum damnum in ſolidum erit reſtituendum, nec poterit, invito læſo, noxæ velut deditione, domines defungi. Aliquando, primo caſu, reſtitutio ligni ceſſat, vel ob præſumtam derelictionem, vel conſvetudinem, quæ tamen non facilè admittenda *v.* LTSER *d. l. n. 30. add.* FRITSCH. *de jur. Grut.*

§. 23. Verbo etiam hic facienda mentio *Aggerum*, qui ſunt *moles fluctibus oppoſitæ*, ſive *munitiones*, *quibus aqua à terris*, *quæ inundationibus obnoxiæ ſunt*, *repellitur.* Diſtingvuntur in *naturales*, quos provida natura poſuit, & *artificiales* ſeu *manufactos*, qui abs humana arte & induſtria, originem habent *v. l. 2. §. 5. de aqu. & aqu. pluv.* Ad illos ſolent etiam referri Tumuli Sabuloſi vel Colles arenacei, veteri Celtarum vocabulo, Dunæ vel Duni, *Sandduynen* dicti.

§. 24. Sicut autem dubium non eſt, quin aliquis privato aggere, poſſeſſiones ſuas munire, aut etiam jus aggeris, in alieno habendi, acquirere poſſit *v. l. 14. de impenſ. in res dotal. l. 1. §. 23. l. 2. §. 5. l. 23. §. 2. de aqu. & aqu. pluv. l. un. §. 6. 7. ne quid in flum. public. l. un. de rip. muniend.* ita aggeres, ad tuendas integras regiones, exſtructi, utique in dominio publico ſunt, uſus tamen innoxius privatis meritò conceditur, quamvis, ſi incommoda ejus, antea non prævisa, appareant, legibus aggeralibus ille reſtringi ſoleat. Sumtus etiam, conſervandis aggeribus neceſſarios, ſubditi conferre tenentur *v. l. 2. C. de immun. nemin. conced.* ac delicta in aggeres commiſſa, digno ſupplicio merito coercentur *v. l. 10. de extraord. crim. l. un. C. de Nil. agger. non rumpend. v.* HACKMAN. *tract. de jur. agger.*

CAPUT XIV.

DE VENATIONIBUS ET SYLVIS.

SUMMARIA.

Connexio §. 1.
Animalium diverſitas ac venationis natura & ſpecies §. 2.
In ſtatu naturali animalia fera ſunt nullius, etiam in ſtatu civili, ex ſententia juris Romani §. 3.
Quæ juri naturali convenire, ſed in Germania mutata creditur §. 4.
Verum in ſtatu civili feræ potius ſunt res publicæ §. 5.
Quæ ſententia in Germania ſemper obtinuit, ut tamen jus venandi ſubditis ſæpe concedatur §. 6.
Modus autem concedendi diverſus eſt §. 7. 8.
Jus venandi regulariter pertinet ad fundum proprium §. 9.
Aliquando tamen etiam in alieno, venari licet §. 10.
Juri venandi in alieno cohæret jus cingendi ſylvam §. 11.
Subditi advenationem operas præſtare debent §. 12.
Aucupium §. 13.
Et piſcatio etiam conceſſionem Imperantis præſupponit §. 14.
Sub prædio, non autem venatione conceſſa, piſcatio continetur §. 15.
In feras furtum committitur §. 16.
Venationum miniſtri §. 17.
Leges §. 18.
Et abuſus §. 19.
Jus foreſti quid §. 20.
Sub conceſſo jure venandi, illud non comprehenditur §. 21.
Sylvæ proprietas & jus venandi diverſis competens, ſe mutuo temperant §. 22.
Fructus ſylvæ alii locari poſſunt §. 23.
Servitus lignandi diverſæ indolis eſſe ſolet §. 24.
Legum foreſtalium neceſſitas §. 25.

§. I.

OPeræ pretium erit, nonnulla publicarum rerum exempla, ſpecialius nonnihil perſequi, cumque illæ, juxta doctrinam *cap. præc. §. 2.* vel uſum actu præbeant, vel, facto interveniente, uſui applicentur, aut de novo producantur, ideo ſingulas exemplo aliquo illuſtrabimus. Primò ergo occurrunt feræ beſtiæ, quæ venatione acquiruntur, & ſylvæ, quæ tum fovendis beſtiis inſerviunt, tum alios uſus inſuper præbent.

§. 2. Animalia, ratione deſtituta, eſſe manſveta, vel fera, ſatis quidem notum eſt, ex his quandoque aliqua manſvefiunt, quæ, quamdiu

diu illa conditio durat, illis, ſi deſinat, his iterum annũmerantur. Hujus loci ſunt animalia fera, quæ venatione acquiruntur, hæc ergo eſt *ferarum beſtiarum occupatio*, diſtingvitur in *venationem ſtricte dictam*, quæ ad animalia terreſtria, *aucupium*, quod ad volucres, & *piſcationem* quæ ad animalia aquatica pertinet *v. §. 12. I. de R. D.*

§. 3. Sicut autem, ab initio, omnes res fuerunt nullius, & facto humano, in proprietatem, ſucceſſive ſunt redactæ, ita dubium non eſt, quin etiam feræ beſtiæ, ſepoſito facto humano, ſint nullius, ac adeo omnibus hominibus, in *ſtatu naturali* viventibus, competat jus eas occupandi ſibique acquirendi, ut hactenus effatum Juſtiniani *d. §. 12. I. de R. D.* veritati ſit conſentaneum. Poſtquam vero homines, in *civitates* conceſſerunt, tum nihilominus, ex ſententia juris Romani, feræ manſerunt nullius, adeo ut à quovis, non tantum in fundo proprio, ſed & alieno, occupari & acquiri queant *v. §. 12. I. de R. D. l. 16. de ſervit. prædior. ruſtic. l. 13. §. f. de injur. l. 28. 29. ad L. Aquil.*

§. 4. Iſta Romanorum ſententia ſimpliciati juris naturalis convenire vulgò exiſtimatur, cùm tamen in Germania non obtineat, hinc ab ea diſceſſum, & Rebuspublicis & Imperantibus, jus venandi eſſe aſſertum, amplius contenditur: Cum enim occupatio promiſcua, non ſit juris naturalis *præceptivi*, ſed *permiſſivi*, ideo eam tolli potuiſſe concludunt, de titulis tamen, quibus jus venandi ad Imperantes translatum ſit, non una omnium eſt ſententia. Quidam præſcriptionem *immemorialem, cum ſubditorum patientia conjunctam*, laudant, alii ad *occupationis titulum* recurrunt, plerique vero ex *prohibitione, vi imperii & Superioritatis territorialis facta*, jus illud arceſſunt *v.* ZIEGLER. *de jur. majeſt. l. 2. c. 14. §. 17. ſeqq.*

§. 5. Enimvero, & jus Romanum, & ejus interpretes, in eo falluntur, quod id, quod, pro certo ſtatu, naturale eſt, ſimpliciter tale exiſtiment, hinc licet, ab initio feræ beſtiæ fuerint nullius, adeoque naturaliter, à quovis, occupari potuerint, attamen idem non ſemper obtinet, ſed probabile potius eſt, quod, conſtitutis civitatibus, feræ beſtiæ, dominio publico civitatis, virtute conſtitutionis fundamentalis, fuerint ſubjectæ *v.* GROT. *de J. B. P. l. 2. c. 8. §. 9. l. 2. c. 3. §. 19. n. 2.* hinc, in civitatibus, naturale eſt, ut ſoli Reipublicæ jus ve-

venandi originariè competat, nec diſpiciendum eſt de titulis, quibus hoc jus, à ſubditis, in Imperantes, ſit translatum, ſed oſtendendum ſaltem, qua ratione, ab his, in illos, devenire ſoleat.

§. 6. Quicquid ſit, ſive jus venandi, conſtitutis civitatibus, à ſubditis, in Imperantes translatum dicas, ſive, ex ipſa civitatis conſtitutione, Imperantibus illud aſſeras, hoc certum, quod in Germania, jus venandi, ad publica jura, referatur, quodque juris Romani, cuivis occupandi facultatem concedentis, nullus ſit uſus. De cætero Imperantes, jus illud aliquando in ſolidum ſibi reſervant, non rarò vero ſubditis illud, feudi plerumque titulo, concedunt, cumque illius conceſſionis diverſi ſint gradus, hinc venatio in *Superiorem* & *Inferiorem* diſtingvi ſolet, quod diſcrimen etiam, circa aucupium, occurrit: Utriusque verò limites uſu ferè definiuntur, qui etiam, nonnullis in locis, venationem *mediam* adjecit *v.* LYSER. *Jus Georg. l. 3. c. 12. n. 12. ſeqq. c. 13. n. 10. ſeqq.*

§. 7. Quando igitur, interveniente conceſſione, jus venandi, inter jura privata, locum ſortitur, tum, varia circa illud diſputari ſolent, ex quibus nonnulla delibabimus. Si alteri venatio ſuperior, alteri inferior, eodem in loco, conceſſa ſit, tum quilibet, intra præſcriptos terminos, jure ſui uti debet: Si tamen ipſe Imperans venationem ſuperiorem ſibi reſervaverit, tum inferiorem quoque exercere poſſe cenſetur, adeo ut hujus conceſſio, non privative, ſed cumulative, ſit intelligenda, de quo tamen, ex modo conceſſionis, amplius erit judicandum.

§. 8. Quodſi jus venandi, generalibus verbis, conceſſum ſit, ſuperior & inferior venatio comprehenditur, niſi conſvetudo, vel aliæ circumſtantiæ, conceſſionem limitent. Conceſſa venatione ſuperiori, omnes ejus modi non ſtatim etiam conceſſi cenſeri poſſunt: Regulariter igitur id ſaltem permiſſum videtur, ut per canes & retia feræ capiantur, non vero ut ſclopetis & bombardis venatio inſtituatur *v.* CARPZ. *Deciſ. 287.* Quodſi uſus bombardarum conceſſus ſit, jus pandendi Zonas, *tücher und garn auffzuziehen*, deficere poteſt.

§. 9. Jus venandi, in fundo proprio, tantum exerceri poteſt, ad alienum vero extendi non debet, id quod etiam legibus provincialibus

cialibus prohiberi ſolet *v. Ord. provin. Saxon. 1555.* tit. *das keiner auff des andern grund. &c.* CARPZ. *p. 2. C. 3. D. 25. l. 1. Reſp. 44.* Unde nec feram, in propria ſylva excitatam, in alieno Territorio, perſequi licet, quodſi tamen jam vulnerata ſit, ejus perſecutio permitti ſolet *v. Landrecht. l. 2. art. 61. v.* RICHTER. *p. 1. Dec. 16.* Quibusdam vero in locis receptum eſt, ut feram in alieno captam, antea tollere non liceat, quam ſaltuario, omnes circumſtantias accurate exploraturo, id denunciatum ſit.

§. 10. Licitum tamen erit, in alieno fundo venari, ſi ſervitus eo nomine acquiſita ſit, quale opus ſubditorum prædia afficere ſolet. Inprimis ergo fas erit Domino Territoriali, in agris ſubditorum & Vaſallorum, venationem inſtituere, niſi illo jure ſe abdicaverit. In ſpecie venatio in alieno permiſſa eſt ob jus convenandi *der Koppel-jagt*, quo caſu, inſcio & invito altero, quandoque etiam venari licet, de quo, ex conſvetudine & pactis, amplius judicandum eſt.

§. 11. Cui jus venandi, in aliena ſylva, competit, ei quoque ſylvam, in ferarum capturam, cingere licet, quod *das Hagrecht* dici ſolet; Non tamen is, in uſum cingendi, ligna, in ſylva illa, cædere poteſt, ſed propriis lignis ſepimentum erigere tenetur, jus enim venandi, arborum uſum non includit. Aliud nihilominus dicendum de jure incidendi frondes, *dem Zweigrecht*, ad retia expandenda, & opercula, quæ vocant, conficienda, *Stallung zu bauen*, hoc enim juri venandi cohæret *v.* STRUV. *S. J. F. c. 6. §. 11. n. 4.*

§. 12. Animalia noxia cuivis capere olim permiſſum fuit *II. f. 27. §. 5.* Sed hodie, ſine conſenſu eorum, ad quos venatio ſpectat, illa perſequi non licet; aliquando etiam præmium illi, qui noxium animal occidit, ſolvitur. In genere quoque ſubditi, ad operas venatorias exhibendas, ſunt obſtricti, in quibus tamen exigendis, æquitas merito obſervanda eſt. Si Princeps luporum perſecutionem inſtituat, ſubditi Nobilium, qui alias, ad operarum venatoriarum præſtationem haut obſtricti cenſetur, etiam inſervire debent STRUV. *d. c. 6. §. 28. n. 3.*

§. 13. Aucupii eadem eſt ratio, quæ venationis, hinc illi tantum aves capere licet, cui jus illud conceſſum eſt, & quidem pro modo

 factæ

factæ conceſſionis. Solet etiam aucupium, vel in areis, *Vogelheerden*, vel laqueis & retibus, ſimilibusque modis, exercendum, certa mercede aliis locari, ac regulariter tantum, in fundo proprio, illud inſtitui poteſt *v. l. 16. de S. R. P.* niſi ſervitus in alieno acquiſita ſit, qualis, circa capturam alaudarum, *den lerchenſtreichen*, non raro occurrit. De cætero uti aucupium non ſemper tam arctis limitibus circumſcribendum videtur, ut, aviculis vilioribus, ſine Superioris permiſſu, inſidiari, nefas cenſeri debeat, ita captura quarundum avium aliquando ſimpliciter prohibetur, qualis prohibitio, circa luſcinias, in terris Brandenburgicis, facta eſt.

§. 14. Piſcatio etiam Superioris conceſſionem præſupponit, qui quidem capturam piſcium nobiliorum, v. gr. Salmonum, ſibi reſervare ſolet, regulariter vero jus piſcandi, ſecundum certos diſtrictus, ſubditis concedit. Si univerſitati, puta municipio aut pago, piſcatio conceſſa ſit, illi, qui non gaudent incolatu, piſcari non poſſunt; Poterit etiam ipſa univerſitas jus illud magis circumſcribere, adeo ut ne incolis quidem, promiſcue piſcari liceat, ſed illis tantum piſcationem exercere fas ſit, quibus eandem Univerſitas locavit.

§. 15. Si Princeps prædium alicui in feudum concedat, piſcatio & flumina etiam conceſſa videntur, cum pro parte prædii non incongrue habeantur; Sub venatione autem ſtricte dicta, non contineri piſcationem, facilè liquet, hinc ſi illa, in alieno fundo, alicui competat, hanc propterea, is ſibi aſſerere non poteſt. Captura caſtorum & lutrarum, non ad jus piſcandi, ſed venandi, pertinere cenſetur. In alienis aquis piſcari non licet, niſi quis jus compiſcandi habeat, vel alio modo facultatem illam acquiſierit, quo caſu tamen conſvetis inſtrumentis piſcationem exercere debet.

§. 16. Cum igitur feræ, volucres & piſces, hodie in dominio exiſtant, hinc alii ab iis, non minus ac cæteris rebus alienis, abſtinere debent, ſi ſecus fiat dolo malo, furtum committitur, quod adeo, pœna furti, merito coercetur, ſed ità, ut illa aliquando mitigetur, aliquando exaſperetur; nonnunquam etiam ultra modum, in fures ferarum ſævitur. In ſpecie non licet feras, alienis retibus conſtrictas, eximere, circa quod incerta quodammodo eſt juris Romani ſententia

tia *v. l. 55. de A. R. D.* Multo minus animalia, in vivariis, *Thier-Garten*, exiſtentia, auferre aliis fas eſt, cum earum proprietas ſit evidentor *v. l. 3. §. 14. de A. A. P. l. 62. §. 1. de uſufr.*

§. 17. Quo autem venatio, latius accepta, cum effectu inſtitui queat, opus eſt venatoribus ſimilibusque miniſtris. Apud Romanos ſervi hiſce miniſteriis fuerunt adhibiti *v. l. 99. §. 1. de legat. 3. l. 12. §. 12. de inſtrum. leg. can. 13. diſtinct. 86.* Hodie uti venationis, ita miniſtrorum, alia eſt ratio, nam à Principibus magno numero illi haberi, eorumque præcipui, non exiguo honore frui ſolent, quia ſcilicet Principes, mirum in modum, venationibus delectantur, nam aliàs ſi ex objecto, de hac re ſtatuendum eſſet, longe minor, dubio procul, futura eſſet exiſtimatio.

§. 18. Licet vero Imperantes dominium ferarum, in privatos, aliquo modo devenire patiantur, attamen imperium ſemper penes eos manet. Hujus virtute leges venatorias condunt, quarum ſcopus eſt, impedire, ne male inſtituta venatione, genus ferarum plane exſtirpetur, vel alia ratione eidem noceatur. Hinc modus & tempus venandi determinatur, inſtrumentorum nonnullorum uſus, captura tenellarum ferarum prohibetur, ruſticorum canibus fuſtes certæ menſuræ appendi debent, aliaque ejus generis ſanciuntur. De cætero, leges illas infinitis eluſionibus ac fraudibus ſubjacere, ſatis certum videtur. *v.* LTSER *Jus Georg. l. 3. c. 12. 13. 14.*

§. 19. Venationum non exiguus ſolet eſſe abuſus, dum illæ non ad utilitatem territorii, ſed inanem voluptatem, ſæpe referuntur: Hinc feræ majori numero foventur, quam conditio loci admittit, quæ adeo ſubditorum agris impune damna inferunt. E contrario, præcipiente voluptate, major ſæpe ſtrages beſtiis infertur, quam ut utiliter conſumi queant: Non raro etiam ultro modum in eas ſævitur, non ſine injuria in Creatorem: Denique, qui venationibus tantopere delectantur, vitam ſalutemque periculo ſæpe exponunt, ac adeo officia, ſibi ipſis debita, parum obſervant.

§. 20. Sylvæ ſive foreſta *Forſte v.* STRUV. *S. J. F. c. 6. §. 28. n. 2.* publicis rebus meritò accenſentur, hinc *Jus foreſti*, dominium ſylvarum publicum, ac imperium circa eas includit: Sub illo continetur *proprie-*

tas ſylvæ, cum conſvetis effectibus, & *jus venandi;* ſub hoc vero potiſſimum, *poteſtas ferendi leges*, & *jurisdictio foreſtalis*. Hæc jura, in quibusdam locis, aliquando in ſolidum Imperans ſibi reſervat, aliquando verò quædam ſubditis concedit, ubi tamen, ob ambiguitatem verborum, nonnunquam res non ſatis certa eſt.

§. 21. Quando Nobilis de ſylva, una cum jure venandi, etiam, feras majores, à Principe inveſtitus eſt, tum ipſi quoque jurisdictio foreſtalis competere cenſetur *v.* LETSER *Jus Georg. l. 3. c. 11. n. 41.* quod tamen eo caſu ſaltem verum videtur, ſi Nobilis ille aliàs jurisdictione gaudeat, nam, ea ceſſante, facta conceſſio, de ſola ſylvæ proprietate, & jure venandi, probabiliter accipi poteſt. Solo jure venandi conceſſo, proprietas ſylvæ, & jurisdictio foreſtalis, conceſſa non eſt. De cætero jurisdictio foreſtalis ſolum ad negotia foreſtalia pertinet, hinc v. gr. de homicidio, in ſylva commiſſo, judex ordinarius judicat.

§. 22. Si uni proprietas ſylvæ, alteri jus venandi conceſſum, vel hoc, per modum ſervitutis, in ſylva aliena, quæſitum ſit, tum uterque, ſine præjudicio alterius, ſuo jure uti debet. Hinc proprietarius grandes & annoſas arbores cumulatim & magno numero excidere nequit, multo minus ſylvam radicitus exſtirpare, eique aratrum inducere poteſt. Vice verſa ei, cui jus venandi competit, lignis uti non licet, niſi modice *v. §. 11.* Fructus ſylveſtres ad eum ſpectare, quidam cenſent *v.* STRUV. *S. J. F. c. 6. §. 11. n. 3.* ſed rectius illi proprietario tribuuntur, qui tamen, in eorum perceptione, ita ſe gerere debet, ne feris alimenta neceſſaria ſubtrahantur *v.* HARPRECHT *Reſponſ. Tubing. Vol. 4. Reſp. 69.*

§. 23. Poteſt etiam proprietarius fructus aliis locare, quod circa porcos ſaginandos occurrit, &, ſi in publicas ſylvas porci immittendi ſint, dominus territorialis, tempus & modum ſaginationis definire ſolet. Illud quoque, ex communibus principiis, liquet, uſufructuarium ſylvæ, vel viduam, in cujus dotalitio illa comprehenditur, aut creditores immiſſos debere illa, ad modum boni patrisfam. uti, ac, ſecus faciendo, ad damnum reſtituendum obligari.

§. 24. Si quis habeat ſervitutem lignandi in aliena ſylva, ad modum

dum conſtitutum, ea uti tenetur, hinc, ultra quantitatem conceſſam, ligna cædere nequit; Quodſi jus lignandi ad comburendum ſaltem habeat, arbores ſanas, ad ædificandum aptas, tollere non debet, ſed ſaltem arboribus aridis, emortuis truncis, ramis vi ventorum dejectis, vel etiam arboribus, in uſum comburendi, plantatis, uti poteſt. Si ligna proprietario ac ei, qui ſervitutem habet, non ſufficiant, ille præferendus eſſe cenſetur: In ſylva communi, jus cædendi ligna, ſecundum capita & perſonas, non quantitatem prædiorum, competere volunt.

§. 25. Imperium circa ſylvas, licet privatas, domino territoriali regulariter tribuendum. Vi ejus leges & mandata foreſtalia ille fert, quarum ſcopus eſt, ut ſylvæ, à ruina & devaſtatione, conſerventur: Hinc tempus & modus faciendæ lignationis determinatur, adeo ut, in ſpecie, locis, ubi cæſura facta eſt, per aliquod tempus parcendum, nec ibi pecus paſcendum ſit, *die jungen Gehaue müſſen gewiſſe Zeit, biß auf das vierte, fünffte Laub, geſchonet werden.* Aliquando eradicatio arborum, à domino foreſti, permittitur, quo caſu, à novorum agrorum poſſeſſoribus, decimæ, *Forſt*-vel *Stock-Garben* exigi ſolent *v.* LYSER *Jus Georg. l. 3. c. 11.*

CAPUT XV.
DE METALLIS.

SUMMARIA.

Inter res publicas etiam occurrunt metalla §. 1.
Hoc nomine quænam contineantur §. 2.
Eorum dominium originarium eſt penes Rempublicam §. 3.
Juris Romani ſententia §. 4.
Ejus & juris Germanici comparatio §. 5.
Imperans aliquando dominium metallorum ſibi reſervat, plerumque vero privatis concedit §. 6.
Ejus tamen aliqua parte & imperio retentis §. 7.
Officialium metallicorum conſtitutio officium & delicta §. 8.
Operarii metallici ex locatione operas præſtant §. 9.
Metallicarum fodinarum varietas §. 10.
Partes §. 11.
Et acquiſitio §. 12.
Plerumque expreſſe conceduntur vel cum fundo §. 13.
Vel ſeparatim §. 14.
Circa fodinas occurrit contractus velut emphyteuticus & ſocietas §. 15.
Hodie in fundis etiam alienis fodinæ acquiruntur §. 16.
Dominium fodinarum conſvetos habet effectus §. 17.
Proventus aliquando pro fructu, aliquando pro ſubſtantia habetur §. 18.
Fodinarum translatio & amiſſio §. 19.
Meatuum ſubterraneorum concurſus & prærogativa §. 20.
Cuniculorum metallicorum diverſitas §. 21.
Rerum metallicarum lites, actiones, judicia & collegia §. 22.

§. 1.

INter publicas res, quæ, facto interveniente, uſui applicantur, occurrunt Metalla, de quibus, poſt plures aliorum labores, exſtat etiam DISSERTATIO, *ſub meo ductu, Lipſiæ 1695. habita.* Eſt autem hæc materia ſatis diffuſa, in eaque, non obſtante variorum culturâ, multa occurrunt, quorum ſolida cognitio, vix aliter, quam longa exercitatione, acquiri poteſt. Hoc loco ejus fundamenta breviter delineabimus.

§. 2. Metallorum nomine aliquando intelliguntur (1.) ipſæ fodinæ *v. l. 6. §. 2. ad L. Jul. pecul. l. 8. §. 4. l. 36. 38. de pœn. l. 3. §. fin. de reb. eor. qui ſub tutel.* (2.) omnis generis foſſilia, adeo ut metalla in ſpecie, media mineralia & lapides, iſto ſignificatu comprehendantur *v. l. 3. §. fin. de reb. eor. qui ſub tutel. l. 8. §. 10. de pœn. l. 9. §. 2. 3. l. 13. §. 5. de uſufr. l. 1. 4. C. de metallar.* v. LEYSER *Jus Georg. l. 3. c. 24.*

§. 3.

§. 3. c. 25. DISSERT. *de jur. metallor. §. 1. 2. 3.* De cætero, in metallis inveſtigandis, eruendis, ac ad uſum vitæ civilis præparandis, magna opus eſt prudentia, quæ experientia & uſu potiſſimum acquiritur *v. d.* DISSERT. *§. 4. ſeqq.* LEYS. *d. c. 25. n. 48. 49.*

§. 3. Dominium metallorum originarium, Reipublicæ & Imperanti merito tribuitur, quæ ſententia etiam in Germania ſemper obtinuit *v. A. B. c. 9.* EISENHART. *de regal. metallif. jur. c. 2.* eique hodierna praxis, in Statuum Territoriis, ſuffragatur *v. d.* DISSERT. *§. 9. ſeqq.* Metalla tamen & foſſilia viliora quidam privatis tribuunt, ſed alii ea quoque dominio publico ſubjiciunt. Videntur ſpecies eſſe ſeparandæ, nam cuprum, ſtannum, plumbum, ferrum, cadmia metallica *Kobolt* & ſimilia, ad Regalia merito referuntur, ſed lapides vulgares, terra figulina & lateritia, carbones foſſiles, ceſpes uſtibilis *Torff*, ejusque generis alia, ut dominis prædiorum relinquantur, magna æquitas utique exigit *v.* LEYS. *d. c. 25.*

§. 4. Jure Romano, Metalla ad prædiorum dominos olim pertinuiſſe videntur *v. l. 13. §. 1. comm. prædior. l. 7. §. 13. 14. ſolut. matrim. l. 13. §. 5. 6. de uſufr. l. 4. §. 7. de cenſ. l. 77. de C. E. V. v.* EINSIEDEL *de regal. c. 3 n. 388.* STRUV. *S. J. F. c. 6. §. 26.* Sed ſucceſſu temporis, Imperantes ſibi illa aſſerere cœperunt, & potiſſimum quidem, ut videtur, in provinciis bello quæſitis *v. l. 3. §. fin. l. 4. de bon. eor. qui l. 1. 2. 3. 6. C. de metallar. l. 10. 15. de publican. l. 11. C. de vectigal. l. 1. quod cujusque univerſ. nom. l. 17. in fin. de V. S.* Hinc etiam condemnatio in metallum, ſeu metallopus publicum, non inſolita apud Romanos fuit pœna *v. l. 8. §. 4. 8. 10. de pœn. l. 6. de captiv. d.* DISSERT. *§. 19. ſeqq.* LEYS. *d. c. 24. n. 45.*

§. 5. Quando iſtam juris Romani, de privato metallorum dominio, ſententiam, interpretes nonnulli, cum jure germanico, componunt, *eam ad juris naturalis decreta quam proxime accedere* exiſtimant. Sed illud verum eſt, ſi rem hanc extra ſtatum civilem conſideremus: verum in hoc, ſententia juris Germani, Reipublicæ dominium metallorum tribuentis, juri naturali eſt convenientior. Porro aliqui cenſent, *jus Romanum, per germanicum, eſſe mutatum*, quam mutationem tamen, ſaltem quoad *canonem metallicum*, non etiam *ipſam metallorum proprietatem*, factam eſſe, juris Romani amantiores con-

contendunt. Sed illa parum apte dicuntur, nam jus Romanum, quatenus privatis dominium metallorum tribuit, nunquam potius receptum, aut admissum est *v. d.* DISSERT. *§. 22. 23.*

§. 6. De cætero Imperantes aliquando, suis sumtibus, fodinas instituunt, ac omnem proventum sibi addicunt, quo ipso fodinæ dominicæ, *Herren-Zechen* existunt *v.* EISENHART. *d. tr. c. 2. §. 10.* Plerumque vero jus effodiendi Metalla, sub conditione præstandorum sumtuum, ac solvendi canonis metallici, in subditos transferunt, quo facto, jus regale metallicum constat (1.) aliqua dominii originarii parte (2.) imperio *add* EISENHART *d. c. 2. §. 38.*

§. 7. Ex dominio quod supereſt, dependent jus exigendi canonem metallicum, jus protimiseos *v. l. 1. 2. 3. C. de metallar.* jus colligendi, in officinis argentariis, particulas minutas, *das Hüttengekretze* nec non vindicandi scorias, à fodinarum cultoribus derelictas *v. Ord. metallic. Saxon. art. 92.* & similia. Vi autem imperii exercitium metallurgicum dirigit Imperans, dum leges metallicas fert, officiales ac operarios constituit, rationem fodinas acquirendi determinat, quid alios facere oporteat ostendit, ac modum procedendi, in causis metallicis, similiaque definit.

§. 8. Circa rem metallariam varii generis officiales occurrunt *v.* LEYS. *Jus Georg. l. 3. c. 24. n. 16. seqq.* Majores ipse Imperans, minores vero, fodinarum cultores constituunt, omnes tamen juramento & satisdatione Imperanti obstringi solet *v. Ord. metall. Saxon. art. 20. seqq. 42.* Quæ vero singulorum sit potestas & quodnam officium, illud ex fine muneris injuncti, intelligendum est, quæ singula in Ordinationibus metallicis, distinctius inculcantur *v. Ord. metall. Saxon. art. 3. seqq.* Sed varii hic occurrunt excessus & delicta, quæ debita pœna meritò coercentur *v.* CARPZ. *Pr. crim. p. 2. qu. 85. n. 47.* KAHLEIS *dissert, de defraudat. metallic. hab. Wittemb. 1691.*

§. 9. Operarii metallici *v.* LEYS. *d. c. 24. n. 23.* hodie sunt liberi homines, qui mediante locatione & conductione, à fodinarum cultoribus assumuntur, hinc, accepta mercede, operi diligenter incumbere, ac ab omni fraude abstinere debent. Quo vero operæ eo efficacius præstentur, in tres periodos sive *Schichten*, tota dies, viginti quatuor horis constans, dividitur, ac singulis periodis, quarum unaquæque septem horis absolvitur, novæ operæ, metallico operi adhibentur *v.* DISSERT. *noſtr. §. 24. seqq.*

§. 10.

§. 10. Fodinæ metallicæ intuitu cultorum ſuorum dici ſolent Sympoſia *zechen*, ut &, fodinæ ſociales *Gewerckzechen v.* EISENHART. *de regal. metallif. jur. c. 2. §. 4. c. 3. §. 2. ſeqq.* ac varie diſtingvuntur (1.) in dimenſas & non dimenſas, *vermeſſene und unvermeſſene* (2.) cultas & deſertas, *bauhafftige und auffläſſige zechen* (3.) ſteriles *zubuszechen*, ſibi ſufficientes, *die ſich ſelbſt bauen* & fœcundas *höffliche zechen* (4.) ſurgentes & cadentes *ſteigende und fallende* (5.) ſimplices & compoſitas, *einfache und zuſammen geſchlagene* (6.) majorales & minorales, à diverſitate metallorum *v.* EISENHART. *d. tr. c. 2. §. 3. ſeqq. add. Ord. met. Saxon. art. 35.*

§. 11. Partes metalli fodinarum dicuntur *Kuckus*, ab inventore, ut quidam cenſent *v.* LEYS. *d. c. 24. n. 63. add.* EISENHART. *d. tr. c. 4. §. 21. n. 10.* & nihil aliud ſunt, quam *partes fodinarum indiviſæ*, quas ad immobilia pertinere, ſatis quidem manifeſtum videtur *v. Conſtit. Saxon. 25. p. 3.* Conſtituuntur eum ob finem, ut in diſtribuendis proventibus & oneribus, inter cultores, proportio obſervari queat. Numerus autem partium fere à conſvetudine dependet, ac, pro ratione fodinarum majoralium & minoralium, diverſus eſt, in illis enim major, in his, minor occurrit, plerumque fodinæ argentariæ in 128. partes dividuntur *v. d. differt. §. 27.* LEYS. *d. c. 24. n. 35. ſeqq.*

§. 12. Ex notoria conſvetudine, viliora metalla, ad dominos fundi, in Saxonia, pertinere cenſentur, & quidem ſine ulla Canonis ſolvendi neceſſitate *v.* CARPZ. *p. 2. C 53. D. 3.* ſed talis conſvetudo valde incerta, & regulariter non admittenda eſt *v.* EISENHART. *d. tr. c. 2. §. 53. ſeqq.* Immemoriali quoque præſcriptione fodinas acquiri poſſe cenſent, quod & ipſum tamen, non ſatis liquidum eſt, ſi vero præſcriptionem admittas, non debet illa, ad alia metalla, extendi EISENHART. *d. l. §. 60.* LEYS. *d. c. 24. n. 29. 30. add. differt. de jur. metall. §. 29.*

§. 13. Plerumque jus fodinarum expreſſa conceſſione acquiritur; Et poteſt alicui, cum fundo, jus metallorum concedi, quo caſu accipiens officiales conſtituere, ac metalla, aliis effodienda, concedere poteſt. Sed non quævis conceſſio, jus metallorum complectitur, hinc ſi quis cum feudo jurisdictionem ac merum imperium accipiat, jus illud ſimul conſecutus cenſeri nequit *v.* LEYSER. *d. c. 24. n. 31. 32.* Utplurimum vero ſeparatim, jus metalla fodiendi conceditur, cujus conceſſionis diverſi iterum ſunt gradus.

§. 14. Nam in locis metallicis cuivis competit potestas, terram, metallorum investigandorum gratia, fodiendi, *ein freyes Schürffen*, & nihil refert, sive locus sit propius, sive alienus, nihil enim excipitur, quam *besamte ækker, tisch, bett und Feuer-Stædt.* Quodsi spes lucri appareat, fodiens fodinam sibi concedi petit, quo facto jus constans, sed indefinitum, sibi suisque sociis, si quos habet, acquirit. Si operæ pretium videatur, fodinæ dimensionem fieri curat, ex quo jus definitum, & concurrentes excluſurum, acquiritur.

§. 15. Negotium, quo fodina acquiritur, Intuitu Principis concedentis & Cultorum, est instar contractus emphyteutici, sed cultorum inter se, rationem societatis habet *v.* EISENHART. *de regal. metallifod. jur. c. 4. §. 4. seqq.* Concedens sibi reservat canonem metallicum, domino autem fundi, in compensationem damni illati, conceditur pars metallica, *ein erbkux*, ex qua aliquando, sine ullis impensis, proventum consequatur *v. O. M. Saxon. art. 72. v. supr. l. 4. c. 14. §. 17.* Aliquando etiam Ecclesiæ vel aliis piis locis certæ partes liberæ conceduntur. De cætero exercitores fodinas colere, sumtus necessarios præstare, ac, in recognitionem dominii directi, singulis anni quadrantibus aliquid solvere debent, *müssen die lehn und zechen quartaliter verrecessen v. d. differt. §. 30. 31.*

§. 16. Ex dictis liquet, quod hodie, etiam in fundis alienis, metalla quærere liceat, hinc, si usufructuarius, maritus aut creditor, in fundo fructuario, dotali vel oppignorato, fodinam instituant, eam retinent, licet jus, quoad ipsum fundum, exspiraverit, nec adeo obtinet hodie dispositio *l. 9. §. 3. l. 13. §. 5. 6. de usufr. l. 7. §. 13. 14. sol. matrim.* Aliud dicendum de fodinis, ante illa jura jam institutis, hæ enim, si in usufructuarium, maritum vel creditorem transferantur, ad dominos priores utique suo tempore erunt reversuræ *v. l. 8. solut. matrim.*

§. 17. Fodinis legitime acquisitis, ad modum aliarum rerum propriarum, dominus utitur. Hinc proventum, *die ausbeute* lucratur; Potest etiam fodinas aliis in usumfructum concedere, quo casu proventus accipit usufructuarius, si hi renascantur *l. 7. §. 13. solut. matrim.* sed hæc conditio nunquam existere videtur, quare ex modo initæ conventionis judicandum, utrum proventus metallicus, pro substantia, an fructu haberi debeat: Aliquando etiam lege positiva, ista res definitur.

§. 18.

§. 18. In Electoratu Saxoniæ, uſufructu à lege conſtituto, proventus metallici, non fructuum, ſed ſubſtantiæ rationem habent *p. 3. C. 25. ibique* CARPZ. Sed in Ducatu Brunſvicenſi illos pro fructibus haberi, ac ab uſufructuario irrevocabiliter acquiri, teſtatur EISENHART. *d. tr. c. 4. §. 17.* Poſſunt etiam metalli fodinæ oppignorari vel arreſto conſtringi *v. O. M. Saxon. art. 101.* EISENHART. *d. c. 4. §. 20.* locare tamen eas, in quibusdam locis, non licet *v. O. M. S. art. 35.* niſi cum conſenſu Præfecti montani *v. d. diſſert. §. 33. 34.*

§. 19. Poſſunt etiam, per ſucceſſionem legitimam & teſtamentariam, fodinæ in alios transferri, aut etiam, inter vivos, alienari *v. O. M. S. art. 39. 40. 41. 47.* EISENHART. *d. tr. c. 4. §. 18. ſeqq.* CARPZ. *p. 3. C. 25. D. 1. 2.* Amittuntur illæ, ſi legibus factæ conceſſionis non ſatisfiat, puta ſi fodinæ non colantur, ſymbolæ non conferantur nec trimeſtris recognitio præſtetur. Præſcriptione quoque, in rebus immobilibus uſitata, fodinæ amitti videntur: Propter delicta vero, ob favorem rei metallicæ, illæ non auferri, nec fiſco adjudicari ſolent *v. O. M. S. art. 1. §. 35.*

§. 20. Aliquando diverſarum fodinarum meatus ſubterranei concurrunt, quo caſu, inter cultores, de prærogativa, acriter ſatis controverti ſolet; Quæ controverſiæ, vel *amica tranſactione*, vel *fodinarum conjunctione*, ſi urgentes adſint cauſæ, & conſenſus Magiſtri montium accedat, vel *ſenioratu fodinarum* deciduntur *v. d. diſſert. §. 37.* Ille autem Senioratu gaudet, qui primus inveſtituram impetravit, nam hujus virtute, inveſtitus, ex ſua area, omnes alios excludere poteſt, qui, intra ejus terminos, metalla ſcrutati ſunt, aut poſtea in eam incidunt, *die in ſeine Vierung kommen v.* LYSER *Jus Georg. l. 3. c. 24. n. 88. ſeqq.*

§. 21. Circa fodinas etiam occurrunt *Cuniculi*, qui diſtinguuntur in *[illegible]edantes, Raub-Stollen*, qui ſine utilitate efficiuntur eo ſaltem fine, quo, ſub ſpecie recti, fodinarum cultoribus aliquid ſubtrahi queat, & *neceſſarios*, qui ſunt foſſæ ſubterraneæ, à radice montis, leni aſcenſu, verſus fodinas actæ, quo fodinæ ab aquis liberari, ac puriori aura refici queant. Diſtinguuntur in imperfectos ſive quærentes, & perfectos ſive hæreditarios, *Such- und Erb-Stollen*, ob hos certa aliqua penſio cuniculorum dominis ſolvi debet *v. O. M. S. art. 77. ſeqq. d.* DISSERT. *§. 39.* LEYSER. *d. c. 24. n. 34.*

§. 22. Quodſi lites, circa rem metallicam, oriantur, opus eſt competentibus *actionibus*, quarum indoles, ex jure præſuppoſito intelligitur. Sic partes metallicæ rei vindicatione peti poſſunt, ſi oppignoratæ ſint, actio hypothecaria locum habet; ex contractibus, actio perſonalis naſcitur. Habent etiam cauſæ metallicæ plerumque peculiare judicium, & ſingularem in nonnullis proceſſum; Solent etiam Collegia juridica montana conſtitui, quæ de jure metallico reſpondeant, id quod omne ex ordinationibus metallicis cujusvis loci, ſpecalius intelligendum eſt *v.* LETSER *d. l. n. 101. ſeqq.*

CAPUT XVI.
DE MOLENDINIS.

SUMMARIA.

Molendinorum indoles & varietas §. 1.
Jus ea exſtruendi regulariter ad regalia videtur pertinere §. 2.
Quod ex ipſa civitatis conſtitutione reſultat §. 3.
Uſus tamen territoriorū germanicorum variat §. 4.
Jus habendi molendinum aliquando privative quibusdam competit §. 5.
Pro diverſo habendi modo diverſum eſt §. 6.
Et nonnunquam plane ceſſat §. 7.
Exſtruendæ molæ locus §. 8. 9. 10.
Et modus §. 11.
Ut recte obſervetur, periti & jurati molitores ſunt adhibendi §. 12.
Ad exſtructionem molarum ſubditi operas regulariter præſtare non tenentur §. 13.
Molendina ſunt in dominio §. 14.
Ejus effectus quoad flumen privatum & publicum §. 15.
Molere in aliquo molendino, eſt res meræ facultatis §. 16.
Jus tamen bannale aliquando acquiritur lege, privilegio, ſtatuto §. 17.
Pacto & præſcriptione §. 18. 19.
Quod nihilominus certis caſibus ceſſat §. 20.
Definitio mercedis molitoriæ §. 21.
Molendinum aliūs exſtructionem quandoque impedit ac locari poteſt §. 22.
Molitorum delicta, ſtatus & lites §. 23.
Imperans molarum curam gerere debet §. 24.
Molendinorum onera & immunitates §. 25.
Quæ molendinorum, eadem fere furnorum ſunt jura §. 26.

§. 1.

RErum, quæ, ſine publico permiſſu, produci nequeunt, adeoque hactenus pro publicis haberi poſſunt *v. c. 14. §. 1.* exemplum præbere videntur Molendina, de quibus nunc quædam afferre libet. Molendina ſunt *machinæ, ſuis requiſitis inſtructæ, quibus, hominum aut jumentorum ope, vel aquarum ventive impulſu, agitatis, fruges aliæve res conteruntur aut præparantur.* A *modo operandi*,

randi, & *objecto* varie distingvuntur; Illorum autem exstruendorum rationem Architectura docet *v. l. 18. §. 5. l. 21. de instruct. vel instrum. leg.* DN. BORN *dissert. de molendin. c. 1.* LETSER. *Jus Georg. l. 3. c. 15. n. 1. seqq.*

§. 2. Jus exstruendi molendinum, in Republica germanica, ad Regalia, à nonnullis, refertur; alii vero dominii privati effectibus, id accensent, cum mero jure naturali hoc obtineat, nec libertas illa naturalis, lege aliqua, restricta, ac jus molendina exstruendi, Regalibus annumeratum sit. Mihi prior sententia, magis probabilis videtur; Equidem si quis, in re plane sua, ac ad proprium tantum usum, molam exstruere velit, id, vi dominii, dubio procul facere poterit: sed cum molendina, in fluminibus publicis, exstruantur, eorumque usus ad alios quoque extendatur, hinc jus, ea exstruendi, mensuram dominii privati, omnino excedere, ac sublimius principium arguere videtur.

§. 3. Neque vero ad hoc, ut jus aliquod, dici possit publicum, lex prohibitiva præcise requiritur, cum, ex ipsa Societatis civilis constitutione, hoc resultet, ut publicum censeatur, quicquid rationes privatas excedit. Hoc tamen non eo pertinet, quasi altera sententia, quæ pro dominio privato pronunciat, simpliciter improbanda sit, nam, connivente Republica, jus illud privati sibi recte asserunt, maxime cum pro utilitate civitatis semper ab Imperante possit restringi.

§. 4. Interim usus Territoriorum Germanicorum diversus est: In Marchia Brandenburgica, neminem molendinum exstruere posse, nisi qui hoc jure investitus sit, testatur DN. STRYK *in E. J. F. c. 8. qu. 16. lit. b.* Sed in Electoratu Saxoniæ, cuivis domino, exstruendi jus competit *v.* ZIEGLER. *de Jur. maj. l. 2. c. 15. n. 32. seqq.* Solet tamen permissa libertas, consvetudine vel lege expressa aliquando iterum restringi, quæ restrictiones, ultra voluntatem restringentis, non sunt extendendæ *v.* DN. BORN *d. dissert. c. 2.* LETSER *d. c. 15. n 34. seqq.*

§. 5. Sicut autem Imperans jus molendinorum aliquando sibi ita asserit, ut privatis id plane non concedat, ita civitates etiam municipales, cives suos, mediante conventione legitima, ab eodem excludere possunt; statuti vero non eadem vis est, nisi ab Imperante sit confirmatum. Posse etiam Principem, ob utilitatem publicam, subditos cogere, ut molendina privata destruant, recte utique dicitur, sed

vera utilitas ac neceſſitas ſubeſſe debet, quæ, juſta æſtimatione, non facile occurret. *v.* DN. BORN. *d. diſſert. c. 2. §. 7. 8.*

§. 6. Quodſi jus habendi molendini, ex conceſſione publica, dependeat, tum ex hujus modo judicandum, quousque illud ſe extendat, ſi vero, ex dominio privato illud repetatur, tum, juxta conſvetos dominii effectus id erit accipiendum, adeoque tamdiu aſſerendum, donec juſta reſtrictionis cauſa probetur. Primo igitur jus exſtruendi molendini nullo tempore præſcribitur, cum hactenus nemo ſit in conditione præſcribendi, adeoque exſtructio illa, ſit res meræ facultatis: Nec impeditur exſtructio, quod vicinus ſolus, per longiſſimum tempus, molendinum habuerit, & quod reditus ejus, iſta exſtructione minuantur *v. l. 26. de damn. infect.* Non minus quoque licitum erit domino, molendinum augere, in eoque novos ductus formare, vel etiam v. gr. frumentarium, in olearium convertere, aut collapſum dirutumve quovis tempore reſtaurare *v.* DN. BORN *d. diſſert. c. 2. §. 9.* LETSER *d. c. 15. n. 40. ſeqq.*

§. 7. Ceſſat vero jus exſtruendi vel immutandi molendini, ſi quis pacto illud remiſerit, ex qua conventione, ſi ea fuerit pacíſcentium intentio, quod in dubio præſumendum videtur, ſervitus realis, quemvis ſucceſſorem obligatura, enaſcitur. Ceſſat quoque, ſi alii, ex privilegio, jus prohibendi ſit quæſitum, aut, facta ædificationis ſuſcipiendæ prohibitione, jus ædificandi præſcriptione exſtinguatur. Non minus etiam ceſſat, ſi vicino per exſtructionem molæ damnum poſitivum inferatur, ut ſi aquæ ductus reddatur deterior, vel aquarum curſus penitus intervertatur. Denique ceſſare cenſetur, ſi tantum ad æmulationem alterius, exſtructio fiat *v.* DN. BORN *diſſert. c. 2. §. 10. 11.* LETSER *d. c. 15. n. 46. ſeqq.* Sed hoc ultimum in genere nonnulli rejiciunt *v.* DN. THOMAS. *diſſert. hab. Hal. 1703.* cui titulus: *Non ens actionis forenſ. contr. ædific. ex æmulat.*

§. 8. Quo autem, de jure exſtruendæ molæ, eo magis conſtet, ad *locum*, in quo illa ædificanda, reſpiciendum eſt. Et quidem in fundo & flumine privato, quemvis molendinum exſtruere poſſe, non dubitatur, quod tamen, ſi primam hypotheſin, §. 2. notatam, ſupponas, non aliter admittendum, quam ſi ad proprium ſaltem uſum exſtructio fiat. In loco autem & flumine publico, non aliter, quam permiſſu publico,

blico, molendinum exſtrui poteſt, ſecundum hypotheſin modo laudatam, ſed juxta ſecundam, quæ in Saxonia obtinet, conſenſu Imperantis quidem opus eſt, ſi in loco publico exſtructio ſit facienda, non vero, ſi in flumine publico, quia horum uſus omnibus permiſſus ſupponitur.

§. 9. Illud tamen dubium non habet, quin Princeps cenſum molinarium exigere, aut etiam jus ædificandi, præcipue intuitu inſularum, reſtringere poſſit: Inprimis vero, conſenſu publico opus eſt, ſi quis aquæductum, ad verſandum molendinum, ex flumine publico, facere velit. Atque juxta duplicem iſtam hypotheſin, quæſtiones ſpeciales, de *loco* vel *flumine communi, feudali* aut *emphyteutico*, ut & de *mutatione* vel *translatione molendini*, ſimilesque, diverſimode decidendæ ſunt, ita ut juxta primam, conſenſum publicum, ad illa omnia requiramus, ſed juxta ſecundam, domini libertati, eadem regulariter relinquamus.

§. 10. Quodſi lege provinciali cautum ſit, ut molendina certo intervallo, abs ſe invicem diſtent, ſpatium illud, orta controverſia, non ſecundum lineam rectam, ſed naturalem aquæ curſum, atque ita per anfractus quoque, menſurandum videtur. Præterea notandum, quod, ſicut jus ædificandi molendinum ſimpliciter poteſt amitti *v.* §. 7. ita etiam illud, ratione certi loci, dubio procul tolli queat lege, conſvetudine, pacto, privilegio & præſcriptione, quæ tamen, ultra poſſeſſionem, vires ſuas non extendit *v.* Dn. BORN *d. diſſert. c. 3.*

§. 11. Exſtruendi molendini *modum* quod attinet, uti ille dubio procul eſt obſervandus, ſi non aliter, quam permiſſu publico, exſtructio fieri queat, ita, licet hæc, vi dominii privati, fiat, ille non negligi, ſed caveri potius ſolet, ne ita mola exſtruatur, quo aquæ reſtagnatione vel alia quacunque ratione, damnum vicinis inferatur. Inprimis ergo habenda eſt ratio arboris molaris, *des fachbaums*, quæ recte collocanda, nec ſemel poſita, mutanda eſt, id quod in *Ord. molin. Saxon. 1653. art. 9.* ſuo pœna 500 florenorum, conſtitutum.

§. 12. Quo ergo modus ædificandi exacte obſervetur, periti juratique molitores ſunt adhibendi, ac viſitatio nonnunquam inſtituenda *v.* Dn. BORN *d. diſſert. c. 4.* LEYS. *Jus Georg. l. 3. c. 15. n. 53. ſeqq.* Quodſi jus ſcriptum deficiat, tamen machinam molarem, pro lubitu muta-

mutari non posse, sed modum consvetudine inductum, observandum esse, quidam putant *v.* BERLICH. *p. 2. D. 176.* Dn. BORN *d. c. 4. §. 4.* LEYS. *d. c. 15. n. 59.* Sed si vicinis damnum positivum & certum non inferatur, ei, qui, in privato fundo & flumine, molendinum possidet, mutandæ arboris molinariæ arbitrium competere videtur *v.* Dn. HORN *Jurisprud. feud. append. 2. n. 22.*

§. 13. Si Princeps vel privatus, cui vel ex investitura, vel alio modo jus ædificandi competit, molendinum exstruat, subditi, ad præstandas operas, regulariter cogi non possunt, cum enim ad exstruentem omnes reditus, ex molendino, sint perventuri, merito quoque sumtus exstructionis ille ferre debet, neque subjectio, vel fundamentalis, vel jurisdictionalis, ad ejusmodi præstationes speciales, extendi debet. Aliud dicendum, si lege *v. Decis. Saxon. 33.* pacto expresso, consvetudine vel præscriptione legitima *v. l. 41. de A. v. A. P.* necessitas præstandi operas sit introducta, vel utilitas specialis, ex exstructione illa, in subditos redundet, dum v. gr. gratis frumenta molere, ipsis conceditur *v.* Dn. BORN *dissert. de molend. c. 4.*

§. 14. Molendinum exstructum, licet, ad ejus exstructionem, permissu publico opus fuerit, sine dubio, est in exstruentis dominio, ac molendina aquatica, pneumatica & navalia, rebus immobilibus merito accensentur *v. Decis. Saxon. 53.* Dn. BORN. *d. dissert. c. 1. §. 5.* LEYS. *d. c. 15. n. 81. 82.* Quodsi fundus, in quo molendinum exstructum, & flumen, quo idem agitatur, ad diversa territoria vel universitates pertineant, tum, in dijudicandis molendini, ac inhabitantium juribus, leges & statuta prioris territorii vel universitatis, observari debent Dn. BORN *d. dissert. c. 3. §. 5.*

§. 15. Vi autem dominii, exstruens, in flumine privato, aqua, pro lubitu suo, uti poterit, nisi modus lege publica sit præscriptus. Hinc poterit Superior dominus aquam retinere, ac in usus suos insumere, etiamsi, ob id, inferiori molendino eadem imminuatur, neque enim alii concedendum est, quo quis ipse indiget *v. l. 26. de damn. inf. l. 2. §. 5. de aqu. & aqu. pluv.* In flumine autem publico, nihil facere potest, quo aquæ cursus reddatur deterior: Si vero flumen ita exsiccetur, ut utrumque molendinum, superius & inferius, eodem agitari nequeat, tum, cessante alio fundamento, ex antiquitate dependet, utrum superius

rius aquam retinere, an inferius retentionem prohibere poſſit *v.* Dn. BORN *d. diſſert. c. 5. §. 1. ſeqq.*

§. 16. Eſt de cætero regulariter in cujusvis arbitrio poſitum, in quo molendino molere velit; licet igitur, per centum & plures annos, quidam molendino aliquo uſi fuerint, attamen inde nullum cogendi jus, ejus poſſeſſori, etiamſi molentium ſimul dominus ſit, acquiritur, hinc etiam molitores impediri nequeunt, quo minus frumenta molenda, jumentis ſuis, ex quovis loco, advehant. Aliquando tamen jus cogendi ſeu bannarium alicui acquiritur, vi cujus, certi diſtrictus homines, neceſſario aliquod molendinum viſitare, in eoque molere tenentur, adeo ut ſecus facientes, legitimis mediis, ad id compelli queant.

§. 17. Acquiritur jus illud, *lege publice lata*, qua Imperans, ob juſtas cauſas, ſubditis injungit, quo ipſius molendina tantum viſitem, id quod tum maxime facere poteſt, ſi ſubditi hactenus, ad molas aliûs territorii, commeare ſoliti ſint. Exinde ſequitur, quod etiam per *privilegium*, privato jus illud concedi queat, non minus, quod municipium, libera poteſtate condendi ſtatuta gaudens, mediante *ſtatuto* id ſibi aſſerere poſſit, utroque tamen caſu, juſtæ cauſæ adeſſe debent.

§. 18. Inprimis jus bannale *pacto* acquiri poteſt, ad quod tamen omnium, quorum intereſt, conſenſus requiritur, hinc ſi univerſitas aliqua obſtringenda ſit, non ſufficit conſenſus majoris partis; præterea ſubditi invito domino ſuo jurisdictionali, tale pactum cum extraneo, ob eandem rationem, inire non poſſe videntur. Denique etiam *præſcriptione* jus illud acquiritur, quando ſcilicet dominus molendini, molentes diſcedere prohibet, & hi, per longiſſimum tempus, in iſta prohibitione, acquieſcunt.

§. 19. Quodſi autem contradicant, aut ipſo facto contrario libertatem tueantur, præſcriptio impeditur. Si vero is, qui vicinum molendinum poſſidet, contra prohibitionem proteſtetur, illa proteſtatio, ſi molentes taceant, ſine effectu eſt, nec præſcriptionem impedit. De cætero per præſcriptionem & pactum, ſi de alia paciſcentium mente non conſtet, jus reale domino molendini acquiritur, quod contra quosvis poſſeſſores efficax eſt, ac adeo involvit ſervitutem realem, in faciendo conſiſtentem, quales ſervitutes in genere, contra inanes Romanorum ſubtilitates, aſſerui *l. 3. c. 13. §. 16. ſeqq.*

§. 20. Ceſſat obligatio eundi ad molendinum bannale (1.) ob evidentem neceſſitatem v. gr. peſtis aut belli (2.) cunctationem vel inhabilitatem molendini, ſi molendo frumento non ſufficiat, quod molentes, teſtimonio molitoris, quibusdam in locis probare tenentur (3.) ob defraudationem, aut iniquam mercedis intenſionem, ſi dominus, ad factam implorationem, rebus iſtis remedium non attulerit (4.) ob remiſſionem domini, qua jus banni remittit, quam etiam, invitis bannitis, facere poteſt *v.* Dn. BORN *d. diſſert. c. 5. ſeqq.* LEYS. *d. c. 15. n. 83. ſeqq.*

§. 21. Merces molitoria ſæpe, à domino territoriali determinatur, quo caſu molitores plus exigere nequeunt, etſi minus accipere, regulariter non prohibeantur. Deficiente legali definitione, arbitrio paciſcentium merces conſtituitur, ubi æquitatis & conſvetudinis eſt habenda ratio; De cætero nihil refert, ſive in pecunia numerata, ſive parte frumenti merces conſiſtat. In Saxonia Electorali, decima ſexta, vel vigeſima pars frumenti, ad molendum allati, ſolvi ſolet. *Ord. molendin. 1666.* rubric. *metzen des getreydes.* Poſſunt molitores farinam quoque vendere, niſi ſpecialiter prohibeantur, quod in Saxonia factum *Ord. molend. 1661.* rubric. *mahlenzwang.*

§. 22. Si molendinum aquaticum, navale vel pneumaticum, alicui in feudum conceſſum ſit, tum dominus feudi aliud exſtruere nequit, ſi conditio illius loci, duo molendina non admittat. Aliquando molæ aliis locantur, tum primo ex pactis, & natura contractus, ac, his deficientibus, ex more regionis & lege publica, judicandum, quid juris locatori & conductori competat, ac in ſpecie quas impenſas unumquemque ferre oporteat. Sic impenſæ, in lapides molares faciendæ, regulariter ad locatorem pertinent, ſunt enim ſumtus rei, non fructuum *v. l. 55. §. 1. l. pen. pr. locat.*

§. 23. In exercitio artis ſuæ, varie delinquere poſſunt molitores, ut ſi, inter molentes, temporis prærogativam non obſervent, aut eos quacunque ratione defraudent, quæ, ſimiliaque delicta, condigna pœna merito coercentur. Molitorum tamen conditio, quamdiu delicta abſunt, honeſta eſt, iique nulla macula laborant *v. Ord. polit. 1577. tit. 38.* De actionibus, quæ intuitu molendinorum & molitorum occurrant, non operoſa eſt diſquiſitio, nam de dominio, ſervitute, libertate, poſſes-

poſſeſſione, contractibus & delictis controverti ſolet, hinc actiones, ex juribus illis oriundæ, locum inveniunt *v.* DN. BORN *d. diſſert. c. 5. 17. ſeqq. c. 6. add.* LETSER *d. c. 15. n. 107. ſeqq.*

§. 24. Sicut autem Imperans annonæ curam gerit, ita non minori providentia, molendina eorumque exercitium proſequi tenetur. Eo fine varias leges ferre, ac Præfectos molendinorum, qui illas, omni ex parte, obſervari curent, conſtituere ſolet. Aliquando etiam molendinorum viſitationes inſtituuntur, quæ quidem, ſi univerſales ſint, auſpiciis ſummi Imperantis fieri debent, particulares vero unius vel alterius molendini, ab eo, qui habet jurisdictionem inferiorem, inſtitui poſſunt, qui tamen caſus criminales, ad eum, qui ſuperiore jurisdictione gaudet, referre tenetur DN. BORN *d. diſſert. c. 1. §. 7. ſeqq.*

§. 25. Ut alia prædia, ita quoque molendina collectis, tam ordinariis, quam extraordinariis obnoxia ſunt. Præterea aliquando certus canon vel decimæ aliis ſolvi debent; ad exemplum quoque aliorum Parochianorum, molitores Miniſtris Eccleſiæ, aliquid præſtare tenentur: Quandoque à molentibus tributum, *der Mahl-Groſchen* exigitur. A muneribus vero perſonalibus, præcipue gravioribus, ut & metatis, molarum poſſeſſores, ſolent eſſe immunes, quemadmodum etiam, de lapidibus molaribus, vectigal, quibusdam in locis, non ſolvitur, quæ ſingula ex uſu regionum, ſpecialius diſcenda ſunt *v.* Dn. BORN *d. diſſert. c. 5. §. 18.*

§. 26. Quæ molendinorum, eadem fere etiam ſunt jura furnorum aliarumque fornacum, nam, ſi rationes civiles ſolertius excutias, nec illorum, in plurium uſum, habendorum jus, ſine permiſſu publico, competit, aut, ſi omnino, ex dominio privato, illud repetas, id tamen certum eſt, quod per Imperantem, illorum uſus varie reſtringi & determinari queat. Circa inſtitutos vero furnos, de dominio, ſervitute, v. gr. coquendi panem in certo aliquo furno, vel non habendi furnum, aut lignandi, ſimilive; de damno infecto vel illato *v. l. 24. §. 7. de damn. infect. l. 27. §. 10. ad L. aquil.* de variis contractibus aut delictis, controverti poteſt, quæ indicaſſe, jam ſufficiat *v.* Dn. STRYK. *diſſert. de jur. furn.* LETSER. *Jus Georg. l. 3. c. 16.*

Digitized by Google

CAPUT XVII.
DE RE MILITARI.

SUMMARIA.

Neceſſitas rei militaris §. 1.
Ad eam inſtruendam milites & fortalitia requiruntur §. 2.
Quibus regulis eadem dirigatur §. 3.
Militis natura requiſita §. 4.
Obligatio & varietas §. 5. 6.
Militibus ſtipendia ſunt exſolvenda §. 7.
Eorum, qui proviſioni militari præficiuntur, conſtitutio & officium §. 8.
Milites ſtipendiis debent eſſe contenti §. 9.
De hoſpitiis, ipſis eſt providendum §. 10.
Quæ ſoluta pecunia regulariter à ſubditis non ſunt redimenta §. 11.
Metatorum officium §. 12.
Hoſpitiis milites abuti non debent §. 13.
Militum delicta, judicia, luſtrationes §. 14.
Et privilegia §. 15.
Fortalitiorum habitus & origo §. 16.
Jus exſtruendi ea eſt penes Imperantem §. 17.
Quod tamen aliquando reſtringitur aut alii acquiritur §. 18.
Fortalitiorum utilitas & incommoda §. 19.
Locus, numerus ac ſumtus §. 20.
Fortalitiis præſidia ſunt imponenda §. 21.
Aliquando præſidii jus in alieno etiam territorio exercetur §. 22.
Ejus abuſus ac militum præſidiariorum ſuſtentatio & officium §. 23.

§. 1.

CIvitatum ſcopus eſt, vel ſaltem eſſe debet, Civium ſecuritas, huic obtinendo, *res militaris* recte inſtructa eſſe debet, quo injuriæ propulſari vel vindicari queant, de ea igitur jam non incommode aliqua dici poterunt. Rei militaris in univerſum duplex eſt conſideratio, vel enim bellum *præparatur*, vel *geritur:* Hoc loco præparationem ſaltem ſpectabimus, geſtionem *l. 10. c. 15.* conſideraturi.

§. 2. Ad inſtruendam rem militarem, requiruntur *milites* & *fortalitia*, nam, his mediis, defenſionem civitatum obtineri poſſe, palam eſt. In Germania, antiquis temporibus, non milite conducto utebantur, ſed ipſi indigenæ operas militares præſtabant, ſed ſucceſſu temporis, milite conducto, omnia fere agi cœperunt. Licet vero hæc poſterior militiæ ratio, plurima incommoda habeat adjuncta, nec regionum defenſioni ſufficiat *v.* LEHM. *Chron. Spir. l. 2. c. 43. l. 5. c. 112.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 11. §. 33. ſeqq.* attamen hodie ſola fere obtinet, cujus rei ratio, à bellorum frequentia, regulis dominatus, & mollitie,

litie, cui felicioris præcipue regionis incolæ facile aſſveſcunt, potiſſimum dependet.

§. 3. De cætero inſtructio & directio rei militaris, ex communibus fere æquitatis & utilitatis regulis, dependet, quæ tamen per leges poſitivas ſpecialius determinantur, hinc etiam Ordinationes militares diverſarum civitatum, in multis ſæpe conveniunt. Poſſumus etiam jure Romano hic, in ſubſidium, uti. Male autem illud vulgo, pro jure publico, ſolet haberi, cum enim ad ſubditos conſtitutos ſpectet, privatum utique exiſtimari debet *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 2. c. 9. §. 24. 25.* Præterea obſervandum, quod jus illud ſaltem valeat inter ſubditos, hinc invito Imperanti, & multo magis hoſti, fruſtra illud oppoſueris.

§. 4. Miles eſt *perſona ab Imperante, ad militiam lecta, in numerum relata & ſacramento obſtricta v. l. 2. §. 1. de re militar. l. 42. de teſtam. milit.* Ad militem requiritur habilitas naturalis, ut operas militares præſtare queat *v. l. 13. §. 3. de re milit.* cætera lex poſitiva determinat, & jure quidem Romano, ſervi *l. 8. 11. eod.* infames *l. 4. §. 4. eod.* aliique *d. l. 4. t. t. C. qui militar. poſſ.* à militia arcentur. Olim in Germania ſolos Nobiles & homines liberos, ad militiam fuiſſe lectos, cenſet LEHMAN. *Chron. Spir. l. 5. c. 112.* ſed id erroneum dicit FUCHS *in not. ad d. l.* Hodie plebejos à militia non repelli, experientia teſtatur. *add.* SCHRAG. *diſſert. de conduct. milit.* TILEMAN. *diſſert. de conquiſit. milit.*

§. 5. Poſſunt etiam ſubditi ad militiam cogi, quod ex natura imperii fluit, ſi modo juſta ſubſit cauſa *v. l. 4. §. 12. de re milit.* Exteris quoque ſubditi operas militares addicere poſſunt, ex conſenſu Reipublicæ *v. R. J. 1570. §. 4. ſeqq. v.* DN. HORN *diſſert. de libert. German. exter. militandi.* De cætero milites ſunt vel *gregarii*, vel *præfecti* ſive *Officiales*, quorum magnam eſſe varietatem, & multiplicem ſubordinationem, experientia ſatis docet. Illud autem facile liquet, officia militaria, præcipue majora, peritis & expertis eſſe conferenda, indigenas etiam, cæteris paribus, eſſe præferendos exteris, denique, præter neceſſitatem, Officiales, præſertim majores, non eſſe multiplicandos; Quam male autem illa ſæpe obſerventur, experientia loquitur, hinc etiam inepta conſilia, miri bellorum exitus non raro manent.

Digitized by Google

§. 6. Officium militum eſt vel *commune*, quod ipſis, ut hominibus & civibus, vel *proprium*, quod ut militibus, incumbit, ſed cum illud & iſtud, in hoc influant, ideo hæc omnia conjungere licet. Summa eſt: milites erga Deum pii, erga dominum fidi eſſe, in amicos amice, in hoſtes prudenter & fortiter agere debent *v. l. 2. §. 11. C. de offic. præf. prætor. Afric.* Præterea officiales militem gregarium, in armis diligenter exercere, *v. l. 15. C. de re milit.* benevolentia ſibi devincire, nec ulla ratione defraudare tenentur, ſed quam parum illa ſervari ſoleant, experientia ſæpe non loquitur, ſed clamat.

§. 7. Vice verſa Imperans militibus ſtipendia ac annonam bona fide præſtare tenetur *v. Nov. 149. c. 2.* STRUV. *diſſert. de æror. milit.* MULLER *de ſtipend. milit.* quæ præſtatio valde neceſſaria eſt, ac ab ejus omiſſione, furta, latrocinia, violentæ extorſiones, ac totius diſciplinæ militaris everſio fere dependent. Uti autem hujus rei cura certis perſonis omnino committenda eſt, ita rationi haut convenit, ut ipſis militum præfectis illa demandetur, ultra modum enim miles gregarius, hoc admiſſo, circumveniri ſolet. *add.* FROMAN *diſſert. de Commiſſar. militar.*

§. 8. Eorum vero, qui proviſioni militari præficiuntur, conſtitutio & officium, ex generalibus feræ æquitatis & prudentiæ principiis, dependet, nam rationis eſt, ut juramento obſtringantur *v. l. 16. C. de erogat. milit. ann. R. J. 1512. tit. 2. R. J. 1544. §. 46.* pittacia ſeu erogationis brevia conficiant, ac adminiſtrationis rationem reddant *v. l. 5. C. de erogat. milit. R. J. 1541. §. 58.* Non minus etiam curare debent, quo annonæ, juſto tempore, à ſubditis inferantur *v. l. 7. C. de exactor. tribut. l. 10. C. de annon. & tribut.* quo caſu etiam annonæ adæratio, ſive pretii ejus ſolutio, aliquando permittitur *v. l. 7. 12. 13. 15. C. de erog. milit. annon.* Collatæ quoque annonæ, ne corrumpatur, eſt habenda ratio *v. l. 1. C. de cond. in publ. horr.*

§. 9. Illud etiam facile liquet, omnes ſubditos, ad collationem annonæ militaris, regulariter teneri *v. l. 5. 7. 10. C. de annon. & tribut.* quemadmodum illa præſtanda eſt omnibus, qui militiæ nomen dederunt *v. l. 42. de teſtam. milit.* fraus tamen cavenda eſt, ne iis, qui in ſpeciem ſaltem ſurrogantur, *den blinden* ſtipendia & annonæ præſtentur *v. l. 2. §. 9. C. de offic. præf. prætor. afric.* debent etiam milites nihil, præ-

ter

ter legitima ſtipendia, exigere *v. l. 3. C. de erogat. ann. milit. Nov.* 130. De cætero omnia, quæ ad victum & amictum, ut & militem armandum requiruntur, ſub proviſione militari continentur *v.* Dn. STRYK *diſſert. de proviſ. militar. hab. Hal.* 1702. *c.* 1.

§. 10. Inprimis etiam militibus, de hoſpitiis providendum eſt, quæ metatorum & epidemeticorum nomine veniunt *t. t. C. de metat. & epidemet. add. l. 3. C. de muner. patrim. l.* 10. *§. 2. de vacat. & excuſ. muner.* Jus imperandi hoſpitia, eſſe originarie penes imperantem, certum omnino eſt, & hic ſupponitur *v. l. fin. C. de metat.* hinc in Territoriis germaniæ, ad Status imperii, illud pertinet. Regulariter quoque omnes ſubditi, hoſpitia militibus præbere debent *v. l. 3. C. de muner. patrim. l. 3. §. 14. de muner. & honor.* Quidam tamen ab illo onere ſunt immunes, ut Profeſſores *l. 8. C. de metat.* aliique, de quo ex uſu regionum ſpecialius judicandum *v.* TABOR *de metat. & epidem.* REUSNER, HAHN, CLASEN, LINCK, SOMMERING *diſſert. de hac mater.*

§. 11. Qui immunitate non gaudent, non poſſunt ſe, ſoluta pecunia, huic oneri ſubducere *l. 12. C. de metat.* quod tamen, cum damno tenuiorum, ſæpe negligitur. Hodie, in quibusdam Ordinationibus militaribus, militibus, pro hoſpitio, accipere pecuniam permittitur, ſed ea conditione, ut ſibi deinceps hoſpitia conducant *v.* Dn. STRYK *d. diſſert. de proviſ. milit. c. 2. §. 12.* quæ conditio ſi ſervetur, non tantum non iniquæ, ſed & utiles ſunt ejusmodi ordinationes. Redemtiones iſtas hoſpitiorum pecuniarias, dici epidemetica, cenſet BRUNNEM. *ad C. de metat. n. 3.*

§. 12. Quo autem hoſpitia recte diſtribuantur, certi metatores *Quartiermeiſter* conſtitui ſolent *v. l. 1. C. de metat.* qui inſolenter ſe gerere, aut à ſubditis aliquid poſtulare non debent, multo minus, metu hoſpitationis, aliquid extorquere, ipſis fas eſt *v. l. ſ. 9. C. de metat. Nov.* 130. *c. 6.* De cætero, apud Romanos, inſcriptione nominum, in foribus domus, hoſpitia aſſignabantur *l. 1. C. de metat.* Sed hodie, interventu Magiſtratus vel Commiſſariorum, Schedulæ, *billette* militibus tradi ſolent, &, in deſignandis hoſpitiis, æquitas eſt obſervanda *v. l. 1. C. de muner. patrim. l. fin. C. quemadm. civil. mun. indic.*

§. 13. Hoſpitiis aſſignatis, milites contenti eſſe debent *v. l. 2. C.*

de

de metat. Nov. 130. *c.* 9. Salgamum, *ſervice*, exigere, aut ultro oblatum acceptare, ipſis non licet *l. un. C. de Salgam. hoſpit. non præſt.* quod tamen hodie non obſervatur *v.* SCHWED. *J. Publ. part. ſpec. Sect.* 1. *c.* 26. *§.* 6. *in fin. v.* WILDVOGEL. *diſſert. de Salgamo.* Multo minus turpes præſtationes militibus exigere fas eſt *v. l.* 6. *C. de metat.* Cætera, quibus indigent, ut panes *commisbrodt v. t. t. C. de excoct. & transl. ann.* veſtes *t. t. C. de milit. veſt.* ſimiliaque, ex publico, ipſis præſtari debent. De iis autem, quæ præſtiterunt hoſpites, apochas merito exigunt *v. l.* 4. *C. de collat. fundor. patrim. Nov.* 130. *c.* 5. ſed, in iis dandis, raro bona fide agitur *add.* Dn. STRTK. *d. diſſert. c.* 2.

§. 14. Delicta militum ſunt vel *communia* vel *propria v. l.* 11. *de teſtam. milit. l.* 2. *de re milit.* quæ pœna condigna coerceri debent *v. l.* 3. *§.* 13. *l.* 6. *§.* 3. *l.* 13. *§.* 4. *ſeqq. l. fin. §.* 1. *eod.* Inprimis graviter puniri ſolent delicta, in ſuperiores commiſſa, qui rigor improbari non poteſt, ſi milites legitime ſint allecti, ac id, quod ipſis debetur, acceperint, his conditionibus ceſſantibus, excuſari ille non poteſt. Occurrit etiam *judicium militare, v. l.* 15. *C. de re milit.* ac juſtitiæ adminiſtrandæ in ſpecie præeſt *Auditor*, quem vocant *v.* B. SCHWENDENDORF. *diſſert. de Offic. Auditor. hab. Lipſ.* 1690. SCHRÖT. *diſſert. de ead. mater.* BARDILI *diſſert. de judic. milit. privil.* MEJER *de jur. & proc. milit. inquiſitor.* Conſervandæ rei militari, ac præcavendis, vel tollendis exceſſibus, utile eſt, ut *Luſtrationes* frequenter inſtituantur. *add.* FRITSCH. *de jur. Luſtrat. & ſequel.*

§. 15. Alias jura ſingularia, quoad milites, etiam occurrunt. Gaudent privilegio teſtandi *t. t. de teſtam. milit.* juris ignorantia iis non nocet *l.* 9. *§.* 1. *de jur. & fact. ignor.* à probatione indebiti ſunt immunes *l.* 25. *§.* 1. *de probat.* ab agricultura & commerciis debent abſtinere *l.* 15. *C. de re milit.* procuratores judiciales eſſe nequeunt *l.* 7. 13. *C. l.* 8. *§.* 2. *l.* 54. *ff. de procur.* habent beneficium competentiæ *l.* 6. 18. *de re judic. v.* ZIEGLERI, NITSCHII, SCHROTERI & BERGERI *diſſert. de jur. & privil. milit.* Inprimis æquitas exigit, ut emeritorum & vulneratorum militum habeatur ratio *v. l.* 13. *§.* 3. *de re milit. l. fin. C. de his qui non implet. ſtip. t. t. ff. & C. de veter.* quod tamen officium Imperantes ſæpe negligunt. *v.* Dn. LUDWIG *diſſert. Jur. valetudinar. mil. emeritor.*

§. 16.

§. 16. Præter milites, ad regionis defenſionem, etiam requiruntur *Fortalitia v. §. 2.* id eſt *loca muris aggere & foſſis munita.* Eorum exſtruendorum rationem docet Architectura militaris, quam, pro ratione temporum, oppido diverſam eſſe, experientia ſatis docet. De cætero uſus fortalitiorum antiquiſſimus, & ipſi fere humano generi coævus eſt: In Germania autem, plura caſtella, quorum rudera hodie hinc inde comparent, turbulentis temporibus, ac ſæpe quidem non defenſionis, ſed prædationis cauſa, exſtructa videntur *v.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 5. c. 112.* FRITSCH. *de jur. fortalit. c. 1. 2. add.* ZIEGLERI, EKHOLD. & STRYK. *diſſert. de fortalit.*

§. 17. Jus exſtruendi fortalitii, ad imperium civile pertinet, hinc ſi in Germania, nomine publico, id eſt, totius Reipublicæ, munimenta exſtruenda ſint, conſenſu Comitiali id fieri debet *J. P. W. art. 8. §. 2.* In ſingulis vero Territoriis, domini Territoriales fortalitia, etiam ſine conſenſu Cæſaris, exſtruere poſſunt *v.* FRITSCH. *d. tr. c. 4. n. 9. ſeqq.* quod jus etiam Nobilitati immediatæ aſſerendum *v. J. P. W. art. 8. n. 1.* licet diſſentiat FRITSCH. *d. c. 4. n. 48.* Ceſſat tamen jus illud, ſi ad alterius æmulationem, fortalitium exſtruendum ſit, ſed hoc incertæ nimis eſt diſquiſitionis *v. c. 16. §. 7.*

§ 18. Certior eſt reſtrictio, ſi privilegio valido, vel conventione jus quæſitum ſit, ne vicinus, intra unum alterumve milliare, *bannmeile*, fortalitium exſtruat. Illud etiam certum, quod Cæſar, civitati municipali, invito domino territoriali, jus muniendi concedere nequeat *v. J. P. V. art. 8. §. 1.* Quodſi talis civitas, vel ex privilegio valido, vel præſcriptione immemoriali, jus fortalitii habendi acquiſierit, illa tamen ideo non fit immediata *v.* FRITSCH. *d. c. 4.* quamvis etiam aliqua præſcriptio, hoc caſu, vix admitti queat.

§. 19. Eſſe autem fortalitia, Rebuspublicis neceſſaria & utilia, certum omnino eſt, & non tantum quædam loca, ſed & integra regio muniri debent, ſi invaſio metuenda ſit, & copiæ, defendendis munitionibus neceſſariæ, ſuppetant. Quodſi autem imprudentia aut improbitas rem militarem dirigat, tum fortalitia civitatibus etiam poſſe eſſe noxia, dubium non eſt *v.* FRITSCH. *d. l. c. 3.* In iis ergò exſtruendis, conſilio opus eſt, nec facile Princeps unius Miniſtri, avaritia vel ambitione ſæpe ſtimulati, ſententiam ſequatur *v.* FRITSCH. *d. l. c. 5.*

Digitized by

§. 20. Num in confinio, an meditullio regionis, munitiones exſtruendæ ſint, perpetua regula definiri nequit. Illud verò certum, non plures exſtruendas eſſe, quam præſidiis firmari poſſint, cum hopie, ubi milite conducto ſaltem utimur, militia parum numeroſa eſſe ſoleat. Id quoque cavendum, ne locis munitis, ſuburbia, ſimiliaque defenſionis impedimenta, adjiciantur: Licet enim, imminente obſidione, illa non injuſte deſtruantur, ſæpe tamen, per indirectum, defenſioni neceſſariæ obeſſe ſolent. De cætero omnes ſubditi, ad conferendos ſumtus, in fortalitii exſtructionem neceſſarios, obligantur, quamvis, ut alibi, ita hic etiam, in tenuiores hoc onus ſæpe devolvatur. Si neceſſitas exigat, ædificia privata, imo templa deſtrui vel muniri poſſunt *v. can. 14. C. 10. qu. 2.* FRITSCH. *d. l. c. 5.*

§. 21. Fortalitia exſtructa præſidiis neceſſariis ſunt firmanda, quod jus, ad imperium civile, regulariter pertinet, neque ei poterit objici præſcriptio, ſi forte, per tempus immemoriale, civitas aliqua à præſidio fuerit immunis; Aliud tamen dicendum ſi privilegio vel pacto immunitatem fuerit conſecuta, licet & hæc, neceſſitati cedere debeant. In alieno igitur Territorio, jus præſidii regulariter locum non habet; Ergo Cæſari, in ditionibus Statuum illud non competit *J. P. W. art. 8. §. 2.* quemadmodum etiam nuda protectio id non involvit *v.* FRITSCH. *de jur. præſid. c. 1. 2.*

§. 22. Aliquando tamen in alieno etiam Territorio, jus præſidii acquiri poteſt, nimirum (1.) præſcriptione immemoriali *v. R. J 1548. §. 56. 59.* (2.) conventione, quæ ut plurimum ei, qui præſidia patitur, periculoſa eſt *v. Inſtr. Pac. Cæſar. Gall. 1648. §. 76. R. J. 1654. §. 167.* FRITSCH. *de jur. præſid. c. 4.* Quodſi (3.) juſta ſubſit cauſa, etiam, ſine pacto prævio, fortalitiis vicini præſidia imponere licet, neque enim vicini infirmitas vel ſocordia, aliis vigilantioribus damnum afferre debet. In hypotheſi tamen omnes circumſtantiæ probe ſunt excutiendæ, quo de facti moralitate rectè queat judicari *v.* FRITSCH. *d. l. c. 3.*

§. 23. Uti autem ad ſuſtentandos milites præſidiarios, ſubditi ſumtus conferre tenentur, quod ex natura ſubjectionis patet, ita, in præſidiis collocandis, hoc merito agendum, ne ſine cauſa illi graventur. Haut igitur præſidia, tempore pacis, imponi debent civitatibus parum munitis, & mercaturæ deditis, hoc enim non aliò pertiner,

net, quam ut Præfectus, titulo ſæpe non promerito tumidus, ab incolis extorqueat, quod in luxum & aleam impendere poſſit. Id quoque regulariter rationi non convenit, ut milites præſidiarii perpetui, in aliquo loco, alantur, hi enim militiæ facile deſvefcunt, ac civium negotiationes turbant. De cæterò officium militum præſidiariorum eſt, ut fidos prudentes & fortes ſe exhibeant *add.* FRITSCH. *d. tr. c. 5.*

CAPUT XVIII.
DE REGIMINE TEMPORUM.

SUMMARIA.

Temporis explicatio difficilis §. 1.
Nihil aliud eſt quam rerum duratio §. 2.
Sol & Luna menſura temporis §. 3.
Hujus variæ partes §. 4.
A certo aliquo termino temporis computatio fieri ſolet §. 5.
Annorum & dierum initium arbitrio hominum definitur §. 6.
Omnes res creatæ tempus habent §. 7.
Varia de tempore dicta ex præmiſſis explicantur §. 8.
Temporis intuitu varia leges conſtituunt §. 9.
Mutata temporis menſurantis computatione, in præteritis modo antiqua modo nova computatio obſervatur §. 10.
Quod exemplis illuſtratur §. 11.
Aliquando uſus utriusque computationis lege poſitiva determinatur §. 12. 13. 14.
Dierum varietas §. 15. Feriarum divinarum §. 16.
Et humanarum variæ ſpecies §. 17.
Feriarum cauſa efficiens §. 18.
Die dominico actus profani ceſſare debent §. 19.
Cum temperamento §. 20.
Effectus feriarum humanarum §. 21. 22.

§. 1.

TEmporis, in Societate Civili, magna habetur ratio, hinc ejus regimen breviter delineabimus. Tempus in omnium quidem ore verſatur, quid tamen ſit, dictu non adeo facile eſt: præſens inſtitutum exactam ejus explicationem non exigit, nec, illam dare, mearum eſt virium, quare quid mihi, juxta ſenſum communem, hac de re videatur, paucis ſaltem indicabo.

§. 2. Deum duplex ſpatium, *loci* & *temporis*, *den Ord- und Zeitraum* creaſſe, cenſet WEIGEL *in Specul. tempor. civil. c. 1.* Sed poſterius ſpatium fruſtra omninò aſſeritur, neque etiam ulla motûs ratio, quæ corporibus, in ſpatio locali, accidere ſolet, in tempore occurrit, quamvis, homines in tempore ſemper recta & anteverſum moveri, figu-

mutari non poſſe, ſed modum conſvetudine inductum, obſervandum eſſe, quidam putant *v.* BERLICH. *p. 2. D. 176.* Dn. BORN *d. c. 4. §. 4.* LEYS. *d. c. 15. n. 59.* Sed ſi vicinis damnum poſitivum & certum non inferatur, ei, qui, in privato fundo & flumine, molendinum poſſidet, mutandæ arboris molinariæ arbitrium competere videtur *v.* Dn. HORN *Jurisprud. feud. append. 2. n. 22.*

§. 13. Si Princeps vel privatus, cui vel ex inveſtitura, vel alio modo jus ædificandi competit, molendinum exſtruat, ſubditi, ad præſtandas operas, regulariter cogi non poſſunt, cum enim ad exſtruentem omnes reditus, ex molendino, ſint perventuri, merito quoque ſumtus exſtructionis ille ferre debet, neque ſubjectio, vel fundamentalis, vel jurisdictionalis, ad ejusmodi præſtationes ſpeciales, extendi debet. Aliud dicendum, ſi lege *v. Deciſ. Saxon. 33.* pacto expreſſo, conſvetudine vel præſcriptione legitima *v. l. 41. de A. v. A. P.* neceſſitas præſtandi operas ſit introducta, vel utilitas ſpecialis, ex exſtructione illa, in ſubditos redundet, dum v. gr. gratis frumenta molere, ipſis conceditur *v.* Dn. BORN *diſſert. de molend. c. 4.*

§. 14. Molendinum exſtructum, licet, ad ejus exſtructionem, permiſſu publico opus fuerit, ſine dubio, eſt in exſtruentis dominio, ac molendina aquatica, pneumatica & navalia, rebus immobilibus merito accenſentur *v. Deciſ. Saxon. 53.* Dn. BORN. *d. diſſert. c. 1. §. 5.* LEYS. *d. c. 15. n. 81. 82.* Quodſi fundus, in quo molendinum exſtructum, & flumen, quo idem agitatur, ad diverſa territoria vel univerſitates pertineant, tum, in dijudicandis molendini, ac inhabitantium juribus, leges & ſtatuta prioris territorii vel univerſitatis, obſervari debent Dn. BORN *d. diſſert. c. 3. §. 5.*

§. 15. Vi autem dominii, exſtruens, in flumine privato, aqua, pro lubitu ſuo, uti poterit, niſi modus lege publica ſit præſcriptus. Hinc poterit Superior dominus aquam retinere, ac in uſus ſuos inſumere, etiamſi, ob id, inferiori molendino eadem imminuatur, neque enim alii concedendum eſt, quo quis ipſe indiget *v. l. 26. de damn. inf. l. 2. §. 5. de aqu. & aqu. pluv.* In flumine autem publico, nihil facere poteſt, quo aquæ curſus reddatur deterior: Si vero flumen ita exſiccetur, ut utrumque molendinum, ſuperius & inferius, eodem agitari nequeat, tum, ceſſante alio fundamento, ex antiquitate dependet, utrum ſuperius

rius aquam retinere, an inferius retentionem prohibere poſſit *v.* Dn. BORN *d. diſſert. c. 5. §. 1. ſeqq.*

§. 16. Eſt de cætero regulariter in cujusvis arbitrio poſitum, in quo molendino molere velit; licet igitur, per centum & plures annos, quidam molendino aliquo uſi fuerint, attamen inde nullum cogendi jus, ejus poſſeſſori, etiamſi molentium ſimul dominus ſit, acquiritur, hinc etiam molitores impediri nequeunt, quo minus frumenta molenda, jumentis ſuis, ex quovis loco, advehant. Aliquando tamen jus cogendi ſeu bannarium alicui acquiritur, vi cujus, certi diſtrictus homines, neceſſario aliquod molendinum viſitare, in eoque molere tenentur, adeo ut ſecus facientes, legitimis mediis, ad id compelli queant.

§. 17. Acquiritur jus illud, *lege publice lata*, qua Imperans, ob juſtas cauſas, ſubditis injungit, quo ipſius molendina tantum viſitem, id quod tum maxime facere poteſt, ſi ſubditi hactenus, ad molas aliûs territorii, commeare ſoliti ſint. Exinde ſequitur, quod etiam per *privilegium*, privato jus illud concedi queat, non minus, quod municipium, libera poteſtate condendi ſtatuta gaudens, mediante *ſtatuto* id ſibi aſſerere poſſit, utroque tamen caſu, juſtæ cauſæ adeſſe debent.

§. 18. Inprimis jus bannale *pacto* acquiri poteſt, ad quod tamen omnium, quorum intereſt, conſenſus requiritur, hinc ſi univerſitas aliqua obſtringenda ſit, non ſufficit conſenſus majoris partis; præterea ſubditi invito domino ſuo jurisdictionali, tale pactum cum extraneo, ob eandem rationem, inire non poſſe videntur. Denique etiam *præſcriptione* jus illud acquiritur, quando ſcilicet dominus molendini, molentes diſcedere prohibet, & hi, per longiſſimum tempus, in iſta prohibitione, acquieſcunt.

§. 19. Quodſi autem contradicant, aut ipſo facto contrario libertatem tueantur, præſcriptio impeditur. Si vero is, qui vicinum molendinum poſſidet, contra prohibitionem proteſtetur, illa proteſtatio, ſi molentes taceant, ſine effectu eſt, nec præſcriptionem impedit. De cætero per præſcriptionem & pactum, ſi de alia paciſcentium mente non conſtet, jus reale domino molendini acquiritur, quod contra quosvis poſſeſſores efficax eſt, ac adeo involvit ſervitutem realem, in faciendo conſiſtentem, quales ſervitutes in genere, contra inanes Romanorum ſubtilitates, aſſerui *l. 3. c. 13. §. 16. ſeqq.*

§. 20. Ceſſat obligatio eundi ad molendinum bannale (1.) ob evidentem neceſſitatem v. gr. peſtis aut belli (2.) cunctationem vel inhabilitatem molendini, ſi molendo frumento non ſufficiat, quod molentes, teſtimonio molitoris, quibusdam in locis probare tenentur (3.) ob defraudationem, aut iniquam mercedis intenſionem, ſi dominus, ad factam implorationem, rebus iſtis remedium non attulerit (4.) ob remiſſionem domini, qua jus banni remittit, quam etiam, invitis bannitis, facere poteſt *v.* Dn. BORN *d. diſſert. c. 5. ſeqq.* LEYS. *d. c. 15. n. 83. ſeqq.*

§. 21. Merces molitoria ſæpe, à domino territoriali determinatur, quo caſu molitores plus exigere nequeunt, etſi minus accipere, regulariter non prohibeantur. Deficiente legali definitione, arbitrio paciſcentium merces conſtituitur, ubi æquitatis & conſvetudinis eſt habenda ratio; De cætero nihil refert, ſive in pecunia numerata, ſive parte frumenti merces conſiſtat. In Saxonia Electorali, decima ſexta, vel vigeſima pars frumenti, ad molendum allati, ſolvi ſolet. *Ord. molendin. 1666.* rubric. *metzen des getreydes.* Poſſunt molitores farinam quoque vendere, niſi ſpecialiter prohibeantur, quod in Saxonia factum *Ord. molend. 1661.* rubric. *muhlenzwang.*

§. 22. Si molendinum aquaticum, navale vel pneumaticum, alicui in feudum conceſſum ſit, tum dominus feudi aliud exſtruere nequit, ſi conditio illius loci, duo molendina non admittat. Aliquando molæ aliis locantur, tum primo ex pactis, & natura contractus, ac, his deficientibus, ex more regionis & lege publica, judicandum, quid juris locatori & conductori competat, ac in ſpecie quas impenſas unumquemque ferre oporteat. Sic impenſæ, in lapides molares faciendæ, regulariter ad locatorem pertinent, ſunt enim ſumtus rei, non fructuum *v. l. 55. §. 1. l. pen. pr. locat.*

§. 23. In exercitio artis ſuæ, varie delinquere poſſunt molitores, ut ſi, inter molentes, temporis prærogativam non obſervent, aut eos quacunque ratione defraudent, quæ, ſimiliaque delicta, condigna pœna merito coercentur. Molitorum tamen conditio, quamdiu delicta abſunt, honeſta eſt, iique nulla macula laborant *v. Ord. polit. 1577. tit. 38.* De actionibus, quæ intuitu molendinorum & molitorum occurrant, non operoſa eſt diſquiſitio, nam de dominio, ſervitute, libertate, poſſeſ-

poſſeſſione, contractibus & delictis controverti ſolet, hinc actiones, ex juribus illis oriundæ, locum inveniunt *v.* Dn. Born *d. diſſert. c. 5. 17. ſeqq. c. 6. add.* Letser *d. c. 15. n. 107. ſeqq.*

§. 24. Sicut autem Imperans annonæ curam gerit, ita non minori providentia, molendina eorumque exercitium proſequi tenetur. Eo fine varias leges ferre, ac Præfectos molendinorum, qui illas, omni ex parte, obſervari curent, conſtituere ſolet. Aliquando etiam molendinorum viſitationes inſtituuntur, quæ quidem, ſi univerſales ſint, auſpiciis ſummi Imperantis fieri debent, particulares vero unius vel alterius molendini, ab eo, qui habet jurisdictionem inferiorem, inſtitui poſſunt, qui tamen caſus criminales, ad eum, qui ſuperiore jurisdictione gaudet, referre tenetur Dn. Born *d. diſſert. c. 1. §. 7. ſeqq.*

§. 25. Ut alia prædia, ita quoque molendina collectis, tam ordinariis, quam extraordinariis obnoxia ſunt. Præterea aliquando certus canon vel decimæ aliis ſolvi debent; ad exemplum quoque aliorum Parochianorum, molitores Miniſtris Eccleſiæ, aliquid præſtare tenentur: Quandoque à molentibus tributum, *der Mahl-Groſchen* exigitur. A muneribus vero perſonalibus, præcipue gravioribus, ut & metatis, molarum poſſeſſores, ſolent eſſe immunes, quemadmodum etiam, de lapidibus molaribus, vectigal, quibusdam in locis, non ſolvitur, quæ ſingula ex uſu regionum, ſpecialius diſcenda ſunt *v.* Dn. Born *d. diſſert. c. 5. §. 18.*

§. 26. Quæ molendinorum, eadem fere etiam ſunt jura furnorum aliarumque fornacum, nam, ſi rationes civiles ſolertius excutias, nec illorum, in plurium uſum, habendorum jus, ſine permiſſu publico, competit, aut, ſi omnino, ex dominio privato, illud repetas, id tamen certum eſt, quod per Imperantem, illorum uſus varie reſtringi & determinari queat. Circa inſtitutos vero furnos, de dominio, ſervitute, v. gr. coquendi panem in certo aliquo furno, vel non habendi furnum, aut lignandi, ſimilive; de damno infecto vel illato *v. l. 24. §. 7. de damn. infect. l. 27. §. 10. ad L. aquil.* de variis contractibus aut delictis, controverti poteſt, quæ indicaſſe, jam ſufficiat *v.* Dn. Strtk. *diſſert. de jur. furn.* Letser. *Jus Georg. l. 3. c. 16.*

CAPUT XVII.
DE RE MILITARI.

SUMMARIA.

Neceſſitas rei militaris §. 1.
Ad eam inſtruendam milites & fortalitia requiruntur §. 2.
Quibus regulis eadem dirigatur §. 3.
Militis natura requiſita §. 4.
Obligatio & varietas §. 5. 6.
Militibus ſtipendia ſunt exſolvenda §. 7.
Eorum, qui proviſioni militari præficiuntur, conſtitutio & officium §. 8.
Milites ſtipendiis debent eſſe contenti §. 9.
De hoſpitiis, ipſis eſt providendum §. 10.
Quæ ſoluta pecunia regulariter à ſubditis non ſunt redimenta §. 11.
Metatorum officium §. 12.
Hoſpitiis milites abuti non debent §. 13.
Militum delicta, judicia, luſtrationes §. 14.
Et privilegia §. 15.
Fortalitiorum habitus & origo §. 16.
Jus exſtruendi ea eſt penes Imperantem §. 17.
Quod tamen aliquando reſtringitur aut alii acquiritur §. 18.
Fortalitiorum utilitas & incommoda §. 19.
Locus, numerus ac ſumtus §. 20.
Fortalitiis præſidia ſunt imponenda §. 21.
Aliquando præſidii jus in alieno etiam territorio exercetur §. 22.
Ejus abuſus ac militum præſidiariorum ſuſtentatio & officium §. 23.

§. 1.

CIvitatum ſcopus eſt, vel ſaltem eſſe debet, Civium ſecuritas, huic obtinendo, *res militaris* recte inſtructa eſſe debet, quo injuriæ propulſari vel vindicari queant, de ea igitur jam non incommode aliqua dici poterunt. Rei militaris in univerſum duplex eſt conſideratio, vel enim bellum *præparatur*, vel *geritur:* Hoc loco præparationem ſaltem ſpectabimus, geſtionem *l. 10. c. 15.* conſideraturi.

§. 2. Ad inſtruendam rem militarem, requiruntur *milites* & *fortalitia*, nam, his mediis, defenſionem civitatum obtineri poſſe, palam eſt. In Germania, antiquis temporibus, non milite conducto utebantur, ſed ipſi indigenæ operas militares præſtabant, ſed ſucceſſu temporis, milite conducto, omnia fere agi cœperunt. Licet vero hæc poſterior militiæ ratio, plurima incommoda habeat adjuncta, nec regionum defenſioni ſufficiat *v.* LEHM. *Chron. Spir. l. 2. c. 43. l. 5. c. 112.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 11. §. 33. ſeqq.* attamen hodie ſola fere obtinet, cujus rei ratio, à bellorum frequentia, regulis dominatus, & mollitie,

litie, cui felicioris præcipue regionis incolæ facile aſſveſcunt, potiſſimum dependet.

§. 3. De cætero inſtructio & directio rei militaris, ex communibus fere æquitatis & utilitatis regulis, dependet, quæ tamen per leges poſitivas ſpecialius determinantur, hinc etiam Ordinationes militares diverſarum civitatum, in multis ſæpe conveniunt. Poſſumus etiam jure Romano hic, in ſubſidium, uti. Male autem illud vulgo, pro jure publico, ſolet haberi, cum enim ad ſubditos conſtitutos ſpectet, privatum utique exiſtimari debet *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 2. c. 9. §. 24. 25.* Præterea obſervandum, quod jus illud ſaltem valeat inter ſubditos, hinc invito Imperanti, & multo magis hoſti, fruſtra illud oppoſueris.

§. 4. Miles eſt *perſona ab Imperante, ad militiam lecta, in numerum relata & ſacramento obſtricta v. l. 2. §. 1. de re militar. l. 42. de teſtam. milit.* Ad militem requiritur habilitas naturalis, ut operas militares præſtare queat *v. l. 13. §. 3. de re milit.* cætera lex poſitiva determinat, & jure quidem Romano, ſervi *l. 8. 11. eod.* infames *l. 4. §. 4. eod.* aliique *d. l. 4. t. t. C. qui militar. poſſ.* à militia arcentur. Olim in Germania ſolos Nobiles & homines liberos, ad militiam fuiſſe lectos, cenſet LEHMAN. *Chron. Spir. l. 5. c. 112.* ſed id erroneum dicit FUCHS *in not. ad d. l.* Hodie plebejos à militia non repelli, experientia teſtatur. *add.* SCHRAG. *diſſert. de conduct. milit.* TILEMAN. *diſſert. de conquiſit. milit.*

§. 5. Poſſunt etiam ſubditi ad militiam cogi, quod ex natura imperii fluit, ſi modo juſta ſubſit cauſa *v. l. 4. §. 12. de re milit.* Exteris quoque ſubditi operas militares addicere poſſunt, ex conſenſu Reipublicæ *v. R. J. 1570. §. 4. ſeqq. v.* DN. HORN *diſſert. de libert. German. exter. militandi.* De cætero milites ſunt vel *gregarii*, vel *præfecti* ſive *Officiales*, quorum magnam eſſe varietatem, & multiplicem ſubordinationem, experientia ſatis docet. Illud autem facile liquet, officia militaria, præcipue majora, peritis & expertis eſſe conferenda, indigenas etiam, cæteris paribus, eſſe præferendos exteris, denique, præter neceſſitatem, Officiales, præſertim majores, non eſſe multiplicandos; Quam male autem illa ſæpe obſerventur, experientia loquitur, hinc etiam inepta conſilia, miri bellorum exitus non raro manent.

§. 6. Officium militum eſt vel *commune*, quod ipſis, ut hominibus & civibus, vel *proprium*, quod ut militibus, incumbit, ſed cum illud & iſtud, in hoc influant, ideo hæc omnia conjungere licet. Summa eſt: milites erga Deum pii, erga dominum fidi eſſe, in amicos amice, in hoſtes prudenter & fortiter agere debent *v. l. 2. §. 11. C. de offic. præf. prætor. Afric.* Præterea officiales militem gregarium, in armis diligenter exercere, *v. l. 15. C. de re milit.* benevolentia ſibi devincire, nec ulla ratione defraudare tenentur, ſed quam parum illa ſervari ſoleant, experientia ſæpe non loquitur, ſed clamat.

§. 7. Vice verſa Imperans militibus ſtipendia ac annonam bona fide præſtare tenetur *v. Nov. 149. c. 2.* STRUV. *diſſert. de ærar. milit.* MULLER *de ſtipend. milit.* quæ præſtatio valde neceſſaria eſt, ac ab ejus omiſſione, furta, latrocinia, violentæ extorſiones, ac totius diſciplinæ militaris everſio fere dependent. Uti autem hujus rei cura certis perſonis omnino committenda eſt, ita rationi haut convenit, ut ipſis militum præfectis illa demandetur, ultra modum enim miles gregarius, hoc admiſſo, circumveniri ſolet. *add.* FROMAN *diſſert. de Commiſſar. militar.*

§. 8. Eorum vero, qui proviſioni militari præficiuntur, conſtitutio & officium, ex generalibus feræ æquitatis & prudentiæ principiis, dependet, nam rationis eſt, ut juramento obſtringantur *v. l. 16. C. de erogat. milit. ann. R. J. 1512. tit. 2. R. J. 1544. §. 46.* pittacia ſeu erogationis brevia conficiant, ac adminiſtrationis rationem reddant *v. l. 5. C. de erogat. milit. R. J. 1541. §. 58.* Non minus etiam curare debent, quo annonæ, juſto tempore, à ſubditis inferantur *v. l. 7. C. de exactor. tribut. l. 10. C. de annon. & tribut.* quo caſu etiam annonæ adæratio, ſive pretii ejus ſolutio, aliquando permittitur *v. l. 7. 12. 13. 15. C. de erog. milit. annon.* Collatæ quoque annonæ, ne corrumpatur, eſt habenda ratio *v. l. 1. C. de cond. in publ. horr.*

§. 9. Illud etiam facile liquet, omnes ſubditos, ad collationem annonæ militaris, regulariter teneri *v. l. 5. 7. 10. C. de annon. & tribut.* quemadmodum illa præſtanda eſt omnibus, qui militiæ nomen dederunt *v. l. 42. de teſtam. milit.* fraus tamen cavenda eſt, ne iis, qui in ſpeciem ſaltem ſurrogantur, *den blinden* ſtipendia & annonæ præſtentur *v. l. 2. §. 9. C. de offic. præf. prætor. afric.* debent etiam milites nihil, præter

ter legitima ſtipendia, exigere *v. l. 3. C. de erogat. ann. milit. Nov.* 130. De cætero omnia, quæ ad victum & amictum, ut & militem armandum requiruntur, ſub proviſione militari continentur *v.* Dn. STRYK *diſſert. de proviſ. militar. hab. Hal.* 1702. *c.* 1.

§. 10. Inprimis etiam militibus, de hoſpitiis providendum eſt, quæ metatorum & epidemeticorum nomine veniunt *t. t. C. de metat. & epidemet. add. l. 3. C. de muner. patrim. l.* 10. *§. 2. de vacat. & excuſ. muner.* Jus imperandi hoſpitia, eſſe originarie penes imperantem, certum omnino eſt, & hic ſupponitur *v. l. fin. C. de metat.* hinc in Territoriis germaniæ, ad Status imperii, illud pertinet. Regulariter quoque omnes ſubditi, hoſpitia militibus præbere debent *v. l. 3. C. de muner. patrim. l. 3. §. 14. de muner. & honor.* Quidam tamen ab illo onere ſunt immunes, ut Profeſſores *l. 8. C. de metat.* aliique, de quo ex uſu regionum ſpecialius judicandum *v.* TABOR *de metat. & epidem.* REUSNER, HAHN, CLASEN, LINCK, SOMMERING *diſſert. de hac mater.*

§. 11. Qui immunitate non gaudent, non poſſunt ſe, ſoluta pecunia, huic oneri ſubducere *l. 12. C. de metat.* quod tamen, cum damno tenuiorum, ſæpe negligitur. Hodie, in quibusdam Ordinationibus militaribus, militibus, pro hoſpitio, accipere pecuniam permittitur, ſed ea conditione, ut ſibi deinceps hoſpitia conducant *v.* Dn. STRYK *d. diſſert. de proviſ. milit. c.* 2. §. 12. quæ conditio ſi ſervetur, non tantum non iniquæ, ſed & utiles ſunt ejusmodi ordinationes. Redemtiones iſtas hoſpitiorum pecuniarias, dici epidemetica, cenſet BRUNNEM. *ad C. de metat. n.* 3.

§. 12. Quo autem hoſpitia recte diſtribuantur, certi metatores *Quartiermeiſter* conſtitui ſolent *v. l.* 1. *C. de metat.* qui inſolenter ſe gerere, aut à ſubditis aliquid poſtulare non debent, multo minus, metu hoſpitationis, aliquid extorquere, ipſis fas eſt *v. l. 5. 9. C. de metat. Nov.* 130. *c.* 6. De cætero, apud Romanos, inſcriptione nominum, in foribus domus, hoſpitia aſſignabantur *l.* 1. *C. de metat.* Sed hodie, interventu Magiſtratus vel Commiſſariorum, Schedulæ, *billette* militibus tradi ſolent, &, in deſignandis hoſpitiis, æquitas eſt obſervanda *v. l.* 1. *C. de muner. patrim. l. fin. C. quemadm. civil. mun. indic.*

§. 13. Hoſpitiis aſſignatis, milites contenti eſſe debent *v. l.* 2. *C.*

de

de metat. Nov. 130. c. 9. Salgamum, *ſervice*, exigere, aut ultro oblatum acceptare, ipſis non licet *l. un. C. de Salgam. hoſpit. non præſt.* quod tamen hodie non obſervatur *v.* SCHWED. *J. Publ. part. ſpec. Sect. 1. c. 26. §. 6. in fin. v.* WILDVOGEL. *diſſert. de Salgamo.* Multo minus turpes præſtationes militibus exigere fas eſt *v. l. 6. C. de metat.* Cætera, quibus indigent, ut panes *commisbrodt v. t. t. C. de excoct. & transl. ann.* veſtes *t. t. C. de milit. veſt.* ſimiliaque, ex publico, ipſis præſtari debent. De iis autem, quæ præſtiterunt hoſpites, apochas merito exigunt *v. l. 4. C. de collat. fundor. patrim. Nov. 130. c. 5.* ſed, in iis dandis, raro bona fide agitur *add.* Dn. STRYK. *d. diſſert. c. 2.*

§. 14. Delicta militum ſunt vel *communia* vel *propria v. l. 11. de teſtam. milit. l. 2. de re milit.* quæ pœna condigna coerceri debent *v. l. 3. §. 13. l. 6. §. 3. l. 13. §. 4. ſeqq. l. fin. §. 1. eod.* Inprimis graviter puniri ſolent delicta, in ſuperiores commiſſa, qui rigor improbari non poteſt, ſi milites legitime ſint allecti, ac id, quod ipſis debetur, acceperint, his conditionibus ceſſantibus, excuſari ille non poteſt. Occurrit etiam *judicium militare, v. l. 15. C. de re milit.* ac juſtitiæ adminiſtrandæ in ſpecie præeſt *Auditor*, quem vocant *v.* B. SCHWENDENDORF. *diſſert. de Offic. Auditor. hab. Lipſ. 1690.* SCHRÖT. *diſſert. de ead. mater.* BARDILI *diſſert. de judic. milit. privil.* MEJER *de jur. & proc. milit. inquiſitor.* Conſervandæ rei militari, ac præcavendis, vel tollendis exceſſibus, utile eſt, ut *Luſtrationes* frequenter inſtituantur. *add.* FRITSCH. *de jur. Luſtrat. & ſequel.*

§. 15. Alias jura ſingularia, quoad milites, etiam occurrunt. Gaudent privilegio teſtandi *t. t. de teſtam. milit.* juris ignorantia iis non nocet *l. 9. §. 1. de jur. & fact. ignor.* à probatione indebiti ſunt immunes *l. 25. §. 1. de probat.* ab agricultura & commerciis debent abſtinere *l. 15. C. de re milit.* procuratores judiciales eſſe nequeunt *l. 7. 13. C. l. 8. §. 2. l. 54. ff. de procur.* habent beneficium competentiæ *l. 6. 18. de re judic. v.* ZIEGLERI, NITSCHII, SCHROTERI & BERGERI *diſſert. de jur. & privil. milit.* Inprimis æquitas exigit, ut emeritorum & vulneratorum militum habeatur ratio *v. l. 13. §. 3. de re milit. l. fin. C. de his qui non implet. ſtip. t. t. ff. & C. de veter.* quod tamen officium Imperantes ſæpe negligunt. *v.* Dn. LUDWIG *diſſert. Jur. valetudinar. mil. emeritor.*

§. 16.

§. 16. Præter milites, ad regionis defenſionem, etiam requiruntur *Fortalitia v. §. 2.* id eſt *loca muris aggere & foſſis munita.* Eorum exſtruendorum rationem docet Architectura militaris, quam, pro ratione temporum, oppido diverſam eſſe, experientia ſatis docet. De cætero uſus fortalitiorum antiquiſſimus, & ipſi fere humano generi coævus eſt: In Germania autem, plura caſtella, quorum rudera hodie hinc inde comparent, turbulentis temporibus, ac ſæpe quidem non defenſionis, ſed prædationis cauſa, exſtructa videntur *v.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 5. c. 112.* FRITSCH. *de jur. fortalit. c. 1. 2. add.* ZIEGLERI, EKHOLD. & STRYK. *diſſert. de fortalit.*

§. 17. Jus exſtruendi fortalitii, ad imperium civile pertinet, hinc ſi in Germania, nomine publico, id eſt, totius Reipublicæ, munimenta exſtruenda ſint, conſenſu Comitiali id fieri debet *J. P. W. art. 8. §. 2.* In ſingulis vero Territoriis, domini Territoriales fortalitia, etiam ſine conſenſu Cæſaris, exſtruere poſſunt *v.* FRITSCH. *d. tr. c. 4. n. 9. ſeqq.* quod jus etiam Nobilitati immediatæ aſſerendum *v. J. P. W. art. 8. n. 1.* licet diſſentiat FRITSCH. *d. c. 4. n. 48.* Ceſſat tamen jus illud, ſi ad alterius æmulationem, fortalitium exſtruendum ſit, ſed hoc incertæ nimis eſt diſquiſitionis *v. c. 16. §. 7.*

§ 18. Certior eſt reſtrictio, ſi privilegio valido, vel conventione jus quæſitum ſit, ne vicinus, intra unum alterumve milliare, *bannmeile*, fortalitium exſtruat. Illud etiam certum, quod Cæſar, civitati municipali, invito domino territoriali, jus muniendi concedere nequeat *v. J. P. V. art. 8. §. 1.* Quodſi talis civitas, vel ex privilegio valido, vel præſcriptione immemoriali, jus fortalitii habendi acquiſierit, illa tamen ideo non fit immediata *v.* FRITSCH. *d. c. 4.* quamvis etiam aliqua præſcriptio, hoc caſu, vix admitti queat.

§. 19. Eſſe autem fortalitia, Rebuspublicis neceſſaria & utilia, certum omnino eſt, & non tantum quædam loca, ſed & integra regio muniri debent, ſi invaſio metuenda ſit, & copiæ, defendendis munitionibus neceſſariæ, ſuppetant. Quodſi autem imprudentia aut improbitas rem militarem dirigat, tum fortalitia civitatibus etiam poſſe eſſe noxia, dubium non eſt *v.* FRITSCH. *d. l. c. 3.* In iis ergò exſtruendis, conſilio opus eſt, nec facile Princeps unius Miniſtri, avaritia vel ambitione ſæpe ſtimulati, ſententiam ſequatur *v.* FRITSCH. *d. l. c. 5.*

Digitized by Google

net, quam ut Præfectus, titulo ſæpe non promerito tumidus, ab incolis extorqueat, quod in luxum & aleam impendere poſſit. Id quoque regulariter rationi non convenit, ut milites præſidiarii perpetui, in aliquo loco, alantur, hi enim militiæ facile deſveſcunt, ac civium negotiationes turbant. De cæterò officium militum præſidiariorum eſt, ut fidos prudentes & fortes ſe exhibeant *add.* FRITSCH. *d. tr. c. 5.*

CAPUT XVIII.
DE REGIMINE TEMPORUM.

SUMMARIA.

Temporis explicatio difficilis §. 1.
Nihil aliud eſt quam rerum duratio §. 2.
Sol & Luna menſura temporis §. 3.
Hujus variæ partes §. 4.
A certo aliquo termino temporis computatio fieri ſolet §. 5.
Annorum & dierum initium arbitrio hominum definitur §. 6.
Omnes res creatæ tempus habent §. 7.
Varia de tempore dicta ex præmiſſis explicantur §. 8.
Temporis intuitu varia leges conſtituunt §. 9.
Mutata temporis menſurantis computatione, in præteritis modo antiqua modo nova computatio obſervatur §. 10.
Quod exemplis illuſtratur §. 11.
Aliquando uſus utriusque computationis lege poſitiva determinatur §. 12. 13. 14.
Dierum varietas §. 15. Feriarum divinarum §. 16.
Et humanarum variæ ſpecies §. 17.
Feriarum cauſa efficiens §. 18.
Die dominico actus profani ceſſare debent §. 19.
Cum temperamento §. 20.
Effectus feriarum humanarum §. 21. 22.

§. 1.

TEmporis, in Societate Civili, magna habetur ratio, hinc ejus regimen breviter delineabimus. Tempus in omnium quidem ore verſatur, quid tamen ſit, dictu non adeo facile eſt: præſens inſtitutum exactam ejus explicationem non exigit, nec, illam dare, mearum eſt virium, quare quid mihi, juxta ſenſum communem, hac de re videatur, paucis ſaltem indicabo.

§. 2. Deum duplex ſpatium, *loci* & *temporis*, *den Ord- und Zeitraum* creaſſe, cenſet WEIGEL *in Specul. tempor. civil. c. 1.* Sed poſterius ſpatium fruſtra omninò aſſeritur, neque etiam ulla motûs ratio, quæ corporibus, in ſpatio locali, accidere ſolet, in tempore occurrit, quamvis, homines in tempore ſemper recta & anteverſum moveri,

figurate dici queat. Tempus igitur in se spectatum, nihil est, sed hoc nomine saltem indigitatur *rerum creatarum duratio* sive *continuata existentia.*

§. 3. Cum autem diversa & multiplex rerum sit duratio, ideo una assumenda est, ad quam cæterarum duratio exigi, quæque diversis intervallis amplius distingvi possit. Respiciendum igitur est, ad res maximè conspicuas, durabiles, ac mutationibus, sed certis & constantibus, obnoxias, tales vero exhibent *Sol* & *Luna*, quorum adeo continuata existentia, temporis nomine præcipue venit, ac à mutationibus, quæ illis accidit, diversimode discernitur, cæterique temporis mensura est.

§. 4. Nam duratio illa, qua Sol nobis præsens est ac lucem affert, nec non, qua oculis nostris se subducit, ac tenebras parit, *dies*, vel specialius, *dies* & *nox* dicitur, quæ iterum arbitrariis intervallis, *horis* scilicet similibusque notis discernitur. Ex aliquot diebus componitur *Septimana*; Duratio qua Luna circulum suum semel emeritur, *Mensis*, qua Sol cursum suum absolvit, *Annus* dicitur, ex quorum conjunctione, arbitrio humano, *Lustra*, *Secula* similesque temporum complexus, efficiuntur.

§. 5. Quia vero nimis molestum esset, ab omni retro memoria, durationem & motum cœlestium illorum corporum numerare, ideo apud plerasque gentes, certus terminus, à quo computatio incipiat, statui solet, qui *Æræ* vel *Epochæ* nomine venit, sic Christiani, à tempore nativitatis Christi, annos numerant. Cum etiam motus & revolutio illorum corporum, non usque adeo sint liquida, hinc temporum computatio, est etiam quodammodo incerta, id quod, ex Calendariorum diversitate intelligitur: Forte etiam imperitia & superstitio, non ferenda, calculum turbarunt, de quo tamen certi quid pronunciare, jam non licet.

§. 6. Quamvis vero, ex cursu cœlestium corporum, anni determinentur, attamen eorum initium, arbitrio humano fere definitur, hinc novus annus, non eodem tempore, ubique incipit: Satius tamen esset, si, in constituendo initio, non rationes superstitiosæ, sed naturales observarentur. Dierum quoque principium, non semper idem est; Jure Romano incipit dies à media nocte *l. 8. de feriis*, quæ computatio-

tio Solis revolutioni eſt conſentanea. Quoad celebranda feſta, de veſpera, in veſperam, idem jure Canonico computatur *c. 1. X. de fer.* In actibus diurnis, dies, à ſolis ortu, usque ad occaſum, decurrit *v. c. 24. X. de offic. judic. deleg. l. 2. §. 31. de O. J.* In fatalibus proceſſus numerandis, dies v. gr. à publicata ſententia, incipit, ac, efficiendo fatali, duorum dierum partes conjunguntur.

§. 7. Ex his ergo liquet, quod ſolis & lunæ duratio, tempus ſit, ac, ſecundum illorum revolutionem & motum, diſcernatur. Iſta porro duratio, cæterarum rerum omnium & eventuum menſura eſt, ad quam illorum exiſtentia & duratio exigitur. In ſpecie hominum duratio, *ætas* dicitur, ac ſi ad normam laudatam expendatur, aliquando eſt aliquot dierum, menſium vel annorum. Cæteræ quoque res omnes, animatæ & inanimatæ, ut & hominum actiones aliique eventus, tempus ſuum, id eſt exiſtentiam & durationem, ex duratione & mutatione corporum cœleſtium, definiendam, habent.

§. 8. Ex præmiſſis, varia dicteria etiam facile explicantur: *Volat irreparabile tempus*, id eſt, rerum exiſtentia indefinenter continuatur, exacta non redit, & quæ ſupereſt, cito ad finem decurrit: *Tempus moleſtum, lange Weile*, hoc eſt, exiſtentia propria, homini moleſta eſt, ſi nullis occupationibus diſtineatur ſicut, *fallere tempus*, eſt, exiſtentiæ otioſæ tædium, recreante aliqua occupatione, tollere vel imminuere: *Infelicia* aut *mala Tempora, böſe Zeiten*, notant exiſtentiam, hominum infelicium aut improborum.

§. 9. Ad ſcopum ut veniamus, multa, intuitu temporis, leges conſtituere tralatitium eſt: In hominibus, quoad expedienda negotia, generaliter ætas diverſa, ſæpe attenditur. Circta actiones humanas, temporis ratio, perpetuo fere habetur. Contractus & teſtamenta, certum tempus plerumque reſpiciunt; delictorum quantitas, ex tempore aliquando æſtimatur *v. l. 16. §. 1. de pœn.* Præſcriptionibus vim tribuit certi temporis lapſus. In judiciis quantopere tempus obſervetur, fatalia, termini & dilationes oſtendunt.

§. 10. Quodſi computatio temporis menſurantis mutetur, prout anno 1700. factum eſt, quo, ex decreto Statuum Proteſtantium, poſt decimum octavum Februarii diem, undecim reſtantes dies, ex Calendario Juliano, omiſſi ſunt, ac ſtatim primus Martii numerari cœpit, tum

quæritur, utrum in iis, quæ ante illam mutationem cœperunt, ac poſt eam durant, computatio antiqua, an nova obſervanda ſit? Si nihil intereſt, utramlibet, prout viſum eſt, obſervare licet, ſi vero, ex tempore, jus aliquod dependeat, antiqua retinenda erit, niſi lege aliud cautum ſit.

§. 11. Sic teſta, quæ, ob rei alicujus memoriam, celebrantur, juxta novam computationem, habentur, quia in illis, non præciſe tempus, quo olim aliquid accidit, ſed rei contingentis memoria, ſpectatur. Ita perinde erit, utrum ii, qui ante annum *1700.* nati ſunt, natalem ſuum, ſecundum veterem ſtilum, numerare, an, obſervato novo calculo, ſe, undecim diebus ſeniores, dicere velint. Sed in computanda majorennitate, præſcriptione, aut præſtatione aliqua oneroſa, vetus, computatio tenenda erit.

§. 12. Aliquando tamen, lege poſitiva, iſta res ſpecialius determinatur, id quod, exemplo mandati Saxonici Electoralis, quod anno *1700. die 6. April.* prodiit, illuſtrabimus. In annuis reditibus, cenſibus, aliisque præſtationibus, quorum dies incidit, in unum ex undecim illis Februarii diebus omiſſis, obſervandus eſt ſtilus antiquus, adeo ut computationi novæ, ſemper undecim dies ſint addendi, antequam debitum recurrens exigi queat. Sed in præſtationibus, quæ in dies illos omiſſos non incidunt, computatio nova obſervari jubetur.

§. 13. Idem calculus tenendus, quoad nundinas habendas, ac in ſpecie quoad ſolutionem, ex literis cambialibus, in nundinis Lipſienſibus & Numburgenſibus, dicti anni *1700.* faciendum. Circa præſcriptiones quoque nova computatio obſervari præcipitur, adeo ut undecim dies omiſſi numerari non debeant, niſi præſcriptio brevior aliquot dierum vel menſium, anno *1700.* in dies undecim omiſſos inciderit, tum enim, obſervato calculo antiquo, defectus, ex ſecuto menſe ſuppleri jubetur, id quod etiam quoad fatalia proceſſus, dicto anno, obſervandum fuit.

§. 14. In computanda pubertate & minorennitate, ut & pœna relegationis temporalis, novus, ſed pœna carceris, antiquus calculus attendendus eſt. Rurſus quoad locationem conductionem aliosque contractus, qui ad annum, vel aliquam ejus partem, iniri ſolent, dicto anno *1700.* undecim dierum omiſſorum nulla fuit habita ratio, adeoque

que computatio nova obſervata. Quoad ſervitutes vero paſcendi, quando ſcilicet earum exercitium incipere vel deſinere debeat, iterum computationis antiquæ obſervantia injungitur *conf.* DN. REYHER. *diſſput. de Epact. Solar. hab. Kil. 1702.*

§. 15. Inprimis, in vita civili, dies diſtingvuntur in *operarios* ſive *profeſtos*, *Wercktage*, quibus conſvetæ functiones obeuntur, & *feriatos*, *Feyertage*, quibus à certis actibus abſtinendum, ac vel cultui divino, vel alii cuidam negotio vacandum eſt *v. l. 9. de fer.* Diſtingvuntur feriæ (1.) à *neceſſitate habendi*, in *ordinarias*, quæ, ſtatis temporibus, recurrunt, & *extraordinarias*, quæ pro re nata indicuntur *v. l. 26. §. 7. ex quib. cauſ. major. l. 3. C. de dilat.* (2.) ab *objecto*, in *Sacras*, quæ ad cultum divinum, & *profanas*, quæ ad negotia civilia pertinent.

§. 16. Sacræ etiam dicuntur *Feſta*, ac ſubdiſtingvuntur (1.) à *tempore*, in mobiles & immobiles, prout eandem diem ſervant vel non; exemplum priorum exhibet feſtum Paſchatos *v.* WEIGEL *Spec. temp. c. 10.* (2.) ab *autore*, in *divinas*, quæ à Deo ſunt inſtitutæ, quo, ex receptiori ſententia, pertinet dies Sabbathi *v. l fin. C. de fer.* & *humanas*, quæ, ex inſtituto hominum, habent originem, quales ſunt reliquæ feriæ omnes. Atque hæ (3.) à *conſtitutione*, iterum diſtingvuntur in *integras* quæ integro die habentur, & *Semiferias*, quibus, pars diei dimidia, deſtinata eſt. Ab his debent diſtingvi dies operarii, in quibus cultus publicus exercetur.

§. 17. Feriæ profanæ, ſunt vel *honorariæ*, quæ ob memoriam alicujus rei celebrantur *v. l. 26. §. 7. ex quib. cauſ. major.* tales etiam occurrunt in ſeptem diebus, qui feſta quædam antecedunt *l. 2. C. de fer.* de quarum obſervantia, uſus judiciorum conſulendus, vel *œconomicæ*, quæ ob rationes œconomicas ſunt introductæ, tales ſunt feriæ nundinarum *v. l. un. C. de nund. & mercat.* CARPZ. *p. 1. C. 30. D. 23.* ac meſſium & vindemiarum *l. 1. de fer. c. fin. X. eod.* quæ, pro regionum diverſitate, diverſum ſolent habere terminum *v. l. 4. ff. l. 2. C. de fer. Ord. Cam. p. 2. tit. 33.* de cætero omnibus feriæ illæ proſunt CARPZ. *p. 1. C. 3. D. 22. conf.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 47.*

§. 18. Ferias conſtituit Imperans, quod ex natura imperii civilis fluit *v. l. 4. C. de fer.* adeoque, in Territoriis Germaniæ, ad Status im-

imperii, hæc cura pertinet: Magiſtratus tamen ſubordinati, tempus feriarum aliquando determinant *v. l. 4. de fer. l. 7. de offic. Proconſ.* vel etiam, ex tacita Imperantis conceſſione, eas conſtituunt *v. l. 26. §. 7. ex quib. cauſ. major.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 48.* De cætero à nimia feſtorum introductione, meritò abſtinere debet Imperans, licet papatus aliud præcipiat.

§. 19. Quid in feriis fieri vel omitti debeat, id ex voluntate Imperantis cognoſcendum eſt. Die itaque dominico, cultui divino vacandum, negotia forenſia & arbitri compromiſſarii ceſſare debent *l. 7. fin. C. de fer.* hinc etiam citatio illo die non recte emittitur & inſinuatur *d. l. fin. C. v.* THOMAS. *in not. ad* STRAUCH. *diſſert. 24. §. 11.* Exercitium artium mechanicarum *l. 3. C. de fer.* juramenta, commercia aliique actus aliàs liciti omitti debent *c. 1. X. de fer. v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 250.* Si contra fiat, pœna extraordinaria quandoque locum habet *v.* CARPZ. *d. l. D. 252.* ac actus judicialis, inſuper eſt nullus *c. fin. X. de fer.*

§. 20. Cæterum uti nonnulli, quoad diem Sabbathi, legem aliquam divinam univerſalem plane non agnoſcunt *v.* SELDEN. *de J. N. G. ſecund. diſcipl. Ebræor. l. 3. c. 8. ſeqq.* ita, ea licet admiſſa, determinatio cultus divini, nihilominus ab Imperante humano, fieri poteſt. Ex quo ſequitur, quod omnino, actus in ſe liciti, ut emancipationes, agrorum & vinearum culturæ, commercia ſimilesque permitti queant *v. l. 3. §. C. de fer. c. 3. X. eod.* CARPZ. *d. l. D. 253.* maxime ſi aliqua ſubſit neceſſitas. Inprimis ſuperſtitioſum fuerit, neceſſarias peregrinationes impedire *v.* SCHILTER. *Reſponſ. Argentorat. Reſp. 5.*

§. 21. In feriis ſacris humanis, liberius adhuc Imperantis eſt arbitrium: Interim regulariter in iis, actus contentioſæ jurisdictionis, quoque ceſſare debent, ſi ſecus fiat, nullitas committitur, licet dies, ratione unius ſaltem ſit feriatus *l. 1. §. 1. de fer.* Citatio tamen, tali die, emitti & inſinuari poſſe videtur *v.* THOMAS. *ad* STRAUCH. *diſſert. 24. §. 11.* In dubio diem feriatum, ab allegante eſſe probandum, ex conſvetis principiis intelligitur *v. l. 7. C. de feriis.*

§. 22. In

§. 22. In feriis profanis, judicia quoque quieſcunt, niſi favor nonnullarum cauſarum aliud exigat *v. l. 5. C. de fer. l. 1. §. f. l. 2. 3. ff. eod.* Hodie in criminalibus, meſſium tempore, proceditur. Poſſunt etiam partes hujusmodi feriis renunciare *l. 1. §. 1. l. 6. de fer. c. fin. X. eod.* CARPZ. *Pr. tit. 10. art. 1. n. 5.* renunciationem tamen partium, teſtibus evocandis, non obeſſe, facile liquet. Honarariis & repentinis feriis renunciatio privata derogare nequit, quia lege obligante conſtituuntur *l. 38. de pact. l. 26. §. 7. ex quib. cauſ. major. v.* LAUTERB. *C. J. de fer. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 49. 50.*

CAPUT XIX.

DE JURE FISCI.

SUMMARIA.

Connexio & varia fiſci acceptio §. 1.
Differentia fiſci, ærarii & rerum Principis patrimonialium §. 2.
In republica Romana diverſa fiſci coditio §. 3.
Ejus habitus in Germania §. 4.
Alicubi diſtinguitur in Cameram & Steuram §. 5.
Fiſci neceſſitas & abuſus §. 6.
Ejus jura publica §. 7. 8.
Et privata §. 9.
Leges humanæ quoque à fiſco regulariter obſervandæ §. 10.
Exempla jurium communium §. 11.
Et ſingularium §. 12.
In ſpecie quoad evictionem, prælationem §. 13.
Contractus & proceſſum §. 14.
Fiſcus donationem fraudulentam allegans probare debet §. 15. 16.
Sententia Modeſtini in l. 10. de jur. fiſc. oſtenditur §. 17.
Ejusque conſectaria §. 18.
Ac uſus & abuſus in exemplis exhibentur §. 19. 20.

§. 1.

VAria hactenus, quæ ad ſubditos, in ſocietate civili, diſponendos & regendos, pertinent, perſecuti ſumus. Non incongrue his Jura Fiſci breviter adjici poterunt, cum fiſcus, tam ſub qualitate publica, quam privata, frequenter cum Subditis agere ſoleat. Fiſcus aliquando accipitur pro ipſa *Republica*, aut *Imperante*, quam ſuppoſitionem omnino arguunt pervulgatæ illæ locutiones, quibus fiſcus contrahere, præſcribere ſimiliaque agere dicitur. Aliquando ſumitur pro *complexu bonorum, ad Rempublicam pertinentium, ac in ejus uſum adhibendorum:* Non raro uterque ſignificatus concurrit.

§. 2. Fiſcum habet quævis Respublica libera, & ſolet ejus diverſa eſſe conditio, pro diverſo hujus ſtatu: In Rebuspublicis polyarchicis *Ærarium* occurrit, in Principatibus vero, bona publica, in *Fiſcum* & *Ærarium*, aliquando diſtingvuntur: Ille deſtinatus eſt ad ſuſtentationem Regis, hoc verò ad publicas regni utilitates pertinet: In illo Rex uſumfructum vel dominium utile, cum liberiori adminiſtrandi facultate, habet, in hoc autem adminiſtratoris munus ſuſtinet, in eoque adminiſtrando, conſilium populi vel Procerum ſequi tenetur, neutrum vero alienare poteſt: Ab utroque autem differunt *Res Principis matrimoniales*, quas, ad exemplum dominorum privatorum, poſſidet. In regnis verè patrimonialibus, in quibus dominatus viget, illa omnia coincidunt.

§. 3. In Republica Romana libera, olim locum habuit *ærarium*, ſuccedente Monarchia, aliquamdiu *ærarium* & *fiſcus*, fere juxta ſenſum antea notatum, diſtincta fuerunt, ceu colligitur ex inſcriptione *l. 1. ff. de bon. damnat. v. l. 2. §. 4. ne quid in loc. public.* Invaleſcente denique dominatu, ab arbitrio Principis, bona publica ſuſpendi cœperunt, hinc fiſci & ærarii promiſcua acceptio exorta eſt *v. l. 13. pr. l. 15. §. 3. de jur. fiſc. l. 3. C. de quadrien. præſcript. §. fin. I. de uſucap. v.* Dn. BERGER *de jur. fiſc. in dub. quæſtion. §. 1. 2.* Quovis autem tempore, *res Principum patrimoniales* quoque fuerunt *v. l. 39. §. 8. 9. 10. de legat. 1. l. 3. C. de quadrien. præſcript.*

§. 4. In Germania, tota Respublica, dubio procul, habet jus fiſci, conſtans tamen patrimonium publicum non occurrit, quia ſinguli Status res ſuas fere ſeparatas habent. In Territoriis ergo ſingulorum Statuum, fiſcus aut ærarium quæri debet, nam Juri Territoriali, jus fiſci quoque ineſt, ac id omne, non ex privilegiis Cæſareis, ſed legibus fundamentalibus, hodie repetendum eſt: Ad jus civile & Canonicum, probando juri fiſci germanico *v.* LAUTERB. *C. J. de jur. fiſc. lit. S.* fruſtra provocatur.

§. 5. In quibusdam Territoriis, Fiſcus diſtingvitur in *Cameram* & *Steuram*, eodem fere ſenſu, quo fiſcus & ærarium diſcernitur. Diſcrimen autem ex antiquo Germaniæ Statu, quem *c. 1. §. 3.* tetigi, originem habere videtur, nam Cameræ ſubſunt Præfecturæ Principis propriæ, ſed Steura, eſt ærarium Territorii: Illius adeo reditus, ad ſuſten-

ſtentationem Principis, hujus verò, ad utilitates ditionis, pertinent. Illa liberæ Principis adminiſtrationi ſubeſt, in hac vero, vel conſtituenda, vel adminiſtranda, Status provinciales aliquas habere ſolent partes. Sed de hoc, ex habitu cujusvis Territorii, diſtinctius judicandum eſt, maximè cum regulæ dominatus, antiqua inſtituta facilè pervertere ſoleant *add.* DN. BERGER *de jur. fiſc. §. 3. 4.*

§. 6. Illud facilè liquet, fiſcum eſſe rem maximè neceſſariam; ſed magno ille expoſitus eſt abuſui, nam hoc frequenter agitur, ut libidini ſuæ Imperantes omnia bona publica ſubjiciant, imo, in cenſum rerum patrimonialium, referant, prout illud dominatûs arcanum, etſi præter intentionem, propalavit Juſtinianus in *l. 3. C. de quadrien. præſcript.* quando, *omnia Principis eſſe intelligi, ſive ex ſua ſubſtantia, ſive ex fiſcali fuerit aliquid alienatum*, aſſerit. Deinde vero ſubditi callidis inſtitutis aliquando irretiuntur, ac ultra modum, pecunia emunguntur, non ut fiſcus locupletetur, ſed ut ſemper ſuppetat, quod in vitia & vanitates prodigi poſſit, ex quo, rei in ſe neceſſariæ & laudabili, grave odium conciliatur.

§. 7. Poteſt autem Imperans, cum patrimonio publico, vel ut *Imperans*, vel ut *privatus* ſpectari, hinc jus, intuitu fiſci, eſt vel *publicum* vel *privatum.* Illud in genere, in eo conſiſtit, quod Imperans poſſit *patrimonium publicum conſtituere, conſervare*, &, pro re nata, *augere:* Id vero duobus modis fieri poteſt, vel enim *ſubditi, à quibusdam rebus excluduntur*, adeoque earum dominium originarium Reipublicæ aſſeritur, ex quo oriuntur *res publicæ v. cap. 13. §. 1. 2.* vel ex *bonis ſubditorum, aliquid decerpitur.*

§. 8. Hoc autem varia ratione iterum fieri poteſt, nam Imperans à ſubditis tributa & vectigalia exigit *v. c. 8.* bona vacantia occupat *l. 1. 4. C. de bon. vacant.* non tamen in præjudicium creditorum *l. 11. de jur. fiſc.* aut legatariorum *l. 96. §. 1. de legat. 1.* bona enim vacantia non ſunt, quæ ad alios pertinent: Porro bona, ob delictum, ſubditis aufert, vel generaliter, ut in crimine perduellionis *Nov. 134. C. fin.* vel ſpecialiter, ob indignitatem *l. 8. §. 14. de inoff. teſtam.* aliaque delicta *v. l. 1. 3. pr. l. 13. §. 1. l. 40. de jur. fiſc. l. 3. de his quæ pro non ſcript. l. 46. de C. E. V. l. fin. C. de litigioſ.* ob quæ, delatio fieri ſolet *v. l. 2. 18. 23. ſeqq. l. 44. de jur. fiſc.* Hæc & ſimilia jura, privatis non competunt, niſi forte quædam ipſis legitimè

acquisita sint *l. 1. C. de bon. vac. v. l. 10. ad municip. c. 26. X. de V. S. v. c. 3. §. 18. h.*

§. 9. Quando patrimonium publicum, constitutum est, tum non rarò Respublica, ad exemplum aliorum hominum privatorum, cum subditis agit, adeoque quæstiones, de jure privato, oriuntur, circa quas in genere inculcari solet: *quod fiscus regulariter utatur jure communi.* Quod quidem, de jure naturali, certum est, hinc fiscus, à læsione abstinere, ac fidem datam servare, procul dubio, tenetur. Jure autem humano uti quidem, & v gr. contra subditos præscribere, potest, sed an ejus autoritatem, admittere quoque debeat, non perinde liquidum est.

§. 10. Videtur tamen probabile, quod jus humanum, in quæstionibus privatis, etiam observandum sit, cum enim Imperans eodem contra subditos utatur, hinc ejus autoritatem, contra seipsum, quoque agnovisse videtur: præterea utplurimum subditis, occasione legum humanarum, jus est quæsitum, quod adeo, istarum neglectu, illis auferre nequit Imperans. Quin tamen tempestive vim legum humanarum, à se repellere queat, ipso etiam facto, dubitandum non est, hinc putem, contractum à fisco, omissis solennitatibus aliàs consvetis, initum, omnino valere.

§. 11. Utitur ergo fiscus jure communi, in acquisitione thesauri *§. 39. I. de R. D. l. 3. §. 10. 11. de jur. fisc.* in compensatione *l. 12. 24. de compens. l. 46. §. 5. de jur. fisc.* in pignore *l. 25. de pignor.* in usuris *l. 3. C. de fiscal. usur.* in contractibus *l. 3. C. de rescind. vend. l. un. C. rem alien gerent* in testamentis, hinc si fiscus testamento imperfecto hæres instituatur, hæreditatem cernere nequit *§. fin. I. quib. mod. testam. infirm.* Id quoque ad jus commune referendum, quod fiscus præscriptionem pati debeat, de qua tamen nonnulli dubitant *v.* Dn. Strtk. *in not. ad* Lauterb. *de jur. fisc. in fin. v. l. 2. c. 9. §. 40. 41.*

§. 12. Aliquando fiscus utitur jure singulari, quod exemplis, à Lauterb. *in C. J. de jur. fisc.* collectis, illustrabimus. In juribus, per successionem quæsitis, quoad tempus futurum, proprio privilegio gaudet *l. 6. pr. de jur. fisc. l. 17. §. 5. 6. de usur.* contra debitoris sui debitores, in subsidium agere potest *l. 3. §. 8. de jur. fisc. l. 3. 4. C. quand. fisc. vel privat. debitor.* compensationem non semper admittere tenetur

l. 46.

l. 46. §. 5. de jur. fisc. l. 1. 3. C. de compens. quoad præscriptionis tempus, consvetis regulis non adstringitur *l. 6. C. de præscript. 30. vel 40. ann. l. 3. C. de quadri. præscript.* non satisdat *l. 1. §. 18. ut legator. vel fideic.*

§. 13. Ratione evictionis, ultra simplum non tenetur, licet plus promissum sit *l. 5. pr. de jur. fisc.* in bonis debitorum habet tacitum pignus *l. 46. §. 3. de jur. fisc.* etiam cum privilegio prælationis, quoad bona post contractum fiscalem quæsita *l. 28. eod.* nec alia est sententia Scævolæ *in l. fin. qui potior. in pign.* cum loquatur, de bonis, diverso quidem tempore, sed tamen, ante contractum cum fisco initum, acquisitis. Interim alii aliter ista conciliant, vel etiam doctrinæ illi per *d. l. 28.* derogatum esse existimant.

§. 14. Vendita hæreditate, fiscus hæreditariis creditoribus non tenetur *l. 41. de jur. fisc. l. 1. C. de H. vel A. vend.* emtor rei fiscalis stare debet locationi, à fisco factæ *l. fin. de jur. fisc.* conductores invitos in locatione vectigalium fiscus retinet *l. 11. §. f. de publican.* in fraudem utcunque alienata revocat *l. 45. pr. de jur. fisc. v. l. 15. de donat. l. 20. de accusat.* in causis fiscalibus feriato etiam die judicatur *l. 5. C. de fer.* reus fisco instrumenta edere tenetur *l. 3. de edend.* nec publicus debitor appellare potest *l. 4. 8. C. quor. appell. non recip.* Et si quæ alia ejus generis jura singularia occurrunt, de quibus alii accuratius dispiciant *add. l. 6. §. 1. de jur. fisc.*

§. 15. Id quoque ad singularia refertur, quod fiscus donationem fraudulentam allegans, onus probandi, in donatarium, transferat *l. 1. C. de jur. fisc.* cum alias id actori incumbat *l. 13. C. de donat. aut. nupt. v.* LAUTERB. *C. J. de jur. fisc.* Sed falluntur, qui ita sentiunt, nam in *d. l. 1.* non agitur de probanda *fraude*, sed *veritate* & *prioritate donationis*, præterea nihil singugulare, ac à jure communi aut in specie, à decreto *d. l. 13.* exorbitans, proponitur, sed potius, tam in *d. l. 1.* quam *l. 13.* ex eodem æquitatis principio, probatio diversis personis injungitur.

§. 16. Nimirum in *d. l. 1. C. de jur. fisc.* intentio actoris, quod scilicet res, de qua quærebatur, fuerit in bonis debitoris, quodque horum intuitu jus actori competat, fuit notoria, vel saltem legitime probata,

aut ab adverſario conceſſa, cum igitur reus & poſſeſſor, elidendæ illi intentioni, donationem olim, ante jus aliquod, fiſco actori quæſitum, ſibi factam eſſe, contenderet, exceptionem hanc merito probare debuit. Sed in *l. 13. C. de donat. ant. nupt.* donatio poſſeſſori facta, erat extra controverſiam, cum vero actor, res illas, olim, ante donationem, ſibi oppignoratas diceret, ideo pignus ei probandum fuit.

§. 17. Aliàs in materia fiſci, pervulgatum eſt Modeſtini reſponſum in *l. 10. de jur. fiſc.* cujus hæc mihi videtur eſſe ſententia: *Non puto delinquere eum*, ſed recte potius agere, ſecus ac adulatores credi volunt; *qui in dubiis quæſtionibus*, ubi ſcilicet vel nullis, vel argumenta contraria non vincentibus rationibus, jus fiſci probari poteſt, *contra fiſcum facilè reſponderit.* Nihil ergo aliud egit Modeſtinus, quam ut commune ratiocinandi principium, quo jura, quæ probari nequeunt, negari debent, ad fiſcum applicaret, quod quidem ideo feciſſe videtur, quo animum, ab adulatione alienum oſtenderet, quem aliàs etiam doctrinâ ſatis adprobavit *v. l. 7. §. 3. ad L. Jul. majeſt.*

§. 18. Haut quaquam igitur Modeſtino repugnat, ſi quis, quoties rationes id permittunt, pro fiſco pronunciet, eidemque jura, etiam ſpecialia, tribuat; ſicut ejus quoque ſententia non eſt, ut, ob quodvis leve, ac ex trivio hauſtum, dubiolum, fiſco jura ſua abjudicemus, ſaltem, ne fictis rationibus jura ei afferamus, æquum putat. Interim diverſa mente laudatum illud Modeſtini effatum, acceptum eſt, nec dubitem, quin ſæpe, ex lubricis legulejisque hypotheſibus, prolixam andabatarum pugnam interpretes inſtruant.

§. 19. Uſus autem & abuſus effati illius, in exemplis facilè conſpicitur. Si fiſcus contractum bona fide initum reſcindere velit, non aliam forte ob cauſam, quam quod, pecunia malè conſumta, rem amiſſam doleat, tum contra illum merito pronunciatur. E contrario tamen cum certum ſit, quod Imperans ipſam bonorum publicorum ſubſtantiam, pro lubitu, alienare nequeat, non injuſtum fuerit, ſi res imprudenter alienatæ, à malæ fidei poſſeſſoribus, etiam poſt longum tempus, revocentur *v.* STRYK. *in not. ad.* LAUTERB. *de jur. fiſc. in fin.* Si hoc te-

teneamus, nec Principibus adulamur, nec reductiones vel reuniones, quas vocant, plane improbare debemus.

§. 20. Si actio colluſorie, vili pretio, vendita ſit, tum ſuperfluum, non fiſco, ſed debitori acquiri, aliqui cenſent, juxta *l. 10. de jur. fiſc. v.* LAUTERB. *C. J. de H. & A. V. verſ. fin.* Sed cum pœnæ regulariter ad fiſcum pertineant, nec hic exceptio, per *l. 12. §. 2. quod met. cauſ. l. 1. 2. C. ne lic. potent. l. fin. ff. de litig. l. 7. C. unde vi. Nov. 72. c. 5.* ſatis probari videatur, hinc forte pro fiſco pronunciandum. Si quis moriatur, nullis relictis cognatis, hæreditatem non fiſco, ſed ſponſæ, ſi quam habuerit defunctus, acquiri putant per *d. l. 10. de jur. fiſc. v.* LAUTERB. *C. J. quis ord. in poſſeſſ. ſerv. lit. a.* Verum cum fiſcus conjugibus ſaltem poſtponendus ſit, ab his vero deſponſati, hodie inprimis, differant, ideo illius cauſa hic etiam potior videtur.

LIBER

Digitized by Google

LIBER NONUS.

CAPUT I.

DE ECCLESIA.

SUMMARIA.

In Societate civili occurrit etiam Eccleſia §. 1.
Hujus indoles §. 2.
Veræ Eccleſiæ requiſita §. 3.
Diverſitas & notæ §. 4.
Vera eccleſiæ membra ex quo æſtimanda §. 5.
Definitio Eccleſiæ veræ pontificia cum epicriſi §. 6.
Eccleſiæ falſæ natura & diverſitas §. 7.
Quis de veritate & falſitate judicare queat §. 8.
Aliquando de veritate certantes utrinque errant §. 9.
Eccleſia in relatione ad Rempublicam varie diſtingvitur §. 10.
Diſtinctiones in Terris Proteſtantium uſitatæ §. 11.
In eccleſia non recte triplex Status principalis aſſeritur §. 12.
Eccleſia quatenus Reipublicæ ſubſit §. 13.
Imperium univerſale naturæ Societatis civilis & eccleſiaſticæ repugnat §. 14.
Papatus natura §. 15.
Eſt à Deo ex ſententia papiſtarum §. 16.
Sed in rei veritate, eſt mera impoſtura §. 17.
Habitus juris Sacrorum in Germania §. 18.
In ſpecie quoad Status proteſtantes §. 19.
In his perſona Principis & Epiſcopi non recte aſſeritur §. 20.
Quemadmodum etiam peculiare regimen fruſtra circa eccleſiam adſtruitur §. 21. 22. 23.

§. 1.



INprimis etiam ſpectanda eſt Societas, quam illi, qui in Civitate vivunt, intuitu religionis & cultus externi, iniri ſolent. De religionis indole, varietate & habitu, in ordine ad Societatem civilem, pro inſtituti ratione, actum eſt *l. 2. c. 17.* Ex externo autem & publico religionis exercitio aliqua exiſtit Societas, quæ *Eccleſiæ* nomine venit *v.* ZIEGLER. *de dot. Eccleſ. c. 1.* hujus conſideratio ad Theologos quidem pertinet, ſed quo ejus jura recte tradi queant, quædam etiam, ex iſta tractatione, hic delibanda ſunt.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2. Ecclesia in genere accepta, est *Cœtus hominum, cultus divini, juxta certam aliquam normam, exercendi gratia, consociatus.* Requirit ergo Ecclesia *aliquot personas conjunctas*, numerus vero est indefinitus; Unus vel quidam, sed non conjuncti, ecclesiam non efficiunt, fundamenta tamen in iis occurrunt, ex quibus illa succrescere possit: Consociationi deinde certo tempore accedit actualis personarum congregatio.

§. 3. Dividitur Ecclesia in *veram* & *falsam.* Illa est *cœtus personarum, juxta veram cognitionem, Deum, sincero corde, colentium.* Duo ergo ad eam requiruntur (1.) *puritas doctrinæ* & (2.) *sanctitas vitæ.* Illa, hujus est norma, sicut hæc, illius finis. Sæpe, in æstimanda vera Ecclesia, magis ad puritatem doctrinæ, quam sanctitatem vitæ respici solet, quia facilius est, de articulis fidei multa argutari, quam pie vivere, aut quia plerumque diversæ Ecclesiæ, de puritate doctrinæ, magno animorum contentione, certantes, in eo conveniunt, quod pietas ab iis exulet.

§. 4. Vera Ecclesia est *visibilis*, quoad cultum externum, *invisibilis* vero, quoad internum, id quod tam ratione doctrinæ, quam cultus stricte dicti, verum est. Interim ex visibili, si nihil obstet, invisibilis præsumitur. Alias etiam vera Ecclesia, dicitur (1.) *Una*, nam cujusvis rei essentia, una est; pertinet vero unitas illa, ad necessaria, non indifferentia, ac libera, ex interno affectu profluens, non coacta esse debet (2.) *sancta*, nam, sanctitatem quoque ingredi essentiam veræ Ecclesiæ, manifestum est (3.) *catholica*, ratione scilicet *obligationis*, non *existentiæ.* Non potest etiam vera ecclesia (4.) *errare* aut (5.) *plane deficere*, ex promissione scilicet divina, quæ tamen ad ecclesiam in genere pertinet, hinc omnes ecclesiæ particulares aut locales, errare & deficere possunt *add.* SCHILT. *de L. E. G. l. 3. c. 7. §. 13. seqq. c. 9. §. 9. seqq.*

§. 5. Ex his liquet, quod vera Ecclesiæ membra, ex cultu interno æstimanda, adeoque invisibilia sint, nam cultui externo etiam hypocritæ vacare possunt, ex hoc tamen, ille merito præsumitur, si nihil obstet, hinc qui in externo Ecclesiæ cœtu reperiuntur, vera etiam Ecclesiæ membra præsumi debent, si contrarium non appareat. Reprobatus, ad tempus verum, & electus, putridum Ecclesiæ membrum esse potest.

§. 6. Ex sententia Pontificiorum, vera Ecclesia, est *cœtus visibilis, externa fidei formula, & communione Sacramentorum, sub capite visibili, Papa Romano, eidemque subordinato Clero, consociatus.* Vera igitur Ecclesiæ membra sunt, qui in externa illa societate reperiuntur, ac Papæ subsunt, licet clandestini infideles, aut alias magni peccatores sint. Sed hanc non esse definitionem Ecclesiæ, verum dominatus clericalis, quivis facile intelligit, hinc etiam *notæ veræ Ecclesiæ papalis*, non ecclesiam, sed papatum triumphantem arguunt *add.* SCHERTZ. *Antibellarm. disp. 5.*

§. 7. Ecclesia falsa, est *cœtus hominum, juxta falsam normam, Deum frigide vel sincere colentium.* Est illa vel *infidelis*, quæ veram normam plane rejicit, vel *hæretica*, quæ eam, in necessariis, corrumpit, vel *Schismatica*, quæ, à vera Ecclesia, sine gravi causa, se separat, est tamen discrimen hæreseos & schismatis, satis lubricum & incertum, de quo alii curatius dispiciant. Quodsi Ecclesia aliqua puritate doctrinæ quidem gaudeat, impie tamen vivat, tum hactenus etiam falsa est, ceu liquet ex *§. 3.* vulgo tamen ita dici non solet, sed ex doctrina sola, veritas ecclesiæ fere æstimatur.

§. 8. Cum vero diversæ Ecclesiæ, inter homines occurrant, ac unaquæque se veram, oppositas vero, falsas vel corruptas dicere soleat, quæritur quis litem hanc dirimere queat? de quo breviter sic dicendum: Singulis Ecclesiis, imo hominibus, competit jus, juxta certam aliquam normam, in veritatem & falsitatem inquirendi: Porro unaquæque Respublica, vel cœtus sui juris, potest etiam quæstionem decidere, ad effectum peculiaris Ecclesiæ constituendæ; sed ad effectum cogendi dissentientes, nemo hominum controversiam decidere potest; Pontificii tamen Papæ suo, & quidam Protestantes Concilio Universali legitimo illud jus asserunt *v.* SCHILTER. *de L. E. G. l. 1. c. 1. §. 11.* sed libertas religionis, ejusmodi judicem plane non admittit.

§. 9. Sicut autem, ad puritatem doctrinæ, tantum respici solet, quando, inter diversas Ecclesias, de veritate & falsitate, controvertitur, ita non infrequens est, ut omnes, quæ veritatis gloriam, magna animorum contentione, sibi asserunt, ac oppositas damnant, falsæ vel corruptæ sint. Aliquando etiam ejusdem ecclesiæ membra, circa ejus habitum, dissentiunt, dum alii, ad inutiles Metaphysicæ conceptus, puri-

puritatem doctrinæ exigunt, quidam contra, neglecta fere doctrina, pietatis ſtudium præpoſtere urgent, ex qua diſſenſione, parum abeſt, quin novæ ſectæ oriantur.

§. 10. Quando Eccleſia, ad Rempublicam refertur, pro cœtu externo viſibili, juxta §. 2. illa ſupponitur, ac tam ab externa conſtitutione, quam civitatis habitu, varie diſtinguitur. Eſt enim Eccleſia (1.) *Univerſalis* & *particularis*, utraque, pro diverſa ſuppoſitione, diverſimode intelligenda eſt. In Republica Romana olim diſtingvebatur (2.) in *Orientalem* & *Occidentalem*. Erant etiam (3.) Eccleſiæ *parochiales*, *Epiſcopales*, *metropolitanæ* & *patriarchales* v. SCHILTER. *J. J. C. l. 1. tit. 3. §. 7. ſeqq.* ZIEGLER *ad Lancell. l. 1. tit. 3. §. 6.* In papatu celebris præcipue eſt diviſio Eccleſiæ (4.) in *cathedralem* & *collegiatam* v. STRYK *in not. ad Br. J. E. l. 2. c. 2. §. 2. ſeqq.*

§. 11. In terris Proteſtantium, occurrunt *Eccleſiæ parochiales*, urbanæ & ruſticæ, inter quas uti aliqua ſubordinatio eſſe ſolet, ita omnes ſimul ſumtæ, conſtituunt Eccleſiam univerſalem totius regionis. Inter parochias urbanas, una aliquando titulum *Eccleſiæ primariæ* gerit, in pagis vero, quandoque una, *mater* altera, *filia* dicitur, quando ſcilicet utraque proprium templum habet, ſed eodem Paſtore utitur. Ab Eccleſia autem filiali differt Incorporata, *eingepfarrete gemeinde*, quæ proprio templo deſtituta, alibi ſacris vacat. v. SCHILTER. *d. tit. 3. §. 12.*

§. 12. De cætero perſonæ, quæ in Republica, Eccleſiam viſibilem conſtituunt, dupliciter conſiderari poſſunt, vel ratione *cultus ipſius*, vel *externæ ordinationis*. Illo reſpectu diſtingvuntur in *docentes* & *audientes*, hoc vero, in *Imperantes* & *ſubditos*, nam ab illis & his, ordinatio cultus divini externa, ſuo modo dependet. Vulgo Eccleſiam, ex triplici ſtatu principali, *eccleſiaſtico*, *politico* & *œconomico* conſtare dicunt v. CARPZ. *J. E. l. 2. D. 247. n. 13. 14.* quæ doctrina hypotheſes papales ſat aperte redolet, nam, juxta eas, Clerus Reipublicæ non ſubeſt, adeoque peculiarem ſtatum conſtituit, ſed ſecundum principia Proteſtantium, ſubditis ille annumeratur adeoque principalem ſtatum efficere nequit.

§. 13. Quousque Eccleſia Reipublicæ ſubſit nec ne, id, in Jurisprudentia univerſali, plenius tradendum eſt, hoc loco, brevi delinea-

Digitized by Google

tione defungemur (1.) *Ecclesia quoad partem, essentialem, religionem scilicet, sive veram sive falsam, reipublicæ non subest.* Est ergo illa, hoc respectu, quidem *in*, sed non *de* Republica, id quod libertas religionis satis ostendit. Sed (2.) *quoad externam ordinationem, Ecclesia Reipublicæ subjacet*, hinc hæc cultum externum ordinare, ac impedire potest, ne, sub specie religionis, societas civilis turbetur aut lædatur, hoc sensu ergo ecclesia est *in* & *de* republica.

§ 14. Cum porro impossibile sit, ut omnes homines in eadem Republica, & ecclesia externa existant, sed conditio generis humani potius exigat, ut secundum certas regiones & districtus, duæ illæ societates distingvantur, hinc evidenter colligitur, quod *jus aliquod universale*, circa Ecclesiam non occurrat, sed potius cuivis Civitati, jus *particulare* regendi Ecclesiam, sibi adjunctam, competat. Licet igitur ponamus, per universum terrarum orbem unam eandemque religionem, nullis omnino sectis distinctam, sed tam in doctrina, quam ritibus, per omnia, consentientem, obtinere, attamen locale Ecclesiarum discrimen, necessitatem imperii particularis liquido evinceret.

§. 15. Huic autem doctrinæ, indoli religionis & reipublicæ, exacte convenienti, directe contradicit *papatus*, hic enim, contra primam assertionem nostram, imperium in religionem & ecclesiam sibi asserit, deinde, contra secundam, rebuspublicis jus, circa ecclesiam competens, eripit ac universale aliquod imperium inde conficit, & utrique supereminens aliquod dominium seculare adjungit, hinc papatus, ex mente pontificiorum, est *sacer dominatus, vi cujus, Pontifex Romanus, religionem ipsam imperat, ejus exercendæ modum determinat, ac supremum imperium seculare, in omnes respublicas exercet.*

§. 16. Est etiam dominatus ille, ex pontificiorum sententia, à Deo institutus, nam Christus Petro Apostolo universale imperium contulit, eumque visibile ecclesiæ caput, & consequenter Imperantem Imperantium esse voluit, qui etiam Romæ Oecumenicatu illo functus est, eumque deinceps, serie non interrupta, cæteri Pontifices sunt secuti: Hinc porro dominatus ille, est primarius fidei articulus, ac centrum religionis Cleropontificiæ.

§. 17. Enim verò, in rei veritate, imperium illud papale non est

à Deo

à Deo institutum, sed est potius ingeniosa impostura, rudioribus seculis, in perniciem Rerumpublicarum, à callido Clero, excogitata, sive est dominatus ex imperio, Deo, & liberis civitatibus subtracto, mala fide conflatus. Ex quo consequitur, quod gentes recte agant, si, data occasione, injustum & intolerabile hoc jugum excutiant, de quo plenius actum in SPECIM. JUR. PUBLIC. *l. 1. c. 7.*

§. 18. Intuitu Germaniæ, jus Sacrorum, sive regendi religionem & ecclesiam, in Jure publico explicatur, hinc remissione, nobis hic iterum defungi licebit. Cum Germania papatui ex parte adhuc subsit, hinc integro jure Sacrorum non utitur tota Respublica Germanica, de quo dictum in SPECIM. JUR. PUBLIC. *l. 6. c. 1. §. 7. seqq.* Idem dicendum de Statibus imperii pontificiis, sed Protestantes melioris sunt conditionis, dum integrum Jus Sacrorum, quale quidem liberæ civitati competere potest, & habent, & exercent.

§. 19. Competit igitur Statibus protestantibus jus ordinandi cultum & ecclesiam, nec non prospiciendi, ne, religionis prætextu, societas civilis lædatur; atque illud jus est plenum *J. P. W. art. 5. §. 48.* & nulli provocationi obnoxium, quia Respublica germanica superius aliquod jus Sacrorum sibi non asserit. De cætero, prout utile visum fuerit, jus illud Status aliis delegant, ipsi quoque subditi jus Sacrorum participant, prout indoles religionis & pacta fundamentalia id exigunt, de quo plenius actum in SPECIM. JUR. PUBLIC. *l. 3. c. 6. l. 6. c. 2. §. 42. 43. 44.*

§. 20. Quidam Scriptores protestantes contendunt, Principes imperii sustinere duplicem personam, *Principis*, quæ ad secularia, & *Episcopi*, quæ ad sacra pertineat *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 2.* LINCK *de jur. episcop. c. 1. n. 63. c. 4. n. 103.* sed illa doctrina est papalis, ac juribus Statuum valde molesta adeoque non toleranda, hinc dicendum potius, quod jus Sacrorum etiam Principi, qua tali, competat *v.* DISSERT. *de habit. territor. german. c. 1. §. 45. seqq.*

§. 21. Illud quoque doceri solet, circa Ecclesiam peculiare regimen occurrere, cum enim illa ex triplici Statu, ecclesiastico, politico & œconomico, constet, ideo, cum triplex ille Status, in ordinando cultu, concurrere debeat, regimen ecclesiæ, neque monarchicum, neque democraticum, sed aristocraticum esse *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 247. n. 13. 14.*

Enimvero illa doctrina parum cohæret, si enim populus simul admittitur, vel etiam per Imperantem repræsentatur, regimen ecclesiæ, utique non aristocraticum sed democraticum erit, præterea, si vel maxime à contradictione liberetur, papalis est.

§. 22. Cum enim, juxta hypotheses papales, Clerus Reipublicæ non subsit, ac ei jus Sacrorum competat, inde peculiare ecclesiæ regimen, necessariò resultat, quod etiam, juxta ipsorum sententiam, monarchicum est *v.* SCHERTZER *Antibellarm. disput. 4.* Licet vero crassiorem hanc doctrinam papalem, de regimine monarchio, protestantes Scriptores recte rejiciant, attamen, ex alia hypothesi papali, triplici scilicet Statu *v. §. 12.* peculiare regimen non recte asserunt; Quare concludendum potius, quod igem regimen, quod in Republica est, etiam circa Ecclesiam occurrat.

§. 23. His ita se habentibus, nec illud admitti potest, quod *solus Imperans in externis ecclesiæ ritibus, nihil mutare queat, cum non totam Ecclesiam constituat, sed aliquod saltem ejus membrum sit v.* CARPZ. *d. l. 2. D. 247. n. 12.* Non nego, quin subditis aliquid juris, circa ordinandum cultum competere queat, si pacta vel privilegia id exigant: quemadmodum nolim asserere, quod Imperans, absoluto imperio gaudens, ritus receptos, sine causa, recte mutet; id saltem incongruum arbitror, si doctrinis male fundatis, vinculum ei injicere velimus. Neque juvat sententiam illam exemplum primitivæ Ecclesiæ apostolicæ, nam quicquid, pro certo Statu, aliquando obtinet, illud regulam perpetuam ac immutabilem non constituit *add.* SPECIM. JUR. ECCLES. *l. 1. c. 3. 4.*

CAPUT II.
DE CONCILIIS.

SUMMARIA.

Conciliorum indoles & varietas §. 1.
Concilia universalia §. 2.
In genere illa sunt universalia, generalia & specialia §. 3. 4.
Concilia aliquando libero consensu congregantur §. 5.
In statu civili jus convocandi est penes Rempublicam §. 6.
In Germania generale concilium Cæsaris statumque consensu cogendum §. 7.
Conciliorum materia & subjectum §. 8.
Ex hypothesibus papalibus eorum objectum est dominatus Cleri & Servitus Laicorum §. 9.
Autoritas conciliorum ex sententia pontificiorum §. 10.
Vis obligandi decretis conciliorum tribui potest

ceſt à Republica quoad canones, non ſymbola §. 11.
Alii tamen hoc ultimum jus tribuunt toti eccleſiæ §. 12.
Alii Imperanti §. 13.
Origo harum ſententiarum §. 14.
Conciliorum finis §. 15.
Et uſus hodiernus §. 16.

§. 1.

JUs Sacrorum aliquando in Conciliis ſe exſerit, de quibus adeo pauca dicenda ſunt, utut eorum uſus hodie non adeo frequens ſit. Concilium vel Synodus *v. c. 1. Diſt. 17.* ZIEGLER *ad Lancell. l. 1. tit. 3. §. 1.* CONRING *diſſert. de concil. §. 1.* eſt *cœtus chriſtianorum, ad declarandos fidei articulos, & ordinandam diſciplinam eccleſiaſticam, ab iis, penes quos convocandi jus eſt, legitime congregatus.* Intuitu imperii Romani antiqui, concilia olim diſtincta ſunt in *Univerſalia, Nationalia, Provincialia* & *Epiſcopalia v.* CONRING. *d. diſſert. §. 2. 3. 4.* ZIEGLER *d. l. §. 1. ſeqq.* SCHILTER *J. J. C. l. 1. tit. 5.*

§. 2. Quatuor autem concilia œcumenica recenſentur, *Nicænum primum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum* & *Chalcedonenſe*, quorum decretis vim legum tribuit Juſtinianus *Nov. 131. c. 1.* In rei tamen veritate, omnia illa concilia ſaltem particularia, unius ſcilicet Reipublicæ, fuerunt, per ambitionem vero œcumenica dicta ſunt *v.* CONRING *d. l. §. 2.* poſtquam tamen aliæ etiam Respublicæ decreta illorum approbarunt, majori jure elogium illud meruerunt.

§. 3. Quodſi, ſine reſpectu ad certam Rempublicam, concilia ſpectentur, triplicis generis ſupponi poſſunt, *Univerſalia*, quando omnium rerumpublicarum chriſtianarum, *Generalia*, quando nonnullarum, & *Specialia*, quando unius Reipublicæ chriſtianæ deputati congregantur. Illorum exemplum nunquam fuit, nec impoſterum fortaſſis exiſtet. Papa quidem Romanus, ex prætenſo Vicariatu divino, concilia à ſe indicta, pro univerſalibus haberi vult, ſed illa nequidem nomen concilii, nedum univerſalis, merentur *v.* CONRING *d. diſſert. §. 2. in fin.* ZIEGLER *ad Lancell. l. 1. tit. 3. §. 2. 3.*

§. 4. Iſtorum vero forte exempla aliqua occurrunt, hodie tamen nec generale concilium facile congregabitur, poſtquam religio chriſtiana, in varias ſectas & formas, ſe ita compoſuit, ut nulla conciliationis ſpes ſupereſſe videatur. Horum autem & frequentia exempla olim fue-

fuerunt, & hodie quoque exiſtere illa poſſunt. De cætero, pro diverſo Reipublicæ Statu, concilia ſpecialia diverſi generis iterum eſſe poſſunt, nempe Nationalia, Metropolitana & Epiſcopalia.

§. 5. Jus convocandi concilia, pro diverſo Eccleſiæ Statu, diverſum eſt: Si enim Eccleſia, in naturali libertate, vivat, aut à Republica, in qua toleratur, negligatur, tum concilia non aliter, quam libero conſenſu congregari poſſunt, quo caſu etiam, penes prudentiores, ſolet eſſe directio, quo pertinet exemplum Concilii Apoſtolici *Actor. 15.* Quod adeo, quoad principium convocandi, pro perpetua norma haberi nequit *v.* CONRING *d. diſſert. §. 5.* hinc etiam exinde pontificii, jus convocandi concilia, Papæ & Clero fruſtra aſſerunt.

§. 6. Quodſi autem Eccleſia, in Republica, exiſtat, & hæc illius curam ſibi aſſerat, tum jus convocandi concilia, originarie eſt penes Rempublicam & Imperantem, nam ſubditi etiam hoc jus, conſenſu ſuo, ad imperium civile retulerunt, quamobrem plura quoque conciliorum, ab Imperantibus convocatorum, exempla occurrunt *v. c. 6. Diſtinct. 16.* LEHM. *Chron. Spir. l. 2. c. 41. l. 5. c. 16.* CONRING. *d. diſſert. §. 8. ſeqq.* ZIEGLER *ad Lancell. l. 1. tit. 3. §. 2.* De cætero Imperantes vel immediate hoc jus exercent, vel aliis illud aliquo modo delegant *v.* CONRING *d. diſſert, §. 14.*

§. 7. Si inter diverſas Respublicas Concilium haberi debeat, Imperantium conſenſu illud congregandum eſt: Cumque in Germania etiam plura corpora libera occurrant, hinc nec generale concilium aliter, quam Cæſaris Statuumque conſenſu, haberi poſſe, conſequitur *v.* CONRING *d. diſſert. §. 15.* ſed cum Germania, ex parte, ſuo jure non utatur, ideo non facile tale concilium habebitur. Directio quoque conciliorum ad Imperantem pertinet, quemadmodum etiam modum agendi ille definire poteſt *v.* CONRING *d. l. §. 16.* Equidem Pontificii omne illud jus Pontifici tribuunt, ſed ex hypotheſi falſa & nunquam probanda *add.* CONRING *d. l. §. 13. 19.* SCHERZER. *Antibellarm. diſp. 5. p. 311.*

§. 8. In Conciliis legitimis ſummatim de duobus agitur; de *fide*, & *diſciplina eccleſiaſtica*, illius intuitu, *ſymbola*, hujus vero, *canones* conficiuntur, quorum vicem hodie ſubeunt *Ordinationes eccleſiaſticæ v.* CONRING *d. l. §. 7.* ZIEGLER *ad Lancell. l. 1. tit. 3. §. 5.*

Exin-

Exinde autem liquet, quod Laici non minus, quam Clerici, conciliis intereſſe queant *v. Actor. if. v. 12. 22. can. 4. diſt. 96. c. 13. C. 2. qu. 7.* ZIEGLER. *d. tit. 3. §. 1.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 2. §. 25.* Cum tamen omnes promiſcue admitti non poſſint, hinc Imperantis eſt, quosdam deligere, quibus id munus demandetur *v.* CONRING *d. l. §. 10.*

§. 9. Ex hypotheſibus papalibus, fides & diſciplina eccleſiaſtica, Conciliorum prætextus ſaltem ſunt, vera autem eorundem materia eſt dominatus Cleri, & ſervitus Laicorum, hinc etiam Laici jus Conciliorum non habent, ſed hi, ſi Diis placet, Cleri decreta, cœco applauſu, venerari debent, quemadmodum oves paſtorum voluntatem ſequi tenentur. Sed illa conſectaria, ſubducto fundamento, ultro ruunt, nec ſpecialiter confutanda ſunt.

§. 10. Autoritatem conciliorum quod attinet apud pontificios res confecta eſt, quod *deciſionem obligantem* illa facere queant. In eo tamen non conſentiunt, utrum autoritatem illam per ſe habeant, an Papa eam iis impertiatur? ſed vere catholici, uti Papam ſupra Concilia evehunt, ita omnem eorum autoritatem, ab illo principio, derivandam eſſe exiſtimant *v.* CONRING *d. diſſert. §. 19.* PLETTENBERG *introd. ad jus canon. c. 15.* Interim utraque ſententia falſa eſt: Papæ, negato Vicariatu divino, nullum hic jus eſſe, ultro liquet: Conciliis vero facultas decidendi non eſt conceſſa, præterea materia Conciliorum certo reſpectu, omnem deciſionem obligantem reſpuit *add.* CONRING *d. l. §. 18.*

§. 11. Quo ergo Conciliorum decreta autoritatem habeant, confirmatio Reipublicæ accedere debet, & quidem, quoad *Canones* & *diſciplinam eccleſiaſticam*, vis obligandi iis tribui poteſt, ſed quoad *fidem* & *ſymbola*, hactenus ſaltem approbari poſſunt, ut, qui iis non aſſentiatur, pro membro Eccleſiæ, illa probandis, non habeatur: verum eatenus confirmari nequeunt, ut diſſentientes, ad ea amplectenda, vi adigantur & reluctantes pœnis coerceantur, hoc enim indoli & libertati religionis repugnat.

§. 12. Interim multi Scriptores proteſtantes, etiam quoad articulos fidei, deciſionem obligantem fieri poſſe cenſent. Nonnulli illam poteſtatem toti Eccleſiæ, quatenus ex triplici Statu conſtet, ſive

in Conciliis congregata sit, sive extra ea spectetur, tribuunt. Verum uti triplex Status præjudicia papalia satis jam indicat, ita sententiæ illius Autores Ecclesiam ita explicare solent, ut soli Clero facultas decidendi competat, Imperanti autem nihil, nisi facultas exequendi, & populo, nuda parendi gloria, relinquatur, quo ipso adeò cum pontificiis plane consentiunt *v.* Dn. THOMAS. *Fürsten-Recht p. 1. posit. 8. 9.*

§. 13. Alii judicium imperativum, quo conciliorum decretis, vis obligandi concilietur, Imperanti seculari tribuunt, quæ plerorumque Politicorum est sententia *v.* GROT. *de jur. Summ. potest. circ. Sacr. c. 5. §. 3. seqq.* CONRING *d. dissert. §. 18.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 2. §. 32. c. 3. §. 5.* Licet vero hoc jus Imperanti ideo abjudicari nequeat, quod, ceu pontificii contendunt, in rebus fidei non satis sit exercitatus, sed sacræ Scripturæ plerumque imperitus *v.* CONRING *d. §. 18.* attamen libertas religionis, non magis decisionem Imperantis, quam Cleri admittit, hinc ipse etiam CONRING *d. l. in fin.* docet: *non propter edictum à summa potestate promulgatum, sed propter verbum Dei, quod divinam in se autoritatem habeat, & totius ecclesiæ consensum, ejus credi testimonio,* quo ipso judicium imperativum destrui, palam est.

§. 14. Fluit illa sententia ex præjudicio, de *necessitate decisionis obligantis, in rebus fidei,* hæc enim, cum non concedenda videretur Clero, ad Imperantem relata est. Sed meminisse debebant, qui ita sentiunt, quod talis decisio indoli & libertati religionis repugnet, adeoque necessaria esse non possit, quo facto, non difficulter deprehendissent, decisionem illam, esse commentum Cleri papalis, stabiliendo & extendendo sacro dominatui excogitatum. Nec obest, quod *in negotiis secularibus decisio requiratur, ne res in infinitum abeat,* nam ab his, ad religionem, inferre non licet, hæc enim internum animi applausum requirit, qui vi humana obtineri nequit.

§. 15. Ex his intelligi potest, ob quem finem, concilia congreganda sint; Nimirum ob eum, quo, ortis in religione dissensionibus, in certam fidei formulam consentiri possit, qua occasione etiam de disciplina ecclesiastica aliquid constitui solet, quod alioquin Imperans seorsim expedire potuisset. *add.* CONRING *dissert. de concil. §. 6.* Utrum vero Concilia olim, inter Christianos, habita, semper legitimo modo fuerint convocata, constituta & peracta, ac in specie num,

num, in exequendis decretis, modus fuerit obſervatus, id prolixioris eſt diſquiſitionis, quam ut hic aliqua de eo dici queant; vim ſane ac pœnas, adeoque papatum paſſim oſtendunt Codex & Novellæ Juſtiniani *v.* THOMAS. *Fürſten-Recht. p. 1. poſ. 8. §. 10. ſeqq.*

§. 16. Hodie, in terris Statuum proteſtantium, Conciliorum nomen ferè non amplius auditur, cum religio Chriſtiana in diverſas ſpecies, ſatis formatas, ſe compoſuerit. Interim dubitandum non eſt, quin, exigente neceſſitate, vel in Concilio, vel extra illud, certa aliqua fidei formula concinnari queat, cujus exemplum exhibet *Formula Concordiæ*, anno *1580.* publicata, qua, judice SCHILTERO *de L. E. G. l. 7. c. 11. §. 7. ſeqq.* Reformati, ab Eccleſiis Auguſtanæ Confeſſionis, excluſi ſunt, quæ reprehendi nequit, quatenus nihil aliud, quam liberum, in certos fidei articulos, conſenſum continet.

CAPUT III.
DE CONSISTORIIS.

SUMMARIA.

Conſiſtoriorum natura, cauſa efficiens §. 1.
Et origo §. 2.
Perſonæ conſiſtorium conſtituentes §. 3.
Competentia Conſiſtoriorum eſt quodammodo incerta §. 4.
Illis ſubſunt perſonæ Eccleſiaſticæ quoad actiones perſonales & reales §. 5.
Nec non aliquo modo quoad delicta §. 6.
Jurisdictio criminalis ex rationibus Status papalis Conſiſtoriis videtur negata §. 7.
In criminibus tamen prima inſtantia eſt penes Conſiſtorium §. 8.
Clericus quatenus foro renunciare queat, & cui ejus familia ſubſit §. 9.
Aliquando Clerici in foro ſeculari conveniuntur §. 10.
Laici quoque Conſiſtoriis ſubſunt in cauſis decimarum, juris patronatus, matrimonialibus §. 11.
Et connexis §. 12.
Sepulturæ & ſepulchrorum §. 13.
Subſelliorum eccleſiaſticorum & piarum cauſarum §. 14.
Delictorum religionem concernentium & juramenti relaxandi §. 15.
Non vero delictorum quæ in foro ſeculari puniri non ſolent §. 16.
In papatu cùm aliis inventis, tum inprimis denunciatione evangelica Laici ad forum eccleſiaſticum trahi ſolent §. 17.
Ejus fundamentum §. 18.
Et uſus hodiernus §. 19.
Habent etiam Conſiſtoria aliquod imperium §. 20.
Ac judiciis ſuperioribus ſubſunt §. 21.
Sententias exequuntur immediate & mediate §. 22.
In Electoratu Saxoniæ tria occurrunt Conſiſtoria ac Senatus Eccleſiaſticus §. 23.

Digitized by Google

§. 1.

JUri Sacrorum etiam ineſt Jurisdictio Eccleſiaſtica, quæ Conſiſtoriis concedi ſolet, ceu admonui *l. 8. c. 10. §. 9.* de quibus nunc agendum erit. Conſiſtorium eſt *Collegium perſonarum, ab Imperante, eo fine conſtitutum, quo de perſonis & cauſis Eccleſiaſticis judicet, ac, circa cultum externum, nonnulla ordinet.* Inſtituuntur Conſiſtoria, ad exemplum aliorum judiciorum, ab Imperante, vi Majeſtatis, vel Superioritatis Territorialis, hinc, in Germania, Statibus imperii vel membris immediatis, illud jus competit *add.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 1. §. 34.*

§. 2. Origo Conſiſtoriorum, in Terris Proteſtantium, ex papatu, repetenda eſt, nam judicia à Clero introducta, facta Reformatione, ſtatim tollere non licuit, aut etiam, ex præjudicio papali, illa tolli non poſſe, exiſtimatum fuit, hoc ſane laborant, qui Conſiſtoria, neceſſaria arbitrantur *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. tit. 1. D. 11. n. 13. l. 3. tit. 1. D. 1.* Interim, ex ſola libertate, Conſiſtoria vel retinentur, vel inſtituuntur, hinc etiam alicubi nulla occurrunt *v.* STRYK *ad Br. J. E. l. 3. c. 1. §. 2.* ſicut etiam illa Imperanti ſemper ſubſunt *v.* MEV. *p. 3. D. 415.*

§. 3. Conſtat Conſiſtorium ex Aſſeſſoribus politicis & theologis, ita ut penes illos plerumque ſit directio, poſſunt etiam Theologi plane abeſſe *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 1. §. 5.* MEV. *p. 4. D. 1.* Præterea, ut in aliis judiciis, ita etiam in Conſiſtoriis, alii Officiales, ut Protonotarii, Advocati ordinarii, ſcribæ & Notarii, occurrere ſolent. In omnibus vero probitas, prudentia & eruditio requiritur *v.* BRUNNEM. *d. l. 3. c. 1. §. 6.* qua ratione vero ſinguli conſtituantur, id ex habitu cujusvis Territorii, cognoſcendum eſt *add.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 17.*

§. 4. Quoad competentiam Conſiſtoriorum, res non ſatis expedita eſt, nam fere juxta normam juris Epiſcopalis pontificii, illa delineari ſolet, ſed illa norma valde eſt ambigua, nam per jus Epiſcopale, quidam intelligunt jus quod Imperanti competit *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 2. ſeqq.* hic vero omne ſuum jus Conſiſtoriis non delegat. Alii à jure Epiſcopali, ſeparandum eſſe cenſent jus Sacrorum *v.* STRYK *ad Br. J. E. l. 1. c. 6. membr. 12. §. 1, l. 3. c. 1. §. 11.* Sed, hoc poſito, non

tamen

tamen ſatis liquet, quænam juriis Epiſcopalis partes, Conſiſtoriis tribui vel negari debeant. *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 4. n. 10. l. 3. D. 2. n. 8. 11. l. 1. D. 12. n. 17. add.* SCHILTER. *J. J. C. l. 1. tit. 5. §. 6.*

§. 5. Fere igitur ex conſvetudine, non raro etiam incerta, aut legibus provincialibus, Conſiſtoriorum competentia definienda eſt. Et primo quidem illis ſubſunt *Perſonæ Eccleſiaſticæ*, etiam minorum gentium, ut Ludimoderatores, cuſtodes, cantores & Organici *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 3. 6.* Poſſunt autem omnes actiones perſonales & reales, in Conſiſtoriis, contra Clericos, inſtitui, reales tamen, immobilia concernentes, in loco rei ſitæ, potius inſtituuntur *v.* CARPZ. *d. l. 3. D. 7.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 1. §. 27.* De eo etiam dubitandum non eſt, quin Clerici, futuros actores, in foro ſuo, remedio ex *L. Diffamari*, ut & *L. ſi contendat*, provocare queant.

§. 6. Ex delictis in ſpecie, eatenus Clerici in Conſiſtorio conveniuntur, quatenus de damno reſarciendo, ac pœna leviori quæſtio eſt *v.* CARPZ. *d. l. 3. D. 5. n. 4. ſeqq.* quo loco tamen obſervandum, quod in delictis dubiis, quæ Miniſtri Eccleſiæ doctrinam & officium concernunt, Conſiſtoriis fere nuda tantum cognitio, ac ad Superiorem relatio competat *add.* BRUNNEM. *d. c. 1. §. 8. 11. 15.* Ad crimina regulariter Conſiſtoriorum jurisdictio non extenditur CARPZ. *d. D. 5.* quod licet ex papatu quoque originem habeat, attamen improbari non debet.

§. 7. Videtur autem, ex rationibus ſtatus papalis, Judiciis Eccleſiaſticis jurisdictio criminalis ademta, quo ſcilicet ſcelera Clericorum eo magis manerent impunita, nam judicia ſecularia non antea eos punire poſſunt, quam ab eccleſiaſticis illi fuerint degradati; degradationem vero hæc non aliter decernunt, quam ſi rationes ſtatus clericalis eam exigant *v.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 3. tit. 1. §. 6.* Hic tamen abuſus, in terris Proteſtantium, ceſſat, cum judicia ſecularia & eccleſiaſtica, uni Imperanti ſubſint, adeoque manus auxiliatrices, ſibi invicem præbere debeant.

§. 8. Cum autem qualitas delicti Clericalis regulariter ſit dubia, hinc prima inſtantia eſt penes Conſiſtorium, quodſi, facta inquiſitione, appareat, pœnam graviorem eſſe imponendam, tum delinquens judici ſeculari traditur *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 1. §. 20.* Quo caſu,

juxta jus Canonicum, ſolennis degradatio præcedere debet *v. c. 2. de pœn. in 6.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 1. tit. 20. §. 2.* quæ tamen hodie non ſemper adhibetur CARPZ. *J. E. l. 3. D. 117. n. 9.* licet non penitus ejus uſus ceſſet *v.* STRYK. *ad Br. J. E. l. 2. cap. 19. §. 4.* Hoc certum putamus, eam non amplius eſſe neceſſariam, & rectius quoque omitti, quam adhiberi.

§. 9. Ex hypotheſibus papalibus, Clericus foro ſuo renunciare, ac ſeculari ſe ſubjicere nequit, quod merito improbatur *v.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 3. tit. 1. §. 4.* STRYK. *ad Br. J. E. l. 3. c. 1. §. 12.* In Territoriis Proteſtantium, utrumque forum, ab eodem principio, dependet, hinc, ex voluntate Imperantis, hac de re judicandum eſt; Non videtur igitur, manente ſtatu clericali, Clericus foro ſuo generaliter renunciare poſſe, ne jurisdictiones turbentur, quin tamen, illo exuto, ſeculari judicio ſe ſubjicere queat, dubitandum non erit. Familia Clericorum neceſſaria, nempe uxor & liberi, Conſiſtorio quoque ſubſunt *v.* CARPZ. *l. 3. D. 6. n. 6.* ſed adventitia, nempe famulorum & ancillarum, eo referenda non erit *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 1. §. 12. ibique* STRYK *in not.*

§. 10. Aliquando Clerici, in aliis judiciis, forum ſortiuntur, vel comparere debent (1.) in actionibus realibus *v. §§.* (2.) in criminibus *§. 6.* (3.) ſi Clericus, actor ſit, nam tum ſequitur forum rei, hinc etiam Laicus Clericum, in judicio ſeculari, ad agendum provocare poteſt, remedio ex *L. diffamari v.* BRUNNEM. *d. l. 3. c. 1. §. 13. 14.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 3. tit. 1. §. 5.* (4.) Reconventio quoque in cauſis connexis inſtituenda *v. O. P. S. tit. 6. §. 3.* Clericum judicio ſeculari ſubjicere videtur. Sæpe etiam (5.) Academiæ, cum Conſiſtoriis, concurrentem habent jurisdictionem. Denique (6.) Clericus, in foro ejus, cujus hæres extitit, actionibus transmiſſis conveniri poteſt *l. 19. 34. ff. de judic.* LAUTERBACH. *C. J. de judic. lit. f.* quod tamen alii ad actiones, contra defunctum, jam inſtitutas reſtringunt BRUNNEM. *l. 3. c. 1. §. 29. 30. v.* ſupr. *l. 8. c. 11. §. 28.* conf. Dn. ITTIGII *Diſſert. de Cleric. for. Secular. hab. Lipſ. 1703.*

§. 11. Præterea etiam Laici in Conſiſtoriis quandoque forum ſortiuntur, nempe (1.) in cauſis decimarum (2.) juris Patronatus *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 138. l. 3. D. 2. n. 19. 20.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 1. §. 31.* (3.) cau-

cauſis matrimonialibus, quatenus de vinculo matrimoniali, vel conſtituendo, vel diſſolvendo, quæſtio eſt: Si tamen, ex ratione politica, matrimonium impediendum ſit, magiſtratus ſecularis jurisdictionem ſibi recte vindicat *v.* BRUNNEM. *d. l.* §. 17. MEV. *p. 3. D.* 199. 280. Imo in nonnullis locis, cauſæ matrimoniales pro mere ſecularibus habentur *v.* STRYK. *in not. ad* BRUNNEM. *d. l.*

§. 12. Non minus etiam ad Conſiſtorium pertinet (4.) cognitio de adulterio, malitioſa deſertione, impotentia aut ſævitia conjugis, quatenus illa ad vinculum matrimoniale referuntur BRUNNEM. *d. l.* §. 22. Idem dicendum (5.) de ſtupro, quatenus, de matrimonio vel pœnitentia eccleſiaſtica, quæſtio eſt, imo etiam cauſa dotandæ ſtupratæ, & alendæ prolis eo pertinet, ſi, occaſione quæſiti matrimonii, de his quæſtio incidat *v.* CARPZ. *l.* 2. *D.* 321. *n.* 10. *l.* 3. *D.* 72. *n.* 8. 9. BRUNNEM. *l.* 2. *c.* 18. §. 25.

§. 13. Ad Conſiſtoria referuntur (6.) Cauſæ ſepulturarum, ſi quæſtio ſit, an & quomodo aliquis ſit ſepeliendus; (7.) controverſiæ, quæ coemiteria, aut ſepulchra hæreditaria concernunt, quanquam horum cognitionem ſibi aliquando vindicent Patroni, qui jurisdictionem ſecularem ſimul habent. *v.* CARPZ. *l.* 1. *Reſp.* 86. STRYK *ad Br. J. E. l.* 2. *c.* 2. §. 12. Actio autem funeraria, in judicio ſeculari, ventilari debet, nam illa non ſepulturam, ſed debitum reſpicit *v.* LAUTERB. *C. J. de religioſ. in fin.* Illud quoque certum, quod ſepulchra non à Conſiſtorio, ſed ab Eccleſia, ejusque præfectis, impetrari debeant; aliquando illorum conceſſio, eſt in arbitrio Patronorum *v.* STRYK *d. l.* quod tamen, regulæ loco, conſtitui non debet.

§. 14. Conſiſtoriis quoque ſubſunt (8.) Controverſiæ de ſubſelliis templorum, aliisque rebus vel negotiis eccleſiaſticis, hinc ſi inter parochianos, de ſumtibus, in novum paſtorem, factis, lis ſit, ejus deciſio ad Conſiſtorium ſpectat; Quodſi vero res eccleſiaſticæ, qualitatem ſuam velut exuant, v. gr. ſi pecunia Eccleſiæ, aliis mutuo detur, tum Conſiſtorii nulla eſt cognitio, niſi reus aliàs eidem ſubſit. Ex dictis ſequitur, quod (9.) cognitio ſuper eleemoſynis, ſtipendiis, alimentis aliisque piis cauſis, Conſiſtorio quoque ſit tribuenda BRUNNEM. *J. E. l.* 3. *c.* 1. §. 21. quod tamen eo caſu ſaltem verum erit, ſi res iſtæ ad Eccleſiam pertineant.

§. 15.

Digitized by Google

§. 15. Ulterius Laici ſubſunt Conſiſtoriis (10.) quoad hæreſin, ſchisma vel apoſtaſiam BRUNNEM. *d. l. §. 22.* ſed non magna illorum erit poteſtas, ob ambiguitatem horum delictorum *v. §. 6. h.* Veneficium, ſacrilegium, uſuraria pravitos & blaſphemia, ad ſecularia potius, quam eccleſiaſtica judicia referuntur *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 2. n. 16. 17. Pr. Crim. qu. 45. infin.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 18. §. 57.* Relaxatio (11.) juramentorum Conſiſtoriis quoque tribuitur BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 1. §. 32.* quod, de ſola nullitatis declaratione, videtur accipiendum eſſe, nam relaxatio juramenti dubii, ad effectum agendi, magis ad Imperantem pertinet CARPZ. *J. E. l. 3. D. 2. n. 21.*

§. 16. Præterea (12.) omnia delicta, quæ in foro ſeculari puniri non ſolent, ut ebrietas, ſermo indecens, abuſus ſacræ Scripturæ, profanatio Sabbathi & ſimilia, Conſiſtoriis, à quibusdam, ſubjiciuntur *v.* BRUNN. *d. l. 3. c. 1. §. 23.* Sed ſine ſufficiente fundamento, nam Conſiſtoria, perinde ſunt judicia politica, ſi principium eorum ſpectes, ac cætera judicia, quæ ſecularia dicuntur: Quodſi adeo quædam delicta extra publicas tabulas ſint, eorum coercitio non magis ad Conſiſtoria, quam alia judicia, regulariter pertinet.

§. 17. In papatu varia occurrunt inventa, quibus Laici ad judicium eccleſiaſticum tradi poſſunt *v.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 3. tit. 1. §. 3.* qui tamen abuſus, in terris Proteſtantium, ceſſat. Ad illa in ſpecie pertinet *Denunciatio Evangelica*, quam, ex hypotheſibus papalibus, plenius excoluit GOTOFRED. DE JENA *in tr. de SCto Macedon. add.* STRYK. *ad Br. J. E. l. 3. c. 2. §. 8.* Eſt illa, *remedium extraordinarium, quo ille, qui aliis mediis & actionibus deſtituitur, adverſarii delictum, poſt prævium, ac ab ipſo neglectam admonitionem privatam, Epiſcopo denunciat, eumque ad ſatisfactionem, cenſura eccleſiaſtica, compelli petit.*

§. 18. Fundamentum ejus eſt in *c. 13. X. de judic.* prima vero origo, ex doctrina Pontificiorum, ex S. literis dependet *Matth. 18. v. 15. Luc. 17. v. 3.* Sed nemo credat, denunciationem papalem S. Scriptura niti, cum non aliud illa habeat, fundamentum, quam improbitatem Cleri papalis: Denunciationis verè Evangelicæ non alius ſcopus eſt, quam ut placidis admonitionibus, tam privatis quam publicis, procul omni violentia, peccator ad bonam frugem revocetur; Sed denunciatio papalis, per violenta media, intendit dominatum Cleri.

§. 19.

§. 19. Inter Proteſtantes, papalis illa denunciatio plane ceſſat, nemo enim eſt, ad quem illa fieri queat. Equidem uſum ejus adhuc aſſerit JENA *d. tr. Sect. 4. aph. 7. n. 44. ſeqq.* cum illa, *in S. Scriptura, ſit fundata, & Proteſtantibus eo magis conveniat, officia charitatis exercere, quo purior ipſorum ſit religio*, ſed, inde nihil ſequi, quod huc faciat, palam eſt. Alii ad denunciationem illam, velut rem extra dubium poſitam, provocare ſolent *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 6. §. 9. c. 9. §. 6. & in Comment. ad l. 36. ff. fam. erciſc. add.* HUBER *Eunom. Rom. ad d. l. 36.* quod ad reliquias papatus merito refertur. *add.* Dn. D. BOHN. *Diſſert. de Laici for. eccleſ. hab. Lipſ. 1707.*

§. 20. Præter Jurisdictionem, quam hactenus delineavimus, Conſiſtoria etiam habent aliquam *poteſtatem*, ſive *imperium*, quod ſtilo juris Canonici, *lex diœceſana* dici ſolet *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 2. n. 11. ſeqq.* Vi ejus liturgiam ordinare, ac curam rerum Eccleſiaſticarum gerere ſolent & debent *add.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 1. §. 19. 24.* Aliquando etiam Conſiſtoriis aliquid ex iis, quæ Imperans ſibi aliàs reſervare ſolet, extra ordinem delegatur *v.* CARPZ. *l. 3. D. 2. n. 8.* BRUNNEM. *d. c. 1. §. 11. 35. ibique* STRYK. *in not.*

§. 21. De cætero Conſiſtoria judiciis ſuperioribus ſubeſſe ſolent, de quo, ex ſtato cujusvis Territorii, judicari debet. Hæc uti cauſas aliquando avocant, ita ad illa etiam appellatur *v.* CARPZ. *J. E. l. 13. D. 14.* STRYK. *ad Br. J. E. l. 1. c. 6. m. 12. §. 6.* In Electoratu Saxoniæ, à Conſiſtoriis, ad Cancellariam appellari debet *v. Sächſ. Kirchenord. tit. vom oberconſiſtorio §. es ſoll aber* CARPZ. *J. E. l. 1. tit. 12. n. 19. 20.* SCHILT. *J. J. C. l. 1. tit. 5. §. 15.* Sed non in omnibus cauſis appellatio locum habet *v.* CARPZ. *l. 2. D. 395.* matrimoniales tamen appellationi ſubſunt *v.* MEV. *p. 2. D. 364. 365.* CARPZ. *p. 3. Deciſ. 240.* STRYK. *ad Br. J. E. l. 2. c. 16. §. 12. p. 607.*

§. 22. Sententias latas exequitur Conſiſtorium, aliquando immediate, aliquando mediate per judices ſeculares, ad hoc requiſitos, quod ultimum in ſpecie obtinet, ſi, ob debitum, executio, in bona immobilia, ſit facienda, quo caſu, in Saxonia, judices ſeculares, ſub pœna centum florenorum, Conſiſtorio manus auxiliatrices præbere tenentur CARPZ. *J. E. l. 3. D. 7. n. 12. 13.* Sed de his omnibus, ex habitu cujusvis Territorii, ſpecialius judicandum eſt; in ſpecie inde quoque judicandum de numero Conſiſtoriorum.

§. 23. In Saxonia Electorali, tria occurrunt Consistoria, *Lipsiense*, *Wittenbergense* & *Dresdense*. Hoc ultimum simul repræsentat *Senatum Ecclesiasticum*; Ut Consistorium habet potestatem talem in suo districtu, qualem alia etiam Consistoria habere solent; sed ut Senatus Ecclesiasticus exercet jus Imperanti reservatum; illo respectu, ejus membra titulum *Assessorum*, hoc vero, *Præsidis* & *Consiliariorum* gerunt: In Consistorio, *Protonotarius*, in Senatu Ecclesiastico, *Secretarius* operas præstat *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 12.* Illud forte adjiciendam, quod Episcopatus Saxonici, propriis Consistoriis, dependentibus tamen, gaudeant.

CAPUT IV.
DE JURE PATRONATUS.

SUMMARIA.

Jus patronatus circa ecclesiam aliquando occurrit, aliquando cessat §. 1.
Jus constituendi ministros non semper penes ecclesiam totam esse debet §. 2.
Clerus papalis ad Constitutionem ministrorum ecclesiæ Laicos quandoque admisit §. 3.
Origo juris patronatus §. 4.
Ab initio exiguum fuit §. 5. 6.
In Ecclesiis protestantibus nonnnnquam pingvius est §. 7.
Ejus definitio §. 8.
Et partes §. 9.
Consensus Ecclesiæ ejus exercitio regulariter accedere debet §. 10.
Triplex Status circa illud frustra asseritur §. 11.
Juris patronatus diversitas §. 12.
Acquiritur illud fundatione ædificatione & dotatione ecclesiæ §. 13.
Ut & præscriptione §. 14.
Non vero regulariter privilegio §. 15.
Juris patronatus subjectum §. 16.
Et translatio in alios §. 17.
Ejus effectus consistit in præsentatione ministrorum ecclesiæ §. 18.
Præsentationis requisita §. 19.
Tempus & restrictio §. 20.
Plurium patronorum præsentatio diversa esse solet §. 21.
Alii effectus juris patronatus §. 22.
Ejus probatio §. 23.
Extensio §. 24.
Jura affinia §. 25.
Et moralia §. 26. 27.

§. 1.

AD constitutionem & regimen Ecclesiæ externæ, etiam suo modo pertinet *Jus Patronatus*, de quo adeo recte nunc dici poterit. Respicit illud constitutionem Ministrorum Ecclesiæ, si primam ejus indolem spectemus, ac, pro diverso Ecclesiæ statu, aliquando incognitum est, aliquando verò locum invenit, nam si Ecclesia aliqua sui juris sit, tum constitutio Ministrorum,

rum, penes universum cœtum esse potest & solet, quo spectat exemplum primitivæ Ecclesiæ *Actor. I. 23. 24. VI. 3. seqq.*

§. 2. Ex eo autem, quod pro certo statu obtinet, regula conficienda, aut necessitas aliqua asserenda non est, hinc quando quidam contendunt, jus constituendi ministros Ecclesiæ jure divino, esse penes Ecclesiam *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 8. §. 19.* SCHILTER. *J. J. C. l. 1. tit. 13. §. 2.* id, nisi de jure *permittente* accipiatur, admitti non potest, nam sane præceptum aliquod hic probari nequit, hinc non tantum Ecclesia sui juris, alicui jus illud concedere potest, sed &, in statu civili, non rarò id certæ personæ acquiritur, quo loco etiam notandum, quod aliquando, ratione non adeo probanda, quid introducatur, quod tamen in se non improbari debeat.

§. 3. Ex quo religio Christiana, in Republica Romana, non tantum tranquillitatem nacta, sed & imperium consecuta est, statim papatu illa inquinari cœpit, hinc Clerus, de imperio sacro, sollicitus, constitutionem ministrorum Ecclesiæ, mox etiam ad se traxit, populumque ab ea excluſit, si quis tamen erga Clerum liberalis esset, ac, exstructis templis, de opimo reditu, ipsi prospiceret, tum ei, personam aliquam, ad vacans munus ecclesiasticum, Episcopo præsentare licebat.

§. 4. Sic exortum est Jus Patronatus, quod adeo sensim invaluisse videtur. Ejus quidem originem nonnulli ad Justinianum referunt *v. Nov. 57. c. 2. Nov. 123. c. 18.* FINCKELTH. *de jur. Patron. c. 1. n. 9. seqq.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 8. §. 1. ibique* STRYK *in not.* sed alii, jam Seculo tertio ejus vestigia occurrere, existimant *v.* ROY *J. J. C. l. 2. c. 17. §. 2.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 1. tit. 28. §. 2.* Illud certum videtur, quod illud, ex rationibus Status Clericalis, quo scilicet Laici pecunia emungerentur, sit introductum *v.* ZIEGLER. *ad Stephan. jus Canon. l. 2. c. 11. n. 24.* licet vulgo aliàs rationes ei prætexere soleant *v.* FINCKELTH. *d. c. 1. n. 5.*

§. 5. Non multum etiam olim jus Patronatus in recessu habuisse, sed fere ab arbitrio Episcopi dependisse videtur: Nam illud ad Ecclesias tantum parochiales, non vero cathedrales & collegiatas, pertinuit *c. 51. X. de elect.* STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 8. §. 5.* præterea illud spiritualitati dicitur annexum *c. 16. X. de jur. patron.* quo, hoc

prætextu, ſemper reſtringi poſſit, hinc operam ludunt, qui veram aliquam ſpiritualitatem, aut ejus ſimilitudinem circa jus illud aſſerunt *v.* FINCKELTH. *d. tr. c. 8. n. 3. ſeqq.* CARPZOV. *J. E. l. 1. D. 13. n. 4. ſeqq.*

§. 6. Ob eandem rationem variatio Patrono conceditur *c. 29. X. de jur. patron.* STRTK *ad Br. J. E. l. 2. c. 8. §. 4.* circa quam Canoniſtæ aliàs ineptè tricari ſolent *v.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 1. tit. 28. §. 3.* brevi etiam tempore jus Patronatus circumſcribitur *c. 3. 27. X. de jur. patron. c. un. eod. in 6.* STRTK *d. l. §. 3.* vocatur jus gratioſum FINCKELTH. *d. tr. c. 2. n. 5. 6.* Denique juri patronatus moleſta obligatio, Eccleſiam vel potius Clerum defendendi, cohæret, ex qua defenſionis neceſſitate, nomen Juris Patronatus videtur etiam exortum *v.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 1. tit. 28. §. 1.* FINCKELTH. *de jur. patron. c. 1. n. 13.*

§. 7. Sic, in Republica Romana, ex rationibus papalibus, jus Patronatus exortum, ac in Germaniam quoque ſucceſſu temporis translatum videtur. Secuta Reformatione, in multis Eccleſiis proteſtantibus, illud retentum, vel etiam de novo introductum eſt *v.* FINCKELTH. *c. 1. n. 6. 7.* In Territoriis tamen polyarchicis illud tam frequens fortaſſe non eſt, quam monarchicis. Cum etiam tam rigidus Patronorum inſpector, inter Proteſtantes non occurrat, quam pontificios, hinc jus Patronatus inter illos, plenius vel pingvius eſſe ſolet *v.* FINCKELTH. *d. tr. c. 2. n. 27.* in dubio tamen, juxta nomotheſian juris Canonici, id judicandum erit.

§. 8. Vulgo deſcribi ſolet, quod ſit *jus præſentandi inſtituendum Epiſcopo, ad munus Eccleſiæ vacans v.* FINCKETH. *de jur. patron. c. 2. §. 1.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 13.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 8. §. 1.* Sed clarius, ex uſu Proteſtantium, ſic definietur: Eſt *jus, ad munus Eccleſiæ vacans, vel vacaturum, perſonam habilem, cum, vel ſine conſenſu Eccleſiæ, Conſiſtorio præſentandi, eo effectu ut præſentatus munus conſequatur.* Solet quidem jus patronatus quandoque ad alia etiam extendi, ſed extenſionum illarum, utpote ſæpe illegitimarum ac incertarum, in definitione, non videtur eſſe habenda ratio.

§. 9. Præſentatio Patroni, non tribus, ceu FINKELTH. *d. tr. c. 2. n. 11.* exiſtimat, ſed quatuor potius actibus abſolvitur, *nominatione*

ad

ad Concionem pirasticam, *electione*, *vocatione* & *præsentatione* stricte dicta, qua vocatus minister Consistorio sistitur: Electionem & præsentationem, partes juris patronatus *essentiales*, sed nominationem & vocationem, *naturales* esse censet SCHILTER. *J. J. C. l. 1. tit. 13. §. 9.* quod tamen parum liquidum est. Quousque autem circa illos actus, consensus Ecclesiæ requiratur, nec ne, illud perpetua regula definiri nequit, sed, ex consvetudine cujusvis loci, fere judicandum est *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 31. in fin. D. 37. 38.* nec negandum videtur, quin sæpe aliquis abusus hic interveniat.

§. 10. Regulariter interim consensus Ecclesiæ, necessarius dicendus erit, donec Patronus contrarium probet: Eo tamen non deveniendum, ut immutabili lege divina, consensum illum semper requiri arbitremur, quo nonnunquam inclinant Scriptores, quando primitivæ Ecclesiæ praxin præcise observandam esse censent, cujus tamen necessitatis nulla apparet ratio, quemadmodum in eo etiam falluntur, quando praxin illam, cum jure patronatus, conciliari posse existimant, cum tamen eam hoc excludere, manifestum sit.

§. 11. In exercitio juris patronatus, eique accedente consensu Ecclesiæ, quidam *triplicem statum*, ecclesiasticum, politicum & œconomicum, nec non *regimen aristocraticum* sibi deprehendisse videntur, adeo ut magistratus Schrifftsassicus statum politicum representet, sed Amtsassicus, ad populum pertineat *v.* FINCKELTH. *de jur. patron. c. 2. n. 26. c. 6. n. 78. 79.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 27. seqq.* Quæ omnia, male formata præjudiciorum papalium sunt consectaria, cum manifestum sit, quod præsentatio ministrorum Ecclesiæ, à solis subditis fiat.

§. 12. Distingvitur Jus Patronatus in *Ecclesiasticum*, quod ex bonis Ecclesiæ, & *Seculare*, quod ex bonis privatis, habet originem *v.* FINCKELTH. *d. tr. c. 3.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 1. tit. 28. §. 3.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 8. §. 3. 4. ibique* STRYK. *in not.* Sed inter Protestantes, nullus vel exiguus illius distinctionis videtur esse usus, nisi forte pontificiæ religionis Patronus, jus Canonicum stricte observare velit. Acquiritur jus Patronatus modis *ordinariis*, nempe fundatione, ædificatione, reædificatione & dotatione Ecclesiæ, ac *extraordinariis*, scilicet præscriptione & privilegio *v.* FINCKELTH. *d. tr. c. 4. n. 5.*

Digitized by Google

§. 13. Si quis solus jus patronatus acquirere velit, tum Ecclesiam fundare, ædificare & dotare tenetur, si vero plures conjunctim illud sibi parare intendant, tum sufficit, si alter hunc, alter alterum actum suscipiat *v.* BRUNNEM. *d. c. 8. §. 7. ibique* STRYK *in not.* Omni autem casu, sive Ecclesia ædificanda, sive, ad cultum divinum, denuo præparanda sit, consensus Domini Territorialis requiritur *v.* STRYK. *in not. ad d. c. 8. §. 5.* nec videntur, in impertiendo hoc consensu, Consistoria Imperantem repræsentare, sed ille, ad jura reservata, pertinet.

§. 14. Præscriptione jus patronatus acquiritur, si quis *bona fide* ejus *possessionem* apprehendat, ac per *quadraginta annos*, sine *interruptione*, eam continuet *v. Const. Saxon. 5. p. 2.* FINKELTH. *d. tr. c. 4. n. 100.* nec opus est *titulo*, licet eum FINCKELTH. *d. l. n 102. seqq.* requirat, nam, eo interveniente, præscriptio non est necessaria *add.* STRYK. *add. Br. J. E. l. 2. c. 8. §. 8.* quodsi per titulum, *tacitum Ecclesiæ consensum* intelligas, tum in terminis luditur. De cætero raro præscriptio locum habere videtur cum plerumque mala fides, & violenta possessio hic subsint, immemoriale tamen tempus, hæc vitia purgabit.

§. 15. Ex pontificiorum doctrina, solus Papa privilegio jus Patronatus concedere potest FINCKELTH. *d. c. 4. n. 107.* quod, negato Vicedeatu, ultro corruit. In Territoriis Protestantium, Domini Territoriales, ejusmodi privilegium, ob jus Sacrorum, concedere posse censentur, cujus etiam non rara exempla occurrere putant, dum Nobiles hoc jure investiantur *v.* FINCKELTH. *d. l. n. 108.* STRYK *ad Br. J. E. d. l. §. 9.* Sed uti exempla illa, non dationem, sed juris jam constituti translationem saltem ostendunt, ita facultas illa Domino Territoriali regulariter neganda videtur, cum invitæ Ecclesiæ jus quæsitum auferre nequeat. Quodsi de novo Ecclesia sit constituenda, tum privilegium tale locum habere poterit, maxime si Dominus Territorialis sumtus necessarios suppeditare velit.

§. 16. De cætero, sine discrimine sexus, à quovis jus patronatus acquiri potest FINCKELTH. *de jur. patron. c. 4. n. 1. seqq.* adeo ut etiam pontificiæ religioni addictus, illud, in Ecclesiis protestantibus, habere queat *v.* BRUNNEM. *d. c. 8. §. 19. ibique* STRYK *in not.* Aliquando etiam illud Imperanti competit *v.* SCHILTER. *J. J. C. l. 1. tit. 13. §. 13.* Si plures de jure patronatus litigent, possessor tamdiu de-

defenditur, donec adversarius melius jus docuerit *v.* CARPZ. *l. 1. D. 21.* STRYK. *ad Br. J. E. l. 2. c. 8. §. 8.*

§. 17. Acquisitum jus patronatus, non tantum, per successionem testamentariam & legitimam, in hæredes transit, sed &, inter vivos, donatione, venditione, permutatione, confiscatione, concessione in usumfructum & locatione, in alios transfertur, seorsim tamen alienari nequit *c. 16. X. de jur. patron.* Quodsi creditores, in bona debitoris obærati, missi sint, jus patronatus illis regulariter non competit, nam ea concessa censeri debent, ex quibus suum consequi possunt *v.* FINCKELTH. *d. tr. c. 5.* CARPZ. *l. 1. D. 44.* BRUNNEM. *d. c. 8. §. 10. seqq. ibique* STRYK *in not.*

§. 18. Effectus juris patronatus ordinarius est, præsentatio ministri Ecclesiæ, si munus ecclesiasticum vel vacet, vel emeritus ei præsit; collatio igitur muneris, sine prævia Patroni præsentatione facta, nulla est *v. c. 14. X. de jur. patron.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 16. 17. 18.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 8. §. 2. ibique* STRYK *in not.* Præsentat autem Patronus non tantum ministros Ecclesiæ, sed & Scholæ CARPZ. *d. l. D. 14.* non tamen Superintendentem, sed hujus constitutio ad Dominum Territorialem pertinet, cum enim ille pluribus Ecclesiis parochialibus præsit, ejus præsentatio mensuram juris Patronatus ordinarii utique excedit *v.* CARPZ. *d. l. D. 19.*

§. 19. Præsentanda autem, à Patrono, est persona habilis, aliàs tam Ecclesia, quam Superintendens merito intercedit: Inprimis ergo præsentatus, receptæ fidei formulæ debet assentiri BRUNNEM. *d. c. 8. §. 19. ibique* STRYK. *in not.* Requiritur etiam, ut præsentatio sit legitima, non largitionibus aut matrimonio suspecto obtenta, vel importune emendicata. Sed uti horum ratio stricte semper haberi non solet, ita in specie coditio, defuncti Pastoris viduam vel filiam ducendi, extra reprehensionem esse censetur *v.* CARPZ. *l. 1. D. 42.* SCHILT. *J. J. C. l. 1. tit. 13. §. 23. seqq.* quod admitti potest, si cætera sint paria, nec id in regulam evalescat.

§. 20. Præsentatio debet fieri, intra quatuor menses, à tempore scientiæ computandos *c. 27. X. de jur. patron.* BRUNNEM. *d. c. 8. §. 28. ibique* STRYK. *in not.* Sed hoc spatium hodie vix observatur, ob annum gratiæ: Patrono autem nimis negligente, Consistorium, post præ-

præviam admonitionem, munus confert *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 15.* Eſt de cætero præſentatio Patroni libera, niſi quod nonnunquam indigenarum aut ſtipendiatorum, præ aliis, rationem habere debeat CARPZ. *d. l. 1. D. 24.* quemadmodum etiam charitas exigit, ut de paupere magis, quam divite promovendo, cæteris paribus, ſit ſollicitus BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 8. §. 22.*

§. 21. Plures Patroni aliquando jure ſuo alternatim utuntur, quod *præſentationem per Turnum* Canoniſtæ vocant *v.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 1. tit. 28. §. 12.* STRYK *ad Br. d. c. 8. §. 18.* Aliquando verò conjunctim illud exercent, quo caſu, ſi convenire nequeant, Conſiſtorium, prævia admonitione, munus confert. Sed uti, ad hanc collationem, non facilè deveniendum, ita, in ſpecie, ei locus non eſt, ſi, diſſentientibus patronis, per majora quis electus ſit, nam hunc Conſiſtorium confirmare tenetur *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 15. 45. add.* BRUNN. *d. c. 8. §. 18. ibique* STRYK *in not.*

§. 22. Præterea jus patronatus aliquem gignit honorem, ut Patronus miniſtris Eccleſiæ, à ſe præſentatis præferatur, ejusque, in precibus publicis, ſit facienda mentio, ac ille nominis inſigniumque ſuorum memoriam, in templo, conſervare, & commodiori ſubſellio vel loco uti poſſit *v. c. 26. 27. C. 16. qu. 7. c. 25. X. de jur. patron.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 55. n. 10. l. 2. D. 259.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 6. §. 8. l. 2. c. 8. §. 25. ibique* STRYK *in not. add.* LYNCK. *Deciſ. Jenen. Dec. 165.* Patronus quoque ad incitas redactus, ab Eccleſia alendus eſt *c. 25. X. de jur. Patron.* BRUNNEM. *d. c. 8. §. 25.* quod, inter Proteſtantes, nullius vel exigui uſus eſſe videtur. Denique Patrono cura rerum eccleſiaſticarum competit *v.* FINCKELTH. *de jur. patron. c. 6.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 316.* ZIEGLER. *de dot. Eccleſ. c. 12. n. 19.* BRUNNEM. *d. l. 2. c. 8. §. 24. ibique* STRYK *in not.*

§. 23. Probatur jus patronatus actibus poſſeſſoriis, tum etiam conjecturis, quæ ex inſcriptione lapidum, vel inſignibus in templo repertis, deſumuntur *v.* FINCKELTH. *d. tr. c. 8. n. 39. ſeqq.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 21.* BRUNNEM. *d. c. 8. §. 27.* Amittitur Jus patronatus vel *ex parte*, ſi, intra tempus conſtitutum, habilis perſona non præſentetur *c. 27. 29. X. de jur. patron.* vel *in totum*, templi ruina, ultronea remiſſione, abuſu & præſcriptione, nam ſi Eccleſia, in poſſeſſione liber-

libertatis, legitimè conſtituatur, conſveto tempore jus Patronatus extingvere poſſe videtur *v.* FINCKELTH. *de jur. patron. c.* 7. BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 8. §. 28. ibique* STRYK *in not.*

§. 24. Cæterum quæ hactenus de acquiſitione, effectu & duratione juris Patronatus, juxta jus Canonicum, diximus, illa, inter Proteſtantes, per omnia ſtricte ſervari non ſolent: Nam experientia docet, quod ſæpe templa ſumtibus parochianorum de novo ædificentur, vel etiam ruinoſa reſtaurentur, & tamen jus patronatus penes quosdam ſit, adeo, ut ſi uſum ſpectes, jus patronatus fere, pro jurisdictionis ſecularis conſectario, habeatur. Præterea notum eſt, quod idem ſæpe, ultra præſentationem miniſtrorum Eccleſiæ, extendatur. Quodſi illa juſtis titulis nitantur, tum merito admittuntur, iis vero deficientibus, improbari debent *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 20. 69. 70.* BRUNNEM. *d. tr. l. 2. c. 8. §. 26. 30. ibique* STRYK *in not.*

§. 25. A jure patronatus vulgari, hactenus delineato differt (1.) Jus patronatus Regium, quod in defenſione Eccleſiarum conſiſtit, ac domino Territoriali competit *v.* BRUNNEM. *d. c. 8. §. 1. ibique* STRYK. *in not.* (2.) Jus advocatiæ, quod circa Epiſcopatus & cœnobia pontificia occurrit, ac tam eorum defenſionem, quam exercitium jurium ſecularium involvit *v.* BRUNNEM. *d. l. §. 29. ibique* STRYK *in not.* (3.) jus patronatus, quod, in præſentatione, ad beneficia eccleſiaſtica, Epiſcopatuum & Commendarum, conſiſtit.

§. 26. Jus patronatus, tanquam impium & papiſticum commentum, in Eccleſiis proteſtantibus, haut tolerandum eſſe cenſet VOETIUS *in poſit. Eccleſ. p. 2. l. 3. tract. 2. c. 1. ſeqq. v.* STRYK *in not. ad Br. J. E. l. 2. c. 8. §. 1.* ſed ex hypotheſibus parum liquidis, nam (1.) exiſtimat, *jus conſtituendi miniſtros Eccleſiæ, ex præcepto divino, eſſe penes univerſam eccleſiam,* ſed illud præceptum probari nequit, nam praxis primitivæ Eccleſiæ apoſtolicæ ſaltem oſtendit, quid fieri poſſit aut ſoleat, non vero, quid debeat. Deinde in ea ſententia eſſe videtur, quaſi (2.) *jus patronatus illimitatum Eccleſiæ obſequium involvat v. p. 2. l. 3. tract. 2. c. 3. §. 1.* ſed tam rigidum jus nemo facilè aſſeret, (3.) *uſum & abuſum permiſcet*, cum tamen hic illi non ſit imputandus. Denique eo videtur inclinare, quaſi (4.) *res malis rationibus introducta, nunquam poſſit eſſe licita,* in quo tamen nulla etiam eſt connexio.

§. 27. Alii jus patronatus, ob *frequentes abusus*, tollendum esse censent *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 8. §. 30. in fin.* Sed hoc admittendum foret, si abusus major esset, ipso usu, aut ab hoc separari non posset, quod tamen dici haut potest, præterea non liquet, utrum juris patronatus major sit abusus, quam electionis popularis, quæ sane, orto dissensu, gravia etiam habere solet incommoda. Illud interim liquere videtur, jus patronatus, dominatui, ac electionem popularem, rebus-publicis polyarchicis, magis convenire. *add.* SPECIM. JUR. ECCLES. *l. 1. c. 5. 6. 7.*

CAPUT V.

DE PAROCHIIS ET PAROCHIANIS.

SUMMARIA.

Ex statu civitatis oriuntur ecclesiæ parochiales §. 1.
Harum indoles origo §. 2.
Constitutio §. 3.
Et forma §. 4.
Requirunt illæ, res ad exercendum cultum divinum necessarias §. 5.
Ex hoc genere sunt templa §. 6.
Horum varietas §. 7.
Et exstructio §. 8.
Templa rebus necessariis sunt instruenda §. 9.
Rerum sacrarum indoles §. 10.
Præter illas etiam bona ecclesiastica occurrunt §. 11.
Horum necessitas §. 12.
Collatio, quantitas §. 13.
Variæ species §. 14.
Acquisitio §. 15. 16.
Et finis §. 17.
Res sacræ §. 18.
Et ecclesiasticæ sunt in dominio ecclesiæ §. 19. 20.
Ac subsunt imperio civili §. 21.
Ab oneribus tamen publicis immunia esse & Consistoriis subesse solent §. 22.
Abusus circa bona ecclesiastica §. 23.
Parochiani definitio §. 24.
Juris parochialis præsupposita §. 25.
Et causa efficiens §. 26.
Jura parochialia sunt triplicis generis §. 27.
Primi competunt etiam aliis Christianis §. 28.
Secundi omnibus, tertii quibusdam parochianis §. 29.
Obligationes parochianorum illegitimæ §. 30.
Et legitimæ §. 31. 32.

§. 1.

POstquam Ecclesiam in genere, ac regimen ejus externum, pro instituti ratione, consideravimus, deinde Ecclesiarum localium habitus & constitutio propius spectanda sunt. Nimirum pro ratione Oppidorum & pagorum, in quibus subditi existunt, etiam Ecclesiæ particulares vel locales constitui solent, quæ

Pa-

Parochiæ vel *Paræciæ* dicuntur, quod ultimum nomen purioris eloquii esse censent *v.* ZIEGL. *Superintend. c. 5. §. 3.* DN. D. FALCKNER. *dissert. de paroch. hab. Francofurt. 1697. c. 1.*

§. 2. Est autem Parochia, *cœtus Christianorum, intuitu cultus divini, in certo aliquo templo, instituendi, rerumque connexarum, consociatus.* Aliquando etiam Parochia sumitur pro districtu, in quo christiani illi conjuncti existunt *add.* DN. FALCKNER. *d. dissert. c. 2. §. 4.* Origo parochiarum christianarum, dubio procul ab eo tempore repetenda est, quo Christianis otium & tranquillitas data est, quod præcise signari nequit. Ex sententia Pontificiorum, primo inter Christianos fuerunt Ecclesiæ Episcopales sive Cathedrales, postea Papa *Anacletus* parochias rurestres, & *Evaristus*, urbanas instituisse perhibetur *v.* D. FALCKNER. *d. dissert. c. 2. §. 6. seqq.* ROY *J. J. C. l. 2. tit. 14. §. 2.* quæ assertiones ementiam papatus antiquitatem redolent, ac nullam merentur fidem.

§. 3. In Territoriis Protestantium, Parochiæ tam urbanæ quam rurestres occurrunt, quæ amplitudine opibus & autoritate sæpe etiam discernuntur. Ad eas instituendas, vel restaurandas, aut dividendas, vel conjungendas, consensus Domini Territorialis requiritur, cum enim nullum collegium politicum, dissentiente eo, queat institui, merito, ad societatem ecclesiasticam, ejus consensus quoque necessarius esse perhibetur, id quod etiam indoles civitatum liquido ostendit.

§. 4. Conjunctio Parochiarum, generaliter in eo consistit, quod certus aliquis cœtus, res, ad exercendum cultum, necessarias comparet, ac regulariter, quoad singulas ejus partes, se conjungat: Quia tamen hoc à libertate dependet, ideo aliquando conjunctio etiam particulariter, ratione certarum saltem partium v. gr. concionis & sacræ cœnæ, fieri potest, ex quo discrimen parochiarum perfectarum & imperfectarum exoritur. Aliquando etiam Parochiæ plane sunt distinctæ, tam ratione personarum, quam rerum, aliquando vero eædem personæ diversas parochias, vel perfectas vel imperfectas, constituunt, quemadmodum etiam plures parochiæ, quasdam res quandoque habent communes, quæ diversa conjungendi ratio, ex habitu Reipublicæ, prout scilicet in ea vel dominatus invaluit, vel libertas viget, fere dependet.

§. 5. Sicut autem unionis parochialis indoles, ex juribus & obligationibus parochianorum, ſuo loco recenſendis, liquidius apparebit ita de rebus, quæ, ad inſtituendum cultum divinum, comparari ſolent, diſtinctius nonnihil hic agendum erit. Cum nulla ſocietas, ſine rebus neceſſariis, diu conſiſtere queat, hinc nec Eccleſiaſticæ longa erit duratio, niſi illis ſuffulciatur, quamobrem homines, quibus religionis libertas indulgetur, de comparandis rebus neceſſariis, maturè ſolent eſſe ſolliciti.

§. 6. Eo inprimis pertinent Eccleſiæ *v.* ZIEGL. *de dot. Eccleſ. c. 1.* ſive Templa, quæ etiam Dominicæ ſive Baſilicæ dici ſolent *v.* FINCKELTH. *de jur. patron. c. 2. n. 31. ſeqq.* ac ſunt *ædes, cultui divino dicatæ.* Inter primos chriſtianos ejusmodi templa dubio procul non fuerunt, licet Pontificii, incruſtando papatui, hoc etiam fingere ſoleant. A temporibus igitur Conſtantini, origo templorum ferè repetenda eſt *v.* ZIEGLER. *de dot. Eccleſ. c. 2. n. 1. ſeqq.* nam poſt ea, magno numero exſtrui, ac, papatu magis magisque invaleſcente, augeri cœperunt.

§. 7. Nam occurrebant, Eccleſiæ, Baſilicæ, Memoriæ & Oratoria diverſi generis *v. Nov. 58. 131. c. 8.* ZIEGLER. *d. c. 2. n. 15. ſeqq.* Quibus acceſſerunt Eccleſiæ Cathedrales & Collegiatæ, præterea dantur Eccleſiæ parochiales ſive curatæ. Forte etiam his nominibus non ſemper peculiares Eccleſiarum ſpecies, ſed diverſæ ſaltem ejusdem Eccleſiæ qualitates ſignificantur, de quo alii accuratius diſpiciant *v.* VOET. *Polit. Eccleſ. p. 1. l. 2. c. 6. §. 2.* STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 2. §. 2.* Hodie in Terris proteſtantium tantum templa Parochialia occurrunt, denominationes tamen papales, non plane ceſſant. In ſpecie, etiam Templorum intuitu, nomina *Matris* & *Filiæ*, ut & *Eccleſiæ primariæ*, *Haupt-Kirche*, occurrere ſolent.

§. 8. In Societate civili, templorum exſtructio conſenſu Imperantis fieri debet *v.* ZIEGL. *ad Lancell. l. 2. tit. 18. §. 2.* SCHILTER. *J. J. C. l. 2. c. 7. §. 2.* Papæ nulla eſt habenda ratio, licet Pontificii, ex primo falſo ſuo, hoc quoque aſſerere ſoleant. Si quis expenſas exſtructionis ferat, is jus Patronatus conſequitur, hoc tamen ſine ſumtibus quandoque etiam acquiri, dictum eſt *c. 4. §. 24.* Ubi & quomodo Templum exſtruendum ſit, id ex conditione loci & ſumtuum dependet, in genere tamen eò reſpiciendum, quò illud, exercendo cultui divino, aptum reddatur.

§. 9.

§. 9. Pontificii ineptiis nonnullis præludere ſolent, antequam ad templi exſtructionem procedant *v.* ZIEGLER. *ad Lancell. J. J. C. l. 2. tit. 18. §. 9.* quemadmodum etiam templum, ad formam hominis, ſæpe exſtruunt *v.* STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 2. §. 3.* quæ ſuperſtitioſa myſteria ſaniores merito explodunt. De cætero templum exſtructum, rebus neceſſariis, puta altari, ſuggeſtu, baptiſterio, ſubſelliis, organo & campanis inſtruendum eſt, quarum tamen nonnullæ etiam deficere poſſunt, ſi, ex certis cauſis, ſingulæ cultus partes, in templo aliquo, non ſint exercendæ, aut aliàs ſumtus neceſſarii non ſuppetant.

§. 10. Res cultui divino inſervientes, *ſacræ* dicuntur, ac juxta ſuperſtitionem ethnicam & papalem, variis ritibus conſecrantur, iisque ſingularis aliqua virtus ineſſe cenſetur, quæ qualitas etiam tamdiu durat, donec ſolenniter fuerint exauguratæ *v. §. 8. I. de R. D.* RÆVARD. *Conject. l. 2. c. 17.* ZIEGL. *ad Lancell. l. 2. tit. 18. §. 12.* STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 2. §. 3.* Illud tamen non ſatis liquet, num omnibus illis rebus, ac in ſpecie ſubſelliis, Organis & campanis qualitatem illam tribuant *v.* MORNAC. *ad l. 1. ff. de R. D.* ZIEGL. *de dot. Eccleſ. c. 12. §. 3. 4.* STRAUCH. *diſſert. 6. §. 5.* Apud Proteſtantes, liturgia & conſtanti uſu res conſecrantur, procul omni ſuperſtitione ethnica & papali *v.* STRYK *d. c. 2. §. 1. 3.* hinc etiam prædicatum rerum ſacrarum nihil aliud notat, quam earum, ad cultum divinum, deſtinationem.

§. 11. Quando templum exſtructum ac, ad cultum divinum, præparatum eſt, tum aliæ opes quoque ſunt comparandæ, quo illud ſartum tectum conſervari, ac cultus recte inſtitui & continuari queat. Illæ opes, *bona Eccleſiaſtica*, vel, ſtilo pontificio, *dos eccleſiaſtica*, audiunt, quia ſcilicet, ſi Diis placet, Eccleſia Epiſcopi conjux eſt, adeoque ei dotem afferre debet *v. c. 11. C. 7. qu. 1. c. 2. X. de translat. Epiſcop.* quod nimis inſulſum, Clero tamen Romano valde proficuum ſimile eſt *v.* ZIEGL. *de dot. Eccleſ. c. 4.*

§. 12. Interim nihil vetat, quo minus dotis eccleſiaſticæ nomen retineatur, rem ipſam verò quod attinet, primi Chriſtiani, uti nulla templa, ita etiam nullam dotem eccleſiaſticam habuerunt, ſed ſumtus neceſſarios ultro contulerunt, unde nomem *oblationum* exortum eſt *v.* ZIEGL. *d. tr. c. 3.* Illud quoque certum, quod, ad exercendum cultum divinum, perpetua bona eccleſiaſtica præcisè non requirantur,

rantur, licet quandam neceſſitatem Canoniſtæ defendant, ſed rationibus invalidis *v.* ZIEGLER. *d. tr. 4. 5.* Melius tamen eſt, ſi conſtans patrimonium Eccleſiaſticum præſto ſit.

§. 13. Ad comparandam igitur dotem, in papatu, introductum eſt jus patronatus, deficiente patrono, ipſi Parochiani eam conferre tenentur *v.* ZIEGLER *d. tr. c. 6.* quibus etiam hoc onus hodie quandoque imponitur, licet aliquis jure patronatus gaudeat. De cætero tanta dos requiritur ut cultus commode inſtitui, miniſtris Eccleſiæ ſalaria præberi, ac dona quædam, in pauperes, conferri queant. Sed uti inter Proteſtantes, magna ſæpe eſt Eccleſiarum paupertas, nec patrimonium eccleſiaſticum, ad fines illos, ſatis inſtructum, ita Clerus Papalis, ultra eos, dotem, ex ſtatus ſui rationibus, exigit *v.* ZIEGLER *de dot. Eccleſ. c. 7.*

§. 14. De cætero ex variis rebus patrimonium eccleſiaſticum conſtare ſolet, puta ædificiis, prædiis, cenſibus aut parata pecunia. Antiquis temporibus, prædiorum maxima fuit habita ratio, in quibus etiam certi homines, ad ſervitia Eccleſiis obſtricti, occurrebant; Nonnunquam homines liberi ſe Eccleſiis devovebant, præſtito certis temporibus aliquo cenſu, quo ipſo etiam jurisdictioni Epiſcopali ſubjiciebantur *v.* ZIEGLER *d. tr. c. 8. 9. add.* LETSER *Jus Georg. l. 1. c. 28.* Hodie dos eccleſiaſtica ex iisdem fere rebus componitur *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. tit. 19. 20.*

§. 15. In ſpecie, circa Eccleſias rureſtres, prædia occurrunt ut & homines, qui *dotales* dicuntur, ac vel operas vel cenſum aliquem præſtare tenentur, inprimis ad agros Perochi colendos illi ſunt obſtricti *v.* ZIEGLER *d. c. 9. §. 48. ſeqq.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 307. 355. ſeqq.* De cætero Eccleſia per eosdem actus bona acquirit, per quos jura ac res aliis acquiruntur, & olim variis ritibus & ſymbolis illi peragebantur *v. c. 2. X. de conſvetud.* ZIEGLER *d. tr. c. 10.* Nonnunquam etiam coram altari Deo & Sancto cuidam, bona ſua ſuperſtitioſi homines propinabant *v.* ZIEGL. *d. c. 10. n. 7.*

§. 16. Donationes Eccleſiis factæ, variis execrationibus olim muniri ſolebant *v.* ZIEGL. *d. c. 10. n. 28. ſeqq.* quæ uti, à callido Clero, videntur elicitæ, ita iſta execrandi temeritas, pro re abſurda & impia, omnino haberi debet; execrantes enim pro certo ſupponunt, quaſi

id,

id, quod egerunt, licitum piumque ſit, cum tamen ſæpe ſit maxime ſuperſtitioſum ac Reipublicæ noxium: Quodſi autem aliquando id, quod actum fuit, à regulis pietatis & juſtitiæ, non abeat, attamen donator partes judicis ſibi arrogare, ac delictum, vix ſcutica dignum, tam horribili flagello ſectari non debebat *add.* ZIEGLER. *d. c. 10. §. 33. in fin.*

§. 17. Finis bonorum eccleſiaſticorum eſt, ut Deo & proximo per ea ſerviatur, ſed, juxta hypotheſes papales, primarius ſcopus eſt, ut Clerus otio, luxui & voluptatibus eò largius indulgere poſſit, hinc bona eccleſiaſtica ita diſtribui ſolent, ut pars Epiſcopo, altera Clero concedatur, tertia in uſum pauperum, & quarta in conſervationem ædificiorum eccleſiaſticorum impendatur *v.* ZIEGL. *d. tr. c. 11.* Imo eo fine fere bona eccleſiaſtica comparantur, ut per ea vera pietas opprimatur.

§. 18. Res ſacræ vulgo, ſecundum excellentiam, nullius dicuntur *v. §. 7. I. de R. D.* LAUTERB. *C. J. de D. R.* ZIEGL. *de dot. Eccleſ. c. 12. n. 1. ſeqq.* quod pro callido Cleri ethnici & papalis commento merito habetur, nam juxta rei veritatem, res illæ ſunt in dominio Eccleſiæ Parochialis; poſſunt enim, certis in caſibus, alienari *v. §. 8. I. de R. D. l. 21. C. de SS. eccleſ. Nov. 120. c. 10.* ut & furto ablatæ, ſemper vindicari, qui effectus dominium liquido arguunt. Ad profanos quidem uſus illæ adhiberi regulariter non poſſunt, ſed id, negando, dominio, non ſufficit *add.* CONRING *ad Bull. Innocent. X. c. 8.*

§. 19. Rerum eccleſiaſticarum dominium vulgo etiam conceditur *v.* LAUTERB. *C. J. d. l.* STRUV. *S. J. C. exercit. 3. §. 71.* quod recte ſe habet, & differunt adeo res ſacræ & eccleſiaſticæ, non *dominio* licet communiter hoc velint, ſed *uſu.* Attamen *B.* ZIEGLER. *de dot. Eccleſ c. 12. §. 8.* etiam rerum eccleſiaſticarum dominium humanum vel negare, vel ſaltem ſpeciale dominium divinum ei adjungere videtur, quia *Deus caput Eccleſiæ ſit.* Verum eſt caput eccleſiæ inviſibilis, ſive fidelium; ſed eccleſiæ externæ, qualis hic ſupponitur, & in qua ſæpe multi impii reperiuntur, non alio ſenſu Deus, caput aut dominus dici poteſt, quam quo ille, cujusvis collegii politici, aut hominum in genere, caput eſt, ex quo ſpeciale aliquod rerum eccleſiaſticarum dominium divinum non ſequitur.

§. 20. In eandem tamen ſententiam fere etiam pronunciat CARPZ. *J. E. l. 2. D. 299. n. 1. 2.* ſed nulla addita aſſertionis ſuæ ratio-

ratione probabili, hinc ex hactenus dictis facile elidi potest. Atque juxta hæc etiam certum est, quod is, qui in Ecclesiam aliquid confert, ejus dominium amittat, quin tamen aliquid juris sibi donator reservare possit, dubitandum non est, sed istas reservationes non facile admisit Clerus papalis *v.* ZIEGLER. *de dot. Eccles. c. 12. §. 14. seqq.* Cæterum cum Ecclesia res proprias administrare nequeat, ideo Præfectis vel Curatoribus opus habet, de quibus dicendi alibi recurret occasio. *v. c. 17. §. 4. seqq.*

§. 21. Sicut autem res sacræ & ecclesiasticæ sunt in dominio ecclesiæ, ita non minus etiam subsunt imperio seculari, nam nulla exceptionis hic occurit ratio. Vi hujus imperii, Imperans prospicere potest & debet, quo bona Ecclesiastica in suo statu conserventur, ut &, ne ultra finem legitimum, eorum quantitas, in damnum Reipublicæ, extendatur, aut, si abusus jam invaluerit, bona subtracta usibus Reipublicæ iterum vindicentur *add.* ZIEGLER. *de dot. Eccles. c. 8. §. 38.*

§. 22. Licet vero bona ecclesiastica imperio civili subsint, attamen, si intra legitimos fines, illa subsistant, ab oneribus publicis merito sunt immunia *v.* ZIEGL. *d. tr. c. 12. §. 39. seqq.* qua immunitate etiam gaudent dotales, nisi vel consvetudo, vel possessio bonorum propriorum, vel deficiens ex parte dotalis qualitas, eos oneribus publicis subjiciat *v.* ZIEGL. *d. tr. c. 12. §. 42. seqq. c. 9. §. 58.* Porro bona ecclesiastica, eorumque possessores, sive dotales, non judiciis secularibus, sed Consistoriis, ex voluntate Imperantis, subsunt *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 307.* nisi vel consvetudo aliud velit, vel qualitas Ecclesiastica cesset *v.* ZIEGLER. *de dot. Eccles. c. 12. §. 34. seqq.*

§. 23. Per papatum maximus bonorum ecclesiasticorum introductus est abusus, nam Clerus, prætextu divini cujusdam dominii, illa sibi subjecit, cui abusui, concessa olim Episcopis administratio, ansam præbuisse videtur *v.* ZIEGL. *d. c. 12. §. 10. seqq.* præterea Laicos superstitiosas, ad inconsultam & Reipublicæ noxiam prodigalitatem, permovit ZIEGL. *d. tr. c. 8. §. 13. seqq. c. 11. §. 45. 46.* Denique etiam imperium civile elusit, quo eo securius abusum continuare posset. Inter Protestantes, abusus ille quidem cessat, aliquando tamen, mutatis personis, similis, sed non tanto cum effectu, luditur fabula.

§. 24.

§. 24. In Parochiis occurrunt Parochiani, quorum jura & obligationes, ad illarum indolem penitius intelligendam, nunc expendi debent. Parochianus eſt *Chriſtianus, qui certo in loco domicilium conſtituit, vel ſaltem ædes jure dominii comparavit, ac cum aliis, in certi cujusdam templi diſtrictu, habitantibus Chriſtianis, ſummæ poteſtatis permiſſu, intuitu cultus divini & rerum connexarum, ſocietatem ea ratione init, ut ſibi jura quædam ſtipulatus ſit, ac ad quasdam præſtationes ſe obſtrinxerit.* Parochianum dicimus, chriſtianum, quia de eccleſiis chriſtianis ſaltem nobis ſermo eſt, de cætero tam docentes quam audientes, parochianorum nomine veniunt, neque tamen omnes auditores, in illum cenſum referri debent.

§. 25. Ad acquirendum jus parochiale, requiritur *domicilium* vel *ædium proprietas.* De illo non dubitatur, jus autem civitatis, vel forum, non ſunt præciſe neceſſaria, licet domicilium plerumque comitentur: Uxores & liberi ſequuntur conditionem maritorum & parentum. Porro ædium proprietas, ad jus parochiale quoque ſufficere videtur, cum parochiæ, ſecundum ſeriem ædificiorum, ſoleant inſtitui, id quod eo citius concedendum, ſi nemini ædes jure proprio poſſidere liceat, niſi ſimul jus civitatis acquirat. Si quis autem jure pignoris, uſusfructus vel locationis, ædes ſaltem teneat, is, niſi domicilium, concurrat, ad jus parochiale adſpirare nequit *add.* D. FALCKNER *diſſert. de parochian. c. 2. §. 3. ſeqq.*

§. 26. Ex domicilio vel ædium proprietate, jus parochiale immediate non reſultat, ſed ſunt illa, ſaltem neceſſaria præſuppoſita, hoc vero ex pacto aliquo deſcendit, ſed cum hoc plerumque tacitum ſit, ideo vix ſentitur, ſed potius jus parochiale, immediate ex domicilio ſimilive cauſa, originem habere exiſtimatur, nec multum etiam refert, iſta ſollicite diſtingvere: Interim veritas peculiaris pacti, ad acquiſitionem juris parochialis, neceſſarii, intelligi poteſt ex caſu, quo quis, qui receptæ fidei formulæ non aſſentitur, domicilium conſtituit, vel ædes acquirit.

§. 27. Societas parochialis reſpicit cultum divinum ac res connexas, & exinde jura & obligationes oriuntur, qualia religionis indoles admittit, licet ultra hanc, illa nonnunquam extendantur. Jura Parochianorum, videntur triplicis eſſe generis, nam quædam omnibus pa-

rochianis competunt, sed non solis; nonnulla ad omnes & solos pertinent; alia quibusdam parochianis saltem tribuuntur. Illa sunt, *jura humana*, vel saltem *Christiana*; ista, *parochialia vulgaria*; hæc, *eminentia*.

§. 28. Ad primam classem pertinet (1.) jus, cujus vi cultui divino parochiani interesse possunt, quod tamen omnibus christianis, imo hominibus, commune est (2.) jus eucharistiæ, quod itidem aliis christianis, qui receptæ fidei formulæ assentiuntur, competit (3.) baptismatis, quod aliis etiam christianis, qui, hac in parte, non errant, concedendum (4.) Hierologiæ, quod, juxta præcedentem restrictionem, aliis quoque christianis patet (5.) honestæ sepulturæ, quod omnes homines, qui gravioribus, ac pœnæ humanæ obnoxiis, delictis, eodem se se non reddiderunt indignos, etiam habent (6.) eleemosynarum, quod eodem modo omnibus hominibus asserendum.

§. 29. Ex secundo genere est (1.) jus habendi sepulchrum hæreditarium (2.) subsellium, quod utrumque exteris negatur. Ad tertium genus spectat (1.) jus constituendi ministros Ecclesiæ (2.) ordinandi liturgiam (3.) administrandi res ecclesiasticas, (4.) observandi defectus occurrentes (5.) parochias dividendi vel conjungendi. Hæc jura saltem patribus fam. competunt, de cætero uti eximia illorum pars ad Imperantem pertinet, ita, Patronos etiam aliquid inde participare, certum est, hinc, quantum singulis tribuendum sit, ex cujusvis loci legibus, aut probata consvetudine, judicari debet.

§. 30. Inter obligationes Parochianorum, refertur (1.) quod non alibi, quam in propria Parochia, cultui divino, vacare debeant *v.* ZIEGL. *ad* ROY *J. J. C. l. 2. tit. 14. §. 9.* (2.) quod certis temporibus, & itidem in propria tantum parochia, sacra cœna uti teneantur, aliàs, vi adhibita, compelluntur *v.* ZIEGL. *d. l. §. 10.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 294. 295.* Sed utrumque religionis libertati repugnat, adeoque papale & non probandum est *add.* DN. D. FALCKNER *dissert. de paroch. c. 5. §. 2.*

§. 31. Meliori jure huc refertur (3.) obligatio, qua Parochiani liberos suos baptismati offerre ac (4.) mortuos suos, in propria Parochia, sepelire tenentur, cui legi extranei etiam se debent submittere; Qua occasione quæritur, si peregrinus pauper, aliquo in loco moriatur, cujus sumtibus ille sit sepeliendus? & videbatur quidem hoc

hoc onus ad ecclesiam pertinere, cum de officio charitatis quæstio sit, sed domino jurisdictionali illud usus imposuit *v.* D. FALCKNER. *d. dissert. c. 5. §. 3. seqq.*

§. 32. Deficientibus bonis ecclesiasticis (5.) parochiani sumtus ad constitutionem ministrorum Ecclesiæ necessarios præstare, iisque (6.) accidentia, quæ vocant, solvere, vel operas utiles exhibere tenentur: Quæ obligationes sine dubio asserendæ in Ecclesiis non patronatis, alias ad patronum onera illa, ex principiis juris Canonici, pertinent, quæ tamen hodie stricte servari non solent, ceu *cap. præc. §. 24.* dictum. Non minus quoque Parochiani (7.) impensas ædificandis vel reparandis templis aliisque rebus ecclesiasticis necessarias ferre, ut & (8.) in usum pauperum, eleemosynas colligere debent, quæ obligationes, sub præcedente temperamento, accipiendæ sunt *add.* D. FALCKNER *d. dissert. c. 5. §. 28. seqq.* Quodsi præstationes, ex his similibusque obligationibus dependentes, in abusum, ab aliis, trahantur, tum hæ cessare possunt *add.* SPECIM. JUR. ECCLES. *l. 2. c. 1. 2.*

CAPUT VI.

DE SUBSELLIIS TEMPLORUM.

SUMMARIA.

Partitio sequentium & subselliorum definitio §. 1.
Varietas §. 2. 3.
Ac exstructio §. 4.
Sumtus exstructionis dominium & subjectum subselliorum §. 5.
Jus auditorum circa subsellia est diversum §. 6.
Acquiruntur illa donatione & emtione §. 7.
Subsellia acquisita aliquando in alios transeunt, aliquando nova redemtione comparantur §. 8. 9.
Transmissio subselliorum officialium, ædificiis cohærentium, hæreditariorum §. 10.
Familiarium & personalium §. 11.
Usus subsellii personalis recte aliis conceditur §. 12.
Deficiente possessore, à cognatis proximioribus illud redimitur §. 13.
Modo necessaria habeant requisita §. 14.
De cætero excludunt extraneos, inter se vero ex proximitate & æqualitate litem componunt §. 15.
Quod exemplo declaratur §. 16. 17.
Redemtio subselliorum intra mensem in Saxonia fieri debet §. 18.
Minoribus tamen etiam cum præjudicio majorum competit restitutio in integrum §. 18. 19.
Modo amittendi subsellia §. 20.
Ac remedia ad eorum defensionem comparata §. 21.

§. 1.

IN Eccleſia parochiali, Auditores & Docentes occurrunt, explicandæ igitur illius conſtitutioni, circa iſtos adhuc conſiderandum videtur, quomodo, exercendi cultus gratia, de ſubſelliis ſibi proſpicere ſoleant, circa hos vero, conſtitutio, jura & obligationes breviter expendenda erunt. Origo ſubſelliorum, eadem eſt quæ templorum, ac hoc nomine intelliguntur *certa inſtrumenta vel loca, ad exercendum cultum divinum, exſtructa vel præparata.*

§. 2. Dividuntur Subſellia, in *publica*, quorum uſus omnibus, vel ſaltem certo Auditorum generi patet, & *privata*, quæ certis perſonis ſunt acquiſita. Illa ſunt vel *plebeja*, quo pertinet v. gr. locus peccatorum *v.* D. FALCKNER *diſſert. de Paroch. c. 3. §. 46.* vel *Honorata*, quæ e. gr. literatis & Studioſis, aut communicantibus patent, vel *officialia*, quæ quibusdam, intuitu officii, conceduntur, quo referri poſſunt ſubſellia Principum, Magiſtratuum, Præfectorum Eccleſiæ, imo etiam Miniſtrorum infimæ conditionis, ut Carnificis *v.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 7. §. 7.*

§. 3. Privata ſubſellia diverſi generis eſſe ſolent: Quædam *ædificiis cohærent*, ac, cum iis, ad quosvis poſſeſſores tranſeunt: Alia ſunt *hæreditaria*, &, ad modum aliarum rerum propriarum, non tantum jure ſucceſſionis, ſed & alienationis inter vivos, in alios transferuntur: Quædam ſunt *familiaria*, quæ certæ familiæ, aut, ſi ita conventum ſit, toti cognationi ſunt communia; Denique nonnulla ſunt *perſonalia*, quæ certæ perſonæ, ad tempus vitæ, vel durantis juris parochialis, conceduntur, quæ iterum maſculina & fœminina, honorata & plebeja eſſe ſolent, qualia, in parochiis populoſis, ſunt ſubſellia penſilia *v.* DN. D. PHILIPPI *diſſert. de ſubſell. templor. c. 1.*

§. 4. Si templum de novo exſtruendum ſit, Domini Territorialis conſenſus requiritur, qui adeo, etiam quoad Subſellia, occurrit. Si verò in templo jam exſtructo, plura Subſellia præparanda ſint, novus Imperantis conſenſus haut videtur neceſſarius, ſed exſtructio illa arbitrio Parochianorum & Patroni fieri poteſt, modo nemo in jure ſuo lædatur, nam aliàs gravatus Superioris auxilium merito implorabit *v. Ord. Eccleſ. Saxon. art. gen. 63.* verb. *ſonderlich verweiſen add.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 359.*

§. 5. Sum-

§. 5. Sumtus, ædificandis ſubſelliis neceſſarii, ex ærario eccleſiaſtico deſumi, vel, hoc deficiente, à Patrono præſtari debent, ſed ſæpe hoc onus parochianis imponitur *v.* DN. PHILIPPI *d. diſſert. c. 2.* Subſellia officialia ſumtibus ipſorum Officialium exſtruenda ſunt *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D 371.* Uti autem nihil refert, ſive ſubſellia rebus ſacris, ſive eccleſiaſticis annumeres *v.* D. FALCKNER. *de paroch. c. 4. §. 28.* ita eorum dominium originarium regulariter eſt penes Eccleſiam, ab hac vero, jus aliquod in parochianos transfertur, ita ut Honoratioribus aliqua prærogativa, in eorum redemtione, competere ſoleat *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 369.* quod tamen BRUNNEMANNO *J. E. l. 2. c. 2. §. 11.* diſplicet, ob dictum *Jacobi II. 2. 3.* Qui parochianus non eſt, ſubſellium jure proprio acquirere nequit, publicis vero locis uti, vel ſubſellii privati uſum mediante contractu acquirere non prohibetur *add.* DN. PHILIPP. *d. diſſert. c. 3.*

§. 6. Jus, quod circa Subſellia Auditoribus competit, diverſum eſt, nam in plebejis & honoratis publicis, ſimplex uſus temporarius, ex prima occupatione dependens, obtinet: Quoad ſubſellia vero Officialia, ædificiorum, hæreditaria & familiaria, dominium aſſeri poteſt. In perſonalibus uſusfructus, vel dominium temporarium non male adſtruitur *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 361. 372.* D. PHILIPP. *d. diſſert. c. 4. §. 36.* Illud obſervandum, tantum juris in poſterioribus poſſeſſori competere, ut poſſeſſionem tueri, alios ab iis excludere, ac uſum aliis ſuo modo concedere poſſit, hoc poſito, non adeo anxiè amplius inquirendum, utrum jus illud uſumfructum, vel uſum an jus aliquod ſingulare dicere velis, circa quod interpretes diſputare ſolent.

§. 7. Subſellia in parochianos transferuntur *donatione*, quæ tamen rarior, & *venditione*, ita quidem, ut ſumtibus parochiani vel ſubſellium ſit exſtruendum, vel jam exſtructum, aliquo pretio, alicui concedatur, quo quidem caſu nullum certum pretium regulariter ſtatutum eſt, hinc, pro locorum diverſitate, illud diverſum eſſe ſolet. In parochiis populoſis, carè ſatis ſubſellia vendi ſolent, quod iniquum non eſt, modo omnia, in rationes Eccleſiæ referantur, ſine ulla ſumtuum, quos Patronus in eorum exſtructionem fecit, deductione.

§. 8. Acquiſita ſubſellia, ſi transmiſſibilia ſint, in alios, juxta

legem conceſſionis, tranſeunt, ſi vero perſonalia, tum, extincto poſſeſſoris jure, ad Eccleſiam revertuntur, de quo mox ſpecialius dicendum. Id ſaltem hic obſervari debet, quod, ſi deficientis poſſeſſoris cognati ſubſellium redimant, pretio non adeo magno redemtio fiat, de quo conſvetudo & Status cujusvis parochiæ conſuli debent *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 360.* DN. PHILIPP. *d. diſſert. c. 4. §. 15.* ſi verò, deficientibus cognatis extraneo illud concedendum ſit, tum, quia nova eſt conceſſio, cariori pretio, ut in caſu primo, vendi ſolet.

§. 9. Si plures, in emendo ſubſellio, concurrant, Præfecto Eccleſiæ, jus gratificandi, in Saxonia competere cenſetur *v.* DN. PHILIPP. *d. l.* Sed illud ex *artic. Saxon. general. 36.* non probatur, cum nihil aliud ibi dicatur, quam, ceſſantibus prioris poſſeſſoris propinquis, ſubſellium extraneo deſideranti eſſe concedendum. Quamobrem, inter plures competitores, vel prioritas temporis erit obſervanda, vel ſorte lis dirimenda. Quodſi ſucceſſive duobus idem ſubſellium ſit venditum, is potior cenſetur, cui prius fuit aſſignatam *l. 15. C. de R. V.* DN. PHILIPP. *d. c. 4. §. 15.* quod, ex rationibus juris civilis, admitti poteſt, ſi venditio & traditio ſubſellii, tempore diſcernuntur.

§. 10. Subſellii *officialis* uſum, Officialis aliis concedere poſſe videtur: Eo autem deficiente, in ſucceſſorem ſubſellium transmittitur, redemtioni hæredum hic locus non eſt *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 370.* Subſellia *ædificiis cohærentia*, cum hoc, in quemvis poſſeſſorem transeunt, videntur etiam ſeorſim alienari poſſe, niſi pacta vel ſtatuta obſtent. *Hæreditaria* tam inter vivos, quam per teſtamentum libere alienari poſſunt, ſi tamen vendantur, cognatis, &, his ceſſantibus, Eccleſiæ jus protimiſeos forte aſſerendum *arg. l. 3. C. de jur. emphyt.* Ceſſante alienatione, juxta conſvetum ſucceſſionis ordinem, in hæredes ab inteſtato, illa devolvuntur.

§. 11. Subſellia *familiaria*, manent penes familiam, juxta prærogativam gradus, imo etiam penes totam cognationem, ſi familia in ſenſu latiori, in prima conceſſione, fuerit accepta. Alienatio circa ea non obtinet, quamvis, in præjudicium liberorum, illa fieri poſſe videatur. Deficiente familia vel cognatione, ad Eccleſiam illa redeunt. Subſellia *perſonalia* alienari nequeunt, niſi cum conſenſu Eccleſiæ, & eorum, quibus jus reluendi competit *v.* CARPZ. *J. E.*

l. 2.

l. 2. D. 362. D. PHILIPP. *d. dissert. c. 4. §. 16. 17. 21.* Si de facto alienatio fiat, illa saltem est invalida, alienans verò jure suo non privatur, licet nonnulli pœnam privationis asserant *v. §. pen. I. de usufr.* D. PHILIPP. *d. l. §. 16.*

§. 12. Usum tamen subsellii personalis, possessor aliis gratis concedere, vel locare potest *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 362. n. 9.* nam Ecclesiæ hactenus non interest, ipso possessor subsellio utatur, an aliis usum ejus concedat. Equidem locationem quidam improbant, cum *omnis fœnerandi libido, circa subsellia, sit prohibita v.* DN. PHILIPP. *d. c. 4 §. 18.* Sed in locatione illicitum aliquod fœnus subesse, probari nequit.

§. 13. Mortuo possessore, vel jus parochiale amittente, Subsellium personale, ad Ecclesiam revertitur, hinc etiam dispositio testamentaria circa illud locum non habet CARPZ. *J. E. l. 2. D. 363. 364.* successio quoque ab intestato cessat, jus tamen redimendi subsellium cognatis, juxta consvetum succedendi ordinem, competit, ac nititur illud sola gradus prærogativa, neglecto agnationis & cognationis discrimine CARPZOV. *d. l. D. 365. 366. 367.* D. PHILIPP. *d. c. 4. §. 8.*

§. 14. Tria tamen in cognatis, subsellia redemturis, requiruntur (1.) ut sint parochiani (2.) subsellio indigeant, hinc illi, qui jam aliquo instructi sunt, vel à redemtione excluduntur, vel ea conditione admittuntur, ut, obtento novo, vetus Ecclesiæ cedant *v.* DN. PHILIPP. *d. c. 4. §. 7. 8.* (3.) ut sint ejus sexus, cui subsellia destinata sunt, hinc mares subsellia fœminina, vel vice versa, redimere nequeunt, nisi Ecclesia consentiat *v.* D. PHILIPP. *d. dissert. c. 1. §. 11.*

§. 15. Præcedentis igitur possessoris cognati, extraneos excludunt, hinc Viduus defunctæ uxoris subsellium, in usum novæ conjugis, retinere nequit, sed prioris cognatæ statim illud redimere possunt DN. PHILIPP. *d. c. 1. §. 11.* Ex eodem fundamento subsellium, in extraneos alienatum, cognati retrahunt. Proximiores, excludunt remotiores, inter æquales, sorte res componitur. D. PHILIPP. *d. disp. c. 4. §. 8.* Si plures sint diversarum Stirpium, v. gr. ex altero fratre, unus, & altero, sex liberi; hi, in mittenda sorte, non unius personæ vice funguntur, sed singuli potius proprio jure gaudent,

nisi

niſi forte jure repræſentationis admittantur, quod, in Saxonia Electorali, nunquam fit.

§. 16. Uti igitur, circa redemtionem ſubſelliorum, conſvetus ſuccedendi ordo, debet præſupponi, ita unico exemplo, eam rem illuſtrabimus: Caja moritur, relicta filia, & privigna, quæ filiæ illius eſt ſoror conſangvinea, præterea defuncta etiam relinquit ſororem propriam. Hoc caſu extra dubium eſt, quod ſubſellium, ad defunctæ filiam ſolam perveniat. Si hæc, eodem plene obtento, moriatur, relicta matertera & ſorore conſangvinea, antea nominatis, tum, jure Saxonico, ambæ admittuntur, ſed, jure civili, hæc illam excludit. Videbatur quidem Soror conſangvinea, omni jure, à ſubſellii redemtione, excludenda eſſe, cum Cajæ, à qua illud dependet, ſaltem affinis ſit, verum cognatio & jus redimendi, ex ultima poſſeſtrice, judicari debent.

§. 17. Quodſi, in dato caſu, poſt obitum Cajæ, filia ſubſellium quidem petierit, ſed, antequam illud, per actualem aſſignationem, conſecuta eſſet, deceſſerit, tum Cajæ ſoror, ſive ultimæ defunctæ matertera, illud ſola conſequitur, cum enim Cajæ filia ſubſellium nondum acquiſierit, ideo, ex perſona Cajæ, cognatio æſtimari debet, hoc autem reſpectu, privignam excludi, manifeſtum eſt *v.* DN. FALCKNER *diſſert. de paroch. c. 4. §. 38.* Videtur tamen illa ſententia accipienda eſſe de eo caſu, quo nuper defuncta Cajæ filia, in exigenda ſubſellii aſſignatione, moram commiſit, nam ſi, negligentiâ Præfectorum Eccleſiæ, aſſignatio ſit omiſſa, pro factâ merito illa habetur, ac, ex illius perſona, ſucceſſio æſtimatur.

§. 18. Solet autem, redemtioni ſubſelliorum, certum tempus præfigi, de quo ſtatuta & leges provinciales conſuli debent. In Saxonia Electorali, *ſpatium menſtruum* huic rei præſtitutum eſt, quod currit, à tempore ſcientiæ, iis, qui agere poſſunt *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 368.* Uti autem, ob juſtam cauſam, nonnunquam cognati, etiam poſt elapſum illud ſpatium, admittuntur, ita pupillis & minoribus, durante imperfecta ætate, præſcriptio non obeſt, & nihil hoc caſu refert, ſive, præſcriptionem ipſo jure impediri, ſive reſtitutione in integrum reſcindi, dicas, nam, poſt majorennitatem, intra ſpatium menſtruum utile, redemtio eſt facienda *add.* DN. PHILIPP. *d. diſſert. c. 4. §. 9.*

§. 19. Si

§. 19. Si minor, cum majori ejusdem gradus sit, ac ambo fatale redemtionis faciendæ elabi patiantur, minor subsellium, de quo alias cum altero, forte contendere debuisset, solus consequitur, majori enim decursus spatii menstrui nocet, non vero minori. Atque hoc certum est, si minor, ex ignorantia, fatale elabi possus sit, sed si ejus probè gnarus, consultò tacuerit, ne majorem, hactenus securum, ad concursum provocaret, tum aliud dicendum quidem videbatur, sed idem tamen pronunciandum erit, nam minoribus in genere succurritur, nec obesse huic vel illi debet, quod, ante majorennitatem, sapuerit.

§. 20. Amittuntur subsellia (1.) *spontanea renunciatione*, (2.) *amissione juris parochialis* (3.) *morte* (4.) *abusu*, de quo, juxta leges latas, Consistorium cognoscit, sed casus dubii Imperanti erunt reservandi, (5.) *præscriptione* (6.) *templi interitu*, sed hic duplex modus, rarior est, præterea templi interitus, non tam tollit jus, quam hactenus saltem inefficax reddit (7.) *delicto*, ob quod quis civitate expellitur, ad tempus relegatus, jus parochiale & subsellium amittere non videtur *add.* DN. PHILIPP. *d. dissert. c. 5.*

§. 21. Ex juribus memoratis, *actiones forenses*, intuitu subselliorum, instituì possunt, E. gr. *actio emti*, ob venditum & non præstitum subsellium: *actio revocatoria*, contra extraneum, in quem illud, cum præjudicio cognati, fuit alienatum: *Interdictum uti possidetis*, quo possessio subsellii defenditur, *Rei vindicatio*, aut, quoad subsellia personalia, *Confessoria*, quibus à possessore subsellium vindicatur, *negatoriæ* vero, exquisite acceptæ, locus esse non videtur, præsupponit enim casum, ubi dominus rem suam ab eo vindicat, qui, ex prætensa servitute, rem possidet. De cætero controversiæ hæ, in Consistoriis, processu summario, tractantur *add.* DN. PHILIPP. *d. dissert. c. 6. conf.* SPEC. JUR. ECCLES. *l. 2. c. 3.*

CAPUT VII.
DE MINISTRIS ECCLESIÆ.

SUMMARIA.

Miniſtrorum eccleſiæ denominatio & diverſitas §. 1.
Majorum conſtitutio §. 2.
Quoad perſonas conſtituentes jure divino nihil cautum eſt §. 3.
Penes Clerum & totam eccleſiam jus conſtituendi præciſe eſſe non debet §. 4.
In eccleſiis proteſtantibus eſt penes Imperantem & eccleſiam parochialem §. 5.
Requiſita miniſtri conſtituendi §. 6.
Conſtitutio fit delatione & acceptatione, quarum illa præſentatione & confirmatione abſolvitur §. 7.
Sub illa continetur nominatio §. 8.
Admiſſio ad concionem piraſticam §. 9.
Electio §. 10.
Vocatio §. 11.
Et præſentatio ſtricte dicta §. 12.
Confirmatio comprehendit examen §. 13.
Ordinationem §. 14. 15.
Confirmationem in ſpecie §. 16.
Et inveſtituram §. 17.
Applicatio horum actuum ad miniſtrum ad aliud munus vocatum §. 18.
Obligatio vocati, translocatio in pœnam ac monitum quoad ſumtus in vocatum factos §. 19.
Clericorum minorum conſtitutio §. 20.
Officium Clericorum majorum §. 21.
Et minorum §. 22.
Jura miniſtrorum Eccleſiæ eccleſiaſtica §. 23.
Et politica §. 24.
Ad hæc in ſpecie pertinet jus percipiendi ſalarii §. 25.
Modus conſtituendi ſalarium eſt diverſus §. 26.
Apud Proteſtantes partem ſalarii conſtituit uſus rerum immobilium §. 27.
Ad inſtruenda prædia pertinet inventarium §. 28.
Quod ſine conſenſu Eccleſiæ augeri nequit §. 29.
Officium Parochi quoad inventarium §. 30.
Salarium quoque conſtituunt variæ res mobiles §. 31.
Ac quædam jura ſpecialia §. 32.

§. 1.

DE his nunc etiam diſpiciendum eſt *v. cap. præc. §. 1.* Miniſtri Eccleſiæ, *Clericorum* vel *Cleri* nomine veniunt, quod quidem nomen, S. Scripturæ ſtilo, ad totam Eccleſiam pertinet *1. Petr. 5. 3.* ſed, invaleſcente papatu, ſolis Eccleſiæ miniſtris vindicatum eſt *v. can. 1. diſt. 21.* ZIEGL. *ad Lancell. l. 1. tit. 4. l. 3. tit 2. §. 12. ad* ROY *J. J. C. l. 1. tit. 9. §. 1.* SCHILT. *J. J. C. l. 1. tit. 7. §. 1.* Sunt autem Clerici, in Eccleſiis Proteſtantium, *primi* & *ſecundi* ordinis ad illum pertinent Paſtores & Diaconi, ad hunc Cantores, Organici, Cuſtodes & Ludimoderatores.

§. 2. Miniſtri primi ordinis, qui docent & Sacramenta diſpenſant, conſtituuntur vel *immediate* à Deo, quæ conſtitutio uti dubio pro-

procul esse potest, ita non temere tamen credi debet, vel *mediate*, per homines, quæ constituendi ratio Deo probatur, si religio ei placeat *add.* STRYK *ad Br. J. E. l. 1. c. 5. §. 1.* Ejus *necessitatem*, contra Weigelianos similesque, asserunt Theologi, de quo alii curatius dispiciant *v.* STRTK *ad Br. J E. l. 1. c. 4. §. 1.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 39.* ZIEGL. *Superintend. c. 1.*

§. 3. Quoad personas constituentes, nulla perpetua regula, jure divino immutabili, constituta est, hinc, pro diverso Ecclesiæ statu, jus constituendi, penes diversos esse potest. In statu naturali, & civili, si Imperans curam Ecclesiæ sibi non asserat, jus illud est penes Ecclesiam *v. Actor. I. 23. 24. VI. 3. seqq.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 4. §. 7.* Republica vero eam sibi asserente, jus constituendi ministros, inter Imperantem & subditos, solet esse distributum, cujus rei ratio, ex generali societatum humanarum indole, dependet *add.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 5. §. 4.*

§. 4. Ex sententia Pontificiorum, laudatum illud jus, ad Clerum pertinet *v.* STRYK *ad Br. d. c. 5. §. 1.* quæ assertio, ex sacro dominatu fluit, adeoque cum hoc corruit. Protestantes illud toti Ecclesiæ, quatenus ex triplici statu componitur, tribuere solent *v.* SCHERTZER *Anti-Bellarm. disput. 6. thes. spec. 1. p. 397.* quæ sententia, si de eo saltem, quid, pro certo Ecclesiæ statu, esse *possit* & *soleat*, non vero, quid semper obtinere *debent*, accipiatur, admitti potest, nec plus etiam rationes, quæ, eum in finem, afferri solent, evincunt.

§. 5. In Territoriis Protestantium Jus constituendi ministros Ecclesiæ, est penes Imperantem & Ecclesiam parochialem, ubi quidem perpetua regula definiri nequit, quantum juris Patrono & cæteris parochianis competat, hinc usus locorum consuli debet. De cætero jus Imperantium, non est deducendum ab Episcopis Pontificiis, nec etiam triplex status, circa constitutionem Clericorum, asserendus *v. c. 1. §. 12. 20.* quemadmodum opus non est, ut triplicem illum statum specialiter, à parte Ecclesiæ, in Patrono, Clero & populo *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 5. §. 1.* asseramus.

§ 6. In constituendo ministro Ecclesiæ, requiritur (1.) ut receptæ fidei formulæ assentiatur (2.) pius (3.) eruditus ac (4.) prudens sit. Quæ insuper de ætate, sano corpore similibusque, ex jure Ca-

nonico, dici ſolent *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 5. §. 9. ſeqq. ibique* STRYK *in not.* illa, in Eccleſiis proteſtantibus, nullius ſunt uſus. Invito etiam munus eccleſiaſticum poſſe offerri, cenſet BRUNNEM. *d. c. 5. §. 13.* Cui ſententiæ licet haut obſit monitum Petri *1. Petr. 5. 2. v.* STRYK *in not. ad d. §. 13.* attamen muneris eccleſiaſtici indoles, talem coactionem vix admittit. Nihil quoque muneri eccleſiaſtico eſt conjungendum, quod id impediat, hinc inprimis imperium ſeculare aut munera politica male cum illo conjunguntur *add.* STRYK *ad Br. J. E. l. 1. c. 4. §. 4. 5.*

§. 7. Ipſa conſtitutio, delatione & acceptatione, abſolvitur: Illa ſummatim in *præſentationem*, quæ ab Eccleſia parochiali fit, & *Confirmationem*, quam Imperans facit, diſtingvi poteſt, circa utramque conſenſus miniſtri Eccleſiæ ſive acceptatio concurrit. Præſentatio generalius accepta, ſub ſe comprehendit (1.) nominationem (2.) admiſſionem ad Concionem piraſticam (3.) electionem, (4.) vocationem & (5.) præſentationem in ſpecie dictam: quorum actuum jus, inter Patronum, parochianos & Superintendentem, diſtributum eſſe ſolet, de quo tamen regula perpetua haut dari poteſt.

§. 8. Nominatio eſt, qua nonnulli Candidati, ad Concionem piraſticam & electionem ſiſtuntur, publicatis, ex ſuggeſtu, ipſorum nominibus. Pertinet illa ad Patronum, qui aliorum conſilium quandoque ſequitur *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 37. 38.* nonnunquam indigenarum aut ſtipendiatorum CARPZ. *d. l. D. 24. 25. 26.* vel à potentioribus commendatorum, in facienda nominatione, debet habere rationem. Concio exploratoria eo fine inſtituitur, quo tum Canditati aptitudo, tum Parochianorum ſententia & inclinatio intelligatur.

§. 9. Admiſſio ad concionem illam, à Superintendente, decernenda eſt CARPZ. *J. E. l. 1. D. 35.* quod tamen ubique non obſervatur *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 5. §. 15.* Uti autem, ante concionem, examen aliquod, cum Candidato, inſtituere aliquando ſolet Superintendens *v.* ZIEGLER *Superintend. c. 14. §. 4.* ita, poſt concionem, ſententiam parochianorum quam de Candidato habent, explorare debet. Tanta etiam concionis hujus cenſetur eſſe neceſſitas, ut, ea omiſſa, vocatio ſecuta, nulla ſit CARPZ. *d. l. D. 33. 34.* id quod, in modum regulæ, quoad ſubditos, admitti poteſt.

§. 10. Ele-

§. 10. Electio eſt actus, quo, ex pluribus nominatis, uni munus eccleſiaſticum, ſub conditione confirmationis ſuperioris, confertur. Eſt illa aliquando in manibus patroni, aliquando verò in arbitrio parochianorum. Uti autem, circa electionem, majora valent *v. c. 3. X. de jur. patron.* ita, ad utilitatem Eccleſiæ, illa dirigenda, adeoque meritorum tantum erat habenda ratio, ſed, pravos ſæpe reſpectus electionem corrumpere, negari nequit *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 40.* quo tamen conditio ducendi defuncti paſtoris viduam vel filiam, referri non ſolet *v.* CARPZ. *l. 1. D. 42.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 5. §. 16.* Poteſt etiam electio, cæteris paribus, per ſortem fieri CARPZ. *l. 1. D. 45.* licet alii diſſentiant *v.* ZIEGLER *ad Stephan. J. J. C. l. 3. c. 5. n. 17.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 18. §. 56. v. c. fin. X. de ſortileg.*

§. 11. Vocatio eſt actus, quo electo, literis vel viva voce, electio indicatur. Eam plerumque peragit Patronus, qui vocationis literis, clauſulas inſolitas ac jus Patronatus transſcendentes, inſerere non debet *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 22. 41. 81.* ZIEGL. *Superintend. c. 14. §. 1.* Omnes hi actus, cum à parte Eccleſiæ parochialis, tantum occurrant, inde liquet, commentum triplicis Status, incommode nimis illis affricari *v.* CARPZ. *l. 1. D. 27. ſeqq.* maxime cum ſæpe omnes hos actus ſolus Patronus expediat.

§. 12. Præſentatio ſtrictè dicta, eſt actus, quo Patronus electum & vocatum Conſiſtorio ſiſtit: Ad eam aliquando requiritur conſenſus Superintendentis, regulariter quoque præſentatus, in Conſiſtorio debet præſens eſſe *v.* CARPZ. *l. 1. D. 46. ſeqq.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 5. §. 17. 18.* Ex his liquet, quod nominatio & præſentatio, ſint utique actus diverſi *v.* CARPZ. *l. 1. D. 22. 24.* SCHILTER *J. J. C. l. 1. tit. 13. §. 10.* poſſe tamen nominationem ita etiam ſupponi, ut cum præſentatione coincidat, dubium non eſt *v. Nov. 123. c. 18.* STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 8. §. 1.* Præſentationi ſtrictæ dictæ, quatuor menſes, jure Canonico *v. c. un. de jur. patron. in 6.* præſtitutos eſſe, quidam cenſent *v.* D. FALCKNER *de paroch. c. 4. §. 14.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 5. §. 17.* Sed ſpatium illud potius, ad præſentationem generaliter acceptam, pertinet, hodie vero non obſervatur *v.* CARPZOV. *J. E. l. 1. D. 15.*

§. 13. Sub confirmatione Imperantis *v. §. 7.* comprehenditur

(1.) Examen (2.) Ordinatio (3.) Confirmatio ſtricte dicta ac (4.) Inveſtitura. Examen eſt actus, quo vocati Doctoris vita, doctrina & eruditio inquiritur *v.* ZIEGL. *Superintend. c. 14. §. 4. ſeqq.* Rectius quidem illud præmitteretur vocationi *v.* SCHILTER *J. J. C. l. 1. tit. 13. §. fin.* BRUNNEM. *l. 1. c. 5. §. 23.* Sed uti id abſolute neceſſarium non eſt, ita, ob peculiarem juris conſtituendi diſtributionem, quæ inter Imperantem & Eccleſiam facta eſt, obſervari nequit *add.* ZIEGL. *d. c. 14. §. 9. ſeqq.*

§. 14. Ordinatio eſt actus, quo examinatus, adhibitis precibus & ceremoniis chriſtianis, in numerum Clericorum recipitur. Originem habet ex libertate chriſtiana *v. Actor. IX. 12. 17.* STRYK *ad Br. J. E. l. 1. tit. 5. §. 19.* adeoque totum hoc inſtitutum, humanum eſt, & legibus humanis ſubjacet. Modum igitur ordinationis peragendæ, ut & perſonam, quæ eam peragere debeat, Imperans definire poteſt *v.* CARPZ. *l. 1. D. 51.*

§. 15. Effectus ordinationis eſt, quod Ordinatus docere & Sacramenta diſpenſare queat, nam Imperans Statum & munera ſubditorum determinare poteſt, adeo ut aliis illa exercere regulariter non liceat; eo vero deveniendum non eſt, ut ſolis ordinatis, & quidem ex ſanctione juris divini, jus illud competere exiſtimemus *add.* ZIEGLER *Superintend. c. 14. §. 13.* In papatu, ex regulis Status Clericalis, Ordinatio corrupta eſt: Eo pertinet, quod ſoli Epiſcopi eam peragere queant *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 5. §. 19.* quod ordinatio inprimat Ordinatio characterem indelebilem *v.* ZIEGL. *ad Lancell. l. 2. tit. 2. §. 4. l. 4. tit. 1. §. 1.* quod etiam fiat ſine titulo, ac inducat obligationem, perpetuò in ſtatu eccleſiaſtico permanendi *v.* SCHILTER. *J. J. C. l. 1. tit. 14. §. 5. 6.*

§. 16. Confirmatio in ſpecie dicta, eſt actus, quo Imperans, per Conſiſtorium, Ordinato miniſtro munus penitus promittit, eoque nomine literas confirmatorias, in originali, tradit. Hac occaſione Ordinatus certæ fidei formulæ ſubſcribere, ac juramentum religionis præſtare quandoque tenetur *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 50. 51. 52. l. 3. D. 16.* quæ exactio in ſe illicita non eſt, cum ſolum ad conditionem, muneri neceſſariam, velut pignerandam pertineat. Aliquando literæ reverſales, ab Imperantibus, alii religioni addictis, etiam exigi ſolent, quæ,

pro

pro diversa intentione, probari vel improbari debent *v.* BRUNNEM. *J.E. l. 1. c. 5. §. 26. ibique* STRYK *in not.*

§. 17. Investitura est actus, quo minister confirmatus, Ecclesiæ suæ, per Superintendentem, præficitur, ac in muneris sui possessionem velut introducitur CARPZ. *J.E. l. 1. D. 54.* SCHILT. *J. J. C. l. 1. tit. 15. §. 8.* Solet ad eam requiri consensus Patroni CARPZ. *d. l. D. 55.* sicut Superintendens mediante Concione solenni, illam quibusdam in locis peragit *v.* BRUNNEM. *l. 1. c. 5. §. 27.* In nonnullis Ecclesiis, investitura solennis, non est in usu, sed, prævia, notificatione, minister munere suo fungi incipit. De cætero sumtus, ad Ordinationem, Confirmationem & investituram necessarii, ex ærario ecclesiastico sumuntur, vel eo deficiente secundum recentiora juris Patronatus principia, à Parochianis præstari debent *v.* CARPZ. *l. 1. D. 53. 56. seqq.*

§. 18. Quodsi minister Ecclesiæ jam constitutus, ad aliam functionem vel munus, eodem in loco ascendat, tum à parte Ecclesiæ, nominatio, electio, vocatio & præsentatio, à parte Imperantis, Confirmatio & investitura, intervenire possunt, Concio piastica, examen & Ordinatio cessant, licet istud, quibusdam in locis in usu sit *v.* BRUNNEM. *l. 1. c. 5. §. 24.* Eadem obtinent, si quis ad alium locum & ecclesiam vocetur, quo casu concio, *die Gastpredigt* quandoque accedit. Quæ de consensu Superioris, circa translationem ministrorum Ecclesiæ, ex jure Canonico *v. c. pen. X. de translat. episcop.* dicuntur *v.* BRUNNEM. *J.E. l. 1. c. 5. §. 28.* illa, in Terris Protestantium, nullius sunt usus, ut subditi tamen dimissionem quandoque, ab Imperante, petere tenentur.

§. 19. Quando autem minister Ecclesiæ, alio vocatus, sequi vel manere possit, id iis, quorum interest, distinctius decidendum relinquimus. mihi interim videtur, potissimum id libertatis esse, obligationem vero sæpe, prout visum fuerit, prætextui sumi. Aliquando in pœnam, ab opima, ad sterilem parochiam, pastor transfertur *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 5. §. 28.* CARPZ. *l. 3. D 118.* quæ puniendi ratio probari nequit, si transferendus, ad munus ecclesiasticum, plane sit inidoneus. Quodsi pastor, ad aliquam Ecclesiam vocatus, mox ad aliam vocetur, sumtus in ejus advectionem factos priori Ecclesiæ refundere non tenetur *v.* BRUNNEM. *d. §. 28 in fin. p. 5. D. 367.*

§. 20. Cle-

§. 20. Clerici secundi ordinis *v. §. 1.* itidem *delatione* & *acceptatione* constituuntur. Illam partim Ecclesia, partim Imperans facit, & possunt quidem, à parte Ecclesiæ, etiam nominatio, specimen aliquod muneris conferendi, electio, vocatio & præsentatio, à parte vero Imperantis, examen, confirmatio & investitura intervenire. An vero illa stricte semper serventur, usus docere potest *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 73. seqq.* Aliquando minores illi ministri, consensu eorum, quorum interest, permutantur. *v.* CARPZ. *d. l. D. 93. 94.*

§. 21. Officium Clericorum quod attinet, ut *homines*, communia hominum officia observare tenentur *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 10.* ut *subditi* vero, consvetis etiam subjectionis nexibus obstringuntur, ut *ministris Ecclesiæ*, denique iis incumbit, ut puritate doctrinæ & sanctitate vitæ, officio suo recte fungantur *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 59. seqq.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. membr. 1. seqq.* SCHILT. *J. J. C. l. 1. tit. 16.* Inprimis, ingruente calamitate, ut peste aut persecutione, Ecclesiam suam non facilè deserere debent *v.* CARPZ. *l. 1. D. 72.* BRUNNEM. *l. 1. c. 6. m. 10. §. 12. ibique* STRYK *in not.*

§. 22. Officium ministrorum minorum speciale, ex fine muneris injuncti, facile intelligitur. In specie ea omittere tenentur, quæ muneri sunt contraria, quale censetur esse munus Advocati, sed opificium suum, ut & artem Notariatus, Custodes exercere non prohibentur, quamvis de iis, qui in sacris sunt, aliud dicendum sit *v. c. 8. X. ne Cler. secul. se immisc.* BRUNNEM. *l. 1. c. 6. m. 10. §. 8.* Actuariorum quoque munus Custodes rurestres suscipere possunt: Inprimis ornatum Ecclesiasticum recte custodire debent, quo nomine etiam cautionem præstare tenentur *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 87. seqq.*

§. 23. Jura Clericorum distingvi possunt in *ecclesiastica* & *politica*: Ad illa pertinet potestas prædicandi & Sacramenta administrandi, quæ immediate à Deo esse censetur *v.* ZIEGL. *Superintend. c. 4.* sed verius est, quod illa, ad modum aliorum jurium, producatur. Tribuitur illa potestas intuitu certæ alicujus parochiæ, hinc aliis, in ea, actus ecclesiasticos exercere non licet *v.* CARPZ. *l. 1. D. 68.* quod admitti potest, modo res illa nimium non intendatur, ne in papatum degeneret.

§. 24. Ad jura politica spectat (1.) *inspectio*, quæ quibusdam Cle-

Clericis, in cæteras ſui ordinis perſonas, concedi ſolet (2.) *dignitas*, quam quidem pontificii nimis extendere ſolent *v.* ZIEGLER. *ad* ROY *J. J. C. l. 1. tit. 8. §. 2. add.* SCHILT. *J. J. C. l. 1. tit. 10. §. 2.* Sed ex veris hypotheſibus, illa ab Imperante dependet, & poterit ſpectari vel inter ipſos *Clericos v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 71.* vel quoad *alios v.* STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 8. §. 25.* Utplurimum, ut alibi, ita hic etiam, in decidendis præcedentiæ controverſiis, ad *poſſeſſionem* reſpicitur.

§. 25. Inprimis etiam in hunc cenſum referenda (3.) *jus percipiendi ſalarium*, eique (4.) conjuncta *privilegia* & *immunitates*. Salarii nomine intelligitur *certus aliquis reditus, ex rebus vel operis proveniens, ac Clericis, ob functiones eccleſiaſticas, præſtandus.* Si conſtitutionem Miniſtrorum Eccleſiæ, neceſſariam vel ſaltem licitam eſſe ſupponas, de juſtitia ſalarii dubitari nequit *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 96.* Illud quoque æquitas exigit, ut ſemel promiſſum bona fide præſtetur, modo ipſe Miniſter officio ſuo recte fungatur. Aliquando etiam ſalarium augetur vel minuitur *v.* CARPZ. *d. l. D. 97. ſeqq.*

§. 26. Id quoque liquet, quod non ſemper eadem præſtandorum ſalariorum ſit ratio, ſed hæc potius, pro diverſo Reipublicæ & Eccleſiæ Statu, ſæpe variet. Id papatu, in hunc uſum, ſunt comparatæ præbendæ i. e. *jura percipiendi reditus eccleſiaſticos, ob canoniam*, id eſt, *functionem eccleſiaſticam*, ſi primam ſpectemus inſtitutionem *v.* ZIEGL. *ad Lancell. J. J. C. l. 1. tit. 26. §. 2.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 4. ibique* STRYK *in not.* In Terris Proteſtantium, præbendarum reliquiæ quidem occurrunt, ſed in ſalaria Miniſtrorum Eccleſiæ raro vel nunquam deputantur.

§. 27. Quæ igitur, in Eccleſiis Proteſtantibus, ſalariorum ſit ratio, id ex Statu Territoriorum intelligi debet, de quo, intuitu Saxoniæ Electoralis, plenius egit CARPZ. *J. E. l. 1. tit. 7. ſeqq.* quem alii fere ſequuntur *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 5.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. c. 8.* Partem igitur Salarii conſtituunt ædes, quarum uſusfructus Clericis conceditur *v.* CARPZ. *l. 2. D. 337. 338. 352. ſeqq.* BRUNNEM. *l. 2. c. 3. §. 1. 2. ibique* STRYK. *in not. add.* IDEM *ad l. 2. c. 10. §. 6.* Eo etiam referenda prædia ruſtica, ut ſylvæ, agri prata & lacus, quorum uſusfructus itidem Clericis competit *v.* CARPZ. *l. 1. D. 101.* Aliquando etiam dotales gratis agros parochiales, iis vero deficien-

tibus, cæteri parochiani, æqua mercede, colere tenentur CARPZ. *l. 2. D. 355. seqq.* ZIEGL. *de dot. Eccles. c. 9. n. 61.*

§. 28. Ad instruenda prædia rustica, nonnullæ res requiruntur, quæ *inventarii* nomine veniunt *v. Ord. Eccles. Saxon. art. gen. 42.* Sub eo adeò continentur pecudes, frumenta aliaque, ad rem familiarem, necessaria *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 157.* Constituitur inventarium sumtibus Patroni & Parochianorum, accedente Consistorii confirmatione, nam hæc minimùm ad bene esse requiritur. Aliquando Parochus propria pecora Ecclesiæ vendit, ac velut res, ad inventarium pertinentes, deinde possidet, cui mutationi probandæ, pecora signari solent; facta autem mutatione, dominium & periculum casuale, ad Ecclesiam, ususfructus verò, ad Parochum pertinet.

§. 29. Si quis, augendo inventario, pecora quædam leget, vel alia ratione donet, attamen, pro rebus inventarii, illa haberi nequeunt, nisi consensus Ecclesiæ accedat: Quodsi hic non interveniat, nec alia ratione, in inventarii augmentum, res donatæ convertantur, nec tamen pecora illa habere, Parocho Ecclesia prohibeat, tum ususfructus, ad pecorum durationem, restrictus, Parocho competit, qui etiam pecorum pastori, hoc nomine, mercedem solvere debet.

§. 30. Debet autem Parochus, ad modum boni Patrisfam. inventario uti, hinc in specie curare tenetur, quo, in locum senescentium aut effœtorum pecorum, alia maturè substituantur. Si ejus culpa inventarium pereat vel imminuatur, tum ad damni restitutionem obstringitur, si vero casu fortuito tale quid accidat, damnum ad Ecclesiam pertinet, quæ etiam ad inventarii restitutionem, imo fructuum quoque interceptorum præstationem quandoque tenetur, nisi aliter conventum sit *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 158. seqq.* Dn. D. SCHREITER. *dissert. de reb. mobil. in perpet. præd. usum destin. hab. Lips. 1690. c. 2. §. 2. seqq.*

§. 31. Ad salarium Clericorum porro pertinent res mobilis, ut pecunia, frumentum, lignum, quæ ex ærario ecclesiastico præstantur: Præterea Parochiani, in parochiis præcipue ruresteribus, varia præstare tenentur, panes, nummos missales similesque census: Non minus etiam accidentia, quæ vocant, partem salarii constituunt, quo spectant honoraria proclamationum, copulationum, funerum, baptismalia, &

in-

inprimis nummi confessionarii *v.* CARPZ. *J.E. l. 1. D. 102. seqq.* In nonnullis Ecclesiis decimæ quoque sunt in usu, quas plenius iterum declarat CARPZ. *d. l. 1. D. 125. seqq.* De cætero decimarum præstatio non est ex jure divino universali, sed saltem humano, licet non una omnium hic sit sententia *v.* ZIEGLER *ad Lancell. l. 2. tit. 26. §. 2.* BRUNNEM. *J.E. l. 2. c. 6. §. 2. ibique* STRYK *in not.*

§. 32. Partem salarii quoque faciunt immunitates aliaque jura specialia. Sic Clerici solent esse immunes à metatis, aliisque oneribus realibus & personalibus CARPZ. *J. E. l. 1. D. 123. 124.* Gaudent potu libero, circa quem fraus cavenda est *v.* CARPZ. *l. 1. D. 139. seqq.* si duplici fungatur munere Minister, duplici quoque fruitur immunitate CARPZ. *d. l. D. 151.* quod tamen improbat BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 5. §. 9.* Nonnunquam etiam immunitates cessant *v.* BRUNNEM. *d. §. 9.* Licitum quoque est Clericis, jus civitatis municipalis adipisci, quod tamen, ex principiis protestantium, non speciale, sed commune jus est *add.* BRUNNEM. *d. c. 5. ibique* STRYK *in not.* SCHILTER. *J. J. C. l. 1. tit. 17.*

CAPUT IIX.

DE STATU ECCLESIÆ PASTORÆ DESTITUTÆ.

SUMMARIA.

Pastoris mortui vel emeriti vices aliquando subeunt collegæ §. 1.

His deficientibus substituto vel vicinis pastoribus cura animarum demandatur §. 2.

Ecclesiæ vacanti vel incorporatione vel novi pastoris constitutione prospicitur §. 3.

Salarium acceptum & promeritum in hæres defuncti transmittitur §. 4.

Meritum ex tempore operarum præstitarum æstimandum §. 5.

Hinc pro ejus ratione divisio inter hæredes & successorem obtinet §. 6.

Viduæ & liberis debetur annus gratiæ vel integer vel dimidius §. 7.

Currit ab obitu pastoris ac viduæ & liberis non aliis hæredibus salarium gratuitum præstandum §. 8. 9.

De modo dividendi tres sunt sententiæ §. 10.

Quænam maxime probabilis aut recepta §. 11.

Modus succedendi quoad liberos solos §. 12.

Divisio salarii inter defuncti hæredes & novum pastorem est aliquando dubia §. 13.

Divisionis præsupposita §. 14. 15.

Accidentia juxta seriem temporis dividuntur §. 16.

Ut & pecunia numerata & habitatio, sed in divisione fructuum totius anni œconomici habetur ratio §. 17.

Onera à vidua & liberis ferenda §. 18.

In specie ratione inventarii §. 19.

Annus gratiæ cessat & desinit §. 20. 21.

Ministri Ecclesiæ ad sustentationem viduarum ærarium constituere solent §. 22.

§. 1.

EX inevitabili naturæ lege, Ecclesiæ pastore vel omninò aliquando destituuntur, vel saltem idoneum non habent, quo casu, de duobus quæri solet (1.) quibus interim cura animarum demandanda (2.) quomodo, illâ integritati suæ restitutâ, salarium, inter antecessoris hæredes & successores, dividendum sit? Quoad prius, distingvendum est, utrum *plures ministri, in Ecclesia sint*, an *unus saltem*, illo casu pastoris, vel mortui vel emeriti, vices collegæ subire debent, nec facile emerito substitutus adjungitur, nisi forte cæteri, obeundo muneri, haut sufficiant. Hoc vero, rursus interest, num unus ille minister, *emeritus*, an *mortuus* sit.

§. 2. Primo casu, substituturus ei legitime adjungi debet *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 23. 152.* secundo autem, substitutus, si adsit, suum munus merito continuat, si vero deficiat, tum vicinis pastoribus cura animarum demandari solet *v.* CARPZ. *d. l. 1. D. 162. seqq.* De cætero Pastor substitutus salarium accipit, cum spe succedendi CARPZ. *l. 1. D. 17. 18.* Emerito autem certa aliqua provisio, quam vocant, conceditur CARPZ. *l. 1. D. 153. 154.* STRYK *dissert. de ann. grat. c. 5. n. 22.* Sæpe, eo nomine, ille cum Substituto transigit. Pastoribus vicinis, qui defuncti vices subierunt, honorarium aliquod etiam concedendum est, si rationes Ecclesiæ id admittant *v.* CARPZ. *l. 1. D. 153. n. 1. D. 163. 164.* ZIEGL. *Superintend. c. 29.*

§. 3. Si, pastore mortuo, vel aliò vocato, munus vacet, quamprimum fieri potest, de alio ministro, Ecclesiæ prospiciendum est, quod quidem fit, si vel Ecclesia vacans alii, autoritate Imperantis, incorporetur CARPZ *l. 1. D. 155. 156.* vel, quod frequentius est, novus Pastor constituatur. Hoc facto, de divisione salarii quæritur, de quo, præcipue juxta CARPZOVII, non semper ex statutis specialibus, sed potissimum ex communibus æquitatis principiis philosophantis, ductum, quædam dicenda erunt.

§. 4. Illud igitur extra dubium, quod Pastor mortuus, salarium jam acceptum, ad omnes hæredes transmittat: Idem dicendum de salario promerito, sed nondum exsoluto *v.* CARPZ. *l. 1. D. 170.* id tamen non satis liquet, quodnam salarium, pro promerito haberi debe-

debeat? Communis fere eſt ſententia, quod in hujus generis ſalariis jure Romano, annus inceptus habeatur pro completo *l. 4. de offic. aſſeſſor. l. 19. §. fin. locat. l. 11. infin. C. de proxim. Sacror. Scrinior. l. 15. §. 1. C. de advoc. 1. l. 3. §. fin. l. 5. §. ult. C. de Advocat. 2. l. 38. §. 1. locat. l. 1. §. 13. de extraord. cognit. v.* CARPZ. *l. 1. D. 171. n. 5.* STRYK *de ann. Grat. c. 2. n. 5. ſeqq.* Juxta hoc ergo principium, totius anni ſalarium dicendum erit promeritum, licet Paſtor, in ejus initio, deceſſerit *v.* STRYK *d. diſſert. c. 2. n. 14. ſeqq.*

§. 5. Enimvero naturæ negotiorum bilateralium eſt convenientius, ut ejus temporis, quo quis operas præſtitit, ſalarium ſaltem promeritum dicamus, nec putem jure Romano aliud in genere conſtitutum eſſe, ſed, illud potius exceptiones quasdam dediſſe, arbitrer. Juxta hæc igitur, Paſtorum ſalarium eatenus cenſendum erit promeritum, quatenus operas illi præſtiterunt, id quod etiam in Saxonia CARPZ. *l. 1. D. 171.* & Marchia Brandenburgica STRYK *d. c. 2. n. 18.* ita ſervatur, ac, in modum regulæ, merito valere debet; Cum tamen ſingulis anni quadrantibus ſalaria exſolvi ſoleant, quadrans, cui aliquot ſeptimanæ deſunt, pro completo merito habetur CARPZ. *l. 1. D. 174.*

§. 6. Pro ratione temporis igitur quo operæ præſtitæ ſunt, ſalarium, ad defuncti paſtoris hæredes, transmittitur, reliquum ſucceſſor accipit, ſi annus gratiæ non interveniat; Eaque diviſio tam in pecunia numerata, quam aliis reditibus obtinet, hinc impenſæ etiam pro rata tolerari debent *v.* CARPZ. *l. 1. D. 172. ſeqq.* Stramenta & pabulum pecuarium ſimiliaque manent penes hæredem, cum ſint jam fructus percepti, inventario tamen ſuum inde relinquendum eſt, ac ſucceſſori in iis competit jus protimiſeos CARPZ. *l. 1. D. 161. 182.* De cætero ſalarium promeritum in omnes hæredes, etiam viduam, ſi illa, ex ſtatuto, ad mariti ſucceſſionem admittatur, ſub conſvetis conditionibus, transmittitur CARPZ. *l. 1. D. 177. ſeqq.*

§. 7. Præter ſalarium promeritum, defuncti Paſtoris Vidua & liberi etiam habent ſalarium aliquod gratuitum, ſive *annum gratiæ*, de quo, intelligendis utriusque partis juribus, adhuc quædam dicenda ſunt. Per annum gratiæ, intelligitur vel *reditus certi temporis*, vel *jus illum percipiendi v.* DN. STRYK *de ann. grat. c. 1.* Ut autem temporis illius duratio, à voluntate Imperantis dependet, ita alicubi integer

v. STRYK *d. dissert. c. 2. n. 1. seqq.* alibi verò, ut in Saxonia, dimidius annus obtinet CARPZ. *l. 1. D. 183.* ad quem potissimum hic respiciemus.

§. 8. Annus gratiæ statim ab obitu Pastoris currere incipit *v.* CARPZ. *l. 1. D. 194.* nec potest regulariter vel extendi, vel coarctari CARPZ. *l. 1. D. 184. v.* STRYK *de ann. grat. c. 2. n. 28. seqq.* Cum etiam ex privilegio hoc jus dependeat, ideo, nisi notorium sit, ab allegante probari debet STRYK. *d. l. c. 3. n. 1. seqq.* Ratione ministrorum ecclesiæ, illud satis certum est, ac competit Viduæ & liberis, vel, illa deficiente, his solis. Nihil etiam refert, sive liberi sint primi, vel ulterioris gradus, unius vel diversi matrimonii, teneri vel jam adulti, legitimi vel ad successionem legitimati; Adoptivi verò liberi excluduntur *v.* CARPZ. *l. 1. D. 208. seqq.* STRYK *d. dissert. c. 3. n. 5. seqq.*

§. 9. Gaudet Vidua anno gratiæ, licet illata repetat, vel portionem statutariam exigat CARPZ. *l. 1. D. 214. 215.* Liberi quoque eodem fruuntur, licet ab hæreditate paterna abstineant *d. l. D. 225.* vel, ob justam causam, ex hæredati sint: Æs alienum defuncti, ex anno gratiæ, non solvitur CARPZ. *d. l. D. 223. 224.* quæ omnia, ex habitu privilegii hujus, fluunt *add.* STRYK *d. dissert. c. 7. n. 6. seqq.* Si Vidua aut liberi deficiant, cæteri defuncti hæredes ad annum gratiæ non admittuntur, sed ad alios usus ille adhibetur CARPZ. *d. l. D. 217. seqq.* STRYK *d. dissert. c. 8. n. 13. seqq.* Si vero, post mortem Pastoris, Vidua aut liberi mox etiam in fata concedant, jus salarii gratuiti, in hæredes suos, transmittunt CARPZ. *D. 216. add.* STRYK *d. dissert. c. 7. n. 2. seqq.*

§. 10. Sub anno gratiæ comprehenditur tam salarium fixum, quam fortuitum, in quocunque etiam reditu illud consistat *v.* CARPZ. *l. 1. D. 185. seqq.* STRYK *d. dissert. c. 5. n. 1. seqq.* Divisio autem salarii gratuiti, inter Viduam & liberos, ex quorundam sententia, ita est facienda, ut illa dimidiam, hi vero simul, alteram dimidiam partem consequantur FINCKELTH. *de jur. patron. c. 6. n. 96. seqq.* STRYK *de ann. grat. c. 6. n. 8. seqq.* alii vero divisionem, secundam capita, faciendam esse censent *v.* CARPZ. *l. 6. Resp. 41. p. 2. C. 5. D. 12.* Quidam denique, in eunda divisione, ad leges successorias respiciendum, adeoque, in Saxonia, Viduæ quartam vel tertiam partem attribuendam esse arbitrantur CARPZ. *J. E. l. 1. D. 212. 213.*

§. 11.

§. 11. Ex his ſententiis ultima, maximè probabilis videtur, cum enim diviſio ſalarii gratuiti ipſo privilegio non ſit determinata, hinc merito, in ea facienda, conſvetæ leges ſucceſſoriæ obſervantur, id quod etiam defendi poteſt, licet, inter conjuges, pacta dotalia eſſent compoſita, hæc enim, ad ſalarium gratuitum, non ſtatim forent extendenda. Cæterum cum omnia illa probabilibus ſaltem nitantur conjecturis, ideo, in Saxonia Electorali, media ſententia, ſive diviſio ſecundum capita fuit approbata *Deciſ. Saxon. 48. add.* SCHILT. *J. J. C. l. 1. tit. 17. §. 28.*

§. 12. Si liberi ſoli, & omnes primi gradus ſint, tum diviſio, procul dubio, ſit ſecundum capita, ſed quoad liberos remotiores, ſive cum propinquioribus concurrant, ſive ſoli ſint, jus repræſentationis, & conſequenter ſucceſſio in Stirpes obtinere videtur *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 210. n. 10.* de quo tamen dubitant, qui in ſalario gratuito conſvetum ſuccedendi modum non adeo admittunt *v.* STRYK *de ann. grat. c. 6. n. 35. ſeqq.* ſed ob rationem *§. præc.* datam, adducta ſuccedendi ratio, eſt ſatis probabilis.

§. 13. Sicut autem Vidua & liberi, de diviſione inter ſe facienda, nonnunquam controvertunt, ita major ſæpe dubitatio, quoad illos & ſucceſſorem, ratione ſalarii dividendi, occurrit. Quæ res non tantum locum habet, in anno gratiæ dimidio *v.* STRYK. *d. c. 6. n. 23.* ſed & integro, hic enim non raro in duos annos œconomicos incidit, adeoque ſalarii diviſionem exigit: Jam tamen ad annum dimidium ſaltem reſpiciemus, quæ ad integrum facilè applicari poterunt.

§. 14. Illud ſatis liquet, diviſionem inter defuncti Paſtoris viduam liberosque, & ſucceſſorem, eſſe faciendam, ſecundum temporis & ſalarii quantitatem, ſed quomodo hæc ſit conficienda, id non perinde liquet, hinc dividendi ratio, ſæpe eſt dubia *v.* ZIEGL. *Superintend. c. 30.* Interim regulariter, juxta hæc præſuppoſita, procedendum videtur (1.) annus gratiæ ſtatim incipit poſt obitum Paſtoris CARPZ. *l. 1. D. 194.* Quia tamen ſalaria ſecundum anni quadrantes ſolvi ſolent, ideo (2.) ſi quadranti, in quo Paſtor mortuus eſt, aliquot ſaltem ſeptimanæ deſint, ille pro completo & promerito habetur. Sicut vice verſa (3.) ſi Paſtor ſub initium quadrantis, una alterave ſeptimana elapſis, decedat, hæ, licet promeritæ ſint, anno gratiæ imputantur *v.* CARPZ. *l. 1. D. 171. 174. 194. 195. n. 6.*

§. 15.

§. 15. Porro obſervandum, quod (4.) annus œconomicus, à die Michaelis incipi, ac, poſt temporis neceſſarii decurſum, eodem die finiri ſoleat, quia ſcilicet illo tempore, plerique fructus vel percepti, vel maturi ſunt, ac in futurum annum ager iterum colitur *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 197.* ſi tamen (5.) quædam præſtationes, poſt diem Michaelis, e. g. tempore Martini, nativitatis Chriſti vel quadrageſimali, fieri debeant, illæ anno præcedenti annumerantur, cum ex eo habeant originem, nec adeo præſtationis ſerioris tempus attendi debeat CARPZ. *d. l. D. 197. 198.*

§. 16. His præſuppoſitis, diſtingvendum eſt inter *accidentia*, & *ſalarium fixum*, quoad illa, anni œconomici nulla habetur ratio, ſed ſimpliciter, juxta ſeriem temporis, ea computantur, hinc quæ, poſt obitum Paſtoris, intra primum ſemeſtre obveniunt, illa manent viduam & hæredes, cætera ſucceſſorem ſequuntur, cum enim accidentia certum quid non contineant, ſed potius, prout ſors tulerit, obtingant, hinc, in iis computandis, ad temporis illa ferentis lapſum, merito reſpicitur *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 191.* Quo loco obſervandum, quod pecunia laudemialis, cenſus, decimæ ſimilesque præſtationes non ad accidentia, ſed ſalarium fixum referri, adeoque non illorum, ſed hujus jure cenſeri debeant *v.* CARPZ. *d. l. D. 192. 196.*

§. 17. Salarium fixum quod attinet, nulla eſt difficultas circa pecuniam numeratam & habitationem, nam illa quoque ſimpliciter, ſecundum ſeriem temporis, inter defuncti paſtoris hæredes, & ſucceſſorem, dividuntur *v.* CARPZ. *D. 195.* ſed quoad fructus tam naturales & induſtriales, quam civiles, anni œconomici habetur ratio, ac juxta ejus quantitatem diviſio inſtituitur, cum enim fructuum nativitas & perceptio, annuum ſpatium requirat, hinc, ad obſervandam æqualitatem, totius illius temporis ratio meritò haberi debet. Quodſi adeo Paſtor, circa tempus Michaelis, moriatur, totius illius anni ſalarium eſt promeritum, adeoque ſequitur hæredes, etiam cum præſtationibus, quæ ſerius fiunt, juxta præſuppoſitum quintum §. 15. ſequentis anni reditus, licet poſt ejus decurſum demum præſtentur, inter hæredes & ſucceſſorem æqualiter ſunt dividendi, & ſic in cæteris *v.* CARPZ. *d. l. D. 166. ſeqq.*

§. 18.

§. 18. Sicut autem defuncti hæredes gratuiti ſalarii commodum ſentiunt, ita etiam impenſas, in agrorum culturam factas, pro rata ferre debent, ſicut etiam ædes parochiales, ſartas tectas conſervare tenentur, ſumtus vero majores, cum ratione factos, merito repetunt *vid.* CARPZ. *d. l. D. 205. 207. add.* STRYK *de ann. grat. c. 7. n. 28. ſeqq.* Finito anno gratiæ, res ad inventarium pertinentes, ſi ſtatim cedi queant, ſucceſſori tradere frumentum vero, pro ratione temporis, in horreo, granario vel agris relinquere tenentur, quo caſu etiam ſucceſſor impenſas, in utilitatem ſuam, cum ratione factas, ferre debet, de quibus omnibus, rei œconomicæ peritis accuratius judicare licet *v.* CARPZ. *D. 206. Dn. D.* SCHREITER. *diſſert. de reb. mobil. in perp. præd. uſ. deſtin. c. 2. §. 10.*

§. 19. Quodſi hæredes ipſi inventarium imminuant, tum damnum, etiam ex anno gratiæ, reſarcire tenentur; ſi vero maritus concurſum creditorum relinquat, Eccleſia res inventarii adhuc extantes vindicat, quoad conſumtas vero, jure Saxonico electorali, habet tacitum pignus *O. P. S. tit. 45. §. 4. add.* Dn. SCHREITER. *d. diſſert. c. 2. §. 13.* Si patrimonium defuncti non ſufficiat, hæredes, ex anno gratiæ, inventarium ſupplere non tenentur, licet contrarium aſſerat CARPZ. *l. 1. D. 206.* qui tamen hæredes, à neceſſitate ſolvendi æs alienum ex anno gratiæ, generaliter abſolvit *d. l. D. 223. add.* RAUCHBAR *p. 1. qu. 25. n. 23.* Quodſi ſucceſſor cum hæredibus, ratione rerum deficientium, ſciens tranſigat, ſuo ſucceſſori nihilominus aliquando integrum inventarium præſtare tenetur *v.* Dn. SCHREITER *d. c. 2. §. 12.*

§. 20. Annus gratiæ non competit viduæ & liberis cuſtodum, ludimoderatorum & Organicorum, niſi lex vel conſuetudo id alicubi velit CARPZ. *l. 1. D. 226. ſeqq.* Ceſſat etiam, ſi Paſtor non moriatur, ſed ad aliam Eccleſiam vocetur CARPZ. *d. l. D. 230. add.* STRYK. *de ann. grat. c. 8. n. 1. ſeqq.* Si emeritus Paſtor ſalarium retineat, ſubſtituto vero proviſio detur, tum illius hæredes, ſalario gratuito quoque gaudent CARPZ. *l. 1. D. 219.* Si vice verſa, emeritus Paſtor proviſione contentus eſſe debeat, ejus intuitu, hæredibus annus gratiæ merito quoque aſſeritur CARPZ. *l. 1. D. 193.* nam rationes diſſentientium *v.* STRYK *d. diſſert. c. 5. n. 24. ſeqq.* jus aliquod *transmiſſum*, non *proprium*, ſaltem excludere videntur.

§. 21. Aliquando annus gratiæ, intuitu certarum perſonarum, locum non habet *v. §. 9.* Denique beneficium jam acceptum, deſinit lapſu temporis, morte perſonæ privilegiatæ, hæredes non relinquentis *v. §. 9. in fin.* ac ſecundis nuptiis viduæ, quæ tamen liberis non nocent, ſed his potius pars deficiens accreſcit. Tandem etiam voluntaria renunciatione annus gratiæ tollitur, quæ quidem, pro diverſa renunciantis intentione, nunc cæteris perſonis privilegiatis, nunc Succeſſori prodeſt *add.* STRYK *diſſert. de ann. grat. c. 8. n. 13. ſeqq.*

§. 22. Illud verbo monendum, quod ſæpe Paſtores unius Diœceſeos, in uſum viduarum, ultronea collatione patrimonium aliquod colligant, ſeu *fiſcum* vel *ærarium* conſtituant, quod plerumque in pecunia numerata, ſive nominibus conſiſtit, etſi nihil vetat, quominus aliæ res, in illum uſum, etiam comparentur. Sicut autem collatio illa, ad exemplum aliorum actuum licitorum, libero conſenſu fieri poteſt, ita ad conſtantiam & autoritatem ei conciliandam, conſenſus Conſiſtorii requiritur, quod etiam curare debet, quo ærarium illud conſervetur, nec ab adminiſtratoribus imminuatur *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 329.* Dn. D. JENICHEN *diſſert. de fiſcis Viduarum hab. Lipſ. 1703.*

CAPUT IX.
DE SUPERINTENDENTE.

SUMMARIA.

Eccleſiis parochialibus præfici ſolet Superintendens §. 1.
Ejus definitio & diviſio §. 2.
Munus Superintendentis politicum eſt §. 3.
Conſtituitur à Domino Territoriali §. 4.
Munus hoc non præciſe Theologo conferendum §. 5.
Conſtitutionis modus §. 6.
Superintendentium ſubſtituti, objectum & numerus §. 7.
Officium Inſpectoris tribus partibus generalibus abſolvitur §. 8.
Jurium Superintendenti competentium norma & partes generales §. 9. 10.
In ſpecie ejus jura reſpiciunt parochorum ſubjectorum officium §. 11.
Conſtitutionem §. 12. 13.
Et controverſias §. 14.
Nec non parochianorum delicta, matrimonia §. 15.
Leges eccleſiaſticas, eccleſiam, viduas & orphanos, Clericorum privilegia §. 16. 17.
Parochorum Synodus §. 18.
Et ſucceſſionem §. 19.
Munus Superintendentis grave & honoratum eſt §. 20.

§. 1.

IN Territoriis Proteſtantium, plures Eccleſiæ parochiales Diæceſin conſtituunt, cui *Superintendens* præfici ſolet *v.* ZIEGL. *Superintend. c. 2. §. 27.* de quo, fere juxta ductum jam laudati ZIEGLERI, nunc aliqua dicenda erunt: Licet enim ille, utroque oculo, ad Terras Saxonicas, reſpiciat, attamen doctrina, ex communibus fere principiis, reſultat, adeoque ad alia Territoria, maximam partem, etiam quadrat. *Superintendentis, Inſpectoris* & *Epiſcopi* nomina, quoad principalem quidem ſignificatum conveniunt, unum tamen altero eſt ſplendidius; in Territoriis Statuum proteſtantium, *Epiſcopi* titulus non eſt in uſu, quia papatum redolet *v.* ZIEGL. *d. tr. c. 3.* aut forte papatui par potentia, in iis non occurrit.

§. 2. Superintendens eſt *perſona habilis, à Domino Territoriali legitime conſtituta, quo, in Eccleſiis & Scholis, ſibi commiſſis, docentes & audientes, quoad fidem & vitam, diligenter obſervet, ac in ſpecie rerum eccleſiaſticarum, conſervandarum riteque adminiſtrandarum, ut & jurium Domino Territoriali, aut Eccleſiis parochialibus competentium, curam gerat, & abuſus imminentes, vel jam introductos, hortando, monendo & denunciando, impediri vel tolli curet.* In quibusdam Territoriis dantur Superintendentes *Speciales*, qui uni diœceſi præſunt, & *Generales*, quibus ſpecialis quidem diœceſis itidem commiſſa eſt, ſed qui inſuper inſpectionem, in cæteros Superintendentes eorumque diœceſes, habent; tales, in Saxonia Electorali, hodie non occurrunt *v.* ZIEGL. *d. c. 3. §. 5. 6.*

§. 3. Munus Superintendentis, ſi recte expendatur, in ſe non *eccleſiaſticum*, ſed *politicum* eſt, ſicut enim univerſum Eccleſiarum regimen externum, jus politicum eſt, ac ad Imperantem ſecularem pertinet, ita hic aliquam partem, Conſiſtoriis & Superintendentibus, delegare ſolet. Ex quo liquet, ad modum aliorum munerum politicorum, etiam inſpectionem, ex Imperantis conceſſione, oriri, circa quod non adeo recte communiter ſentiunt *v.* ZIEGL. *d. tr. c. 4.* Interim munus Superintendentis, recte etiam eccleſiaſticum, ratione objecti, dicitur.

§. 4. Superintendentem conſtituit Dominus Territorialis, non vero Patronus, jus enim patronatus ad Clericos certæ alicujus Eccleſiæ parochialis pertinet, ſed Superintendens, qua talis, Clericus non eſt, ejusque poteſtas ad plures parochias extenditur *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 19. add.* ZIEGLER. *d. tr. c. 4. §. 10. 11.* Quia tamen munus Superintendentis, primario Diœceſeos paſtori, plerumque confertur, ideo Patronus, qui Paſtorem conſtituit, per indirectum, aliquas, in conſtituendo Superintendente, ſolet habere partes; Nonnunquam etiam, ratione Paſtoris conſtituendi, Imperans Patrono aliquid mandare ſolet *v.* ZIEGLER. *d. c. 4. §. 7. ſeqq.* BRUNNEM. *J. J. l. 2. c. 8. §. 21. ibique* STRYK *in not.*

§ 5. Illud, ex obſervatione *§. 3.* ultro liquet, munus Superintendentis, non præciſe eſſe conferendum Theologo, ſed poſſe omnino etiam Politico, quem vocant, conferri, cum enim Politici, in Conſiſtoriis, non tantum aſſideant, ſed & plerumque directionem habeant, adeoque in Clerum & Superintendentes, inſpectionem exerceant, cur non etiam aliquid ejus generis poteſtatis, ipſis ſeorſim concedi poſſet? *v. l. 21. de R. J.* Sed quicquid hujus ſit, illud utilitas Eccleſiarum omnino exigebat, ut viro, aliis muneribus non impedito, inſpectio demandaretur, ſed ob defectum ſalariorum contraria ratio invaluiſſe videtur.

§. 6. Cum autem primario Paſtori, munus Superintendentis conferri ſoleat, ideo hæc conſtituendi ratio fere obtinet: Debet ſcilicet Candidatus Senatui Eccleſiaſtico vel Secretiori, ad concionem mox in templo habendam, & colloquium cum ipſo deinceps inſtituendum, ſe ſiſtere, quibus peractis, munus ei per literas confertur *v.* ZIEGL. *d. tr. c. 4. §. 7.* STRYK *ad Br. J. E. l. 1. c. 5. §. 25.* Poſtea Diœceſi ſuæ, Superintendens, per ſupremum Aulæ Concionatorem, ſolenni inveſtitura, Conſiſtorii Deputatis, Præfectis Eccleſiæ, & Clero ſubjecto præſentibus, præficitur, quæ omnia, ex uſu Regionum, ſpecialius diſcenda ſunt. Si inveſtitura non ſtatim ſequatur, Clero ſubjecto obſequium Superintendenti ſuo præſtandum, per literas interim injungitur.

§. 7. Si Superintendens Subſtituto indigeat, hic quoque ab Imperante conſtituitur, quemadmodum ejus functiones, ad tempus, alii quando-

quandoque conferuntur *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 168. 169.* ZIEGLER *d. tr. c. 4. §. 12.* Præficitur Superintendens certæ alicui Diœceſi, ex parochiis urbanis & rureſtribus compoſitæ *v.* ZIEGL. *d. tr. c. 5. §. 1. ſeqq. ad Lancell. l. 1. tit. 3. §. 6. l. 2. tit. 18. §. 8.* In ea igitur uti plenam habet inſpectionem, ita in aliis Diœceſibus, ejus jus nullum eſſe, ex modo factæ conſtitutionis, facile liquet *v.* ZIEGL. *Superintend. c. 5. §. 4. ſeqq.* Poſſunt etiam uni plures inſpectiones concedi, ſed non expedit *v.* ZIEGL. *d. c. 5. §. 11. 12.* Numerus autem Inſpectorum, ex ſtatu cujusvis Territorii, dependet, in Saxonia Electorali, quinquaginta, à ZIEGLERO *d. c. 5. §. 16.* numerantur.

§. 8. Officium Superintendentis eſt (1.) ut *receptas fidei formulas tueatur*, hinc falſis dogmatibus, doctrina & denunciatione, tempeſtive occurrere debet, circa quod tamen prudentia opus eſt, ne fervide nimis procedat, cum ſæpe prudens diſſimulatio plus habeat utilitatis, quam zelus acrior (2.) ut *vitam ſanctam, tam quoad docentes quam audientes, excitet ac promoveat*, quod proprio exemplo, doctrina aliisque mediis, ad excitandam pietatem facientibus, peragere tenetur (3.) ut *ordinationes Eccleſiaſticas & jura Eccleſiæ defendat*, hinc abuſibus imminentibus, procul omni perſonarum reſpectu, occurrere debet.

§. 9. Jura Inſpectorum non ſatis perſpicue declarare ſolent, dum vel hypotheſes papales ſecure nimis ſectantur, vel inſpectionem & presbyterium permiſcent *v.* ZIEGL. *d. tr. c. 8.* Stilo biblico, epiſcopatus & presbyterium coincidunt, hinc juxta illam ſuppoſitionem, jura noſtrorum Superintendentium repræſentari nequeunt, multo minus, juxta ideam Epiſcopi pontificii, declaratio recte fiet, cum illa ex rationibus papalibus ſit formata.

§. 10. Pro certo igitur ſupponendum, quod inſpectio noſtrorum Superintendentium, ſit functio mere politica, à presbyterio plane diſtincta, licet enim hæc duo munera, in eadem perſona, plerumque concurrant, ideo tamen non coincidunt nec adeo recte miſcentur. De cætero, juxta partes officii generales, §. 8. exhibitas, etiam jura ſummatim diſcerni poſſunt; reſpiciunt enim vel *puritatem doctrinæ*, vel *ſanctitatem vitæ*, vel *conſervationem ſtatus eccleſiaſtici*: Non inferunt autem illa aliquod *imperium*, nec *jurisdictionem*, ſed ſolam *inſpectionem*, hinc inquirendo, monendo & denunciando, eorum vis fere abſolvitur.

§. 11. His præſuppoſitis, ſpecialius nonnihil jura recenſebimus. Equidem quæ de poteſtate concionandi, & diſpenſandi Sacramenta, tanquam præcipuo Superintendentium jure, tradit ZIEGLER *d. tr. c. 9. 10.* ea nobis omittenda ſunt, cum ad presbyterium, non inſpectionem pertineant. Rectius huc refertur (1.) jus inquirendi, in parochorum ſubjectorum doctrinam & concionandi rationem *v.* ZIEGL. *d. tr. c. 9. §. 11. ſeqq.* ut & (2.) modum, quo Sacramenta diſpenſant, vel univerſam liturgiam peragunt ZIEGL. *d. tr. c. 10. §. 7.* Nemo etiam (3.) ſine conſenſu Superintendentis, ad concionem habendam, eſt admittendus *v. art. general. Saxon. tit. 3.* ZIEGLER *d. tr. c. 11.* quod tamen ſtricte hodie obſervari non ſolet; videtur etiam hoc referendum ad ea tempora, quibus gravior corruptionis metus ſubeſt.

§. 12. Illud vero regulariter obtinet, quod (4.) candidati miniſterii, ſine conſenſu Superintendentis, ad concionem δοκιμασικὴν, non ſint admittendi, qui etiam (5.) ea habita, auditorum judicia & teſtimonia explorare poteſt & debet ZIEGLER. *d. tr. c. 11. 12.* Non minus (6.) Superintendens cum Patrono, Candidatos miniſterii Conſiſtorio præſentat ZIEGL. *d. l. c. 13.* Aliquando tamen ſoli Patroni præſentationem peragunt *v.* FINCKELTH. *de jur. patron. c. 6. n. 5.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 47.* ſicut vice verſa Superintendens quandoque, ſine Patroni concurſu, præſentat *v.* ZIEGL. *d. c. 13. §. 5.*

§. 13. Ad jura Superintendentium pertinet (7.) poteſtas ordinandi miniſtros Eccleſiæ ZIEGLER *d. tr. c. 14.* In Saxonia tamen Electorali, ſoli Superintendentes Dresdenſis, Lipſienſis & Wittebergenſis ordinationem peragunt ZIEGLER *d. c. 14. §. 17.* (8.) Jus inveſtiendi miniſtros ordinatos, ſed uti hæc inveſtitura, quibusdam in locis, plane non eſt in uſu, ita, licet alicubi uſitata ſit, Superintendens tamen audiendus non eſt, ſi poſt plures annos, quibus miniſter, Eccleſiæ ſuæ jam præfuit, inveſtituram velit inſtituere *v.* ZIEGL. *d. tr. c. 15.*

§. 14. Hactenus enumerata jura refert B. ZIEGLERUS ad *Ordinem*, deinde ea, quæ *jurisdictionis* ſint, percenſet, ſed, ex mea ſententia, hoc diſcrimen minime eſt neceſſarium, cum omnia Superintendentium, qua talium, jura, ſint ejusdem generis, hinc etiam, ſine interruptione, cætera breviter adducemus. Poteſt igitur Superintendens (9.) inter Parochos ſibi ſubjectos, orta controverſia, amicabilem tentare compo-

compoſitionem. Inſtantiam vero judicialem formare ac ſententiam, rei judicatæ vires ſortituram, proferre non poteſt, licet quidam id moliantur *v. Ord. Saxon. tit. von immunitaten und freyheiten §. und anfanglich v.* ZIEGLER. *d. tr. c. 16. §. 6. ſeqq.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 4.* Ex illo autem jurisdictionis defectu, hoc etiam ſequitur, quod, ſi occiſus, explorandæ vulneris, qualitati, effodiendus ſit, conſenſus Superintendentis haud requiratur *v.* ZIEGL. *d. c. 16. §. 19. ſeqq.*

§. 15. Peccatores impœnitentes (10.) Superintendens ſaltem Conſiſtorio denunciare, excommunicatione vero minori vel majori coercere nequit ZIEGL. *c. 17. §. 10. ſeqq. c. 18.* de qua coercendi ratione alibi dicemus exactius. Neque etiam (11.) pœnitentiam eccleſiaſticam Superintendenti decernere licet ZIEGL. *c. 19.* Circa matrimonia (12.) Superintendens nihil aliud agere poteſt, quam ut impediat, ne, in iis contrahendis, contra leges peccetur, & ut partes, inimicitiis forte diſtractas, reconciliet ZIEGL. *c. 20.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 29. 30.*

§. 16. De legibus eccleſiaſticis (13.) Superintendentem diſpenſare non poſſe, ſatis manifeſtum eſt, in caſu tamen neceſſitatis, ab illarum præſcripto, eum quandoque poſſe abire, ex tacita Imperantis conceſſione, defendi poteſt ZIEGL. *c. 21.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 141. 145.* Inprimis ad ipſorum jura pertinet (14.) jus viſitandi Eccleſias, Scholas (non tamen Academias) templa, orphanotrophia ac univerſum patrimonium eccleſiaſticum, quæ viſitationes uti ſumtibus Eccleſiarum, concurrente loci cujusvis Magiſtratu, fieri debent, ita non ſemper in viridi obſervantia eſſe ſolent *v.* ZIEGL. *c. 22. 23. 24.*

§. 17. Ex iſta autem cura reſultat quoque (15.) Jus exigendi rationes eccleſiaſticas, cui negotio Patronus etiam intereſt, nec Superintendenti aliqua, præ hoc, prærogativa, multo minus directorium competit ZIEGL. *c. 26.* Solet (16.) cura Viduarum & Orphanorum etiam Superintendenti tribui *v.* ZIEGL. *c. 25.* quod ad eum caſum videtur referendum, quo Magiſtratus politicus, in officio ſuo, valde negligens eſt. Jus autem (17.) defendendi privilegia Clericorum, ei recte adſcribitur ZIEGL. *c. 27.*

§. 18. In quibusdam locis gaudet (18.) jure cogendi, ex parochis ſibi ſubjectis, ſynodum, id quod in Saxonia olim ſpecialiter præceptum *art. gen. ann. 1557. tit. von Wahl und Amt* poſtea vero in *Ord. eccleſ. tit. vom*

vom Synodo bey unſern Oberconſiſtorio prohibitum fuit. Eo tamen non obſtante, in quibusdam diœceſibus, ejusmodi Synodi habentur, in iisque quædam themata ventilari ſolent, ſi tamen alicubi illæ in uſu non fuerint, à Conſiſtoriis non temere permitti debent *v.* ZIEGL. *d. tr. c. 28.*

§. 19. Mortuo, vel ætate aliisque cauſis juſtis impedito paſtore (19.) Superintendens curam animarum aliis demandare, ut & pecuniam aliasque Eccleſiæ res, à mortui hæredibus avocare & cuſtodire, ut &, quo inter emeritum & Subſtitutum, æquis conditionibus tranſigatur, curare poteſt & debet *v. Ord. Eccleſ. Saxon.* tit. *von beruff und annehmung.* tit. *von immunitaten Ord. polit. 1612.* tit. *conſiſtorialſachen* ZIEGL. *d. tr. c. 29.* Quia etiam circa diviſionem ſalarii, tam promeriti quam gratuiti, dubia quandoque, inter defuncti hæredes & Succeſſorem, oriuntur, ideo (20.) Superintendens, de iis amice componendis, debet eſſe ſollicitus *v. art. Gener. Saxon. n. 41.* ZIEGLER. *c. 30.* Qua occaſione notandum, quod, in Salario Superintendentis, annus gratiæ quoque locum habeat *v.* ZIEGLER. *c. 31.*

§. 20. Hæc ſunt fere noſtratium Superintendentium jura, ex quibus liquet, munus hoc, ſatis grave, nec cum anxietate & importunitate ambiendum eſſe, contra quod tamen, ut alibi, ita hic etiam ſæpe peccatur *v.* ZIEGLER. *d. tr. c. 6.* Non minus etiam eſt munus honoratum, ac tam ſubjecti parochi, quam alii homines, reverentiam ac obſequium, ſuo modo, Superintendenti debent. Cavendum tamen eſt, ne ea res in ſuperſtitioſam venerationem degeneret, *v.* ZIEGLER. *d. l. c. 7.* Ac in univerſum Imperans exiſtimationem Superintendentium definit, in qua ipſi acquieſcere tenentur, eamque contra alios defendere poſſunt. Cum etiam lapſibus humanis illi ſint obnoxii, ideo tam Clerus ſubjectus, quam alii, exceſſus occurrentes, legitime denunciare poſſunt *v.* ZIEGL. *d. c. 7. §. 15.*

CAPUT

CAPUT X.
DE CLERO PAPALI.

SUMMARIA.

Status Cleri papalis est involutus §. 1.
Caput totius ordinis est Papa, cui assistunt Cardinales §. 2.
Qui Papæ subsunt, distingvi possunt in Clericos in specie & Regulares §. 3.
Illi sunt majores & minores §. 4.
Ad hos spectant Canonici §. 5.
Instituti hujus corruptio §. 6. 7.
Monachi §. 8.
Monachatus propagatio §. 9.
Depravatio §. 10.
Amplitudo & conditio §. 11.
Equites ecclesiastici §. 12.
Inter quos inprimis occurrunt ordo templariorum, Marianorum & Johannitarum §. 13.
Denique Jesuitæ §. 14.
Status Cleri papalis est res injusta & Rebuspublicis perniciosa §. 15. 16.
Quod in specie etiam de ordinibus Equitum papalium dicendum §. 17.
Hinc huic instituto Respublicæ se merito opponunt §. 18.

§. 1.

DE hoc, per modum appendicis, pauca subjiciemus, quæ non in modum accuratæ explicationis, sed qualiscunque delineationis, accipi volumus, est enim illorum hominum innumerus propemodum numerus, eorumque status valde involutus, ut forte vel alicui ex illo genere homini, difficile aut impossibile sit futurum, illa omnia dare satis expedita. Principii loco supponendum est, quod Clerus, ex hypothesibus pontificiis, peculiarem formet statum, qui per omnes Respublicas se diffundat quidem, iis tamen non subsit.

§. 2. Caput totius ordinis est *Papa Romanus*, qui, si Diis placet, verus Christi est Vicarius, & indubitatus Petri successor, cumque ille, in Italia, non solum peculiarem formet Rempublicam, sed & insuper universalem, sibi asserat dominatum, ideo valido ille indiget præsidio, hoc autem præstant *Cardinales*, qui pro incolumitate & incremento papatus perpetuo vigilant. Funguntur illi simul munere Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, ac ab initio quidem Clerici urbis Romæ, ad illam dignitatem, saltem adspirarunt *v.* FRANC. ROY *J. J. C. l. 1. tit. 14. §. 5. 6.* Sed hodie illa ad primarios Clericos Rerumpublicarum papalium quoque extenditur *add.* SCHERZER *Antibellarm. disp. 1. §. 1.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 1. tit. 27. §. 24.*

Digitized by Google

§. 3. Cæteri, qui Papæ Romano ſubſunt, non incongrue fortaſſis diſtinguuntur in *Clericos in ſpecie* & *Regulares*, ſive *homines, certo ordini addictos.* Illi ſunt *Majores* & *Minores*, ad hos vero videntur referendi *Canonici, Monachi, Equites Eccleſiaſtici* & *Jeſuitæ.* Ad majores Clericos pertinent (1.) *Patriarchæ*, quorum, in antiquo imperio Romano, quinque numerari ſolent *v.* LANCEL. *J. J. C. l. 1. tit. 5.* §. 1. ROY *J. J. C. l. 1. tit. 14.* §. 1. *ſeqq.* Sed hodie Patriarchæ, juxta regulas papales, non tolerantur.

§. 4. Hinc ad majores potius referuntur (2.) *Archiepiſcopi* (3.) *Epiſcopi* (4.) *Archidiaconi* (5.) *Archipresbyteri* (6.) *Presbyteri*, qui in ſacris & Sacerdotio eſſe dicuntur ac miſſam peragere poſſunt (7.) *Diaconi* & (8.) *Subdiaconi*, qui in ſacris quidem, non tamen in Sacerdotio exiſtunt, nec poſſunt incruentum miſſæ ſacrificium conficere *v.* LANCELOT. *J. J. C. l. 1. tit. 22. §. 5.* Minores Clerici ne quidem proprie in ſacris eſſe dicuntur, ſed per ſolam ſignationem crucis & benedictionem promoventur *v.* ROY *J. J. C. l. 1. tit. 9. §. 3. ibique* ZIEGLER. *in not.* Tales ſunt (1.) *Acolythi* (2.) *Exorciſtæ* (3.) *Lectores* (4.) *Oſtiarii* (5.) *Cantores* (6.) *Oeconomi* & forte alii *v. c. 1. Diſt. 21.* LANCEL. *J. J. C. l. 1. tit. 4. ſeqq.* ROY *J. J. C. l. 1. tit. 9. ſeqq.* Majoribus non licet habere uxores, quod tamen minoribus permittitur *v.* LANCEL. *d. l. 1. tit. 23. §. 3.* ROY *d. tr. l. 1. tit. 23. §. 4.*

§. 5. Canonicos cenſentur introduxiſſe quidam Epiſcopi, qui, in Eccleſiis Cathedralibus, eo fine nonnullos in conſortium receperunt, quo cultui divino vacarent, & juventutem erudirent *v.* ROY *J. J. C. l. 1. tit. 19. §. 3. ſeqq.* SCHILT. *J. J. C. l. 1. tit. 7. §. 19.* nomen autem Canonicorum inde ortum eſt, quod, ad exemplum Monachorum, ſub certa aliqua regula, viverent *v.* ROY *d. §. 3.* SCHILT. *l. 1. tit. 10. §. 2.* LEHMAN. *Chron. Spir. l. 2. c. 33.* Quia etiam ad legendam & audiendam aliquam ex S. literis pericopam, quandoque congregabantur, inde nomen *Capituli* invaluit, quo, ſucceſſu temporis, ædes conventui deſtinatæ, vel etiam ipſe Canonicorum conventus ſignari cœperunt. Aucto Canonicorum numero, præter *cathedrales*, etiam *collegiatæ eccleſiæ* extiterunt.

§. 6. Auctis opibus, Canonicorum conditio in deterius mutari cœpit, nam ſublata communione, ſingulis præbendæ ſunt aſſignatæ

vid.

vid. LEHM. *Chron. Spir. l. 5. c. 12.* poſtquam etiam jura ſecularia Epiſcopis accreverunt, hi, cum conſilio Canonicorum, illa exercuerunt; ab hoc tempore munera Canonicorum, ſtatui ſeculari, magis attemperata ſunt, quo fortaſſis referenda nomina Præpoſiti, Decani *v.* SCHILT. *J. J. C. l. 1. tit. 7. §. 19.* (quæ non recte promiſcue accipiuntur *v.* ZIEGLER *ad* ROY *J. J. C. l. 1. tit. 19. §. 7.*) Dignitas & Perſonatus *v.* ZIEGLER *ad Lancell. l. 1. tit. 27. §. 41. conf.* LEHM. *Chron. Spir. l. 7. c. 109.*

§. 7. Regula monachalis, ſublata eſt, hinc Canonici dicuntur *Irregulares* vel *Seculares v.* ROY *J. J. C. l. 1. tit. 19. §. 8. ſeqq.* ZIEGLER *ad Lancell. l. 1. tit. 26. §. 2.* Exercitium pietatis vel plane ſublatum, vel in Vicarios transmiſſum *v.* ZIEGLER *ad Lancell. l. 1. tit. 27. §. 41. tit. 29. pr. l. 2. tit. 5. §. 6.* Ut adeo Canonicus hodie fere ſit, qui aliquo honore fruitur *v.* ROY *J. J. C. l. 1. tit. 19. §. 9.* reditus bonorum eccleſiaſticorum percipit, ac, cum Epiſcopo ſuo, jura ſecularia exercet. Ex quibus differentia *Canonici* & *Clerici*, etiam intelligi poteſt, prius nomen notat monachum, poſterius, functionem eccleſiaſticam, illi conjunctam, ſed hodie utrumque, palliandæ conditioni ſeculari, modo notatæ, adhibetur.

§. 8. Monachus, nativo ſenſu, notat hominem, in ſolitudine viventem, poſtea vero, ſignificatu ſpeciali, quibusdam hominibus, tributum eſt hoc nomen. Fundamenta Monachatus jacta cenſenter, ſub perſecutionibus Chriſtianorum, dum quidam, evidandæ crudelitati Perſecutorum, in deſerta conceſſerunt. Inprimis Monachatus Autores Paulus, ejusque diſcipulus, Antonius, qui ſub Decio & Aurelio vixerunt, fuiſſe perhibentur. Tranquillitate Chriſtianis reſtituta, cum vita ſolitaria, exercendæ pietati, erudiendæque juventuti, opportuna fuerit exiſtimata, Monaſteria in illum uſum fuerunt exſtructa.

§. 9. Ex Oriente in Occidentem deinde Monachatus eſt translatus, Cœnobiis magno numero exſtructis, ac certis vivendi regulis compoſitis. Inprimis Benedictus, ſub initium Seculi Sexti, certam aliquam regulam compoſuit, quam plerique Monachi fere tum temporis approbarunt, ac adeo Ordo Benedictinorum, autoritate & opibus crevit, ut ſoli fere ejus Prælati, inter Status imperii Germanici fuerint recepti *v.* ROY *J. J. C. l. 1. tit. 20. §. 2.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 1. tit. 30. per add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 2. c. 33. p. 108.* In quæ omnia, alii accuratius inquirant.

§. 10. Sicut vero quævis ſeparatio, noxias habere ſolet, in Republica, conſequentias, ita Monachatus etiam mox corrumpi cœpit. Extiterunt enim improbi mendicantes & impoſtores, ſub nomine Gyrovagarum & Sarabaitarum *v.* Roy *d. tit. 20. §. 1.* Lehm. *Chr. Spir. l. 7. c. 45.* Monachorum numerus in immenſum crevit, educatio juventutis, aliaque Reipublicæ utilia miniſteria exularunt, ac religio in Dei irriſionem, & proximi deceptionem converſa eſt *v.* Ziegl. *ad Lancell. d. l. 1. tit. 30. pr.* Schilter. *J. J. C. l. 1. tit. 11. §. 5.*

§. 11. Interim, in papatu, omnia Monachis abundant, illique in varia genera & colonias diſtinguuntur; Fit autem Monachus, vel propria profeſſione vel parentum devotione, de quo aliisque Scriptores proprii conſulendi ſunt *v.* Roy *J. J. C. l. 1. tit. 20.* Lanc. *J. J. C. l. 1. tit. 30. ibique* Ziegl. *in not.* Succeſſu temporis Monaſteria fœminina ſunt introducta, ac, ad exemplum maſculinorum, mox etiam corrupta *v.* Roy *J. J. C. l. 1. tit. 21. ibique* Ziegler *in not.* Quædam eorum, regulæ alicui non ſubſunt, adeoque *Secularia* dicuntur *v.* Schilter. *J. J. C. l. 1. tit. 11. §. fin.* Olim Monachi non fuerunt Clerici *v.* Roy *d. l. 1. tit. 20. §. 4.* ſed, ex rationibus ſtatus papalis, illa qualitas iis acceſſit, ac Jurisdictioni Epiſcoporum, illi ſunt exempti *v.* Ziegl. *ad Lancell. l. 1. tit. 28. §. 3. l. 2. tit. 5. §. 6.* Schilter. *J. J. C. l. 1. tit. 11. §. 7. 12.*

§. 12. Eques Eccleſiaſticus, eſt *perſona moralis, ad militiam, contra infideles, in certo Ordine, gerendam, obſtricta, ejusque juribus gaudens.* Dicitur etiam, à ſigno crucis, *Cruciger.* Ejus eſſentia conſiſtit, in *obligatione ad gerendam, contra infideles, militiam*, quam tria vota, *caſtitatis, paupertatis* & *obedientiæ*, comitantur. Origo autem horum Ordinum, incidit in ea tempora, quibus papatus ad perfectionem fere pervenerat, nempe in Seculum XI. nam occaſione peregrinationum & expeditionum, in Terram ſanctam ſuſceptarum, Ordines nonnulli exorti, ac, ſucceſſu temporis, aucti ſunt *v.* Becman *vom Johanniter-Orden c. 1.*

§. 13. Inprimis tres Ordines, in Paleſtina, extiterunt (1.) Ordo Templariorum, qui poſtea à Clemente V. Papa & Philippo IV. Galliæ Rege, in Concilio Viennenſi 1310. ſublatus eſt *v.* Becman. *d. tr. c. 1. §. 13. n. 4. §. 15.* Conring *ad Lampad. p. 3. c. 6. p. 247.* (2.) Marianorum, qui, poſt varia fata, tandem in Germania ſubſedit, ac ex ſolis Germanis

manis componitur: ejus Magiſter tenet Balliviam Mergentheimenſem, ac inter Status imperii refertur *v.* BECM. *d. c. 1. §. 14.* SCHWED. *Introd. ad J. P. p. ſp. Sect. 1. c. 7. §. 8.* (3.) Johannitarum, qui per octo Nationes diffunditur, quarum ſingulæ proprium habent Priorem ſive Magiſtrum. Prior Nationis Germaniæ, tenet Balliviam Hitersheimenſem, ac itidem Statibus imperii annumeratur *v.* BECMAN *d. tr. c. 2. ſeqq.* VITRIAR. *J. J. P. l. 1. tit. 21. §. 1. 2.* RHET. *J. J. P. l. 1. tit. 16. §. 30. ſeqq.*

§. 14. Jeſuitæ originem debent Ignatio Lojolæ Hiſpano, eorumque Societas à Papa, Paulo IV. anno circiter 1555. confirmata eſt SLEIDAN *Comment. de ſtat. relig. l. 26. p. m. 840.* Præcipuus ejus ſcopus, eſt conſervatio & reſtauratio papatus, per reformationem valde turbati. In rei veritate Jeſuitæ, etiam ſunt Monachi, eo nomine tamen vocari nolunt, nec ipſis, cum cæteris Monachis, bene convenit *v.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 1. tit. 30. pr. in fin.* De cætero reliquum omnem Clerum papalem, calliditate, audacia & improbitate, ſuperare cenſentur, de quo Autores proprii videndi *add.* LANS. *Conſultat. contr. Hiſpan. p. m. 269.* BURGOLD. *ad J. P. W. p. 1. D. 1. §. 56.* GIBELIN. *Cæſareopap. p. 1. c. 8. §. 4. p. 3. c. 6. §. 5.*

§. 15. Hæc breviſſima Status Clericalis pontificii delineatio eſt, circa quem illud etiam, ex principiis papalibus, credendum eſt, quod à Deo habeat originem, vel ſaltem voluntati divinæ non repugnet. Verum, juxta rei veritatem, pro re impia, injuſta ac ſocietatibus humanis & civilibus maxime perniciosa, merito ille habetur, pertinet enim ad univerſalem Cleri dominatum, hinc per religionem, eique ſurrogata inſtituta papalia, Deus irridetur, ac Respublicæ in intolerabilem ſervitutem percipitantur.

§. 16. Ut de damno ſpecialius nonnihil conſtet, præcipuum dubio procul eſt, quod Clerus papalis, Rebuspublicis nolit eſſe ſubjectus, ſed à Papa ſuo dependere velit, quo ipſo Respubublicæ fiunt bicipites, ac, ad motus inteſtinos, redduntur aptiſſimæ. Deinde major eſt Clericorum numerus, quam exercitium cultus divini requirit, & hi in corradendis, in præjudicium Civitatis aliorumque civium, opibus modum non tenent. Præterea operam utilem Rebuspublicis non præſtant, ſed, ferente occaſione, hoſtilia potius in eas machinantur *add.* LEHM *Chron. Spir. l. 5. c. 115. l. 7. c. 4. 119. 123. in addit. p. 951.*

§. 17. Quod in ſpecie attinet Ordines Equitum papalium, præcipuus ſane ipſorum ſcopus, perpetuum ſcilicet bellum contra infideles, juri divino tam naturali, quam revelato, aperte repugnat: vota vero concomitantia, ſuperſtitioſa & itidem voluntati divinæ contraria ſunt. Præterea Ordinibus illis nihil effectum eſt, ſed Respublicæ chriſtianæ plus utique damni, quam emolumenti, inde ſenſerunt. Denique illud ſine dubio Rebuspublicis pernicioſum eſt, quod Equites illi, ſui juris eſſe, vel ab externo capite dependere velint. Ex quibus non difficulter intelligi poteſt, Ordines illos, ſtabiliendæ hierotyrannidi papali, eſſe introductos *v.* CONRING *ad Lampad. p. 3. c. 6. p. 242.* BECMAN *vom Johanniter-Orden c. 1. §. 5.*

§. 18. Non ſunt hæc ita in obſcuro, ut Respublicæ etiam pontificiæ, illa non intelligant, hinc improbitati Clericali non ſemper cedunt, ſed potius ſtatum clericalem rationibus civilibus attemperant, quod Galliæ & Reipublicæ Venetæ exemplo intelligi poteſt. Reges quoque Hiſpaniæ & Portugalliæ, avulſa Equitum Eccleſiaſticorum bona, Reipublicæ iterum aliquo modo conjungere ſtuduerunt *v.* CONRING *d. l.* BECMAN *d. tr. c. 1. §. 11. 13.* Proteſtantes intolerabile illud clericale jugum penitus excuſſerunt, ac reliquias bonorum papalium, utilitati Territoriorum, ſi pacta non obſtent, attemperare poſſunt, Papa ejusque aſſeclis, nequicquam ringentibus *v. J. P. W. art. 5. §. 48. conf.* SPECIM. JUR. ECCL. *l. 2. c. 4. ſeqq.*

CAPUT XI.
DE LITURGIA.

SUMMARIA.

Tranſitus ad conſiderationem cultus divini §. 1.
Ejus diverſitas §. 2.
In ſpecie cultus chriſtianus externus varie diſpeſci poteſt §. 3. 4.
Cultus publici ſunt tres partes generales §. 5.
Sabbathi inſtitutio eſt quodammodo controverſa §. 6.
Cura Imperantis circa illud §. 7.
Actus liciti die Sabbathi permitti poſſunt §. 8.
Ad cultum homines non ſunt cogendi §. 9.
Externa ejus directio ad Imperantem pertinet §. 10.
Hinc ordinationibus quibusdam ejus modus definitur §. 11.
Cantiones & precés ad excitandam pietatem ſunt dirigendæ §. 12.
Precum publicarum materia §. 13.
Catechiſationis modus §. 14.
Concionis natura, neceſſitas, norma, modus §. 15.
Tempus ac miniſtrorum circa eam officium §. 16.
Cultus publici clauſula ſolennis, norma & emendatio §. 17.

§. 1.

§. 1.

POst explicatam Eccleſiarum parochialium conſtitutionem, diſpiciendum eſt de earum operatione, ſive cultu publico. De religione & cultu in genere, jam *l. 2. c. 17.* dictum eſt, hic vero tractatio propoſito ſpecialius accommodari debet. Cultus, in ſenſu laxiori, eſt *actus, quo Deus, juxta veram aut falſam notitiam, ſincere vel frigide animo & opere externo colitur,* id eſt, *ut Creator & dominus agnoſcitur.* Conſiſtit adeo omnis cultus, ex *notitia de Deo,* & *cultu ſtricte dicto.*

§. 2. A *norma* cultus diſtinguitur (1.) in *naturalem,* qui ex natura & ratione, & *revelatum,* qui ex revelatione dependet, cujus ſpecies etiam eſt cultus chriſtianus (2.) in *verum*, qui veram, & *falſum*, qui falſam normam præſupponit. A *partibus* vel *actibus ſuis*, diſcernitur (3.) in *internum*, qui ſolo animo, & *externum,* qui opere externo peragitur, ac iterum *ſincerus*, vel *ſimulatus* eſt (4.) ab *objecto proximo*, in *indirectum*, qui, legum, homines reſpicientium, obſervantia, Deo exhibetur, & *directum*, qui Deum directe reſpicit, ejusque colendi gratia ſuſcipitur.

§. 3. Cultus chriſtianus externus directus, eſt vel *privatus*, quem quisque, pro ratione pietatis ſuæ, domi inſtituit, vel *publicus*, qui, ductu miniſtri Eccleſiæ, in templis, plerumque peragitur. Hic iterum eſt vel *plenus*, qui ex omnibus vel potioribus partibus conſtat, vel *minus plenus*, qui quosdam ſaltem actus complectitur, quo pertinent horæ precum, conciones hebdomadales, funebres, nuptiales, examina catechetica, & ejus generis alia exercitia.

§. 4. Præterea etiam cultus publicus, eſt vel *ordinarius*, qui, ex præſcripto legum, divinarum vel humanarum, certis temporibus haberi debet, quo præcipue pertinent dies dominicus, & feſta anniverſaria, vel *extraordinarius*, qui certæ rei gratia, quandoque indicitur. Illud etiam generaliter obſervandum, quod cultus divinus aliquando cum jejunio ſit conjunctus, quod quidem, invaleſcente papatu, in formas varias ſe compoſuit, eſt enim vel *ordinarium*, vel *extraordinarium*, vel *univerſale*, vel *partiale*, & ſi quæ aliæ ejus generis diviſiones occurrunt. Hodie, ob abuſus papales, jejunia ſunt rariora *qdd.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 261.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 1.*

§. 5.

§. 5. Partes cultus publici in genere tres esse videntur (1.) Cantiones & preces (2.) doctrina & institutio ac (3.) dispensatio Sacramentorum. Indefinite cultus est juris divini, imo etiam quædam partes, jure illo, sunt præceptæ, de quo Theologia agit. Modum vero externum & adminicula cultus, leges humanæ definiunt, quarum consideratio, ad Jurisprudentiam ecclesiasticam, pertinet. Dogmata igitur Theologica regulariter, in Disciplina juris, præsupponuntur, aliquando tamen etiam recte tractantur, si scilicet dubia, & tractationi juridicæ præjudicialia sint.

§. 6. Communis, inter Christianos, est sententia, quod dies certus hebdomadis, ex præscripto legis divinæ universalis, cultui divino sit consecrandus, etsi non desint, qui legem ejusmodi negent *v.* SELDEN *de jur. nat. & Gent. juxt. disciplin. Ebræor. l. 3. c. 9. seqq.* Ea vero admissa, illud quæri solet, an recte septimus dies, in octavum, apud Christianos, sit mutatus? de quo non tantum Theologi, sed & Jurisprudentiæ cultores dispicere possunt *v.* SELDEN *d. tr. l. 3. c. 8.* STRYK. *ad Br. J. E. l. 2. c. 1. §. 8.*

§. 7. Quo autem dies ille cultui divino impendatur, Imperans curare potest, hinc ille profanandi occasionem merito præscindit *v.* BRUNNEM. *d. l. 2. c. 1. §. 8. ibique* STRYK *in not.* vel etiam homines, præcipue simpliciores & rudes, cultui interesse jubet, pœnas tamen graviores non recte adhiberi putem. Num vero actus in se liciti, ut nundinæ, agricultura, processus judiciales, artis sagittariæ exercitia, nuptiæ, Encænia, deambulationes, comediæ, similesque finitis sacris, suscipi queant, controversum est? quibusdam in negativam *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 1. m. 1. §. 9. 10.* aliis in affirmativam propendentibus *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 250. seqq. D. 154, 155. add.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 1. §. 12. seqq.*

§. 8. Quod si Sabbathum jure divino niti, cum quibusdam, neges, affirmativa facile defendi potest; Interim, communi licet sententia admissa, illa etiam non improbabilis videtur, neque enim probari otest, quod, per integrum diem, cultui divino vacandum sit, sed scopus Sabbathi quoque est, quies & otium à labore duro & molesto, qui ctus alios, in se licitos, non excludit *v. Gen. II. 3. Exod. XX. 8. XXIII. 12. XXI. 13. XXXV. 2. 3. Levit. XXIII. 3. Num. XXVIII. 25. Deut. V. 12.* Illud plane

plane certum arbitramur, defendendo ſententiæ contrariæ rigori, graviores pœnas male adhiberi.

§. 9. Cæteræ omnes feriæ divinæ, jure humano determinantur, hinc, liberius, in permittendis aliis actibus, Imperanti competere arbitrium, manifeſtum eſt. Diſſentientes ad aliena ſacra non poſſe cogi, libertas religionis, ſatis oſtendit, & ſi, ut ſententiam religionis diverſæ ſaltem audiant, refractarii adigi queant. Ut homines ad cultum, in certa parochia, præciſe exercendum, compellantur *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 105. 106.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 1. m. 1. §. 7.* id quoque religionis libertati repugnat, quemadmodum etiam uſus peregrinæ lingvæ, circa liturgiam, hypotheſes papales manifeſte olet *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 8. §. 9.*

§. 10. Illud quoque certum, quod, ſine permiſſu Imperantis, nemini cultum publicum inſtituere liceat, hinc conventus, ſub plauſibili licet pietatis prætextu, inſtituti, recte prohibentur, nam libertas religionis, ad turbanda Reipublicæ jura, extendi non debet. Ritus, circa liturgiam adhibendos, Imperans etiam definit, circa quos CARPZ. *J. E. l. 2. D. 245. ſeqq.* hæc annotat. Eos, quantum fieri poteſt, debere eſſe uniformes, non facile eſſe mutandos, a Clero mutari non poſſe, ac ab omnibus ſubditis eſſe obſervandos, quæ facile concedi poſſunt; præterea vero exiſtimat mutationem non aliter fieri poſſe quam conſenſu triplicis Eccleſiæ ſtatus *D. 247. add.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 1. §. 8.* quod eſt hypotheſeos, alibi exploſæ, conſectarium.

§. 11. Ipſum liturgiæ exercitium Ordinationes eccleſiaſticæ quoque præſcribunt, dum homines, campanarum ſonitu, ad cultum provocari jubent *v.* SCHILT. *d. l. §. 9.* ac ordinem, quo ſingulæ ejus partes peragi debeant, definiunt, vel, quid, finito cultu, fieri debeat, oſtendunt, quæ omnia, ſine profunda meditatione, facile intelliguntur. In ſpecie, contra tumultuantes, dormientes, confabulantes vel exeuntes, aliquid decerni poteſt, *v.* SCHILT. *d. l. §. 14.* in quo tamen, habita inprimis perſonarum ratione, modus tenendus eſt, ne alias res illa in ludibrium vertatur.

§. 12. Quod in ſpecie cantiones & preces attinet, illæ, quantum fieri poteſt, ad excitandam pietatem, dirigi debent, cumque cantionibus Muſica immiſceri ſoleat, hæc quoque fini illi attemperanda eſt,

circa quod caput multa desiderat BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 8.* quæ aliorum judicio relinquimus: Aliquándo Musicæ usus plane cessat *v.* CARPZ. *J E. l. 2. D. 262. 263.* Formulæ precum publicarum, autoritate Imperantis, concipiuntur, ac temporibus merito attemperantur. Uti autem in summa, boni collationem & conservationem, nec non mali aversionem illæ respiciunt, ita cavendum est, ne nimia prolixitate tædium creent *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 6. ibique* STRTK *in not.*

§. 13. In specie, pro salute Imperantis & Patroni, orari solet, quo jure regulariter non gaudent alii Auditores CARPZ. *l. 2. D. 259. 260.* Licitum tamen cuivis est petere, quo calamitas aliudve negotium privatum, precibus publicis inseratur, circa quod, stultitia humana se etiam quandoque exserit *v.* STRTK *in not. ad* BRUNNEM. *d. l. §. 8.* Aliquando casus specialis, v. gr. si Dominus Territorialis in bellum eat, precibus publicis includitur, quæ clausula, cessante casu, ipso velut jure cessare debet, ut non opus sit speciale expectare mandatum, licet aliud observari soleat.

§. 14. Sub doctrina & institutione, comprehenditur *Catechisatio* & *Prædicatio* sive *concionandi actus.* Quomodo illa, juxta verbi divini præscriptum, instituenda sit, Theologia docet, cætera prudentia Doctoris, & præcipue ordinationes ecclesiasticæ definiunt. Si constitui potest, ut matrimonium inituri, vel patrinorum munere functuri, examen catecheticum antea subeant, qua in re tamen personarum est habenda ratio *v.* BRUN. *J. E. l. 1. c. 6. m. 5. ibique* STRTK. *in not.* Potest etiam institutio visitationibus privatis fieri, quarum necessitatem, ac circa eas occurrentem ministrorum Ecclesiæ obligationem, valde exaggerat BRUN. *d. l. 1. c. 6. membr. 2.* ex cura tamen animarum, vel exemplo Apostoli Pauli *Actor. XX. 20.* illa non sequitur.

§. 15. Concio est *oratio, qua Auditores, in credendis & faciendis vel omittendis, ex S. Scriptura, informantur.* Eam, ex præcepto divino, esse necessariam, ac mulieribus facultatem concionandi eodem ademtam, Theologi nostrates defendunt: norma vero concionis conficiendæ, merito debent esse sacræ literæ, cætera arbitrio Imperantis, &, hoc deficiente, ministri ecclesiæ subsunt. Quemadmodum igitur concionis confectio, ab hujus dexteritate, magnam partem dependet, ita Imperans curare potest & debet, quo omnia rite peragantur.

§. 16. Eo

§. 16. Eo fine tempus habendæ concionis definire ſolet: In Saxonia concionibus feſtivis, hora, hebdomatalibus vero, horæ dimidium, vel tres quadrantes, præſtituta ſunt *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 255.* ſæpe tamen tempus illud obſervari non ſolet *v.* BRUN. *J. E. l. 2. c. 1. m. 1. §. 11.* Porro Imperantis eſt proſpicere, ne conſvetæ conciones omittantur *v.* CARPZ. *d. l. D. 254.* aut ne inhabilibus, vel, ex mera ignavia, aliis munus concionandi Paſtores committant, CARPZ. *d. l. D. 256. 257. 258.* vel ne in alios injurii ſint *v.* SCHILTER. *J. J. C. l. 2. tit. 1. §. 21. ſeqq.* aut omnia, ex poſtillis, deſcribant *add.* BRUN. *l. 2. c. 1. m. 1. §. 12. ibique* STRYK *in not.* Illud etiam Imperans determinat, quidnam, finita concione, ex ſuggeſtu, populo prælegi debeat, nec ne *vid.* SCHILTER. *d. l. §. 24.*

§. 17. De Sacramentis, velut tertia cultus divini parte, in ſequentibus agendum erit. Illud adhuc obſervandum, quod omnibus fere liturgiæ partibus, *benedictio* addi ſoleat, quam jure divino præceptam eſſe, quidam exiſtimant *v. Levit. IX. 22.* DN. D. FALCKNER *diſput. de paroch. c. 3. m. 2. §. 24.* ſed ejus uſus libertati chriſtianæ potius adſcribendus videtur. Totius autem liturgiæ ſeries, ex *Agendis*, quæ vocant, cognoſcenda eſt *v. Sächſ. Kirchen-Agende in Corp. Jur. Saxon. p. 214.* ac, in ea ordinanda, nihil juris Patrono regulariter competit *v.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 69.* Cum vero cultus chriſtianus, plerumque ſit oppido frigidus, & fere ſaltem opus operatum, hinc varia excitandi pietatem remedia inculcat, poſt alios, etiam BRUN. *J. E. l. 1. c. 6. m. 1.* quæ jam excutere non vacat.

CAPUT XII.
DE BAPTISMO.

SUMMARIA.

In tractatione Sacramentorum, theologica & juridica debent diſcerni §. 1.
Circa baptiſmi externa, lex humana diſponit §. 2.
Ac inprimis abuſus prohibet §. 3.
Mancipiorum infidelium liberi invitis parentibus non ſunt baptizandi §. 4.
Cavendum ne baptiſmus vel omittatur vel repetatur §. 5.
Actus baptiſmi recte peragendus §. 6.
Ejus celebrandi locus tempus & ceremoniæ §. 7.
Ad has etiam pertinet adhibitio patrinorum §. 8.
Horum requiſita §. 9. 10.
Et officium §. 11.
Pecunia luſtrica ad peculium adventitium pertinet §. 12.
Sumtibus baptiſmalibus modus eſt ponendus §. 13.

Effectus baptiſmi ratione Dei & vitæ civilis §. 14. Baptiſmi mancipio infideli collatus non continet manumiſſionem §. 15. 16. Puerpera poſt exactas ſex ſeptimanas miniſtro Eccleſiæ in templo ſe ſiſtere præciſe non debet §. 17.

§. 1.

DE Sacramentis &, in ſpecie, de baptiſmo, nunc etiam agendum eſt, in qua tractatione, theologica & juridica ſæpe miſceri ſolent, quam tamen confuſionem jam evitare ſtudebimus. Quid ſit Sacramentum, & quantus eorum numerus, id in Theologia expediendum eſt *v.* ZIEGLER *ad Lancell. l. 2. tit. 2.* ad quam etiam pertinet diſquiſitio, de baptiſmi eſſentia, materia, reperitione, effectu in ordine ad Deum, ſimilibusque *v.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 2. tit. 3.* Externa vero baptiſmi Imperanti humano ſubſunt, ac ad Jurisprudentiam pertinent.

§. 2. Sic recte conſtituitur, ne baptiſmus diu differatur, ſi nulla juſta dilationis cauſa ſubſit *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 3. §. 9. l. 2. c. 1. m. 2. §. 8. ibique* STRYK *in not.* SCHILTER. *J. J. C. l. 2. tit. 2. §. 21.* Regulariter baptizandi munus competit miniſtris eccleſiæ, in caſu tamen neceſſitatis, aliis quoque id permittitur *v. Art. Saxon. gener. tit. 6. Ord. eccleſ. Saxon. h. 1.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 2. §. 4. 7.* Sicut autem cavendum eſt, ne ebrius, infidelis aut hæreticus miniſter, actum baptiſmi peragat, ita, ſi nihilominus hoc fiat, de effectu ejusmodi baptiſmi quæri ſolet, de quo Theologi diſpicere debent *v.* SCHILT. *d. tit. 2. §. 5. 6.* BRUNNEM. *l. 2. c. 1. m. 2. §. 4. ibique* STRYK *in not.* D. FALKNER *diſp. de paroch. c. 3. §. 27. 28.* Si in poſitione nominis erratum fuerit, verum nomen, poſt baptiſmum, infanti recte imponitur *v.* FINCKELTH. *Obſ. 34.*

§. 3. Ne in actu baptiſmi, abuſus aliquis vel ſuperſtitio interveniat, Imperans lege pœnali merito proſpicit, quemadmodum etiam pœnam imponit iis, qui infantes nondum plene natos baptizant *v.* D. FALCKNER. *d. diſp. c. 3. §. 30. 31.* Baptiſmus non tantum parochianis, ſed & exteris eſt concedendus. Infideles inviti ad Baptiſmum non ſunt adigendi *v.* DN. D. KOENIG *diſſert. de mancip. Turcicor. manumiſſ. baptiſm. implic. c. 1. §. 42.* hinc etiam infidelium liberi, invitis parentibus,

Digitized by Google

bus, non ſunt baptizandi *v.* Dn. FALCKNER *d. diſſert. c. 3. §. 34. 35.* quæ omnia, ex religionis libertate, fluunt.

§. 4. Ex qua ratione patet, idem dicendum eſſe de liberis mancipiorum infidelium, licet, quoad hos, alii diſſentiant *v.* Dn. KOENIG *d. diſſert. c. 1. §. 45.* nam ſervitus, ad conſcientiam & religionem, male extenditur. Aliud obtinet in liberis, quorum parentes ſunt incogniti, hi enim recte baptizantur, modo furtivis artibus non ſint ſubtracti *v.* Dn. FALKNER *d. c. 3. §. 36.* Aliud quoque dicendum, ſi liberi baptiſmum deſiderent, tum enim recte impertitur, licet parentes diſſentiant.

§. 5. Baptiſmus, ex præſcripto juris divini, neceſſarius, nec tamen repetendus eſt, ne ergo, in hanc vel illam partem peccetur, Imperans curare debet. Si ergo de baptiſmo non conſtet, quod circa infantes expoſitos non raro accidit, tum merito ſuſcipitur *v. art. Saxon. gener. tit. 6.* nec ſchedulæ infanti appoſitæ, ac de baptiſmo jam peracto teſtanti, in re tanti momenti, fides habenda eſſe cenſetur *v.* STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 1. m. 2. §. 7.* E contrario Cingarorum liberi, baptiſandi non ſunt, niſi re accurate explorata *v. art. Saxon. gener. tit. 6.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 2. §. 9.* Illi quoque homines improbi, qui ſe vel liberos, lucri cauſa, ſæpius baptiſari curant, debita pœna merito afficiuntur *v.* CARPZ. *Pr. Crim. qu. 93. n. 43.* hujus enim generis delicta, punibilia eſſe, facile patet *add.* SCHILT. *d. l. §. 31.*

§. 6. Ex qua materia baptiſmus conſtet, & quæ ejus formalis ratio ſit, id in Theologia explicandum *v.* STRYK *ad Br. J. E. l. 1. c. 6. m. 1. §. 3.* D. FALCKN. *diſſert. de paroch. c. 3. §. 39. ſeqq.* SCHILT. *d. l. §. 12.* ſed de abuſu impediendo, iterum ſollicita eſt Jurisprudentia. Miniſter igitur, officio ſuo male functus *v. c. 86. diſtinct. 4. de conſecr.* merito reprehenditur, ſicut etiam illi puniuntur, qui aqua baptiſmali, ad ſuperſtitionem, abutuntur *v.* CARPZ. *Dec. 185.* SCHILT. *d. l. §. 30. v. can. 126. diſtin. 4. de conſecrat.*

§. 7. Regulariter baptiſmus, in templo, conſveto tempore, & receptis ceremoniis eſt peragendus *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 1. m. 2. §. 11.* SCHILT. *d. l. 2. tit. 2. §. 20.* quæ omnia ex Agendis diſcenda ſunt. BRUNNEM. *l. 1. c. 6. m. 3. §. 4. ſeqq.* majorem deſiderat ſolennitatem, ac præcipue, ut, præſente tota Eccleſia, baptiſmus peragatur, exigit: ſed

Digitized by Google

hoc, in locis præſertim populoſis, nec commode in actum deduci poteſt, nec alicujus utilitatis eſt *add. art. gener. Saxon. tit. 6.* Inprimis inter ceremonias, etiam occurrit Exorcismus, cujus prægnans ratio uti fortaſſis non ſubeſt, ita, ad ſolam adverſariorum inſtantiam, abolendus non erit *add.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 3. ibique* STRYK *in not.*

§. 8. Ad ceremonias etiam pertinet, quod Patrini vel Suſceptores Baptiſmo adhibeantur, quæ conſvetudo, ex perſecutionibus Chriſtianorum, cenſetur habere originem *v.* STRYK. *ad Br. l. 2. c. 1. m. 2. §. 12.* Hodie ritus ille eſt obſervandus *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 271.* numerus autem patrinorum, non ſemper idem eſt: Jure Canonico, unus ſaltem adhibendus eſt *c. 101. diſt. 4. de conſecr. c. 3. de cognat. ſpirit. in 6.* Hodie in quibusdam locis, tres, in aliis, quinque adhibentur; Nobiles tamen & milites, ad numerum illum, non ſolent eſſe adſtricti *v.* CARPZ. *l. 2. D. 268. ſeqq.* quod proſopolepſiam interpretatur BRUNNEM. *l. 2. c. 1. m. 2. §. 12.* Sed non apparet valida ratio, quare, in actibus mere civilibus, diſcrimen perſonarum admitti nequeat.

§. 9. Uſus patrinorum, ut jam dixi, eſt actus mere civilis, & ritus externus, hinc, quamdiu lege ſpecialius nihil cautum eſt, quivis illud munus ſubire poteſt, qui in vita civili pro homine honeſto habetur. Ex hoc præſuppoſito, infantes quoque admitto, quos tamen alii, ex ſuis hypotheſibus, repellunt *v.* STRYK *ad Br. l. 2. c. 1. m. 2. §. 12.* Jure Saxonico is, qui eſt infra quindecim annos, admitti non debet *art. gen. tit. 6.* ſed vix id obſervatur. Hæretici quoque patrinorum munere fungi poſſunt, licet alii aliter ſentiant *v.* STRYK *d. §. 12.* Jure tamen humano repelli poſſunt *v. art. Saxon. gen. tit. 10. §. desgleichen, item zum vierdten.*

§. 10. Ad patrinum inprimis requirunt pietatem *v.* STRYK *d. §. 12.* ſed cum de vera pietate homines judicare nequeant, fruſtra requiritur, quod captum & judicium humanum excedit: ut plurimum hypocritæ, & Clero obſequioſi, pietatis monopolium habere cenſentur! Nihil ergo requirendum eſt, quam externa honeſtas, niſi lex ſpecialius quid determinaverit, neque etiam honeſtas illa ceſſat, ob ſiniſtram opinionem, vel conjecturas male fundatas, ſed legitimis probationibus ejus defectus oſtendi debet: Si miniſter Eccleſiæ, ſine juſta cauſa, aliquem admittere nolit, injuriarum tenebitur.

§. 11.

§. 11. Munus patrini oblatum, ſuſcipiendum eſt, reluctantes multa vel carcere adiguntur *v.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 2. §. 23.* Sed uti hic rigor raro fortaſſis adhibetur, ita, objuſtam cauſam, impune munus illud declinare licet *v.* STRYK *ad* BRUNNEM. *l. 2. c. 1. m. 2. §. 12.* Quando quis hoc munere functus eſt, tum nulla, niſi humanitatis obligatio communis, quoad ſuſceptum, adeſſe videtur, nam quod Suſceptor educationis curam gerere *v. c. 105. diſt. 4. de conſecrat.* vel ſuſcepti tutelam ſubire, aut, deficientibus aliis mediis, eum alere teneatur *v.* SCHILTER. *d. l. §. 24.* id nullius uſus eſſe videtur. Interim verum eſt, quod electio patrinorum ſæpe non aliam ob cauſam fiat, quam quo vel parentes, vel infans, honeſtius deinde mendicare queant.

§. 12. Offertur infanti baptiſato aliquod munus, ſive pecunia luſtrica *v.* STRTK *ad Br. J. E. l. 2. c. 1. m. 2. §. 13.* quæ pleno jure ei acquiritur, ſi pater forte jam mortuus ſit, ſi vero, quod plerumque eſſe ſolet, adhuc vivat, tum non ſatis liquet, cui peculio eadem annumeranda ſit. Quidam peculio profectitio *v.* LAUTERB. *C. J. de pecul.* verb. *profectitium* Dn. D. KOENIG *diſp. de manumiſſ. mancip. Turcic. baptism. implic. c. 2. §. 22.* Alii quaſi caſtrenſi *v.* RADOV. *diſſert. de pecun. luſtr. c. 4. §. 9.* Quidam adventitio irregulari illam annumerant *v.* STRYK *d. §. 13.* ſed probabilior videtur ſententia, quæ ad adventitium regulare pecuniam luſtricam refert *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 272.* hinc etiam liberis, quoad conſumtam, tacita hypotheca in bonis patris competit *v.* CARPZ. *p. 2. C. 24. D. 18.*

§. 13. Ne nimia muneris baptismalis delatione, civibus incommodum creetur, aut ne plus juſto, in convivia baptismalia', ſimiliaque impendatur, ordinationibus politicis caveri ſolet, *v.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 2. §. 28. 29.* BRUNNEM. *d. §. 3. ibique* STRTK. *in not.* quæ tamen ut plurimum nullius ſunt effectus, inprimis iis in locis, in quibus magna incolarum eſt diſparitas, & ditioribus tenuiores ſunt permixti, tum enim hi, nolentes volentes, illorum oſtentationem æmulari debent, ni ludibrio haberi velint.

§. 14. Effectus baptismi, intuitu Dei, eſt, quod baptiſatus, in fœdus gratiæ divinæ cooptetur, de quo Theologi agunt, ac putant nonnulli, uſum interulæ luſtricæ, *des Weſterhemds*, ex eo habere originem, quod

quod in ſignum liberationis, à ſervitute Satanæ, fuerit data *v.* Dn. D. KOENIG. *diſſert. de manumiſſ. mancip. Turcic. c. 3 §. 32.* Intuitu autem vitæ civilis, id operatur baptismus, ut quis jura chriſtianorum conſequatur *v.* SCHILT. *d. l §. 18. 19.* Jure Canonico, inter ſuſceptorem & ſuſceptum, etiam cognatio ſpiritualis exiſtit *c. 3. de cognat. ſpir. in 6.* quam jus civile quoque approbat *l. 26. C. de nupt. v.* STRYK. *ad Br. l. 2. c. 1, m. 2. §. 12.* Sed, inter Proteſtantes, cognatio illa ceſſat.

§. 15. Quodſi mancipium Turcicum aliudve infidele, ad religionem chriſtianam convertatur, ac baptiſetur, tum baptismo manumiſſionem eſſe implicitam, adeoque novum illum chriſtianum, fieri liberum, aliqui cenſent *v.* Dn. KOENIG *d. diſſert. c. 3. §. 9. ſeqq.* ſed cum manumiſſio, ex legibus humanis, dependeat, hæ vero effectum libertatis baptismati haud tribuerint, ideo merito implicita illa manumiſſio negatur, hoc certe tamdiu dicendum, donec diſſentientes contrarium probaverint.

§. 16. Ex *can. 15. diſt. 54.* implicita illa manumiſſio probari nequit, cum ſaltem doceat, quod infidele mancipium, quandoque favore religionis chriſtianæ, libertate donandum ſit, ex quo manumiſſio, baptismo implicita, potius negatur. Conſtitutio Pii V. quam 1566. edidit, quamque LAERTIUS CHERUBINUS *part. 1. Magni Bullarii Romani n. 17.* retulit, inter Proteſtantes, nullius eſt autoritatis, præterea laudatam illam manumiſſionem magis negat quam aſſerit: Hinc etiam experientia comprobat, quod mancipia baptiſata, in ſervitute permaneant, niſi alia manumiſſio acceſſerit. His ita ſe habentibus, multo minus baptismati ejusmodi, effectus adoptionis tribui poteſt *v.* Dn. THOMAS. *Dodec. quæſt. promiſc. Hal. 1693. qu. 8.*

§. 17. Quibusdam in locis conſvetudinis eſt, ut puerpera, poſt exactas ſex ſeptimanas *v. c. un. X. de purific.* in templo ſe ſiſtat, acà miniſtro Eccleſiæ benedictionem accipiat: Cui conſvetudini, ſi alicubi vigeat, omnes puerperas ſe debere ſubmittere, ſi vero recepta non ſit, eam neceſſario non eſſe introducendam cenſet BRUN. *J. E. l. 2. c. 1. m. 2. §. 14.* Quod poſterius uti facile conceditur, ita prius rectius à CARPZ. *J. E. l. 2. D. 273.* negatur, cum probari nequeat, quod talis conſvetudo, in legem obligantem, evaluerit, libertas vero religionis, incongrue à CARPZ. probandæ ſententiæ, allegatur.

CAPUT

CAPUT XIII.
DE EUCHARISTIA.

SUMMARIA.

Euchariſtiæ conſideratio theologica & juridica eſt §. 1.
Diſpenſatur à miniſtro Eccleſiæ §. 2.
In communicaturis requiritur neceſſaria cognitio §. 3.
Aſſenſus §. 4.
Pœnitentia & peccatorum confeſſio §. 5.
Ad uſum Euchariſtiæ homines vi §. 6.
Vel ſubtractione commodorum ſunt compellendi §. 7.
Sed hoc defendi nequit §. 8.
Rationes oppoſitæ diluuntur §. 9. 10.
Neque recte quis compellitur ad miniſterium certi alicujus confeſſionarii §. 11. 12. 13. 14.
Rationibus non vi hic agendum §. 15.
Diſpenſandæ Euchariſtiæ ſumtus, locus, tempus & ritus §. 16.
Judicium Brunnemanni de hiſce ritibus §. 17. 18.
A ſubditis illi ſunt obſervandi nec ab Imperante facile mutandi §. 19.

§. 1.

ALterum Proteſtantium Sacramentum, eſt Euchariſtia, in cujus explicatione, itidem cavendum, ne theologica & juridica, ſine delectu, permiſceantur. Quid ſit Sacra Cœna, an & quando, ex præcepto divino, illa uti debeamus, quæ ſit ejus materia, quis digne illa utatur nec ne? ea, ſimiliaque explicat Theologia *v.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 2. tit. 6.* BRUNN. *J. E. l. 1. c. 6. m. 4. l. 2. c. 1. m. 3.* Sed quomodo inſtituta divina, legibus humanis velut fulciri, aut externæ ceremoniæ aliaque adiaphora recte ordinari, ac inprimis injuſta coactio aliique abuſus externi impediri debeant, de eo agere debet Jurisprudentia.

§ 2. Diſpenſatur S. Cœna, à miniſtro ordinato, hoc ſive ex inſtituto divino, ſive, quod verius eſt, humano dependeat, recte illud ſanctione pœnali tuetur Imperans, hinc nemo in munus, alteri demandatum, involare debet *v.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 3. §. 2.* quemadmodum etiam ipſi miniſtri Eccleſiæ, alio miniſtrante, ſacra cœna uti tenentur *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 293.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 4. §. 12. ibique* STRYK *in not.* Inprimis Imperans curam gerere debet, quo miniſtri Eccleſiæ, debita cum reverentia, munus ſuum peragant. An autem Euchariſtia, ab ebrio vel vitioſo miniſtro diſpenſata, alicujus effectus ſit? id Theologi expedire debent. *v. can. 89. 90. C. 1. qu. 1.* Dn. FALCKNER *de paroch. c. 3. §. 60.*

§. 3. In Communicaturis, ex inſtitutione divina, requiritur (1.) *neceſſaria cognitio*, quo igitur homines cognitione illa imbuantur, Imperans proſpicere poteſt & debet, cumque munus docendi miniſtris Eccleſiæ conceſſum ſit, hinc eorum officium exigit, ut rudes diligenter informent, quod valde iterum exaggerat BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 4. §. 3. ſeqq.* quia ſcilicet facile eſt, onus, quod ipſi ſubire non debemus, intendere. Cum autem de cognitione, per externa indicia, judicare liceat, hinc illa, velut externum præſuppoſitum, legibus humanis ſubeſt, quamobrem infantes, rudes vel etiam mortui, ab uſu Euchariſtiæ, recte excluduntur *v.* SCHILTER. *J. J. C. l. 2. tit. 3. §. 6.*

§. 4. Deinde etiam requiritur, ut communicaturus (2.) *cognitioni requiſitæ aſſentiatur*, cumque de aſſenſu externo, ex receptis fidei formulis, certo judicari queat, hinc diſſentientes, à S. Cœna, recte iterum arcentur, licet enim de interno & ſerio aſſenſu, nunquam certi ſint homines, attamen externi merito etiam habetur ratio hactenus, ut ii, in quibus ne quidem externum & remotum præſuppoſitum occurrit, non male ab Euchariſtia repellantur, cum hoc modo etiam irriſio & ludibrium, quo formulæ receptæ conſentientes, alias afficerentur, evitetur. Si autem, qui hactenus diſſenſit, formulæ fidei probatæ accedat, tum, prævia denunciatione & gratiarum actione, admittitur *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 267.*

§. 5. Amplius in communicaturo requiritur (3.) *pœnitentia & ſerium emendandi vitam propoſitum:* impœnitentes igitur & impii, uſu vel potius abuſu S. cœnæ, graviter peccant, de quo Theologi agunt. Num vero impœnitentes, à S. Cœna, repellendi ſint, alia quæſtio eſt, quæ, cum externam coactionem, & media civilia reſpiciat, non tantum ad Theologos, ſed & potiſſimum Politicos pertinet, de qua, capite ſequenti, agemus. Denique communicaturus, ex ordinatione humana (4.) *peccata confiteri debet*, ſi quis igitur, ſine prævia confeſſione, S. cœna uti velit, is merito repellitur, aut ſi, facta confeſſione, ejus uſum, ſine cauſa, differat, tanquam ordinationis humanæ contemtor, aliqua pœna afficitur *v.* CARPZ. *l. 2. D. 275. 276. 277.*

§. 6. Quoties quis Euchariſtia uti debeat, id lege divina determinatum non eſt, adeoque cujusvis conſcientiæ id relinqui debet *v.* BRUN-

BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 1. m. 3. §. 6. ibique* STRYK *in not.* Quodsi autem quis, qui receptæ fidei formulæ assentitur, per longum tempus, S. cœna non utatur, is, prævia admonitione, carcere aliisque pœnis, ad ejus usum, adigi, ac, perseverante contumacia, relegari, vel si, in illo statu, moriatur, honesta sepultura ei denegari potest, ex sententia communi, cui praxis etiam non raro suffragatur *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 294. seqq.* SCHILTER. *J. J. C. l. 2. tit. 3. §. 15.*

§. 7. Crassiorem, in hac sententia, latitare papatum, suboluit BRUNNEMANNO *l. 1. c. 6. m. 4. §. 2.* hinc, improbata illa violentia, censet *contemtorem ejusmodi, ab Ecclesia, imo & ab honestis conventibus esse excludendum, &, antequam recipiatur, examinandum, an dignos pœnitentiæ fructus ediderit add.* STRYK *in not. ad d. §. 2.* Sed in hac exclusione, etiam coactio est, sive enim carcere aut relegatione, sive ignominia, vel commodorum quorundam subtractione, ad aliquid compellaris, sane omnia in coactionem, suis licet gradibus distinctam, resolvuntur! Disciplina ecclesiastica, defendendæ violentiæ frustra allegatur, nam & illa, papale terriculamentum est, ut suo loco dicetur.

§. 8. Omnis igitur coactio, papalis & injusta est, ac perperam adhibetur, nam per eam vera pietas, & salutaris S. cœnæ usus produci nequit, sed potius coactus, ad abusum compellitur, ac, in majus animæ periculum, præcipitatur. Nihil aliud igitur homines hic agere possunt, quam ut diligenter morosum adhortentur, quo salutis suæ rationem habere velit, exitus Deo est commendandus, ac interim contumax, si rationes civiles non turbet, tolerandus: Poterit etiam innoxia emigratio ei injungi, id quod, in locum communem, de tolerantia vel expulsione dissentientium, incidit, quem alibi attingemus.

§. 9. Rationes sententiæ contrariæ, nullius sunt momenti (1.) *contemtorem S. cœnæ, sibi ipsi nocere*, ita est! Sed coactione damnum non tollitur, verum intenditur (2.) *eum puniri ob inobedientiam*, ubi nullum est imperium, ibi etiam nullus imperii est contemtus (3.) *ingens illum præbere scandalum*, qui libertatem religionis & cultus intelligit, non scandalizabitur, nec ineptum scandalum acceptum, ineptiori remedio tollendum est (3.) *ad exemplum blasphemi, illum puniri posse*, sed à blasphemia, ad omissionem Eucharistiæ, male infertur,

circa illam ſaltem intendimus omiſſionem actus externi, quæ pœnis humanis obtineri poteſt, circa hanc vero, veram pietatem & uſum ſalutarem, quibus obtinendis, coactio fruſtra adhibetur. Interim in punienda etiam blasphemia, limites tranſiliri ſolent, de quo alibi.

§. 10. Ulterius (4.) *contemtoribus cultus divini, tam in veteri teſtamento, quam in jure Canonico c. 12. X. de ſepult. & ordinationibus Proteſtantium eccleſiaſticis, honeſtam ſepulturam denegari.* Verum exempla judaica nobis imitari non licet, nam pœnæ illæ, à Deo, qui dominus religionis & conſcientiarum eſt, ſunt ſtatutæ, tale vero dominium nulli homini competit, jus autem Canonicum, & inde promanantes ordinationes eccleſiaſticæ, nullius hactenus ſunt autoritatis, quia ex imperio male arrogato profluunt (5.) *contemtores eſſe puniendos, quo alii, ab ejuſmodi contemtu deterreantur*, ſalutaris cœnæ uſus, terrore pœnarum, obtineri nequit, hinc, ex defectu finis, apparet, jus puniendi hominibus hic non competere.

§. 11. Sicut nemo, ad uſum S. Cœnæ, in genere cogi poteſt, ita etiam adigi nequit, quo illa præciſe, in certa parochia, utatur, nam religionis & cultus libertas, hic etiam locum habet. Interim contraria ſententia, juxta quam nemini, in alia parochia, S. Cœna uti licet, niſi in caſu neceſſitatis, communior, & fortaſſis etiam praxi ſuffulta eſt *v.* CARPZ. *l. 2. D. 290. 291.* Ut res propius intelligatur, diverſæ conſiderationes ſunt ſeparandæ: Miniſtrum eccleſiæ non recte agere, ſi variis artibus alterius auditores ad ſe alliciat, ac eo nomine pœnis legum humanarum ſubeſſe, recte dicitur *v. c. 7. §. 23.*

§. 12. Illud quoque certum, quod is, qui ex ſolo odio Confeſſionarium mutat, ac, eo durante, alibi S. cœna utitur, peccet. An vero ille, mediante coactione, ad priorem Confeſſionarium ſit remittendus? alia quæſtio eſt, quæ communiter quidem etiam affirmatur *v.* CARPZ. *d. D. 290. n. 14.* ſed merito, ceu jam dixi, negari debet *v. c. §. §. 30.* ſane rationes, in contrarium allatæ, non valde urgent, nam quod (1.) *mutatione illa, prior Confeſſionarius, injuria vel ignominia affici* dicatur, id cultus libertas ſtatim diſſipat.

§. 13. Nec majoris momenti eſt, quando dicitur (2.) *alius exemplum illud eſſe ſecuturos*, nam hoc ipſis utique licet; ita vero (3.) *obſequium miniſterio debitum, cum omni diſciplina, facile eſſe ruiturum*, ſed

Digitized by Google

ſed Clero nullum imperium aut diſciplina competit, hinc etiam nullum eo reſpectu occurrit obſequium (4.) *curam animarum ejusmodi mutatione turbari*, hoc conſcientiæ ejus, qui mutationem eligit, relinquendum eſt, miniſter Eccleſiæ eſt ſecurus, ſi quis ejus opera uti nolit.

§. 14. Illud quoque urgetur (5.) *miniſtros eccleſiæ, admiſſa illa mutatione, vitia auditorum libere non eſſe taxaturos, cum ſemper metuendum ſit, ne denuo, hoc paſtore deſerto, alium quærant.* Sed qui nummum confeſſionarium conſcientiæ non præfert, is metu novæ mutationis, à libera vitiorum cenſura, non deterrebitur (6.) *neminem, qui odio erga confeſſionarium flagrat, alibi illæſa conſcientia, communicare poſſe*, hoc dubio procul concedendum eſt, (7.) *ergo illum alibi non eſſe admittendum*, hoc exinde non ſequi, libertas religionis oſtendit, tentanda ſaltem eſt mediis habilibus reconciliatio (8.) *miniſtrum Eccleſiæ, extra parochiam ſuam, non habere jus diſpenſandi Sacramenta*, eſto! ad ſe tamen accedentes poterit admittere, quanquam nec prius ſimpliciter verum ſit *v. c. 7. §. 23.*

§. 15. Cæterum hactenus dicta non eo pertinent, quaſi libertati illi, qua quis, ab uſu S. Cœnæ, vel omnino abſtinet, vel, in certa parochia, illa uti non vult, ſtatim ſit cedendum: rationes, etiam cum perſeverantia, adhibendæ ſunt, his vero nihil proficientibus, vim male in ſubſidium vocari arbitror. Et ſane ſi quis ſerio indolem cultus divini expendat, is facile intelliget, violenta remedia, ex rationibus Cleri papalis, habere originem, quo ſcilicet per ea, in externo Cleri obſequio, Laici retinerentur, nam hic ſcopus, per illa, omnino obtineri poteſt, pietatem vero ac curam animarum, ut alibi, ita hic etiam, prætextui eſſe ſumtam.

§. 16. Sumtus diſpenſandæ Euchariſtiæ neceſſarii, ex ærario Eccleſiaſtico ſumuntur, vel, hoc deficiente, à Parochianis præſtantur *v.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 3. §. 10.* ac curare debent ii, ad quos ea cura pertinet, ne res neceſſariæ, circa adminiſtrationem S. Cœnæ, deficiant *v.* CARPZ. *l. 2. D. 289.* De cætero diſpenſatio Euchariſtiæ regulariter fit in templo *v.* CARPZ. *d. l. D. 292.* diebus dominicis & feſtivis, aliquando etiam operariis SCHILT. *d. l. §. 13. 14.* nam hæc legibus humanis ſubſunt, quæ etiam veſtitum communicantium *v.* CARPZ. *d. l. D. 274.* ut & cæteras ceremonias & adiaphora, qualia ſunt uſus altarium,

oblatarum, lænarum, cereorum, muſicæ, ritus geniculandi & ſimilia, definire poſſunt & ſolent.

§. 17. Circa hanc rem diſpicet BRUNNEMANNO *J. E. l. 1. c. 6. m. 4. §. 8. 9.* difformitas ceremoniarum, dum e. gr. fœminæ, quando recitantur oratio dominica & verba Sacramenti, in genua procumbant, mares vero illa ſtantes audiant. Præterea illud quoque reprehendendum putat, quod pauciſſimi adminiſtrationi Sacramenti interſint, ſed plerique abeant *add.* CARPZ. *l. 2. D. 245.* Enimvero quod prius attinet, uniformitas & difformitas ceremoniarum, eodem loco habenda videtur. Poſterius vero, ſive manſio in templo, conſcientiæ cujusvis relinquenda erit, vis ſane inutiliter adhibebitur.

§. 18. Muſicam figuralem, quam vocant, rejicit quoque BRUNNEM. *l. 2. c. 1. m. 3. §. 4.* quod aliis dijudicandum relinquo. Eam etiam conſvetudinem, qua fiſtula Calici imponitur, ac per eam vinum magis ſorbetur, quam bibitur, improbat *d. l. §. 5.* quæ cenſura rationem omnino habet. Quod vero præſentiam totius Miniſterii, circa adminiſtrationem Sacramenti hujus, requirat *d. l. §. 7.* illud non probandum videtur, cum ſine ſpe alicujus utilitatis, grave onus miniſtris Eccleſiæ imponatur.

§. 19. Quæ autem ceremoniæ, in hac vel illa Eccleſia, obtineant, id ex ordinationibus eccleſiaſticis diſcendum. Illas vero tam miniſtri Eccleſiæ, quam communicantes, obſervare tenentur *v.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 3. §. 5. 16. 17.* Quodſi ceremoniæ Eccleſiaſticæ, mutandæ ſint, triplex quidem Eccleſiæ Status, ad mutationem illam non requiritur, licet ita communiter velint *v.* CARPZ. *l. 2. D. 247.* Interim certum eſt, quod mutatio talis, non temere ſit ſuſcipienda, quodque benefaciat Imperans, ſi, cum ſubditorum conſenſu, eam peragat. Mutationes aulicæ, plerumque ſunt ſuſpectæ, maxime ſi Dominus Territorialis alii religioni ſit addictus, iis tamen, ſi ſola adiaphora reſpiciant, omnino parendum eſt *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 2. §. 31.*

CAPUT

CAPUT XIV.
DE CONFESSIONE AURICULARI.

SUMMARIA.

Confeſſionis auricularis indoles ac à pœnitentia generaliter accepta diverſitas §. 1.
Circa pœnitentiam interventu Miniſtri Eccleſiæ peragendam occurrit clavis ligans & ſolvens §. 2.
In actu confeſſionis privatæ utraque clavis ſimul adhibenda §. 3.
Confeſſio amicularis eſt ex inſtituto humano §. 4.
Eoque ſenſu obſervari debet §. 5.
Ob delicta dubia vel præterita à confeſſione nemo repellendus §. 6.
Status controverſiæ quoad peccata futura §. 7.
Diſtinctiones expediendæ quæſtioni neceſſariæ §. 8.
Ad excitandam veram pietatem, ne ab Imperante quidem impœnitentes ab Euchariſtia arceri poſſunt §. 9.
Bene tamen ad obtinendam externam honeſtatem §. 10.
Hæc tamen potius per diſciplinam civilem, quam inſtituta eccleſiaſtica procuranda erat §. 11.
Miniſtris Eccleſiæ poteſtatem repellendi quidam tribuunt, alii circa hanc rem fluctuant §. 12.
Sed poteſtas hæc illis ſecundum jus divinum neganda §. 13.
Nam vera pietas violentis mediis excitari nequit §. 14.
Cura vero externæ honeſtatis violenta homini privato non competit, ac admiſſa varia parit incommoda §. 15. 16. 17.
Refellitur diſſentientium ratio prima §. 18.
Secunda, tertia §. 19.
Quarta §. 20.
Et quinta §. 21.
Applicatio dictorum ad praxin §. 22.
Miniſter, qui conſcientiam erroneam emendare nequit, munere eccleſiaſtico abſcedere debet §. 23.
Actus euchariſtiæ externus quomodo ab hujusmodi ſcrupulis liberari queat §. 24.
Ex dictis clavis ſolventis & ligantis uſus & abuſus §. 25.
Nec non ordinationum eccleſiaſticarum rejectionem privatam prohibentium juſtitia oſtenditur §. 26.
Miniſtri Eccleſiæ, qui contumaciter rejectionem impœnitentium ſibi aſſerunt, ab officio recte removentur §. 27.
Poteſtas ſolvendi & ligandi quo ſenſu ſolis miniſtris Eccleſiæ competat §. 28.
Confeſſionis privatæ locus, tempus modus & adjunctum §. 29.
Sigillum confeſſionis §. 30.
Quatenus inter Proteſtantes obſervandum §. 31.

§. I.

CONfeſſio privata ſine auricularis, eique conjuncta Miniſtri Eccleſiæ abſolutio, antecedit Euchariſtiæ uſum. Eſt illa *actus, quo chriſtianus peccata ſua in genere, ſine enumeratione ſpeciali, Confeſſionario ſuo confitetur ab eoque, juxta præſcriptum verbi divini, abſolvitur v.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 4. §. 1.*

Debet

Debet illa, à Pœnitentia generaliter accepta, distingvi, tanquam species à genere: Nam pœnitentiam poterit immediate, & remotis arbitris, erga Deum declarare homo, ab eoque etiam, juxta verbum divinum, remissionem peccatorum, certo sibi polliceri.

§. 2. Quando autem pœnitentia & absolutio, vel ejus negatio, sive peccatorum retentio, interventu Ministri Ecclesiæ, peragenda est, tum clavis ligans & solvens, de qua *Matth. XVI. 19. XIIX. 18. Joh. XX. 23.* id est *potestas, juxta præscriptum verbi divini, impœnitentes peccatores condemnandi, pœnitentibus vero gratiam divinam promittendi,* ministris Ecclesiæ generaliter competit, eamque adeo illi, etiam extra actum confessionis auricularis, exercere possunt, hinc illa, in suggestu, vel simpliciter, vel prælecta antea confessione generali, quoque utuntur, id quod experientia satis comprobat.

§. 3. Præterea, in actu confessionis privatæ, etiam pœnitentia, eique respondens clavis ligans & absolvens, occurrit, id quod, ratione actus externi satis certum, num vero pœnitentia vera & interna concurrat, id soli Deo notum est. Quod autem usum clavis ligantis & solventis attinet, poterit minister Ecclesiæ, extra actum confessionis privatæ, eadem separatim uti, dum impœnitentibus iram, pœnitentibus vero gratiam divinam annunciat; sed in actu confessionis privatæ, ubi ad certam personam est facienda applicatio, minister conditionata absolutione defungi debet, cum non sit cordium scrutator, quo ipso, nisi me omnia fallunt, clavis ligans & solvens conjunctim exercetur, nam dum quis, sub conditione fidei & pœnitentiæ absolvitur, eo ipso, deficiente conditione, non absolvitur, sive ligatur.

§. 4. Est autem confessio auricularis, nullibi in verbo divino præcepta, hoc sane tamdiu recte dicitur, donec affirmantes contrarium probaverint *add.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 2. tit. 5. §. 8.* Num in primitiva puriori Ecclesia fuerit in usu, alii expediant; Illud certum videtur, quod Clerus papalis, actu illo, ad stabiliendum dominatum, fuerit abusus: Nam eo fine introducta fuit specialis peccatorum enumeratio, ac potestas, peccata vel multa, vel alia pœna coercendi, Clero tributa. Post Reformationem, crassior ille abusus quidem sublatus est, ipsa tamen confessio auricularis mansit, informandis simplicioribus, & consolandis eo efficacius peccatoribus *v.* CARPZ. *l. 2. D. 275.* forte

forte etiam ob nummum confeſſionarium, aut, quia inſtitutis illis ſtatim deſveſcere non licuit.

§. 5. Ubi ergo Confeſſio privata recepta eſt, ibi, velut ordinatio humana, obſervari debet *v. c. præc. §. 5. n. 4.* Quia etiam illa Euchariſtiam antecedit, ideo, quæ de neceſſaria cognitione aſſenſu & pœnitentia diximus *cap. præc. §. 3. 4. 5.* hic quoque locum inveniunt *adde* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 4. §. 4. ſeqq.* Illa verò quæſtio: *num impœnitentes, à confeſſione auriculari & Euchariſtia repellendi ſint?* quam *d. §. 5. n. 3.* indicavimus, plenius jam eſt expedienda.

§. 6. Si quis delicti alicujus falſo inſimuletur, aut illud valde incertum ſit, tum is merito admittendus eſt *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 284. ſeqq.* idem dicendum, ſi quis, ob delictum commiſſum, ſatisfactionem præſtiterit CARPZ. *d. l. D. 279.* Hoc tamen caſu non aliter admitti debet, quam prævia pœnitentia eccleſiaſtica, niſi forte periculum mortis ſubſit, tum enim, ſine ea, uſus Euchariſtiæ concedendus erit ex ſententia CARPZ. *d. l. D. 281. 282. 283.* Verum nulla ſubeſt indiſpenſabilis neceſſitas, quoad pœnitentiam eccleſiaſticam, ſed tota ſubjacet arbitrio Imparantis, hinc, prout leges jubent, vel adhiberi vel omitti poteſt.

§. 7. Sed de delictis præteritis res non adeo involuta eſt. Major difficultas quoad futura ſubeſt, adeoque illud præcipue quæritur, *num is, qui inimicitiis, ebrietati, ſcortationi, duellis ſimilibusque vitiis, hactenus indulſit, ac, judicio humano, eadem continuaturus præſumitur, à confeſſione privata & S. cœna ſit repellendus, ſi emendationem vitæ promittere nolit?* de quo quid alibi dixerim, jam prolixe referre non attinet, breviter potius magisque diſtincte illud nunc expedire conabor.

§. 8. Illud igitur dubium non habet, quin impœnitens ſerio admoneri queat, manente iſta conditione, uſum S. cœnæ omittat, ſed ſi ille propoſito inhæreat, ac uſum illum conſtanter expetat, tum quæſtio allata locum invenit. Et putaverim jam, diſtingvendum eſſe inter *Imperantem eique ſubordinatum magiſtratum eccleſiaſticum*, ac *miniſtrum eccleſiæ.* Circa illum, rurſus diſtinguendum erit inter finem repulſionis, utrum ſcilicet *eo ſine impœnitens, à S. cœna repellendus ſit, quo vera pœnitentia, in eodem, excitetur*, an eo ſaltem, *quo ad externam honeſtatem revocetur.*

§. 9. Hoc posito, ne ipsi quidem Imperanti & magistratui ecclesiastico fas esse putem, impœnitentem a Sacra cœna repellere, quo vera in eo excitetur pœnitentia, nam finis ille, mediis humanis, obtineri nequit, hinc hæc etiam adhiberi nequeunt. Accedit, quod status mentis humanæ sit inconstans, cumque Deus corda hominum flectere queat, hinc, si finem allatum spectemus, usus Eucharistiæ potius admittendus videtur, cum, ex imperscrutabili Dei consilio, per eum, ad pietatem convèrti queat impœnitens, secus ac homines opinabantur.

§. 10. Quodsi autem eo saltem fine impœnitens repellendus sit, quo ad externam honestatem revocetur, tum jus repellendi, Imperanti & magistratui ecclesiastico competere arbitror, nam sicut alias legibus suis externam honestatem sancire potest, ita omnino etiam disponere posse videtur, ut nemo ad S. Cœnam admittatur, nisi qui a gravioribus delictis est immunis, eo ipso enim nihil aliud agit, quam ut aliquod præsuppositum, quod in ipsius potestate est, definiat; & quo jure externum assensum, in Communicaturis, exigere potest *v. cap. prec. §. 4.* eodem etiam ipsi externam honestatem requirere licet.

§. 11. Atque in hunc sensum si accipiatur communis sententia, quæ Imperanti jus repellendi ab Eucharistia tribuit *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 280.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 4. §. 10. 13. l. 2. c. 1. m. 3. §. 12. ibique* STRYK *in not.* tum omnino admitti debet. Interim satius omnino esset, si Imperans per disciplinam civilem, bene instructam, cives suos præpararet Ecclesiæ, quam ut nunc demum, per instituta ecclesiastica, mores civiles & externos formare intendat.

§. 12. Ministrum Ecclesiæ quod attinet, si is religioni sibi ducat, impœnitentem admittere, tum dubio procul hanc rem deferre potest ad Consistorium; hoc igitur si, juxta modum antea expositum, eum repellendum esse decernat, res confecta est, si vero vel nihil decernat, vel etiam eum admitti jubeat, tum quæritur, an minister, proprio judicio, eum repellere possit, vel etiam an hoc statim, sine prævia aliqua denunciatione, facere queat? Plerique sane, ex Clericorum ordine, affirmativam defendunt, ac illi, qui sanctitate se eminere, sibi persvadent, praxin quoque addunt, in eaque verum clavis ligantis usum consi-

conſiſtere, arbitrantur. Alii fluctuant, ac durum hunc eſſe nodum cenſent *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 1. m. 3. §. 12.*

§. 13. Mihi certum videtur, quod Miniſtro Eccleſiæ, privata autoritate, impœnitentem repellere non liceat. Ei vero probando, nondum urgebo ordinationes eccleſiaſticas, quæ hoc miniſtris Eccleſiæ prohibent, aut quod totus confeſſionis auricularis actus, ſit juris humani, in quod privatis mutandi arbitrium non competat, nam hæc, rationibus non præſtructis, prætextu mandati divini, à diſſentientibus eludi ſolent: Sed rationibus potius probare conabor, quod rejectio impœnitentium Miniſtris Eccleſiæ, jure divino, non tantum non ſit injuncta, ſed potius prohibita.

§. 14. Nimirum rejectio impœnitentium, vel ſuſcipienda ob *veram ſeriamque pœnitentiam*, vel ſaltem ob *externam honeſtatem.* Illa hoc medio obtineri nequit, hinc male hactenus à miniſtris Eccleſiæ hoc uſurpabitur, per ea quæ *§. 9.* dixi. Et ſane mera ſtultitia eſt, quando, mediis, violentiæ quid habentibus, veram pietatem excitari poſſe, exiſtimatur; non igitur dubitandum, quin Deus inepta ejusmodi media in genere prohibuerit. Cum autem Sanctuli hodierni finem illum palam præ ſe ferant, ac impœnitentes ideo repellendos eſſe cenſeant, quo, hac ratione, ad veram pœnitentiam, adigantur, ideo conatus illius inſania, ac ſimul autorum vel imprudentia, vel improbitas eſt manifeſtiſſima.

§. 15. Quodſi autem miniſter Eccleſiæ, eo fine, ſaltem rejectionem moliatur, quo impœnitens ad externam honeſtatem, revocetur, tum ſcopum illum, eo medio, obtineri quidem poſſe fateor, ſed illud privato competere nego. Eſt enim rejectio illa (1.) actus mere civilis ac aliquod imperium præſupponit, hinc à privato ſuſcipi non debet, id quod liquidius fit, ſi incommoda, quæ exercitium privatum non poſſunt non ſequi, expendamus, nam rejectio illa (2.) actus ignominioſus eſt, hinc ſi par in parem, eum ſuſcipiat, non poſſunt non graviſſimæ colliſiones inde oriri.

§. 16. Abſurdum præterea eſt (3.) unius hominis, qui vel ex ignorantia, vel pravis affectibus, ſæpe excedere poteſt, judicio talem rem committere: Sane miniſtri Eccleſiæ hanc poteſtatem ſibi antea arrogare nequeunt, quam probaverint, ſe ſortem humanam ſupergreſſos,

greſſos, ac ab omni errore, & affectum intemperie eſſe immunes. Denique (4.) plura alia incommoda, ex admiſſa repellendi facultate, ſequerentur, nam quibus rationibus, in ſpeciem, rejectio impœnitentium defendi poteſt, iisdem etiam alia inventa papalia tueri licet.

§. 17. Scilicet ſi impœnitens factam forte promiſſionem non ſervet, deinde juramentum vel cautio ab eo erit exigenda: Caſtigationem quoque & ferulas addere licebit, denique, ex eodem fonte, papalis delictorum occultorum inquiſitio derivari poterit! Nec dubitandum quin, firmato ſatis uno abſurdo, plura alia ſint ſecutura. Quæ cum ita ſint, tuto utique concludi poſſe videtur, actum, ad imperium civile pertinentem, ac, ſi privatis permitteretur, multa incommoda producturum, jure divino Miniſtris Eccleſiæ eſſe interdictum.

§. 18. Interim variis rationibus pro facultate repellendi impœnitentes, miniſtris Eccleſiæ competente, pugnari ſolet, quæ tamen fere, ad hæc capita, redigi poſſunt (1.) *peccare miniſtrum, ſi impœnitentes non repellat*, ſed hoc plane negandum, peccat ille ſi media habilia, doctrinam nempe & admonitionem neceſſariam, omittat aut, quod gravius eſt, vitiis aduletur, ac peccatores in improbitate ſua confirmet. Sed ſi media inepta, aut ad imperium civile ſpectantia, omittat, tum peccare dici non poteſt.

§. 19. Deinde urgetur (2.) *margaritas canibus & ſuibus non eſſe objiciendas Matth. VII. 6.* Sed nec hujus peccati fit reus, Miniſter Eccleſiæ, nam abſolvit conditionaliter, adeoque, deficiente conditione, non abſolvit: In uſu vero Euchariſtiæ, concurrit ſaltem ad actum externum, minime autem ad internum, ſive ſalutarem ſive noxium, hinc non objicit margaritas ſuibus, ſed id ſaltem, quod impedire nequit, permittit, i. e. nihil agit. Ex quo etiam liquet, quod, nullo cum effectu, dicatur (3.) *miniſtrum eccleſiæ, qui indignum admittat, ejus peccata participare v.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 1. m. 3. §. 12.* poſſe miniſtrum peccatorum alienorum fieri participem, dubium non eſt, id tamen, ob omiſſam rejectionem vel repulſam, non contingere, ſatis jam oſtenſum eſt.

§. 20. Sed competit tamen (4.) *miniſtris Eccleſiæ clavis ligans Matth. XIX. 18. Joh. XX. 23.* Ita eſt! Verum clavis ligans non involvit facultatem repellendi impœnitentes, ſed ejus vis in eo conſiſtit, quod

Mini-

Miniſter impœnitentes Imperanti poſſit denunciare, &, ſi hic eos admittendos eſſe cenſeat, conditionaliter abſolvere, addita declaratione, actum hunc, ſi conditio deficiat, non tantum inanem, ſed & noxium eſſe futurum: Plus clavi liganti ineſſe, nemo bonis rationibus probaverit, ſed, quæ effectum memoratum excedunt, papatum redolent.

§. 21. Præcedentibus addi poteſt (5.) *nimis videri paradoxon, quod, cum uſus Euchariſtiæ pœnitentiam requirat, impœnitentes tamen ſint admittendi, adeoque actus ſit ſuſcipiendus, deficiente licet requiſito neceſſario: Magis utique naturale eſſe, ut, hoc ceſſante, actus omittatur.* Fateor, ita dicendum eſſe, ſi omiſſio illa ſit privati arbitrii, ac nulla ſecum trahat incommoda, ſed cum, longe aliter illam ſe habere, oſtenſum ſit, ideo, ob defectum requiſiti, actus, privato judicio, omitti non debet, ſed res illa potius Imperanti denuncianda eſt, &, ſi hic impœnitentem admittendum eſſe cenſeat, admiſſio ſub conditione, actui huic neceſſaria, peragenda. Hinc datur tertium: actus non eſt omittendus nec pure ſuſcipiendus, verum ſub conditione.

§. 22. Hæc, niſi fallor, ſatis ſunt plana, ſed nihilominus, ad praxin, fortaſſis quis hærebit! Verum illa ex præcedentibus dirigi debet, hinc ſi impœnitens Miniſtro Eccleſiæ offeratur, id ei faciendum erit, quod *modo* diximus; ſi vero ipſe Imperans abſolutionem petat, ac ea tamen palam perpetret, quæ impœnitentiam arguant, tum, quia delatio ad Superiorem ceſſat, abſolutio conditionata, prævia doctrina & admonitione ſufficiente, impertienda eſt; ſane, ſi miniſter Eccleſiæ, privatum repellere nequit, multo minus Imperantem rejicere poteſt, maxime ſi impœnitentia ſit quodammodo dubia.

§. 23. Si ita agat Miniſter Eccleſiæ, & conſcientiæ ſuæ conſulit, nec rationes civiles turbat, ſed officium Viri prudentis implet. Quodſi tamen hæ ſimilesque rationes, alicui nondum ſufficiant, ut, illæſa conſcientia, impœnitentes admitti poſſe, exiſtimare queat, ei munere eccleſiaſtico abſcedendum, adeoque occaſio agendi evitanda eſt, nam uti contra conſcientiam, licet erroneam, non recte agitur, ita, vice verſa, errans exigere nequit, ut alii quoque errori actiones ſuas attemperent, atque ita ille in normam communem evaleſcat.

§. 24. Poſſet externus diſpenſandæ Euchariſtiæ actus ita inſtrui, ut nihil omnino ſcrupuli, Miniſtris Eccleſiæ, inde ſuboriretur, ſi ſcili-

cet confessioni & absolutioni speciali, generalis, ad nullum individuum in specie applicata, surrogaretur, ac usus Eucharistiæ, sine interventu Ministri, perageretur. Sed hactenus usitata dispensandi ratio, ad utilitatem & honorem Ministerii, magis pertinet, & licet scrupulos quosdam excitare apta sit, attamen conscientiam necessario non sauciat.

§. 25. Ex hactenus dictis, facile intelligi potest, in quo clavis solventis & ligantis *usus* & *abusus*, circa confessionem auricularem, consistat. Nempe usus legitimus, positus est, in *absolutione conditionata*, addita, ubi opus est, necessaria doctrina & admonitione, ut & quandoque, in *denunciatione Superiori facta*. Abusus duo sunt extrema, alterum, *si quis impœnitentes simpliciter absolvat*, aut, quod gravius est, *positivis rationibus securos reddat, ac in improbitate confirmet*, alterum, *si impœnitentes veros*, vel quod majus est, *putativos, privato ausu, repellat*. Prior abusus ex avaritia, posterior, ex ambitione, potissimum dependet.

§. 26. Illud etiam ex dictis liquet, Ordinationes ecclesiasticas, quæ Ministris ecclesiæ, impœnitentium rejectionem privatam prohibent, qualis etiam, in Saxonia Electorali occurrit *v. Art. Gener. tit. 7.* verb. *die aber in ihren Sünden unbußfertig verharren, und sich nicht bessern wollen, sollen zur Communion nicht zugelassen werden, doch mit ihnen nicht geeilet, sondern, wie droben vermeldet, die gradus admonitionum vorgenommen, und also niemand allein auf eigen Erkändniß der Pfarrer, vom heiligen Abendmahl abgehalten werden*, justissima ratione niti, & non ferendam imprudentiam vel improbitatem esse, quando prætextu mandati divini, eas nonnulli eludere conantur.

§. 27. Denique illud ex dictis etiam manifestum est, quod ministri Ecclesiæ, qui contumaciter rejectionem impœnitentium sibi arrogant, recte ab officio removeantur, nam, ut improbitas juri divino & humano contraria, sit impunita, nulla jubet ratio. Et putem, sollicita cura hisce conatibus occurrendum esse, ne turbones, fanatica pietate inprimis tumidi, sub speciosis prætextibus, infaustum reducant papatum. Illud tamen simul ad Imperantis officium pertinet, ut disciplina civili, rite instructa, graviores subditorum excessus reprimat, ac suo inprimis exemplo, ad honestatis studium eos revocet.

§. 28.

§. 28. Eos, qui usum Eucharistiæ, & consequenter confessionem auricularem omittunt, non recte ad illa cogi, jam *cap. præc. §. 6. seqq.* ostensum est. De cætero potestas absolvendi & ligandi, intuitu confessionis privatæ, Ministris Ecclesiæ ordinatis, ex lege humana, regulariter tantum competit *v.* ZIEGL. *ad Lancell. l. 2. tit. 5. §. 8.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 4. §. 12. 13.* In genere autem potestatem absolvendi & ligandi, solis Ecclesiæ Ministris non esse adscribendam, omnino existimem.

§. 29. Confessionis privatæ actus, regulariter in templo, debito tempore & ordine, est suscipiendus *v.* SCHILT. *d. l. §. 2. 16.* ac in quavis lingva, imo etiam per interpretem, aliaque indicia potest fieri *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D 278.* Actu peracto, nummus confessionarius, in subsidium salarii, satis quandoque modici, offerri solet. Quæ res uti in se non est improbanda, ita negari tamen non potest, quin abusus ac in specie injustam coactionem quandoque introducat *v.* SCHILT. *d. l. §. 17.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 118. 119.*

§. 30. Ea, quæ in Confessione Ministro Ecclesiæ revelantur, hic silentio tegere, nec propalare debet, cujus rei in Ecclesiis Protestantium, in quibus specialis peccatorum enumeratio cessat, rarior est usus. Stilo pontificio taciturnitas illa, *Sigillum Confessionis* dicitur *v. c. 2. dist. 6. de pæn. c. 12. X. de pænit.* quod superstitiose nimis Scriptores pontificii propugnare solent *v.* ZIEGLER. *ad Lancell. l. 2. tit. 5. §. 9.* Sed dubitandum non videtur, quin glaucoma, fallendis Laicis, objiciant, de cætero vero omnia, prout rationes Status Clericalis exigunt, Superioribus suis prodant.

§. 31. In terris Protestantium, silentium, quoad res præteritas, merito Ministris Ecclesiæ imponitur *v. Ord. Eccles. Saxon. art. gen. 7. §. fin.* hinc etiam ad testimonium, à Magistratu inferiore, evocati, illud reddere non tenentur CARPZ. *J. E. l. 3. D. 25.* Imperans tamen, ob causam valde urgentem, veritatis professionem exigere posse videtur. Quod autem delicta futura attinet, ad illa impedienda, confessio recte revelatur, quamvis si scopus obtineri queat, id generaliter potius & indefinite, quam specialiter sit faciendum. Recte quoque aget Minister Ecclesiæ, si scelus suscipiendum confesso, absolutionem neget, ac rem illam, minimum generaliter, Magistratui denunciet. *add.* SCHILT. *d. l. §. 19.* BRUN. *J. E. l. 2. c. 19. §. 22. ibique* STRYK. *in not.* FINCKELTH. *Obs. 94.*

CAPUT

CAPUT XV.

DE DELICTIS ECCLESIASTICIS.

SUMMARIA.

Delicta eccleſiaſtica in duas claſſes diſpeſci poſſunt §. 1.
Miniſtri eccleſia aliquando Simoniam committunt §. 2.
Vel munere ſuo abutuntur, aut ut homines & cives delinquunt §. 3.
Ad pœnas Clericorum pertinet correptio, carcer, multa, translocatio §. 4.
Suſpenſio §. 5. Remotio §. 6.
Et degradatio §. 7.
Graviores pœnæ à judice ſeculari imponuntur, & irregularitas juris Canonici apud Proteſtantes non occurrit §. 8.
Delicta, quæ tam in Clericos quam Laicos cadunt ſunt quadruplicia §. 9.
Impietas quatenus puniri queat §. 10.
Blaſphemiæ pœna uſitata defendi nequit §. 11. 12.
Re recte expenſa non blaſphemia §. 13.
Sed ejus ſaltem propolatio doloſa puniri poteſt §. 14. 15. 16.
Ex quo de quantitate pœnæ imponendæ facile judicare licet §. 17. Hæreſin §. 18.
Non poſſe puniri patet ex indole religionis §. 19. 20. 21.
Sed communiter ejus pœna defenditur §. 22.
Rationes communis ſententiæ diluuntur §. 23. 24. 25. 26.
Hæretici tolerari & recipi poſſunt §. 27.
In Germania neceſſitas tolerandi, quoad religionem pontificiam Lutheranam & Reformatam, lege publica ſancita §. 28.
Sed jus alias etiam religiones tolerandi non ſublatum eſt §. 29.
Infidelitas §. 30.
Et atheismus quatenus pœnis humanis ſubſint §. 31. 32.
Magiæ indoles §. 33.
Probatio & pœna §. 34.
Dominatus conſcientiarum merito puniri debebat §. 35.

§. 1.

CUltui hactenus expoſito, ut alia, ita in ſpecie eccleſiaſtica delicta repugnant, de quibus adeo nunc quædam dicenda erunt. Videntur illa, in duas claſſes, eſſe ſeparanda, quædam enim à *Miniſtris Eccleſiæ*, quædam vero *tam ab iis, quam Auditoribus*, perpetrari poſſunt. Illud autem hactenus nihil refert, ſive de iis in Conſiſtorio, ſive alio judicio politico agatur *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 18. §. 3.*

§. 2. Miniſtri Eccleſiæ, in obtinendo præcipue munere, Simoniam committere poſſunt, quæ eſt *emtio rerum ſpiritualium vel muneris eccleſiaſtici.* Prior ſpecies, in Eccleſiis Proteſtantium, nunquam vel raro occurrit, poſterior vero non infrequens eſt. De cætero, ſi rationem ſequamur, dationi pecuniæ omnino æquipollet ſuſpectum matrimonium aut importuna mendicatio. Merito vero hoc delictum puni-

punitur, cum Dei irrisionem & proximi læsionem contineat: Sat pœnæ tamen Simoniaco imponi videtur, si munere male obtento iterum privetur *v.* LEHMAN *Chron. Spir. l. 5. c. 22.* Pontificii hoc crimen valde extendunt quidem, sed in praxi doctrinam parum observant *vid.* LANCELL. *J. J. C. l. 4. tit. 3. ibique* ZIEGL. *in not.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 18. §. 5. seqq.* & STRYK *in not.*

§. 3. Munere obtento, Ministri Ecclesiæ varia ratione excedere possunt, dum vel illud negligunt, vel non debita cum diligentia aut reverentia tractant, vel ordinationes ecclesiasticas, in eodem obeundo, contemnunt, aut illo, in aliorum injuriam, abutuntur *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 98. seqq. D. 107.* BRUNNEM. *l. 2. c. 18. §. 63. ibique* STRYK *in not.* Omnes autem hos excessus, pœnis humanis subjacere, manifestum est. Præterea Clerici, sine consideratione muneris sui, ut homines & cives, delinquere possunt: Ut si sint ebrioli vel rixosi *vid.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 108.* aut ludos aliasque res profanas nimis sectentur, vel graviora delicta, ut furtum, homicidium, adulterium similiaque, perperrent *v.* SCHILT. *J. J. C. l. 1. tit. 18. §. 1.* Horum consideratio ad locum communem pertinet.

§. 4. Hodie excessus Clericorum varie puniri solent. Eo pertinet (1.) Correptio, *die Vorhaltung*, quando excedens verbis reprehenditur *v. c. 26. X. de appell.* (2.) Carcer, qui in levioribus excessibus etiam locum habet *v. c. 35. X. de sentent. excomm.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 113. 114.* (3.) Multa, qua Clerici honoratiores affici solent *v.* SCHILT. *l. 1. tit. 18. §. 1.* STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 19. §. 2.* (4.) Translocatio, qua peccans Minister ad sterilem parochiam transfertur *v.* CARPZ. *l. 3. D. 118. 124.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 19. §. 3. ibique* STRYK. *in not.* v. supr. *c. 7. §. 19.*

§. 5. Porro huc spectat (5.) Suspensio, qua Minister ad tempus à munere excluditur, eique salarium subtrahitur *v. c. 11. X. de privil. & excess.* Hanc pœnam, ut cæteras, non Patronus *v.* CARPZ. *l. 1. D. 70.* sed Consistorium imponit, & quidem ob varia delicta aut excessus: Interim collegis vel vicinis cura animarum defertur, quibus etiam salarium, suspenso subtractum, merito conceditur. Alimenta tamen suspenso, si aliunde non habeat, unde vivat, præstari debent, qui etiam, elapso tempore, prævia quandoque ad Auditores admonitione, in

munus reſtituitur. Aliquando Suſpenſio, non pœna, ſed medium ad pœnam perveniendi, eſt *v.* CARPZ. *l.3. D.114. ſeqq. add.* SCHILT. *J J. C. l.1. tit.18. §. 6.* BRUNNEM. *l.2.c.19. §5. ſeqq. ibique* STRTK *in not.*

§. 6. Huc etiam referenda (6.) Remotio, quando quis à munere genitus excluditur. Hanc pœnam Judex Eccleſiaſticus quoque imponit, prævia cauſæ cognitione, ob delicta graviora, & leviora, ſi emendationis ſpes nulla appareat. Quando autem nullum delictum adeſt, vel ſatisfactio eo nomine præſtita, tum pœna remotionis ceſſat *v.* CARPZ. *J. E. l.3. D.109. ſeqq. 119. ſeqq. add.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 19. §. 3. ibique* STRYK *in not.* Quodſi miniſter Eccleſiæ in hæreſin incidat, tum itidem removendus dicitur *v.* SCHILT. *J. J. C. l.1. tit. 18. §. 10.* Sed, ex veris hypotheſibus, non in pœnam removetur, ſed à munere ſaltem, ob defectum neceſſariæ conditionis, dimittitur.

§. 7. Denique huc pertinet (7.) Degradatio, qua quis ex ordine eccleſiaſtico ejicitur, ac ad conditionem Laicorum redigitur, eo potiſſimum fine, quo, ſine Status Clericalis ignominia, delinquenti pœna gravior, à Magiſtratu politico, queat imponi *v. c. 27. X. de V. S. c. 2. de pœn. in 6.* Ex quo depoſitionis & degradationis diſcrimen facile apparet *v.* CARPZ. *l.3. D.109. 117.* SCHILT. *l.1. tit.18. §.14. 15.* Eſſe de cætero degradationem, ex rationibus ſtatus clericalis, introductam, ac hodie, inter Proteſtantes neque neceſſariam, neque valde uſitatam, *c.3. §.7. 8.* jam admonitum eſt, quod etiam aſſerit DN. SCHILT. *d. tit. 18. §. 15.*

§. 8. Hæ pœnæ in Conſiſtoriis hodie Clericis imponuntur; ſi vero gravior pœna imponenda ſit, tum delinquentes judici ſeculari tradi regulariter ſolent, id quod, ex jure Canonico, habet originem *v. c. 5. X. ne Cler. vel monach. c.30. C.23. qu. 8.* CARPZ. *J. E. l.3. D.5. v. ſupr. c.3. § 6. ſeqq.* Præter pœnas enumeratas, in jure Canonico occurrit (8.) Irregularitas, qua quis ad ſtatum clericalem inhabilis redditur, vel in eodem, functiones eccleſiaſticas obire, aut altius aſcendere nequit. Non tamen ſemper ex pœna, ſed aliquando etiam, ex illegitima nativitate, vel corporis defectu, inhabilitas illa exiſtit *v.* LANCELL. *J. J. C. l.4. tit.15. §. 5.* ROY *J. J. C. l.3. tit.16.* Videtur illa ex Judaismo habere originem, ac, ex regulis ſtatus papalis, magis interpolata eſſe. In Eccleſiis Proteſtantium, non attenditur *v.* ZIEGLER *ad Roy d. l.3. tit.16. §. 7.*

§. 9. Poſtea conſideranda delicta, quorum tam docentes, quam audi-

audientes, rei poſſunt fieri *v. §. 1.* Circa illa, non tantum de *pœna*, ſed & potiſſimum de *jure puniendi*, quod ſæpe, velut certum, ſecure nimis ſupponitur, diſpiciendum erit. Videntur illa ad quatuor genera revocari poſſe, *Impietatem, Hæreſin, Infidelitatem & Atheismum.* Impietas cognitionem de Deo, etiam revelatam, præſupponit quidem, aut ſaltem non negat, actiones tamen juxta eam non inſtituit.

§. 10. Circa eam diſtingvendum eſt, utrum *in facinus, proximum ſpectans*, v. gr. furtum aut homicidium, *erumpat*, an *Deum tantum reſpiciat.* Prior ſpecies dubio procul ab hominibus, puniri poteſt. Atque eo etiam pertinet Turbatio Sacrorum, quæ adeo arbitrarie *vid.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 95. 96. 97.* aliquando etiam ultimo ſupplicio punitur *l. 10. C. de epiſcop.* Circa poſteriorem impietatis ſpeciem, rurſus diſtingvendum, utrum *cultum Dei ſaltem omittat*, hæc pœnis humanis non ſubjacet, ceu *c. 13. §. 6. ſeqq.* jam oſtenſum: an *contemtu poſitivo Deum afficiat*, ut ſi quis Deum blasphemet, vel etiam, hoſtia conſecrata aburatur.

§. 11. Hanc impietatem, etiam ultimo ſupplicio, puniri poſſe, certum eſt, ſi communem ſententiam & praxin ſpectemus, ſed illa, ex veris hypotheſibus, per omnia probari nequeunt. Quo igitur hæc res magis ad liquidum deducatur, obſervandum eſt, quod blasphemia ſit tale delictum, quod in ſolo animo conſiſtat, in eoque omnem ſuam habeat perfectionem, nam hoc, ex Dei omniſcientia, ſatis apparet: Hoc ipſo autem blasphemia, à delictis homines reſpicientibus, manifeſte diſcernitur, utpote, quæ, ad ſui perfectionem, actum externum, minimum in foro humano, neceſſario requirunt.

§. 12. Deinde obſervandum, quod blasphemiæ poſſit accedere actus externus, qui tamen, in ordine ad Deum, ſit actus indifferens, nec blasphemiæ malitiam vel quantitatem, ulla ratione augeat, nam ſane nemo, ſolida aliqua ratione, probaverit, blasphemiam, in mente retentam, levius eſſe delictum, in ordine ad Deum, ea, quæ ore profertur. Exinde igitur reſultat diſtinctio, neceſſario hic obſervanda inter blasphemiam *internam* & *externam*, aut, quæ loquendi ratio accuratior videtur, inter *blasphemiam ipſam*, ac *ejus propalationem.*

§. 13. Hoc poſito putamus, ipſam blasphemiam, ab hominibus non poſſe puniri, nam (1.) perfectionem ſuam habet in animo, ac com-

mitti poteſt in præſentia hominum, ut hi tamen, quid agatur, non intelligant, ex quo liquet, hominibus jus puniendi hic non competere; miſeri profecto honoris divini ſunt vindices, qui ejus læſionem ſemper ignorant! *v. l. 18. ff. de pœn.* His accedit (2.) quod finis pœnarum humanarum hic ceſſet, vel obtineri nequeat, adeoque juris puniendi defectum arguat: pœnæ ſunt imponendæ ob ſecuritatem, ſed Deo à blasphemantibus nullum imminet periculum, porro emendatio animi, neque quoad blasphemantem, neque alios, pœnis humanis obtineri poteſt.

§. 14. Blasphemiæ vero propalatio, velut res aliorum auribus moleſta, puniri poteſt, nihil aliud enim intenditur, quam actus externi omiſſio, quæ pœnis humanis obtineri poteſt. Neque tamen etiam, hoc caſu, pœna aliter locum habet, quam ſi *dolus* propalantis adſit, id eſt, ſi illud, quod divinum credit, ſciens & volens blasphemia afficiat. Si quis igitur (1.) de religione, quam falſam putat, male loquatur, hoc ei, tanquam blasphemum, imputari nequit, ut injuria tamen, in eos, qui religioni illi aſſentiuntur, commiſſa, coerceri poteſt, ſi non veritatis ſtudio, ſed ex petulantia, id prolatum ſit.

§. 15. Sed dixeris forte, *hac ratione quemvis delinquentem, prætextu ceſſantis doli, delicti imputationem, & conſequenter ejus pœnam poſſe declinare, cum, ſi quis, v. gr. ob furtum, puniendus ſit, ei dicere liceat, ſe non credidiſſe, oblationem illam, eſſe furtum, adeoque nullum hic ſubeſſe dolum!* Verum inter delicta Deum, & homines reſpicientia, magna eſt diſparitas: illorum norma, imperio humano non ſubjacet, hinc niſi quis ultro eam admittat, contra illam etiam agere nequit, & valida eſt excuſatio, qua dolum ſubeſſe negat: Horum autem norma imperio humano ſubeſt, hinc, ſive quis eam approbet, ſive non, nihilominus; ſi ſecus agat, eam violat, & doli reus eſt.

§. 16. Licet autem quis illud, de quo male locutus eſt, divinum credat, attamen (2.) id, tanquam blasphemum, ei imputari nequit, ſi ſciens & volens illud haud dixerit. Ille igitur, qui, in fervore juſtæ defenſionis conſtitutus, blasphemi quid protulit, excuſandus eſt: Qui vero ex prava conſvetudine talia dicit, excuſationem non meretur, nam conſvetudo pravitatem actionis non minuit, ſed auget. Illud tamen certum videtur, culpam hic quoque redundare in eos, qui,

cum

cum consvetudines ejusmodi impedire possent & deberent, flosculos illos, in ornamentum sermonis, recipi patiuntur.

§. 17. Positis autem requisitis, blasphemiæ propalationem, aliqua castigatione, non gravi mutilationis vel mortis supplicio, coercendam esse arbitor, nam non blasphemia, sed actus externus, hominibus molestus, punitur, ex quo, de quantitate pœnæ, facile judicari potest. Interim aliter servari solet, & blasphemiarum propalatores, tam veri, quam putativi, duro supplicio afficiuntur *v.* CARPZ. *p 1. qu. 45.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 1. §. 12. l. 2. c. 18 §. 57. ibique* STRYK *in not.* quæ sententia licet specie pietatis se commendet, attamen papatum redolet, & inhumanitatis est manifesta.

§. 18. Quid Hæresis proprie sit, non satis liquet *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 18. §. 12. seqq. ibique* STRYK *in not.* ZIEGLER *ad Lancell. l. 4. tit. 4.* De accurata tamen ejus definitione debent esse solliciti, qui pœnam illius defendunt, mihi, jus puniendi negaturo, sufficit qualiscunque suppositio. Igitur, juxta hypotheses religionis dominantis, in sensu latissimo eam supponam, quod sit *discessio à religione dominante, sine totali hujus negatione*, quo sensu fere definitur in *l. 2. §. 1. C. de hæret.*

§. 19. Non posse autem Hæresin ab hominibus puniri, ex *indole religionis* ultro apparet; hæc in animo consistit præcipue, solis autem actibus externis neutiquam absolvitur, hi tamen, ex scitis religionis christianæ, nihilominus sunt necessarii. Cum igitur imperium humanum, invito sententiam ingerere, ac serium animi applausum excitare, & consequenter actus externos, quos repudiat animus, præcipere, vel quos hic necessarios existimat, prohibere nequeat, hinc liquet, religionem tam internam, quam externam, esse liberam, ac imperio humano neutiquam subjectam.

§. 20. Neque distinguere licebit inter religionem *veram* & *falsam*, ut illam, non hanc, liberam velimus dicere: Nam quid verum, aut falsum sit, id rationibus, non vi, expediendum est, nec poterit, vera licet sententia, per vim invito ingeri. Est etiam distinctio illa nimis periculosa, cum experientia testetur, religionem dominantem, semper velle esse veram, hinc in cæteras, velut falsas, admissa illa doctrina, dominatum exercebit, ex quo, quantæ calamitates, in genus

Digitized by Google

humanum, redundent, nemini, rerum civilium perito, poteſt eſſe incognitum.

§. 21. Ex illa religionis libertate, neceſſario quoque ejus, à pœna humana, ſequitur immunitas, nam, ceſſante imperio, ceſſat etiam pœna *add.* GROT. *de J. B. P. l. 2. c. 20. §. 48. ſeqq.* DN. THOMAS. *Fürſtenrecht p. 1. poſit. 18. §. 1. pag. 192.* Ratio hæc generalis eſt, hinc immunitas, quoad quamvis hæreſin, quam enormis illa ſit, & quamlibet pœnam, quam levis etiam fuerit, aſſeri debet. Non poſſunt igitur hæretici morte, dolore, infamia, carcere, relegatione, multa, vel quavis alia pœna, puniri, hinc etiam honeſta ſepultura ipſis non eſt deneganda *v. l. 9. C. de hæret.* talis tamen ſepeliendi ratio, quæ teſtimonium, de defuncti ſalute, quodammodo involvat, ipſis recte negatur, quemadmodum etiam ceremoniæ temperari poſſunt, in quem ſenſum accipienda videtur doctrina CARPZOVII *J. E. l. 2. D. 383. add.* THOMAS. *d. l. §. 5. 6.*

§. 22. Hæc licet certa ſint, communiter tamen hæreticorum pœna defenditur. Hæreticos etiam morte puniri poſſe, Pontificii doctrina & praxi oſtendunt, nec ex rationibus ſuis, juxta quas religio eſt fulcrum dominatus Clericalis, aliter agere poſſunt. Eandem ſententiam quibusdam Reformatis tribuit CARPZ. *Pr. Crim. qu. 44. n. 28.* Scriptores Lutherani communiter cenſent, hæreticos puniri quidem poſſe, ſed non morte, niſi ſint blasphemi vel ſeditioſi *v.* CARPZ. *d. l.* MÜLLER. *atheism. devict. p. 2. c. 4. add.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 18. §. 12. ſeqq.*

§. 23. Verum ſicut durior ſententia, ſine dubio ex papatu eſt, ita mitior altera, ad ejus reliquias, maximam partem, quoque eſt referenda; Rationes ſane, quæ ei defendendæ afferuntur, parum ſolidæ ſunt. Nimirum (1.) *hæreſis multa mala introducit, ac regnum Turcicum in ſpecie, inde exortum eſt.* Mala ſpiritualia per hæreſes utique producuntur, ſed iis media ſpiritualia, ſive ſolida doctrina & preces, non vis & pœnæ humanæ opponi debent; Quod vero ex hæreſi, etiam mala temporalia, ac in ſpecie regna tyrannica dependeant, illud utique gratis dicitur, cum illa potius, inconſultis & violentis hominum improborum conſiliis, originem debeant.

§. 24. Quod vero (2.) *Magiſtratus curare debeat, quo vera religio*

gio & cultus vigeat, id quidem non negabo, licet nonnulli curam illam Magistratui abjudicent, sed contendam, fini illi adhibenda esse media legitima, nempe solidam doctrinam, amore & mansvetudine temperatam, non vim & pœnas (3.) *exemplum Lutheri, ad Carolum V. provocantis, ut ejus, aliorumque testimonia* intempestive allegantur *v.* CARPZ. *d. qu. 44. n. 16. 32. seqq.* cum pœnam hæreticorum solide potius evertant.

§. 25. Non majoris momenti est, quando (4.) *hæretici, non ob errores, sed contumaciam puniri dicuntur*, nam sicut hæresis ipsa, vel ejus assumtio, pœnis humanis non subjacet, ita constans ejus defensio, pro delicto punibili, haberi etiam non potest. Neque illud cum effectu allegare licet, quod (5.) *Ecclesia hodie plus juris, in puniendis hæreticis, habeat, quam olim, cum Magistratus politicus ejus pars sit*, nam defectus juris puniendi, non dependet à *subjecto*, sed *objecto*, sive *religione*, ejusque *libertate*, quæ ratio semper obtinet, in quemcunque etiam statum Ecclesia perveniat.

§. 26. Illud porro falsum censeri debet, quod *hæretici blasphemi morte puniri queant v.* CARPZ. *d. qu. 44. n. 48.* cum enim id, de quo male loquuntur, pro re divina non habeant, hinc ne quidem dolus & vera blasphemia subest, præterea, ne hanc quidem recte morte puniri, antea ostensum est *v. §. 11. seqq.* Illud rectius dicitur, quod *hæretici seditiosi, ultimo etiam supplicio, recte coerceantur*, modo vera sit seditio, nam crudelitas sæpe prætextum quærit, ac negatum injusto conscientiarum dominatui obsequium, seditionem interpretatur. De eo quoque non dubitandum, quin hæretici, ob alia delicta punibilia, puniri queant, & quod minister ecclesiæ, in hæresin prolapsus, à munere suo, ob defectum conditionis, excludi possit *v. §. 6.*

§. 27. Ex asserta hactenus religionis libertate, etiam sequitur, quod hæretici, qui turbas non dant, in Societate civili, recte tolerentur, vel in eam recipiantur, ut &, quod consveta humanitatis & socialitatis officia, ipsis quoque præstari possint, imo suo modo debeant. Potest tamen hæreticis etiam receptio negari, vel emigratio innoxia injungi, modo illi alibi commode habitare queant, ac rationes justæ receptionem vel tolerantiam dissvadeant, sed raro modus exacte hic servatur.

§. 28. In

§. 28. In Germania, legibus fundamentalibus, ſpecialiter cautum eſt, ut religio Pontificia, Lutherana & Reformata toleretur *v. art. 7. J. P. W.* contra quam ſanctionem impingit doctrina CARPZOVII *J. E. l. 2. D. 266. v.* RHET. *J. J. P. l. 2. tit. 1. §. 41. 42.* Re ipſa autem ſæpiſſime illa, tam ab Imperantibus, quam ſubditis, inſtigante plerumque Clero, violatur, dum vel manifeſtæ perſecutiones diſſentientibus intentantur, vel ſubtractione commodorum, vis infertur *add.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 1. §. 27. ſeqq. ibique* STRYK *in not.*

§. 29. Licet vero, iſta ſanctione, aliarum religionum tolerantia penitus excludi videatur *v. J. P. W. art. 7. in fin.* verius tamen eſt, quod Status imperii, in ſuis Territoriis, alias quoque religiones tolerare, vel in ea recipere queant, ſi pacta ſpecialia, cum ſubditis inita, non obſtent, nam *neceſſitas tolerandi*, quoad alias religiones, ſaltem ſancita non eſt, *jus* vero *tolerandi*, haud eſt ſublatum *v.* DN. THOMAS. *Fürſtenrecht poſit. 18. p. 199.* Plane ſi cauſa communis ſit, tolerantia aliarum religionum locum non habet, niſi omnes conſentiant. Sic in Aſſeſſorem Cameræ nemo aſſumi poterit, niſi qui uni ex tribus religionibus memoratis, aſſentitur *add.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 2. c. 5. §. 13. 14. l. 3. c. 6. §. 39. ſeqq.*

§. 30. Infidelitas eſt *totalis fidei chriſtianæ rejectio*, ſub ea etiam comprehenditur Apoſtaſia proprie accepta, *qua agnita fides iterum rejicitur v.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 18. §. 16.* Eſſe autem infidelitatem quoque, à pœnis humanis, immunem, ex libertate religionis antea aſſerta, neceſſario conſequitur. Quodſi vero infidelitas, in facinora punibilia erumpat, tum merito punitur *v.* GROT. *de J. B. P. l. 2. c. 20. §. 47. n. 5.* Si religionem chriſtianam acrioribus dictis inſectetur, id, non ut blasphemia, ſed ut Chriſtianorum irriſio, puniri poteſt *v. §. 14.* Solent etiam infideles apud eos, qui Conſcientiarum dominatum defendunt, eſſe impuniti, quamvis non raro frivolis prætextibus pœnæ ſubdantur, quemadmodum etiam apoſtatæ inclementer tractari ſolent *v.* LEHMAN. *diſput. de jur. apoſtat. hab. Helmſtad. 1687.*

§. 31. Per atheismum, hic intelligitur extremus vitii hujus gradus, *quo ſcilicet Deus, naturaliter cognoſcibilis, & conſequenter, omnis religio negatur*, nam atheismus practicus, ſub impietate *§. 9. ſeqq.* ille vero, qui religionem chriſtianam inficiatur, ſub infidelitate *§. 30.* compre-

comprehenditur, adeoque neuter huc pertinet. Posse autem atheismum illum extremum, gravi ac mortis quoque supplicio affici, non vulgus tantum, sed & moderatiores fere concedunt *v.* GROT. *de J. B. P. l. 2. c. 20. §. 46.* PUFENDORF. *de J. N. G. l. 3. c. 4. §. 4. de O. H. C. l. 1. c. 4. §. 2. 9.*

§. 32. Sed ex libertate religionis, antea asserta, jus puniendi hic etiam hominibus negandum videtur. Est quidem atheismus grave delictum, in ordine ad Deum, sed tamen pœnis humanis emendari, ac invito Dei cognitio ingeri nequit. Præterea magna nimis crudelitas est, hominem Dei cognitione destitutum, morti dare, qui, accedente doctrina & mansvetudine, cum Deo & die, ad meliorem frugem, forte fuisset revocatus: Denique atheismus, per se, societatem humanam non turbat, &, cum hypocritæ, qui religionem simulant, eademque non raro, aliis decipiendis, abutuntur, sint impuniti, rationi sane non convenit, ut atheum candidum, qui animi sui sensa ingenue profitetur, pœna dignum censeamus.

§. 33. Ex his intelligi potest, quid de Magia sit pronunciandum. Hoc nomine intelligitur delictum, *quo quis, ope Diaboli, ea peragit, quæ vires hominum naturales excedunt.* Communiter duæ ejus species asseruntur, vel enim *quis expressum pactum, cum Diabolo iniit*, vel, *sine expressa conventione, ope Diaboli saltem utitur v.* CARPZ. *Pr. Crim. p. 1. qu. 48.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 18. §. 55. 59.* Licet vero delictum hoc, supposita revelatione, in genere negari nequeat, certum tamen est, quod multa fanatica intercurrant, & erubescendæ ineptiæ, pro infallibili veritate, sæpe venditentur; sane iniquissimum est principium, quo sola confessio vel indicia, probando delicto, sufficere judicantur *v.* CARPZ. *p. 2. qu. 60. n. 29. 32.*

§. 34. Nihil igitur pro vero habendum, nisi quod legitimis probationibus ostendi potest, ac, ut in dubio delictum potius negemus, quam asseramus, omnis recta ratio jubet. De cætero magiam etiam ultimo supplicio puniri posse, vulgo non dubitatur *v.* CARPZ. *p. 1. qu. 49. 50.* Sed ex sanioribus principiis, pœna merito quidem asseritur, si per magiam hominibus nocitum sit, quemadmodum etiam castigatio locum habet, si rebus divinis venefici actu externo abutantur, verum si magia in simplici impietate

vel apoſtaſia conſiſtat, tum non alia errantium pœna eſt, quam doceri.

§. 35. Atque ex hactenus dictis apparet, unum adhuc eſſe delictum, quod homines merito punire deberent, nempe *dominatum conſcientiarum*, quo diſſentientes ſubtractione commodorum, vel poſitiva coactione, ad religionem adiguntur, ac reluctantes, gravibus pœnis, afficiuntur; nam hoc delictum punibile eſſe, ex eo liquet, quod, ſub ſpecie religionis, alios homines lædat, ac ſocietatem humanam graviter turbet. Sed uti alia vitia ſæpe virtutum nomina aſſumunt, ita hoc etiam, ſub pietatis larva, paſſim imperium obtinet, ac extra pœnarum metum conſtitutum eſt.

CAPUT XVI.

DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

SUMMARIA.

Ex jure puniendi judicandum de diſciplina eccleſiaſtica §. 1.
Jus caſtigandi Eccleſiæ ejusque miniſtris fruſtra aſſeritur §. 2.
Jure divino illud non nititur §. 3.
Repugnat rationi §. 4.
Quod ex perſona exercente §. 5.
Et modo procedendi amplius apparet §. 6.
Eſt occaſio & fulcrum papatus §. 7.
Diſciplina eccleſiaſtica Reipublicæ directioni licet ſubjecta, tamen vel producendo fini intento non ſufficit §. 8.
Vel alias non eſt neceſſaria §. 9.
Veræ diſciplinæ eccleſiaſticæ indoles & varia mutatio §. 10.
Ex ejus depravatione exorta eſt excommunicatio §. 11.
Solet diſtingvi in immediatam & mediatam §. 12.
Ei ſubjacent omnis generis peccatores §. 13.
Excommunicationis effectus ac ad beſtias extenſio §. 14.
Cauſæ impellentes abuſus & emendatio §. 15.
Ex S. Scriptura excommunicatio fruſtra reperitur, nec in primitiva eccleſia obtinuit §. 16.
Quo ſenſu illa apud proteſtantes improbari §. 17.
Vel admitti poſſit §. 18.
Imperantes excommunicationi non ſubſunt §. 19.
Exemplum Ambroſii Theodoſium excommunicantis nihil probat §. 20.
Pœnitentiæ eccleſiaſticæ conjuncta olim erat ſatisfactio & indulgentia §. 21.
Harum omnium depravatio ſecuta §. 22. 23.
Apud proteſtantes occurrit deprecatio publica, quæ revera eſt pœna civilis §. 24.
Hinc ejus ritus & uſum definit Imperans §. 25.
Poteſt in mulctam converti vel plane remitti §. 26.
Ejus cauſa meritoria ſubjectum & adjunctum §. 27.
Ejus uſus penitus tolli poteſt §. 28.

§. 1. Quo-

§. 1.



Uousque igitur jus puniendi, intuitu delictorum religionem concernentium, hominibus competat, nec ne, hactenus breviter oſtenſum eſt, cumque porro, tam jus puniendi, quod in homines cadit, quam univerſum Eccleſiæ regimen, Rebuspublicis eorumque Imperantibus tribuendum eſſe, ſupra *c. 1. §. 13. ſeqq.* oſtenſum ſit, inde non difficulter, de pœnis vel coercitione, quæ nomine *diſciplinæ eccleſiaſticæ* involvuntur, judicari poterit.

§. 2. Cenſetur ſcilicet quævis Eccleſia parochialis, ejusque Miniſterium habere poteſtatem, peccatores, qui admonitiones ſpernunt, aliqua caſtigatione afficiendi, quo hac ratione emendentur, alii terreantur, atque ita honeſtas & decens ordo conſervetur. Effecit ſpecioſa diſciplinæ hujus eccleſiaſticæ ſanctitas, ut etiam Scriptores Proteſtantes nonnulli eam, intuitu rerumpublicarum chriſtianarum, pro re, à Deo præcepta, neceſſaria ac utili habeant *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 9.* Sed mihi dicendum videtur, diſciplinam illam eccleſiaſticam, à Deo non præceptam, ſed potius rem rationi contrariam, non neceſſariam, inutilem, occaſionem & fulcrum papatus eſſe.

§. 3. Præceptum divinum vulgo repetunt ex *Levit. XIX. 17. Rom. XVI. 17. Epheſ. V. 11. v.* STRYK *in not. ad* BRUNNEM. *d. l. §. 1.* Sed inde nihil aliud ſequitur, quam quod proximo peccanti, peccatum exprobare, eumque hoc nomine corripere queamus, ſed caſtigatio realis elici inde non poteſt. De cætero etiam circa reprehenſionem verbalem modus ſervari debet, ne in aliis reprehendamus, quorum ipſi, & ſæpe quidem in gradu majori, ſumus rei, quorſum ex parte pertinet ſententia Lutheri, relata BRUNNEMANNO *d. l. §. 3.*

§. 4. E contrario laudatam diſciplinam eccleſiaſticam, eſſe rem rationi contrariam, liquet (1.) ex *fine*, illa ſcilicet *homines ab æterna damnatione liberare ſatagit v.* BRUNNEM. *d. l. §. 3.* quis vero credat, ferulis ſimilique caſtigatione finem illum obtineri poſſe, prætextus igitur eſt, palliando dominatui Clericali inventus, verus autem diſciplinæ illius ſcopus, dominatus, quem jam nominavi. Quodſi dicas nihil aliud hic intendi, quam *externum honeſtatem, quæ utique per*

Digitized by Google

disciplinam illam obtineri queat, tum respondebo, ita eam esse medium mere civile, adeoque in privatum non cadere.

§. 5. Inconcinnitas igitur disciplinæ ecclesiasticæ, hoc respectu (2.) apparet ex *persona, quæ eam exercere debeat*, necobest, quod *officio Ministerii ecclesiastici, cognitionis & coercitionis exercitium necessario cohæreat v.* BRUNNEM. *d. l. §. 4. ibique* STRYK *in not.* media habilia, doctrinam & admonitionem, isti cohærere, satis certum, sed in illum censum male referuntur media civilia, imperium aliquod præsupponentia. Nec id obstat, *quod in primitiva Ecclesia, talis disciplina obtinuerit*, nam ex eo male regula constituitur, sed insignis potius est abusus, quo, ab ecclesia sui juris, ad ecclesiam, Reipublicæ subjectam & curatam, infertur.

§. 6. Denique inconcinnitas etiam elucet (3.) *ex modo procedendi*, nam Clerus, ad puerorum modum, etiam adultos homines tractare intendit, quod sane intolerabile est. Equidem, in S. Scriptura modum aliquem, à judiciali procedendi modo, plane diversum, hic præscriptum esse, dici solet *v.* BRUNNEM. *d. l. §. 3.* Sed cum disciplina ecclesiastica, quæ in castigatione privata consistat, verbo divino sit plane incognita, hinc ejus peragendæ modus frustra inde repetitur.

§. 7. Ex his ultro sequitur, quod disciplina ecclesiastica, neque necessaria neque utilis sit, nam *magna scelerum, epicureismi & atheismi seges*, non ex defectu disciplinæ ecclesiasticæ, ut censet BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 9. §. 1.* sed ex aliis omnino causis propullulat, quas rerum civilium periti facile intelligunt. E contrario disciplina ecclesiastica odia, collisiones & turbas excitare apta est, quod non difficulter concedet, qui ingenium humanum, & in specie Cleri, paululum saltem intelligit *v. Ord. eccles. Saxon. elector. art. gen. 10.* Merito igitur disciplina ecclesiastica, pro occasione & fulcro papatus habetur, id quod eventus satis etiam comprobat.

§. 8. Quodsi eo delabi velis, *à disciplina ecclesiastica, directionem Reipublicæ & Imperantis, non esse excludendam, neque soli Clero, sed potius Collegio, ex Clericis & Laicis composito, eam committendam, v.* BRUNNEM. *d. l. §. 6.* tum est judicium mere politicum ac nulla occurrit causa, quare sub ambiguo disciplinæ ecclesiasticæ nomine,

mine, aliis remediis civilibus, illud opponamus. Et licet hactenus, in constitutione disciplinæ ecclesiasticæ, nihil desiderari posset, attamen si finem sublimiorem, veram scilicet pietatem, intenderet, quæ vulgaris est persvatio, illa nihilominus improbanda foret, cum finis ille coactione & pœnis humanis, à quocunque etiam hæ dirigantur, obtineri nequeat.

§. 9. Si & hac in parte aliquid remittere, ac *solius externæ honestatis curam*, velut finem, collegio illi præstituere velis, tum, minime tamen tali judicio opus esse, contenderem, nam dantur jam plura in Civitatibus judicia, quæ reprimendis vitiis sufficere possunt. Sed ais, *hæc officium suum negligunt, nec vitiis illis valide satis occurrunt* v. BRUNNEM. *d. l. §. 2. 5. 6.* Verum quis sponsor erit, membra collegii illius ecclesiastici, sine omni prosopolepsia, aliisque pravis affectibus, sanctissime semper munus suum esse observatura? hoc sane, ex solo nomine disciplinæ ecclesiasticæ, sibi promittere velle, nimis fuerit simplex v. BRUNNEM. *d. l. §. 4. in fin.* Non multis legibus & institutis honestas externa obtinetur, sed accurata illorum observantia, hæc si quoad alia judicia occurrat, disciplina ecclesiastica non indigemus, si circa hanc, observantia & legitima executio quoque frigeat, tum illa nihil prodest.

§. 10. Breviter: Vera disciplina ecclesiastica consistit tantum in solida doctrina, seria admonitione, ac inprimis sanctitate exemplorum, quibus peccatores in ruborem dentur *v. II. Thessal. III. 14. 15.* Si coactio accedat, sub directione Magistratus politici, ad excitandam veram pietatem, tum est medium civile, sed producendo fini ineptum: Si ad stabiliendam honestatem civilem: medium non necessarium. Quodsi directioni solius Cleri, violenta remedia commitantur, qualiscunque etiam finis illis prætexatur, tum papatus certo est metuendus *conf.* DN. THOMAS. *Fürstenrecht p. 1. posit. 13. p. 150.*

§. 11. Interim, inter christianos, disciplina ecclesiastica, insulsa coactione mature corrumpi cœpit. Eo inprimis pertinet *Excommunicatio*, sive *Bannum ecclesiasticum*. Non intelligitur hic, excommunicatio *interna*, qua quis, ob peccata, communione Dei excidit, sed *externa*, qua quis ab ecclesia, imo aliis etiam societatibus humanis excluditur. Distinguitur hæc in *minorem*, qua quis ab usu S. Cœ-

næ, & *majorem* qua, à cœtu eccleſiaſtico & omnibus ſocietatibus humanis repellitur. Præterea, per utramque excommunicationem, extra Dei conſortium, excommunicatus conſtituitur, ac, velut præda, Diabolo exponitur *v.* LANCELL. *J. J. C. l. 4. tit. 13. §. 1.*

§. 12. Alias Excommunicatio, ab effectu, diſtinguitur in *immediatam*, quæ, ipſo jure canonico, delinquenti, ſimulac delictum committit, irrogatur, ac propria velut conſcientia annunciatur, & *mediatam*, quam judex eccleſiaſticus, prævia cauſæ cognitione, decernit. Licet vero illam nonnulli rejiciant, cum certam perſonam, à communione externa, non excludat *v.* ZIEGL. *ad Lancell. d. l. §. 2.* attamen, ex rationibus ſtatus clericalis, recte illa aſſeritur, cum enim, ob ignorantiam exceſſuum Laicalium, mediatæ excommunicationis fulmen non ſemper expedire poſſit Clerus, immediatæ terriculamentum ei fuit ſurrogandum, quo ita, metu purgatorii & inferni, in perpetuo obſequio, retinerentur ſuperſtitioſi Laici, imo excedentes, ex nimio conſcientiæ angore, ſe ipſos Clero proderent *v.* LANCELL. *d. l. §. 3. ſeqq.*

§. 13. Proprie tantum excommunicantur perſonæ ſingulares, integris vero cœtibus aut eccleſiis, *interdicto* cultus divinus aufertur, quod cum excommunicatione tamen coincidit, ac, ratione totius eccleſiæ pontificiæ, excommunicationis quoque nomen ferre poteſt. De cætero ejus origo in ea tempora incidit, quibus hierotyrannis ad perfectionem fere pervenerat *v.* ZIEGLER *ad Lancell. J. J. C. l. 4. tit. 14.* nec deſunt exempla interdictorum, per tempus etiam ſatis longum, durantium *v.* STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 19. §. 12. add.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 5. c. 115. 121. 122. l. 7. c. 83. 104. 106.* Omnis generis autem peccatores, tam ſubditi quam Imperantes, ſi rationibus clericalibus ſe non attemperent, banno feriri poſſunt *v.* GIBELIN. *Cæſareopap. Rom. p. 2. c. 4. §. 19. pag. 250.*

§. 14. Effectus excommunicationis perfectæ, quod in dubio præſumendum *v.* LANCELL. *J. J. C. l. 4. tit. 13. §. 18.* eſt vel *externus*, nempe excluſio à ſocietatibus eccleſiaſticis & civilibus, hinc etiam nemo, ſub pœna banni, cum excommunicato converſari debet LANCEL. *d. l. §. 19. ſeqq. v.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 5. c. 32. in fin.* vel *internus*, privatio ſcilicet divinæ gratiæ. Iſte autem rigor non alium ob finem adhi-

adhibetur, quam quo impœnitens veram agat pœnitentiam, ac cum Ecclesia & Deo reconcilietur. Videtur etiam Clerus excommunicationis usum, ad bestias ideo extendisse, quo ejus divinitatem Laicis superstitiosis eo magis persvaderet *v.* THOMÆ *de nox animal. c. 27. n. 40. seqq.* LEYSER *Jus Georg. l. 2. c. 10. n. 32. seqq.*

§. 15. De cætero certum mihi videtur, quod excommunicatio ex imprudenti zelo vel hypocrisi irrepserit, invalescente vero magis magisque papatu, inter hujus fulcra fuerit relata, de quo, hinc inde quædam admonuit ZIEGL. *ad Lancell. l. 4. tit. 13.* Quemadmodum vero ejus imposturam, in media etiam barbarie, subinde sensérunt gentes *v.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 3. c. 22.* ita post reformationem satis illa deprehensa est, totam tamen excommunicationem, haud rejiciendam, sed eam potius, à papalibus abusibus liberandam, ac in bannum vere christianum, commutandam esse censent Protestantes *v. Ord. Eccles. Saxon. art. gen. 10. 11.* de quo distinctius videndum.

§. 16. In S. Scriptura, excommunicationem non esse fundatam vel præceptam, plane arbitror licet majorem, ex *Matth. XIIX. 17. II. Thessal. III. 14.* minorem vero, ex *Matth. VII. 6. II. Joh. 10. Rom. XVI. 17. Gal. I. 8. Tit. III. 10. I. Cor. V. 4. seqq.* deducere velint *v.* SCHERZER. *System. Loc. XII. §. 14. in fin.* Neque etiam, in primitiva Ecclesia, illa fuit usitata, quod status illius facile persvaserit, neque enim primi christiani, tam splendidos habuere cœtus, ut magno apparatu aliquem excludere potuerint, præterea illius rei nullum temere afferri poterit exemplum.

§. 17. Annon tamen hodie recte excommunicatio adhibeatur, alia quæstio est? cujus decisio à fine dependet, si enim, ad excitandam veram pœnitentiam, illa suscipienda sit, tum illud frustra omnino fieri, licet à Magistratu politico eadem dirigatur, plane existimo, quia, ut aliquoties dictum, per vim externam vera pietas excitari nequit, præterea excommunicatio media pœnitendi, ac cum Deo reconciliandi, excommunicato non aufert, licet ex principiis papalibus hoc credendum sit.

§. 18. Quodsi autem nihil, nisi externa honestas, excommunicatione intendatur, tum, autoritate Imperantis, eam quidem fieri posse concedo, ut tamen, procurandæ honestati externæ, rectius alia media adhi-

adhiberi, simul existimem: Ministris autem Ecclesiæ, ne hoc quidem respectu, facultas excommunicandi, tribui debet, quia excommunicatio, est medium civile, imperium aliquod præsupponens *v. c. 14. §. 8. seqq.* Praxin si respiciamus, excommunicatio in universum rarior est, minorem tamen aliquando sibi asserit Clerus; si vero, autoritate Consistorii, illa expediatur, tum sublimior veræ pietatis finis prætexi solet *v.* ZIEGL. *Superintend. c. 16. 17. 18.* quæ, secundum genuina principia, defendi nequeunt.

§. 19. Ex his facile intelligi potest, num Reges, & liberi Principes, disciplinæ ecclesiasticæ ac excommunicatione subsint? Hoc multi quidem asserunt *v.* STRYK *ad Br. J. E. l. 1. c. 6. m. 9. §. 2.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 5.* Verum, sine hæsitatione, quæstio neganda est, nam Imperans, cujus autoritate excommunicatio suscipiatur, non occurrit, Clero autem imperium in Imperantes non competit. Ad impœnitentiam igitur Imperantis, ea agere debet minister Ecclesiæ, quæ *c. 14. §. 22. 23.* retuli.

§. 20. Exemplum Ambrosii, Theodosium excommunicantis *v.* DN. RECHENBERG. *dissert. de Theodos. excommun. in Vol. dissert. p. 2. p. 241.* nihil probat, nam licet grave crimen Theodosius commiserit, recte etiam ab Ambrosio reprehensus sit, jus tamen excommunicandi, mensuram ministerii ecclesiastici excedit, ac papatum redolet, nam ex eo, quod Imperans peccet, imperium Cleri non sequitur, nec obstat, *quod, remota excommunicatione, libido peccandi in Imperantibus magis accendatur*, nam hoc ad incommoda Monarchiarum pertinet, Clero autem imperium non tribuit. Quodsi tamen minister Ecclesiæ, *excommunicationis comminatione*, aliquando Principem ab aliquo peccato retrahere possit, id non improbandum erit, est enim id consilii, non imperii.

§. 21. Ad disciplinam ecclesiasticam etiam pertinet *Pœnitentia ecclesiastica*, quæ ex diversis actibus olim constabat *v.* DN. RECHENB. *d. dissert. §. 23.* ZIEGL. *Superintend. c. 19. §. 2. 3.* ac plerumque excommunicationem sequebatur. Ei erat conjuncta *Satisfactio*, quam peccans Ecclesiæ, quam offenderat, præstabat, qua præstita, culpa ei remittebatur, quod *indulgentiam* vocabant. Successu temporis Pontificii satisfactionem & indulgentiam, quæ ad Ecclesiam tantum spectabat,

ad

ad Deum retulerunt, eo ſenſu, quaſi hic peccata non aliter remitteret quam ſatisfactione interveniente *v.* RECHENB. *d. l. §. 24.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit 4. §. 20.*

§. 22. Sicut autem depravatio iſta pontificia, à proteſtantibus merito rejicitur, ita pœnitentia eccleſiaſtica, ab abuſu illo liberata, multis ſe commendat ejusque omiſſio improbatur *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 19. §. 24.* Sed hæc ſententia indiſtincte probari non debet. Si pœnitentia eccleſiaſtica, ab eccleſia ſui juris, vel autoritate Magiſtratus, ad coercenda vel impedienda delicta, ſaltem imponatur *vid.* ZIEGL. *Superintend. c. 19. §. 1.* tum nihil in ea deſiderari poteſt; ſed in illis terminis, illa non ſubſtitit, verum eo fine potius impoſita eſt, quo ſeria pœnitentia, in peccatore, excitaretur, & Eccleſiæ, ob ſcandalum, ſatisfieret *v.* ZIEGLER. *d. c. 19. §§. 7. 8.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 19. §. 14. ſeqq.*

§. 23. Ex quo amplius fluxit, quod illa ſit remedium mere eccleſiaſticum, Eccleſiæ, aut potius Clero, in quemcunque etiam ſtatum illa perveniat, plane proprium, & Reipublicæ non ſubjectum, ſed potius independens. Verum exinde pœnitentiæ Eccleſiaſticæ papatus nimium quantum eminet, nam poſterior finis ſuperbiam, à parte Eccleſiæ oſtendit, prior vero, per media violenta, obtineri nequit, hinc liquet, verum ejus ſcopum, eſſe Cleri dominatum, veram autem pietatem & ſalutem æternam, nudum prætextum, eam ob cauſam aſſumtum, quo in ſervitutem illam, eo lubentius ſuperſtitioſi Laici conſentirent.

§. 24. Haud igitur ejus omiſſionem, in eccleſiis proteſtantibus, dolere par eſt, ſed libertas ab injuſta ſervitute, grato animo potius excipi debet. Nihilominus hodie, in nonnullis locis, *Deprecatio publica* adhuc in uſu eſt, qua Scortatores præcipue coerceri ſolent. Circa eam, ob præjudicium diſciplinæ eccleſiaſticæ, dubiæ parumque cohærentes aſſertiones quandoque proferuntur *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 82. add.* Dn. THOMAS. *Fürſtenrecht p. 1. poſit. 13. §. 9. p. 162.* Sed, juxta rei veritatem, nihil aliud illa eſt, quam pars pœnæ civilis, quæ, ad conſvetum pœnarum finem, delinquentibus imponitur.

§. 25. Ex hac hypotheſi facile omnia, quæ quoad eam proferri ſolent, dijudicari poſſunt. Ritus deprecationis publicæ definit Impe-

rans CARPZ. *d. l. 3. D. 83.* ZIEGL. *Superintend. c. 19. §. 5. 6.* STRTK *ad Br. J. E. l. 2. c. 19. §. 25.* Ubi haſtenus illa non fuit in uſu, ſine permiſſu Imperantis, non poteſt reduci CARPZ. *d. l. D. 84.* ZIEGLER. *d. l. §. 10.* Ubi vero in uſu eſt, ſine decreto Conſiſtorii, à Superintendente vel miniſtris Eccleſiæ imponi nequit CARPZ. *d. l. D. 85.* ZIEGL. *d. l. §. 9. ſeqq.* fruſtra, ex præjudicio peculiaris diſciplinæ eccleſiaſticæ, diſſentiente BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 19. §. 25.*

§. 26. Recte etiam deprecatio publica in multam convertitur CARPZ. *d. l. D. 86.* ZIEGLER. *d. l. §. 11.* qui diſſentiunt *v.* BRUNNEM. *d. c. 19 §. 26.* Dn. THOMAS. *d. poſit. 13. §. 9.* indolem hujus pœnæ non ſatis expendunt. Poteſt etiam, ob ſecutum matrimonium, pœna illa remitti, non tamen à Superintendente aut Miniſterio eccleſiaſtico, ſed à Conſiſtorio CARPZ. *d. l. D. 87. 88.* ZIEGL. *d. l. §. 12. 13. 14 add.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 4. §. 23.* Qui remiſſionem illam plane negant *v.* BRUNNEM. *d. §. 26.* illis falſa iterum imponit hypotheſis.

§. 27. Ob quæ delicta, deprecatio publica imponenda ſit, id Imperans definit. Sicut autem vi ſtupratæ imponi nequit, ita ob delictum, alibi commiſſum, neceſſario non eſt injungenda CARPZ. *d. l. D. 89. 90. 91.* nec novæ Eccleſiæ ſcandalum, quod BRUNNEM. *d. l. §. 27.* opponit, aliquam operatur neceſſitatem. Ceſſat quoque pœna, ſi alibi eam quis jam ſuſtinuerit; de cætero Nobiles quoque ei ſubeſſe cenſentur ac præter eam, à judice ſeculari, pœna quoq; decernitur CARPZ. *d. l. D. 92. 93. 94.* BRUNN. *d. l. §. 28.* STRTK. *in not.* nam diverſæ illæ partes pœnam delicto adæquatam efficiunt.

§. 28. Illud denique certum eſt, quod Imperans uſum deprecationis publicæ penitus tollere poſſit, & ſatius etiam eſſe videtur, eam abolere quam conſervare, nam præjudicium diſciplinæ eccleſiaſticæ ſæpe Scriptores in transverſum agit, ac Clero præbet occaſionem, aliquod imperium ſibi arrogandi, præterea experientia oſtendit, quod maxima proſopolepſia, in exercitio hujus pœnæ, committatur, ac parvi ſaltem peccatores, & pauperes meretriculæ eam ſuſtinere debeant *conf.* SPECIM. JUR. ECCLES. *l. 3. c. 1. ſeqq.*

CAPUT

CAPUT XVII.
DE ECCLESIA POLITICA.

SUMMARIA.

Eccleſiæ parochiales ut Societates religioſæ & politicæ ſpectari poſſunt §. 1.
Poſteriori reſpectu ſimiles ſunt aliis univerſitatibus §. 2.
Ac indigent præfectis ſive curatoribus §. 3.
Horum conſtitutio §. 4.
Officium §. 5. 6.
Et finis §. 7.
Eccleſiæ ſolent eſſe immunes à tributis §. 8.
Ac variis gaudere privilegiis §. 9.
Miniſtro eccleſiæ ſine hæredibus mortuo, ejus mobilia acquiruntur Eccleſiæ §. 10. 11.
Ex ultimis voluntatibus ſæpe eccleſiis aliquid obvenit §. 12.
Circa quam liberalitatem quæſtiones voluntatis non ſunt infrequentes §. 13.
Quoad contractus jure ſingulari utuntur Eccleſiæ, quod nonnullis exemplis declaratur §. 14. 15. 16. 17.
Additis quibusdam monitis generalibus §. 18.
Venditio Canonicatuum & præſcriptio circa Eccleſiam occurrens §. 19.
Sub nomine Eccleſiæ Clerus aliquando rempublicam & privatos lædit nimias opes ad ſe trahendo §. 20.
Cui abuſui ſeculariſatione recte occurritur §. 21.
In eccleſiam quoque aliquando delicta committuntur §. 22.
Quod exemplis declaratur §. 23.
Delictorum illorum gravitas cum monito §. 24.

§. 1.

COnſideravimus hactenus Eccleſiam, ratione cultus divini, atque ita præcipuo hujus tractationis ſcopo, pro inſtituti modo, ſatisfecimus. Dum vero Eccleſiæ parochiales, ob cultum divinum conſociatæ, in ſocietate civili occurrunt, ac res ſuas poſſident, ideo habitui illi ſacro, externus & politicus accedit, juxta quem illæ, ut ſocietates politicæ, ſive ſubalternæ univerſitates, ſpectantur, ac cum illis, vel contra illas, varii actus ſuſcipiuntur, juxta quem habitum politicum, nunc etiam Eccleſiæ conſiderandæ erunt.

§. 2. Eſt ergo hoc ſenſu Eccleſia, *Univerſitas, occaſione cultus divini, conſtituta*, quid autem ſit univerſitas, id *l. 8. c. 2.* in genere traditum eſt. Ad exemplum igitur municipii pagi ſimilisve ſocietatis, Eccleſia, ut perſona moralis compoſita ſupponitur, eaque, ex voto & intentione conſtituentium, perpetuo durat, ac per parochianos, ſibi ſuccedentes, repræſentatur. Habet etiam hæc univerſitas propria bona, de quibus *c. 5. §. 1. ſeqq.* plenius actum eſt, quæ tractatio huc quo-

Digitized by Google

que pertinet, nam bona tam ad ſacrum, quam politicum Eccleſiæ habitum referuntur.

§. 3. Quemadmodum etiam aliæ univerſitates, adminiſtrandis rebus ſuis, impares ſunt, ac adeo, ad exemplum minorum, Curatoribus indigent, ita inprimis hoc etiam verum eſt de Eccleſia, nam circa hanc, unio politica adeo laxa eſt, ut vix aliqua ſocietas ſubeſſe videatur, quo reſpectu Eccleſia, ab aliis univerſitatibus, in quibus ſane conjunctio evidentior eſt, etiam differt: Ob quam cauſam quoque non temere occurret exemplum contractus ab ipſa Eccleſia celebrati, licet minores & univerſitates aliæ quandoque contrahere ſoleant. Ex quibus id amplius ſequitur, quod jura minorum, ac in ſpecie reſtitutio in integrum, Eccleſiis merito tribuantur *v.* CARPZ *J. E. l. 2. D. 300. n. 12.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 14. §. 7. ibique* STRYK *in not.* LAUTERB. *C. J. de minor. in fin.*

§. 4. Eget igitur Eccleſia Præfectis vel curatoribus *v. c. §. 20. in fin.* ad quos jura aliorum Curatorum fere applicare licet. Summatim circa eos ſpectari poteſt *Conſtitutio, Officium* & *Duratio.* Conſtituuntur Præfecti Eccleſiaſtici regulariter ab ipſa Eccleſia ſive parochianis, poteſt tamen jus conſtituendi vel Magiſtratui Politico, vel Patronis quandoque eſſe acquiſitum; Ad acceptandum vero munus oblatum, aliquis etiam cogi poſſe videtur, cum publicæ utilitatis rationes hoc exigant. Ad conſummandam conſtitutionem pertinet confectio inventarii *v.* CARPZ. *l. 2. D. 314. 315.* &, ſi uſus hoc velit, juramentum ac Satisdatio. In bonis Curatorum, tacitum pignus Eccleſiæ merito quoque aſſeritur *v.* STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 15. §. 31.*

§. 5. Officium Præfectorum conſtitutorum in genere exigit, ut bona Eccleſiæ recte adminiſtrent, rationes reddant, reſidua inferant, ac damnum voluntarium reſarciant, ex quo concluſiones ſpeciales deducere licet. Sic ſine conſenſu Patroni & Superintendentis, ac permiſſione Conſiſtorii, bona eccleſiaſtica non poſſunt alienare CARPZ. *l. 2. D. 300. ſeqq.* imo ne locatio quidem, ſine laudato conſenſu, ipſis cenſetur eſſe permiſſa, quæ etiam, in emolumentum Eccleſiæ, juſta mercede eſt facienda, ac quandoque, ad impediendam præſcriptionem, renovanda vel mutanda CARPZ. *d. l. D. 304. ſeqq.*

§. 6. In collocanda & exigenda pecunia Eccleſiæ, circumſpecte quo-

quoque agere debent Præfecti, conſvetas tamen uſuras haud excedant, de pignore vero vel fidejuſſoribus, ſi fieri queat, ſibi proſpiciant *v.* CARPZ. *d. l. D. 318. ſeqq.* Quo etiam, ad officium explendum, eo magis adigantur, ſingulis annis, præſente Paſtore, Patrono & Superintendente, rationes reddere tenentur, nec antea, hoc nomine, per ſubſcriptionem & apocham, liberandi ſunt, quam Parochianorum deſiderata quoque fuerint excuſſa CARPZ. *d. l. D. 313. ſeqq.*

§. 7. Cura Eccleſiæ aliquando etiam deſinit. Equidem modi tollendi, qui à parte pupillorum vel minorum occurrunt, nempe majorennitas, mors, delictum vel arrogatio, hic locum non inveniunt, niſi quod aliquando Eccleſia diſſipari, adeoque mortem civilem pati queat. Modi vero, qui à parte Curatorum accidere ſolent, ut mors, delictum, remotio & excuſatio, hic quoque effectum habent. Finito officio, vel Præfecti, vel hæredes, ſi res exigat, actione tutelæ directa conveniri poſſunt, quibus vice verſa, id, quod in Eccleſiæ utilitatem, erogatum eſt, actione contraria repetere licet. Quodſi Eccleſia ejusque bona Patronis ſubſint, tum mutuæ illæ præſtationes, inter ipſos & Præfectos occurrunt.

§. 8. Quemadmodum intuitu aliarum univerſitatum, omnis generis actiones, licitæ & illicitæ occurrunt, ita idem quoque, intuitu Univerſitatis Eccleſiaſticæ, contingit, de quo nunc paucis diſpiciendum. Eccleſiam, cum ſuis bonis, ſubeſſe Reipublicæ & imperio civili, ſupra *c. ſ. §. 21.* oſtenſum eſt *add.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 399.* Neque tamen Eccleſia, ad modum aliorum ſubditorum, per omnia tractari ſolet; In ſpecie neque ordinaria, neque extraordinaria tributa, ex bonis eccleſiaſticis, regulariter exiguntur; aliud vero obtinet in caſu neceſſitatis, aut quoad bona eccleſiaſtica ſuperflua, ac in abuſum converſa, vel Clericorum patrimonialia *v.* CARPZ. *l. 2. D. 308. ſeqq. add.* STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 15. §. 7.*

§. 9. Quodſi Eccleſiam, intuitu privatorum, conſideremus, jus pontificium ejusque interpretes ei valde favent, eique varia privilegia vel jura ſingularia aſſerunt, quod quidem, intuitu Eccleſiarum pontificiarum, non adeo probari poteſt, cum ſub nomine Eccleſiæ Clerus Reipublicæ parum utilis, lateat. Quoad Eccleſias vero proteſtantes, benigniores illæ diſpoſitiones facilius admitti poſſunt, quia tenuioris

plerumque illæ ſunt conditionis, præterea generaliter Reipublicæ ſubjacent, adeoque abuſus, tanto cum effectu, ſequi non poteſt.

§. 10. Per teſtamentum Eccleſia in alios bona ſua non transfert, ſicut etiam per ſucceſſionem ab inteſtato, illa nihil regulariter conſequitur. Si tamen miniſter Eccleſiæ ſine hæredibus moriatur, bona ejus mobilia Eccleſiæ acquiruntur *l. 20. C. de epiſcop. & Cler.* *v.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 6. §. 11.* PEREGRIN. *de jur. fiſc. l. 4. c. 3. n. 9. 10.* immobilia vero, jure civili, ad fiſcum, Saxonico, ad magiſtratum, qui jurisdictionem ſuperiorem habet, pertinent *v.* CARPZ. *l. 6. Reſp. 42. J. E. l. 3. D. 9.*

§. 11. Nonnulli bona mobilia, non Eccleſiæ, ſed Principi, ut Epiſcopo, adjudicant *v.* CARPZ. *d. l.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 13. §. fin.* quod tamen alii tantum, ratione partis quartæ, quæ olim, ex bonis eccleſiaſticis, in genere ad Epiſcopum pertinuerit *v.* ZIEGL. *de dot. eccleſ. c. 11.* STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 12. §. 8.* admittunt STRYK *ad Br. d. c. 13. §. fin.* Verum cum Perſona epiſcopalis, ad Principes proteſtantes applicata, valde ſit ſuſpecta, aut potius commentum, nullo fundamento ſubnixum *v. c. 1. §. 20.* ideo ſententia, quæ Eccleſiæ favet, probabilior eſt, cum privati jure Romano recte utantur, quamdiu aliud non eſt conſtitutum.

§. 12. Ex teſtamentis ſæpe Eccleſia acquirit, quo caſu ſolennia, alias uſitata, haud requiruntur, ſed legitima probatio ſufficit *c. 11. X. de teſtam.* ſi eccleſia, hæres inſtituatur teſtamento minus ſolenni, etiam legata, aliis non privilegiatis data, valere cenſentur *v.* BRUN. *J. E. l. 2. c. 12. §. 1. ſeqq.* STRYK *in not.* Favore Eccleſiarum, etiam ultima voluntas imperfecta, modo intelligi poſſit, vel nutu declarata, aut in arbitrium tertii collata, valida reputatur BRUNNEM. *d. l. §. 4. ſeqq. ibique* STRYK *in not.* Executio vero hujusmodi teſtamentorum, ad executores deſignatos & Magiſtratum pertinet, nec ea, quæ de Epiſcopo, ex jure pontificio tradi ſolent, inter proteſtantes uſum habere videntur *v.* BRUNNEM. *d. l. §. 10.* STRYK *in not.*

§. 13. De cætero quæſtiones voluntatis, in his etiam teſtamentis, occurrunt. E. gr. an legatum iis, qui altari inſerviunt, *den Altar-Leuten*, relictum, etiam pertineat ad præfectos Eccleſiæ *die Kirchen-Vorſteher? v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 323.* Utrum id, quod ad certum uſum

uſum legatum eſt, in alium poſſit converti; Si Eccleſiæ Mariæ quid legatum, & vel nulla, vel plures ejus nominis, in loco, quem teſtator reſpexit, occurrant, cui legatum debeatur? *v.* BRUN. *d. l. §. 13. 14. ibique* STRYK *in not.* quæ omnes, ex circumſtantiis recte expenſis, decidi debent. Licitum quoque eſt, blanditiis legatum, in uſum Eccleſiæ, elicere *v.* CARPZ. *l. 2. D. 322.* Sed uti cavendum, ne blanditiæ in fraudem degenerent, ita hominibus cordatis, rationes, non ineptiæ illæ, conveniunt.

§. 14. Quoad actus inter vivos, varia jura ſingularia Eccleſiæ tribui etiam ſolent. Per contractum à tertio celebratum, illi acquiritur BRUN. *l. 2. c. 14. §. 1.* Sed id hodie ſingulare non eſt, cum illa acquirendi ratio, quoad omnes conſentientes, procedat STRYK *in not. ad d. §. 1.* Dominium, ſine traditione, ex ſolo contractu, in Eccleſiam transfertur *l. 23. §. 1. C. de SS. Eccleſ.* BRUN. *d. l. §. 4. ibique* STRYK *in not.* Qui ex bonis Eccleſiæ immobilibus aliquid, jure dominii utilis, acquirit, ei velut dotalis obſtringitur, ac Conſiſtorio ſubjicitur CARPZ. *l. 2. D. 307.*

§. 15. In rebus pecunia Eccleſiæ, tertii nomine emtis, illi acquiritur dominium BRUN. *l. 2. c. 15. §. 1. ibique* STRYK *in not.* donatio Eccleſiæ, ultra quingentos aureos facta, ſine inſinuatione, valere cenſetur BRUN. *d. l. §. 21.* STRYK *in not.* Exceptio non numeratæ pecuniæ privilegiata, intuitu Eccleſiæ, biennio non præſcribitur *arg. l. fin. C. in quib. cauſ. reſtit. neceſſ. non eſt* BRUN. *d. l. §. 27.* STRYK *in not.* In rebus emtis & donatis, tacita hypotheca ei tribuitur, quæ tamen ob mutuum, in bonis debitoris, ei non competit *v.* BRUN. *l. 2. c. 14. §. 5. ibique* STRYK. *in not.*

§. 16. In rebus, poſt contractum cum Eccleſia celebratum, acquiſitis, antiquioribus hypothecariis potior illa eſſe cenſetur BRUN. *l. 2. c. 15. §. 31.* STRYK *in not.* Si expreſſum & ſpeciale pignus Eccleſia acquirat, à quovis poſſeſſore illud vindicat, nec ei obſtat exceptio excuſſionis, ex doctrina CARPZ. *J. E. l. 2. D. 321. n. 14. 15.* Sed cum eam repetat, ex hypotheſi dubia vel plane falſa, quod excuſſio, in hypotheca ſpeciali, ſemper ceſſet, hinc hactenus illa admittenda non erit *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 658.*

§. 17. Aliquando Eccleſia ad cenſum, aliis ſolvendum, obſtringitur

gitur *v.* BRUN. *J. E. l. 2. c. 9.* Nonnunquam bona ſua in emphyteuſin aliis concedit, quæ tantum in liberos tranſire, nec, ultra tertiam generationem, durare cenſetur *Nov. 7. c. 3.* BRUN. *l. 2. c. 15. §. 12. 14.* STRYK. *in not.* quod tamen alii *Nov. 120. c. 1.* mutatum putant *v.* LAUT. *C. J. ſi ager vectigal. lit. S.* In bonis emphyteutæ, tacitum pignus Eccleſiæ competit *Nov. 7. c. 3. §. 2* STRYK *ad Br. d. l. §. 15.* ac poteſt ille, canone intra biennium non ſoluto, plane expelli BRUNNEM. *d. l. §. 10. 11.* STRYK. *in not.*

§. 18. Sed iſta, in vicem exemplorum, propoſuiſſe ſufficiat, accuratam ſingulorum diſcuſſionem jam inſtituere non libet. Alias plura hujus generis ſingularia recenſeri ſolent *v.* BRUN. *d. l. 2. c. 14. 15.* de quibus in genere hæc ſaltem annotamus (1.) quædam jura, non ſingularia, ſed communia eſſe *v.* BRUN. *d. c. 15. §. 18. ibique* STRYK *in not.* (2.) nonnulla videri iniqua *v.* STRYK *d. c. 15. §. 20. 27. 31. 33. in fin.* (3.) quædam ad Eccleſias proteſtantes non quadrare *v.* BRUNN. *d. c. 15. §. 22.* (4.) in dubio Eccleſiam, ſecundum jus commune, eſſe judicandam.

§. 19. Poſſunt etiam Canonicatus in terris Proteſtantium emi & vendi, nam crimen Simoniæ, quod metuit CARPZ. *J. E. l. 2. D. 312.* in iſtis papatus reliquiis committi, nemo facile crediderit. Quando Eccleſia contra alios præſcribit, tum obtinet jus commune, quodſi contra Eccleſiam præſcribendum ſit, tum regulariter quadraginta anni requiruntur *auth. quas actiones C. de SS. Eccleſ.* mobilia tamen Eccleſiæ conſveto tempore præſcribuntur *v.* BRUNN. *J. E. l. 2. c. 11. ibique* STRYK. *in not.*

§. 20. Denique delictorum conſideratio, intuitu Eccleſiæ, non plane ceſſat. Equidem Eccleſia alios lædere non poteſt, ſub ejus tamen nomine ſæpe Reipublicæ & privatis nocetur. Eo pertinent variæ Cleri pontificii fraudes, quibus, ſub ſpecie religionis, Laicos ſuperſtitioſos olim pecunia emunxit, ac bonis corraſis, in perniciem Reipublicæ, abuſus eſt *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 298.* Huic malo occurri poteſt, ſi promiſcuæ donationes Eccleſiis fieri prohibeantur *v. l. 1. C. de SS. Eccleſ.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 6. 7.* BRUNNEM. *ad C. d. l. 1.* ZIEGLER. *de dot. eccleſ. c. 8. n. 14. ſeqq. c. 11. n. 45. 46.*

§. 21. Quodſi autem abuſus jam invaluerit, tum bona male parta Reipu-

Reipublicæ merito iterum vindicantur ſive ſeculariſantur. Dantur quidem diverſæ de Seculariſatione, etiam inter Scriptores proteſtantes, ſententiæ *v.* SCHILT. *J. J. C. l. 2. tit. 6. §. 18.* STRYK *ad Br. J. E. l. 1. c. 6. m. 12. §. 18.* & eam fere rejicit SCHILT. *de pac. religioſ. c. 7.* Sed videtur ex hypotheſibus papalibus, juxta quas bona Eccleſiæ in Dei dominio eſſe cenſentur, ſententia illa dependere. Concludendum igitur erit, ſeculariſationi, quæ bona ſuperflua & cultum opprimentia Reipublicæ reddit, nihil vitii ineſſe, ſi vero in luxum & vanitates illa profundantur, hoc nemo probandum dixerit.

§. 22. In terris Proteſtantium, ſub nomine Eccleſiæ, illi quandoque erga alios injurii ſunt, qui bonorum eccleſiaſticorum adminiſtrationem, in dominium ac imperium convertunt, quam in rem aliorum querelæ non raro audiuntur. Vice verſa Eccleſia quandoque etiam delicta patitur: De perſecutionibus, quas hierotyrannis Eccleſiis diſſentientibus quandoque intentat, jam ſermo non eſt, nam illæ pertinent ad Eccleſias, quatenus ut ſocietates ſacræ ſpectantur. Ut univerſitates politicæ, furto & ſacrilegio lædi ſolent, de quibus dictum *l. ſ. c. 2. §. 13. ſeqq.* Præterea etiam adminiſtratores non raro in Eccleſiam injurii ſunt *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 298.*

§. 23. In ſpecie docet ZIEGL. *de dot. eccleſ. c. 13. n. 1. ſeqq.* quod præteritis temporibus Laici quandoque bona eccleſiaſtica ad ſe traxerint & quidem aliquando ſvaſu ipſius Cleri; hodie vero his fere modis peccari cenſet (1.) quod Collatores ſæpe inidoneos, ad munus eccleſiaſticum, promoveant, non aliam ob cauſam, quam quo eos, cum damno Eccleſiæ, voluntati ſuæ habeant obnoxios (2.) dotales Jurisdictioni eccleſiaſticæ ſubtrahere ac ſibi ſubjicere conentur *d. c. 13. n. 22 23.* (3.) quod paſtores aliquando dotales ſuos Collatoribus cedant vel (4.) fundos dotales alienent, denique (5.) ipſi ruſtici dotales jus eccleſiæ elidant, aut (6.) cæteri parochiani agros eccleſiaſticos ſuis adjungant *d. c. 13. n. 24. ſeqq.*

§. 24. Grave autem crimen, & Sacrilegio proximum, hic ſubeſſe, ac occultam Dei vindictam illud ſemper perſequi, deinde docet *d. c. 13. n. 30. ſeqq.* quæ dubio procul admitti debent, ſi bona Eccleſiæ legitime acquiſita, ac ad exercendum cultum divinum neceſſaria ſupponamus. Illud vero nimis ſuperſtitioſum foret, ſi nunquam aliquod

crimen, à parte Eccleſiæ, committi, adeoque, ei ſe oppoſuiſſe, ſemper illicitum quis exiſtimare vellet. Quare ſicut Imperans bona male parta Clero recte aufert, ita privatus, ſua contra Eccleſiam defendere, religioni ſibi haud ducat *conf.* SPECIM. JUR. ECCLES. *l. ſ. c. 1. 2.*

CAPUT XVIII.
DE CONSERVATIONE ECCLESIAE.

SUMMARIA.

Eccleſiæ parochiales conſervantur reparatione & viſitatione §. 1.
Jus & cura reparandi §. 2.
Sumtus reparationis deficiente ærario parochiani præſtant §. 3.
Filialiſtæ quando ad collationem ſint obſtricti §. 4.
Parochiani Nobiles etiam ex bonis feudalibus ad contributionem obligantur §. 5.
Quod etiam dicendum de parochianis ſub alia jurisdictione degentibus ut & forenſibus §. 6.
Obligatio illa occurrit tam quoad templi quam aliarum rerum reparationem, aliquando etiam aliorum liberalitas ſollicitatur §. 7.
Viſitationis eccleſiaſticæ natura & varietas §. 8.
Jus viſitandi eſt penes Imperantem, qui illud aliis concedit §. 9.
Viſitationis habendæ modus §. 10.
Tempus §. 11. Sumtus §. 12.
Et impedimenta §. 13.

§. 1.

INſtituta humana facile mutantur, vel plane intereunt, niſi debita cura iis adhibeatur, id quod etiam de Eccleſiis parochialibus verum eſt. Quo igitur hæ, à corruptione vel interitu præſerventur, res, cultui divino neceſſariæ, in ſtatu ſuo conſervari, ac abuſus, quibus homines, data inprimis occaſione, facile indulgent, vel impediri, vel tolli debent. Prius obtinetur *reparatione templorum, rerumque cæterarum*, poſterius vero præcipue, *viſitatione eccleſiaſtica*, de quibus adeo nunc breviter agendum erit.

§. 2. Jus reparandi templa aliasque res eccleſiaſticas, cuivis Eccleſiæ parochiali competere videtur, conſenſus Imperantis non magis hic requiritur, quam ad exercitium dominii privati. Reparationis autem cura ad Præfectos Eccleſiæ pertinet, qui hoc nomine quoque rationes reddere tenentur; ſi penes Patronos omnis rerum ecclе-

eccleſiaſticarum adminiſtratio ſit, tum reparationis curam ſibi ſolis etiam illi aſſerunt. Quodſi ſuſcipienda reparatio vel exſtructio majoris ſit momenti, tum ad eam conſenſus domini Territorialis merito requiritur, maxime ſi inter parochianos diſſenſus oriatur, ac ærarium eccleſiaſticum, parum ſit inſtructum. Conſenſus ille etiam eſt neceſſarius, ſi templum aliquod, ad cultum, hactenus plane omiſſum, reſtaurari debeat, *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 334. ſeqq.* templi enim reſtaurandi, & de novo ædificandi eadem eſt ratio *v. c. §. 8.*

§. 3. Sumtus faciendæ reparationis, ex ærario Eccleſiaſtico ſumuntur *v.* CARPZ. *d. l. D. 338.* eo autem vel deficiente, vel non ſufficiente, Parochiani illos conferre, ac operas neceſſarias, manibus vel jumentis, præſtare tenentur, nemoque in pagis excipitur, ſive manſarius, inquilinus vel hortulanus ſit. Diſtributio vero onerum facultatibus merito attemperatur, qua tamen in re conſvetudo cujusvis loci attendenda erit CARPZ. *d. l. D. 339. ſeqq.*

§. 4. Filialiſtæ, quos vocant, ad reparationem templi principalis non tenentur, ſi, quod plerumque eſt, proprio templo ſint inſtructi; ſi vero illud bello, ſimilive calamitate, amiſerint, ac matri Eccleſiæ incorporati ſint, tum, pro ratione facultatum, perinde ut parochisni principales, ſumtus ac operas regulariter præſtare debent. Illa obligatio ſemper etiam ſe exſerit, quoad refectionem ædium parochialium, ſed ea conditione, ut parochiani principales, ad reparandas Ludimoderatoris ædes, quæ regulariter in parochia filiali ſitæ ſunt, etiam teneantur, quæ omnia ex natura hujus ſocietatis fluunt *vid.* CARPZ. *d. l. D. 343. ſeqq.*

§. 5. Parochiani Nobiles, ratione bonorum allodialium, ad contributionem quoque ſunt obligati CARPZ. *d. l. D. 346.* ſed de feudalibus nihil ſolvunt, ex ſententia CARPZOVII *d. l. D. 347.* quia *Vaſalli, qua tales, non ſunt ſubditi, ac ſervitia militaria præſtant*, ſed, niſi conſvetudo valida libertatem illam ſuſtineat, contrarium omnino dicendum erit, nam neceſſitas conferendi ſumtus fluit ex ſocietate parochiali, quæ ratio etiam, quoad bona feudalia, obtinet; Vaſallagium & ſubjectio fundamentalis, in hac quæſtione nullas habent partes, aut ſaltem, in favorem Nobilium, inde nihil poteſt elici.

§. 6. Parochiani incorporati, *Eingepfarrte*, ſub alia jurisdictione

degentes, ad ſumtus conferendos, itidem obſtringuntur, nam & illi, in ſocietate parochiali, exiſtunt CARPZ. *d. l. 2. D. 348.* Idem dicendum puto de forenſibus, qui, in certa parochia, ædes vel fundos poſſident, alibi tamen vivunt, nam & hi, pro parochianis, recte habentur *v. c. ſ. §. 25.* & iniquum eſſet, ſi nonnullorum abſentia reliquis onus augeret. Nec obſunt, quæ diſſentiens CARPZ. *d. l. D. 349.* opponit (1.) *forenſes non uti cultu divino*, nam ſufficit, quod id facere poſſint, nec eorum abſentia aliis oneri eſſe debeat (2.) *contributionem hanc, non eſſe onus reale, ſed perſonale*, eſto! obligatio tamen perſonalis etiam in forenſibus occurrit.

§. 7. Memorata obligatio in parochianis non tantum occurrit, ſi templum ſit reficiendum, ſed & ſi aliæ res ſacræ vel eccleſiaſticæ reparari debeant CARPZ. *d. l. D. 350.* Et Magiſtratus cujusvis loci ſubditos contumaces, ad faciendum officium, compellere debet CARPZ. *l. 2. D. 337. n. 13. D. 348. n. 9. 10.* Cæterum hactenus dicta, ſecundum principia juris Canonici, ad Eccleſias non patronatus, erunt referenda: Si autem Patronus adſit, ille ſolus ſumtus ferre tenetur. Sed hodie indiſtincte parochianis refectionis onus incumbit, juxta principium, quod refert CARPZ. *Pr. Crim. p. 1. qu. 10. n. 26.* Aliquando, ſumtuum cauſa, aliorum liberalitas ſollicitatur, quod, in Territorio, autoritate Imperantis fieri debet, qui etiam, durante Templi refectione, locum habendi cultus divini determinat CARPZ. *J. E. l. 2. D. 351.*

§. 8. Viſitatio eccleſiaſtica eſt *Actus, autoritate Imperantis, à certis perſonis, eo fine ſuſceptus, quo in ſtatum eccleſiæ parochialis, doctrinam, cognitionem & vitam, tam docentium, quam auditorum, ut & conditionem bonorum & jurium eccleſiaſticorum, inquiratur, ac deprehenſi defectus vel abuſus, pro modo factæ conceſſionis, vel ab ipſis Viſitatoribus, vel, ad eorum denunciationem, ab Imperante, aut magiſtratu inferiore, emendentur & tollantur.* Sunt illæ vel *extraordinariæ*, quæ pro re nata inſtituuntur, vel *ordinariæ*, quæ ſtatis temporibus habentur, quorſum, in Terris Proteſtantium, pertinent Viſitationes Superintendentium *v.* SCHILT. *J. J. C. l. 1. tit. 6. §. 1. 3.*

§. 9. Jus habendi Viſitationes, juxta vera principia, originarie eſt penes Imperantem, poteſt etiam illud, conventione vel præſcriptione, aliis acquiri SCHILT. *d. l. §. 2.* ſed vix illa acquirendi ratio locum inve-

nit.

venit. De cætero Imperans jus visitandi, vel cum certo aliquo munere, alicui concedit, vel, exigente necessitate, seorsim illud delegat, quò casu, ex ejus voluntate, facile liquet, Visitatorem extraordinarium, ordinarium præferendum esse *v.* SCHILTER. *d. l. §. 3.*

§. 10. Quo Visitator munus suum recte exequatur, denunciatio vel notificatio habendæ visitationis, Superintendenti, Præfectis ac Magistratui fieri debet, quo suæ potestati subjectos, condicto tempore, visitationi interesse jubeant, de quo, ex consvetudine, vel tenore mandati, accuratius judicandum est *add.* SCHILTER *d. l. §. 5.* Facta die statuto Commissionis publicatione & propositione, ipsa inquisitio, quoad doctrinam, notitiam, vitam tam docentium, quam auditorum, nec non totius Ecclesiæ statum, diligenter est instituenda, id quod, intuitu Superintendentium visitantium, prolixè traditum est in *Ord. eccles. Saxon. c. 9.* tit. *von der Visitation add.* ZIEGLER *Superintend. c. 22. §. 2. seqq.*

§. 11. Defectus deprehensos Visitator vel tollere, vel, si hoc mensuram potestatis suæ excedat, Magistratui denunciare debet, quod in *d. Ord. Saxon.* prolixe iterum explicatum est *add.* SCHILTER. *d. l. §. 6.* Tempus Visitationum ordinariarum definit Imperans: In Saxonia Electorali Superintendentes, singulis annis, bis Ecclesias visitare jubentur ZIEGLER. *d. c. 22. §. 8. 9.* ac visitatio in loco Ecclesiæ est instituenda, non vero Parochiani ad Visitatorem evocandi *v.* STRYK *in not. ad Br. J. E. l. 2. c. 9. §. 14. in fin.*

§. 12. Sumtus visitationum, ex ærario ecclesiastico, præstari, vel, hoc deficiente, à parochianis, conferri debent, nec Patronus ab hac collatione est immunis STRYK *d. l. in fin.* Ex observantia Saxonica, filialistæ tertiam sumtuum partem præstant CARPZ. *J. E. l. 2. D. 344. n. 12.* Jure Canonico visitanti Episcopo debetur procuratio *c. 2. 3. de cens. in 6.* & profuse nimis, in Ecclesiis pontificiis, sumtus fieri solent *v. c. 6. X. de cens.* ZIEGLER *ad Lancell. l. 2. tit. 21. §. 7.* SCHILTER *d. l. §. 7.* In Terris Protestantium modici sumtus, ordinationibus ecclesiasticis, definiri solent, adeoque vix servantur *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 9. §. 12. ibique* STRYK *in not.* ZIEGL. *Superintend. c. 22. §. 11.* Olim etiam Episcopo visitanti offerebatur *Cathedraticum* vel *Synodaticum*, à quo differt

Inthroniſticum v. Nov. 123. c. 3. ZIEGLER *ad Lancell. l. 2. tit. 21. §. 1. add.* SCHILT. *d. l. §. fin.* FRITSCH. *de jur. viſit. eccleſ. in Volum. varior. opuſc. n. 15.*

§. 13. De cætero experientia docet, quod Viſitationes, tam ordinariæ, quam extraordinariæ, raro habeantur *v.* STRYK *ad Br. l. 2. c. 9. §. 11.* cujus rei rationes forte dependent (1.) à magna Eccleſiarum nonnullarum paupertate *v.* BRUNNEM. *d. c. 9. §. fin.* (2.) ab impedimentis, quæ hominibus, præcipue rureſtribus, illæ eſſent allaturæ (3.) à defectu negotiorum expediendorum, nam hæc, quoad annuas vel ſemeſtres viſitationes, non ſemper adeſſe videntur (4.) ab exigua emendationis, viſitationes ſecuturæ, ſpe, ac inprimis (5.) ab obſtaculis, quæ ii, quorum intereſt, viſitationes non haberi, ponere norunt *conf.* SPEC. JUR. ECCLES. *l. 3. c. 7.*



LIBER

Digitized by Google

LIBER DECIMUS.

CAPUT I.

DE SCHOLIS ET ACADEMIIS.

SUMMARIA.

Partitio sequentium §. 1.
Scholarum natura varietas §. 2. 3.
Origo §. 4. Et incrementa §. 5.
Jus instituendi scholas inferiores §. 6.
Academias in Germania instituunt Status imperii accedente Cæsaris confirmatione §. 7.
Institutæ soli Domino Territoriali subsunt §. 8.
Academiæ vel ut scholæ, vel ut universitates spectantur §. 9.
Docentes sunt vel privati, vel publice constituti §. 10.
Professoris requisita, constitutio §. 11.
Officium & jura §. 12.
Studiosorum receptio §. 13.
Officium §. 14.
Et privilegia §. 15.
Academiarum bona & sedes §. 16.
Varia jura §. 17.
Inter quæ est jurisdictio §. 18.
Jurium illorum subjectum proprium §. 19.
Caput Academiæ est Rector §. 20.
Ejus constitutio officium & dignitas §. 21.
Academiæ Cancellarius §. 22.
Corpora Academica §. 23.
Inter quæ occurrunt Facultates §. 24. 25.
Ac societates Collegiatorum §. 26.
Cives Academici sunt temporarii & perpetui §. 27.
Hi forum generale in Academiis sortiuntur §. 28.
Ultra districtum suum jurisdictio academica non extenditur §. 29.
Academiarum Officiales §. 30.
Dignitas & defectus §. 31.

§. I.

NOndum nos dimittit consideratio Societatis civilis, sed postquam, libro octavo & nono, ea, quæ ad disponendos subditos, adeoque ad formandam eorum intuitu civitatem pertinent, executi sumus, deinde instituta & operationes, quæ formatam societatem civilem sequi solent, expendi debent. Est illorum magna varietas &

& non exiguus numerus, adeo ut de ſingulis exacte dicere difficile ſit. Pro inſtituti ratione de Scholis, Commerciis, peregrinationibus, bello, lætitia ac calamitate publica, nec non de cura pauperum, breviter agemus, quæ periti rerumque civilium experti, emendare & augere noverint.

§. 2. Scholæ, ſecundum primam & propriam conditionem, ſunt *Societates, docendarum diſcendarumque literarum gratia, ab Imperante, vel ejus permiſſu, inſtitutæ.* Succeſſu vero temporis, nonnullis acceſſit habitus Univerſitatis, hinc hodie diſtingvuntur Scholæ, in *Inferiores*, quæ in ſola doctrina perſtant, & *Superiores*, in quibus, docendi juri, jura conferendi dignitates aliaque, Univerſitatibus competere ſolita, acceſſerunt, quæque adeo, à docendi munere, *Academiæ v.* SCHWED. *J. ad J.P. part. ſpec. ſect. 1. c. 6. §. 1.* à cæteris vero juribus, *Univerſitates*, dicuntur.

§. 3. Scholæ inferiores iterum ſunt vel *privatæ*, quas privati, ex tacito minimum Magiſtratus conſenſu, privatis ſalariis, aperiunt, vel *Publicæ*, quæ, auſpiciis publicis Magiſtratus ſuperioris vel inferioris, inſtituuntur. Hæ iterum, in nonnullis regionibus, ſunt (1.) vel *Scholæ Triviales*, in quibus, in lingvis diſciplinisque inferioribus, juventus eruditur, vel *Gymnaſia*, quæ, quoad doctrinam, ad Academias quam proxime accedunt, olim vero, ſolis corporis exercitiis, deſtinata fuiſſe videntur (2.) *Scholæ Univerſitatum*, quæ, in municipiis aut pagis, occurrunt, vel *Provinciales*, quæ à Domino Territoriali, in uſum certi alicujus diſtrictus, inſtituuntur.

§. 4. Uti vero Scholæ, ex principio omnibus Gentibus communi, exiſtunt, ita originem & progreſſum earum, quoad diverſos populos, oſtendere, vix licet, nec etiam valde neceſſarium eſt. *vid.* CONRING *de antiquit. Academ. diſſert. 1. 3.* In regionibus Occidentalibus, fere poſt Seculum quintum, magna barbaries obtinuiſſe cenſetur, donec, auſpiciis Monachorum & Epiſcoporum, Scholæ *Monaſteriales* & *Cathedrales* fuerunt inſtitutæ, quæ Seculo præcipue nono magna incrementa ſumſiſſe exiſtimantur *v.* CONRING *d. diſſert. 3. pag. 61. ſeqq.* Sed, Monachis & Canonicis in ignaviam & luxum prolapſis, fere deſierunt, aut ſaltem oppido mutatæ ſunt.

§. 5.

§. 5. Inprimis Carolus M. Lutetiæ Parisiorum Scholam instituit, quæ tamen, ab initio, mensuram scholarum trivialium vix excessit, sed seculo decimo tertio habitum Academiæ assumsit *v.* LEHM. *Chron. Spir. l. 7. c. 38.* CONRING. *d. dissert. 3. p. 93. seqq.* Circa idem fere tempus in Italia, Bononia & Salernum hoc nomine inclaruerunt, post quod, numerus Academiarum magis magisque crevit *v.* CONRING. *d. dissert. 1. p. 45. seqq. dissert. 2. p. 54.* adeo ut, in sola Germania, ultra triginta Academiæ hodie numerentur *v.* SCHWED. *J. ad J. P. p. spec. Sect. 1. c. 6. §. 3.*

§. 6. Scholas privatas, ex tacito minimùm Reipublicæ permissu, quivis instituere potest, quamdiu prohibitio aliqua non interceſſit *v.* ZIEGLER *de Jur. Majest l. 1. c. 23. §. 1.* Scholæ vero publicæ Universitatum ab unaquaque Universitate institui possunt, nam hoc, in jure Universitatis, continetur *v. l. 8. c. 3. §. 12. c. 4. §. 23.* Uti autem præceptores regulariter constituunt Patroni, ita tam docentes quam discentes, inspectioni Superintendentis, & jurisdictioni Consistorii subsunt *v.* ZIEGL. *d. c. 23. §. 3.* CARPZ. *J. E. l. 1. D. 73. seqq.* Scholas provinciales &, ut videtur, Gymnasia Dominus Territorii instituit. Quorum omnium constitutio & habitus, ex legibus specialibus cujusvis loci, distinctius cognosci debent.

§. 7. Jus instituendi Academias, Cæsari & Vicariis, in Germania, tribui solet *v.* SCHWED. *d. Sect. 1. c. 6. §. 4. 5.* sed distinctius nonnihil ita dicendum: Academias in Territorio valituras, quivis Status imperii, vi Superioritatis Territorialis, instituere potest *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 3. c. 5. §. 56. l. 5. c. 3. §. 56. seqq.* Sed ut illæ in toto Imperio, imo etiam in aliis Rebuspublicis valeant, Confirmatio Cæsaris Superioritati Territoriali, ipsam Academiæ institutionem decernenti, accedere debet *J. P. W. art. 8. §. 1. v.* SPECIM. JUR. PUBLIC. *d. l. 5. c. 3. §. 44. 45.* Confirmatio Pontificis non requiritur, licet Pontificii Imperantes, etiam hac in parte, papale jugum superstitiose ferant *v.* ZIEGLER *de jur. Maj. l. 1. c. 23. n. 8. seqq.* SCHWED. *d. c. 6. §. 4. in fin.*

§. 8. Academia constituta, ac à Cæsare confirmata, soli Domino Territoriali subest, nullum vero imperium in eam Cæsari competit *J. P. W. art. 8. §. 1.* licet nonnullis ita videatur, quorum meminit

VITRIAR. *J. P. l. 3. tit. 2. §. 57.* Olim Academias Papa, ex rationibus Status sui, sibi subjecit, qui abusus quoad Status Imperii Protestantes cessat. Inde tamen factum videtur, ut Academiæ Senatui ecclesiastico hodie subsint *v.* ZIEGL. *d. c. 23. n. 11.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 12.* sed id non ubique obtinet.

§. 9. Constitutio & habitus singularum Academiarum, ex propriis statutis, penitius intelligi debet. In tractatione generali observandum est, quod Academiæ vel ut *Scholæ*, vel ut *Universitates* spectari queant. Illo respectu occurrunt *Docentes* & *Discentes*, hoc vero, *Magistratus* & *Subditi*, subjectione scilicet subalterna, qualis in Universitaribus aliàs occurrit, nam de fundamentali hic non esse sermonem facilè liquet.

§. 10. Docentes sunt vel *Privati*, quo referendi Doctores, Licentiati, Magistri & Candidati, quibus docendi facultas concessa est, id quod, ex legibus cujusvis Academiæ, dijudicandum *v. Decret. Visitat. Academ. Lipsi. 1658.* rubr. *facultas juridica §. 13.* vel *publice constituti* sive *Professores*, quibus solis, in quibusdam Academiis, docendi jus competit, id quod licet privilegiis Doctoralibus repugnare videatur *v. Privileg. Academ. Helmstad apud* CONRING. *de antiquit. academ in append.* ex justis tamen causis, à Domino Territoriali, omnino constitui potest.

§. 11. Ad Professorem requiritur *scientia*, *professioni suæ necessaria*, ac utplurimum *Gradus Doctoris* aut *Magistri v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 397.* In Academia Lipsiensi Doctoribus & Magistris nostris, quos vocant, Professiones regulariter solum conferuntur, num ex jure scripto, vel consvetudine, mihi non liquet. Constitutio plerumque ita fit, ut quævis Facultas, accedente cæterorum Professorum consensu, quosdam denominet, ex iisque unum Imperans eligat *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 399. 400. 401. 404.* Aliquando mandatis Imperantis tota constitutio peragitur, quæ constituendi ratio, pro ratione circumstantiarum, probari & improbari potest.

§. 12. Officium Professoris est, diligenter docere, ac tam in literis, quam moribus, juventutem erudire *v.* CARPZ. *l. 2. D. 405. 406. 407. 411.* pro quo salarium accipit *d. l. D. 410.* ac gaudent ipsorum Viduæ & liberi anno gratiæ *v.* CARPZ. *l. 1. D. 141. seqq.* BRUNNEM. *J. E. l. 2.*

l. 2. c. 5. §. 9. ibique STRYK *in not.* Illud quoque ipsorum conditioni eximie congruit, ut tam cum aliis, quam Collegis pacifice vivant, hinc processus injuriarum, inter Professores, non facile sunt permittendi CARPZ. *l. 2. D. 412. conf.* LIMN. *J. P. l. 8. c. 3.*

§. 13. Discentes in Academiis, *Studiosi* audiunt *v.* LIMN. *de J. P. l. 8. c. 6. n. 1. seqq.* ac ritu depositionis, ad hoc vitæ genus, velut initiantur *v.* LIMN. *d. l. n. 10. seqq. add.* CONRING. *de antiquit. academ. dissert. 4. p. 117.* Actu autem tales fiunt, quando in matriculam Academicam referuntur, quam inscriptionem uti intra certum tempus impetrare debent, ita eam comitatur promissio de vita honeste & decore exigenda, quæ olim plerumque mediante juramento facta fuit *v. Ordin. Academ. Saxon. tit. Eyd der Studenten add.* SCHWED. *J. ad J. P. part. spec. Sect. 1. c. 6. §. 10.* sed hodie stipulata manu saltem fieri solet, id quod, evitandis perjuriis, merito introductum *add.* LIMN. *d. c. 6. n. 22. seqq.*

§. 14. Officium Studiosorum est vel *commune*, dum ad exemplum aliorum hominum & civium leges tam divinas, quam humanas observare tenentur, vel *proprium*, quo literis diligenter incumbere, ac, quæ his contraria sunt, vitare debent. Studiis quoque adjungi solent Exercitia corporis, quæ improbari non debent, si abusus absit, qui tamen hic solet esse frequentissimus, adeo ut satius forte sit, Exercitia illa ab Academiis plane removere, iisdemque peculiaria destinare Gymnasia *add.* LIMN. *d. c. 6. n. 45. seqq.*

§. 15. In *auth.* Habita *C. ne fil. pro patr.* duo privilegia Studiosis tribuuntur (1.) immunitas à repressaliis, tum temporis valde usitatis *v.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 8.* (2.) electio fori *v.* CONRING. *de antiqu. academ. dissert. 6. p. 172.* Utrumque hodie cessat. Aliàs plura privilegia Studiosorum recenseri solent, ac inprimis REBUFF *de privileg. Universs.* eorum 179. collegit *add.* LIMN. *J. P. l. 8. c. 7. 9.* SCHWED. *de S. 1. c. 6. §. 10.* Sed multa in ineptum ingenii lusum desinunt, quædam dubia, vel communia saltem jura sunt, quale etiam videtur esse immunitas à vectigalibus *v. l. 5. C. de vectigal. add.* CONRING. *d. dissert. 6. p. 179.*

§. 16. Quodsi Academiæ, ut Universitates, spectentur *v. §. 9.* tum in genere, ad sui conservationem, bona requirunt, quæ in immobili-

bus & mobilibus rebus consistere solent, ac vel usui Docentium vel Discentium sunt destinata, quo pertinent stipendia pauperum, & alimenta Communitatum *v.* CARPZ. *J. l. 2. D. 318. 409.* Præterea Academiæ non seorsim degunt, ut municipia aut pagi, sed intra mœnia alicujus municipii simul existunt, nec emporia recipiendis iis sunt inidonea *v.* CARPZ. *l. 2. D. 396.* LIMN. *J. P. l. 8. c. 1. n. 60. seqq.*

§. 17. Postea, circa Universitates, spectari possunt Magistratus & Subditi. Jura, quæ illis competere solent, sunt fere Jurisdictio aliqua, potestas administrandi bona communia, eorumque reditus percipiendi, facultas condendi Statuta, conferendi dignitates Academicas, ac respondendi consulentibus de rebus ad professionem propriam pertinentibus, & si quæ ejus generis alia sunt. Origo Jurisdictionis Academicæ ex *auth.* habita *C. ne fil. pro patr.* repeti solet *v.* CONRING. *de antiqu. academ. dissert. 5. p. 141.*

§. 18. Hodie propria aliqua Jurisdictio Academiis competit, adeo ut nonnullæ etiam mero imperio gaudeant, de quo, ex cujusvis statu, judicandum erit *v.* CONRING. *d. l. p. 157.* ZIEGLER *de jur. maj. l. 1. c. 23. §. 6.* SCHWED. *d. Sect. 1. c. 6. §. 6.* Probandæ autem jurisdictioni criminali, frustra omnino ad *d.* auth. *habita* provocari videtur, licet nonnulli eo fundamento nitantur *v* LIMN. *J. P. l. 8. c. 9. n. 33. seqq.* Ex sententia CONRINGII *d. dissert. 5. p. 154.* cum Jurisdictio Academiis tribui cœpit, ex ipsis Studiosis, in certas Nationes distributis, Rectores electi sunt, quod uti aliis dijudicandum relinquimus, ita, ex instituto Nationum electionem illam non sequi, arbitramur.

§. 19. De cætero memorata illa jura, ac in specie Jurisdictio, Professoribus competunt, ex sententia CONRINGII *d. dissert. 5. p. 157.* nam in hos, in Academiis germanicis antiquioribus, tandem illa sunt translata, manente licet Nationum discrimine, in recentioribus vero, quæ circiter post annum *1480.* fundatæ sunt, statim illis tributa: Sed hoc tamen non ubique obtinet, nam in Academiis, in quibus Nationum diversitas adhuc occurrit, ac in specie, in Academia Lipsiensi, Doctores & Magistri nostri, quos vocant, jurium illorum etiam aliquo modo sunt capaces, cum Professoribus tamen eadem plane classe non censentur.

§. 20. Caput totius Academiæ est *Rector*, qui sceptris & purpureo vestitu

veſtitu utitur, qui à Pontificibus & in ſpecie Paulo II. qui ab anno 1464. usque ad annum 71. pontificatui præfuit, cenſetur habere originem *v.* CONRING. *d. diſſert. 5. p. 159. add.* ZIEGLER *de jur. majeſt. l. 1. c. 23. §. 11.* De cætero munus Rectoris, aliquando Perſonis illuſtribus, ſtudiorum cauſa, in Academia commorantibus *v. Ordinat. Academ. Auguſt.* tit. *vom Rectorn* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 398.* regulariter vero Profeſſoribus confertur. In Academia tamen Lipſienſi, etiam Doctores & Magiſtri ibi promoti, Rectoratus ſunt capaces *Viſit. Decret. de anno 1658. tit. Rect. Academ. §. 2.* quamvis uſu id non ſervetur.

§ 21. Quomodo Rector eligatur aut quousque ejus officium duret, id omne, ex ſtatutis ſpecialibus, diſcendum eſt. In Academia Lipſienſi, ſecundum quatuor Nationes, Saxonicam, Miſnicam, Bavaricam ſive Franconicam & Polonicam, electio inſtituitur variis ritibus, ac munus delatum anni dimidio circumſcribitur. Officium autem Rectoris ſummatim in eo conſiſtit, ut Studioſos in matriculam referat, ac toti Academiæ recte præſit *add.* SCHWED. *J. ad J. P. p. ſp. ſect. 1. c. 6. §. 9.* Fruitur ille dignitate Prælati, hinc comitibus præfertur *v.* SCHILTER *J. J. C. l. 1. tit. 12. §. 6.* Imo alicubi majori adhuc dignitate ille gaudet, ac, in nonnullis Academiis, ſimul eſt Comes Palatinus *v.* CONRING. *de antiqu. academ. d. diſſert. 5. p. 161. conf.* LIMN. *J. P. l. 8. c. 5.*

§. 22. Rectorem ſequitur *Cancellarius*, quod munus olim Epiſcopis plerumque fuit collatum. Solet ille facultatem conferendi dignitates ſcholaſticas impertiri, hinc Procancellarius conſtituitur *add.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 12. §. 12.* ITTER *de grad. academ. c. 5. §. 6.* In quibusdam Academiis, Profeſſores quidam Cancellariatu funguntur, qui, à præcedenti Cancellarii munere, differre, ac inſpectionem in Academicos involvere videtur *v.* SCHWED. *d. c. 6. §. 8.* Sed hic Cancellariatus, in *Ordinat. Academ. Auguſt.* tit. *vom Cancellario beyder Univerſitäten* licet memoratus, in Academiis Saxonicis, quod ſciam, non occurrit *add.* LIMN. *J. P. l. 8. c. 2.*

§. 23. Præterea illi, qui jurium academicorum capaces ſunt, certa quædam *corpora*, vel *ſocietates* conſtituere ſolent. Eo pertinet (1.) Concilium Profeſſorum (2.) Aſſeſſorum, quod jurisdictionem acade-

micam exercet, ac *perpetuum* dici solet (3.) Decanorum, quibus, in Academia Lipsiensi, accedit (4.) Concilium Nationale, cui omnium Nationum Doctores & Magistri, ibidem promoti, intersunt. Singulis illis Conciliis semper præest Rector. Præter illa corpora, memoratur etiam (5.) Concilium perpetuum Rectoris & Assessorum ordinariorum, nec non trium, ex singulis Nationibus, Assessorum ut & Cancellarii & quatuor Decanorum in *Ord. Academ. August.* tit. *von des Rectoris Assessoren und der Universität stetswährenden Consilio.* Quod tamen, quantum mihi constat, in Academiis Saxonicis, hodie non est in usu.

§. 24. Inprimis, in omnibus Academiis, occurrunt quatuor *Facultates*, Theologica, Juridica, Medica & Philosophica *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 397.* Eas regulariter constituunt Professores, alicubi tamen in illas etiam Doctores & Magistri alii cooptantur. Singulæ suum habent Decanum, qui in Facultate Juridica Lipsiensi perpetuus est, ac immediate ab Electore constituitur *v.* CARPZ. *l. 2. D. 401. add.* SCHWED. *J. ad J P. p. sp. Sect. 1. c. 6. §. 7.*

§. 25. In Facultatem Juridicam Lipsiensem, recipiuntur omnes Doctores, ibidem promoti, secundum ætatem & ordinem promotionis, adeo ut, licet quis Professionem obtineat, tamen Facultati non antea adscribatur, quam ordo eum tangat, quæ consvetudo *Decreto Visitationis de anno 1658.* tit. *facultas juridica §. 2.* haut quaquam refragatur. De cætero ad Facultates pertinet jus respondendi de rebus, ad professionem suam pertinentibus, ut & censura librorum, non vero potestas concedendi privilegia, super libris inprimendis *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 413. seqq. add.* LIMN. *J. P. l. 8. c. 4.*

§. 26. In Academia Lipsiensi, etiam dantur *Societates Collegiatorum*, qui reditus ædificiorum academicorum percipiunt. Collegiati Collegii Paulini, in specie dicuntur *Decemviri v. Ordin. academ. August.* tit. *von disciplin p. 424.* Aliquando Rector Academiæ Lipsiensis, cum corpore, quod vocant, academico, actibus solennibus, ut funerum deductionibus, interest, quo casu, Doctores extranei ad illud non admittuntur *v.* ZIEGLER *de jur. majest. l. 1. c. 24. §. 15.*

§. 27. Subditi Universitatum, sive cives Academici *v. §. 17.* sunt vel *temporarii*, qui ad tempus, Studiorum causa, in Acedemiis saltem com-

commorantur, vel *perpetui*, qui domicilium ibi constituerunt, quorsum pertinent omnes literati, qui animum manendi habent, nec foro Academico renunciarunt. Priores cives forum domicilii generale, in Academiis non habent, hinc Studiosus ob rem alibi sitam, vel contractum, alio loco celebratum, in foro academico conveniri nequit, nisi, mediante bonorum arresto, hujus jurisdictio extendatur, quod non infrequens in Germania esse solet.

§. 28. Posteriores vero forum generale, coram judicio academico, sortiuntur, quod etiam de eorum uxoribus & liberis dicendum. Famuli vero, quoad delicta & contractus, Academiæ quoque aliquando subsunt, quod tamen in Lipsiensi locum non habet. Integræ etiam societates & Collegia, jurisdictioni Academicæ subjiciuntur. Facultates tamen Academiæ Lipsiensis, sunt Schrifftsassicæ, adeoque coram Rectore & Concilio conveniri nequeunt *v.* CARPZ *J. J. E. l. 2. D. 402. add.* SCHWED. *J. P. p. spec. Sect. 1. c. 6. §. 10. in fin.*

§. 29. De cætero jurisdictio academica, ultra territorium, non extenditur, hinc ex aliqua Academia relegatus, alibi pro Studioso recte habetur SCHWED. *d. §. 10.* De Academia Lipsiensi traditio increbuit, quasi cives suos, tam in criminalibus, quam civilibus, intra tres diætas, avocare possit; sed cum privilegium illud probari non potuerit, præterea etiam aliorum jurisdictioni valde molestum sit futurum, hinc in *Decret. Visit. 1658.* tit. *disciplina §. 6.* sublatum est, adeo ut delinquens, in foro delicti, conveniendus sit, nisi quod Magistratus oppidanus compactata anno *1466.* inita, observare debeat.

§. 30. Ad exemplum aliarum Universitatum, Academiæ quoque suos habent Officiales. Eo pertinent (1.) Syndicus, quod munus Professori non temere deferri vult *Decret. Visit. 1658.* tit. *Universität §. 11.* (2.) Actuarius Academicus (3.) Pedelli (4.) Depositor & ejus generis alii. Qui omnes à Corpore, cui servire debent, constitui, ac jurata plerumque promissione obstringi solent. Quidam etiam huc referunt Typographos & Bibliopolas *v.* LIMN. *J. P. l. 8. c. 10.* Sed hi sæpe municipibus annumerantur, nec Academiis subsunt.

§. 31. Academiæ honore aliquo non indignæ merito censentur *v.* CONRING. *de antiqu. academ. dissert. 5. p. 161.* hinc etiam Senatui ecclesiastico *v.* CARPZ. *l. 3. D. 12.* vel Secretiori *v.* STRYK *ad*

Br.

Br. J E. l. 1. c. 6. m. 12. §. 12. hodie subesse solent *v. §. 8. h.*. De cætero suis etiam defectibus & morbis laborant, nam si ut Universitates spectentur, raro opibus ita sunt suffultæ, ut se suaque satis tueri queant: Si vero ut Scholæ considerentur, magna utique reformatione, tam quoad doctrinam, quam mores & disciplinam, videntur indigere *add.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 6. m. 12. §. 12. l. 2. c. 19. §. 2.*

CAPUT II.

DE DIGNITATIBUS ACADEMICIS.

SUMMARIA.

Graduum academicorum varietas §. 1.
Infimus est Baccalaureatus, secundus, Licentia §. 2.
Summus, Doctoratus §. 3.
Dignitatum academicarum moralitas, effectus §. 4.
Et origo §. 5.
Jus conferendi dignitates est penes Imperantem §. 6.
Cæsares germanici immediate hoc jus aliquando exercent, aliquando aliis id concedunt §. 7.
Jus Comitum palatinorum quousque se extendat §. 8. 9.
Inprimis Academiis jus conferendi dignitates concedi solet §. 10.
Quæ mediate per certas personas illud exercent §. 11.
Promovendi requisita §. 12. 13.
Promotionum connexitas & solennia §. 14.
Dignitatum academicarum finis & comparatio §. 15.
In specie cum aliis dignitatibus §. 16.
Doctoratus est nobilitas §. 17.
Sed equestri hodie inferior §. 18.
Doctorum insignia & vestitus §. 19.
Aliaque jura §. 20. 21.
Comparatio promotorum §. 22.
Controversiæ circa dignitates academicas occurrere solitæ §. 23.
Graduum academicorum contraria §. 24. 25.
Contemtus §. 26.
Hujusque remedium §. 27.

§. 1.

POst institutas Academias, receptum est, ut Discentibus dignitates quædam conferrentur, quæ communiter *Gradus Academici* audiunt, de quibus fere juxta ductum ITTERI *de grad. academ.* nunc aliqua dicenda erunt. Graduum academicorum non quatuor, ut vult LIMN. *J. P. l. 8. c. 8. n. 15. seqq.* & ITTER *de grad. academ. c. 2. §. 1. seqq.* sed tres saltem species constituendæ videntur, *Baccalaureatus, Licentia* & *Doctoratus* sive *Magisterium.*

§. 2. Infimus gradus dignitatum academicarum, est *Baccalaureatus*, cujus nominis ratio parum expedita est *v.* LIMN. *d. l.* ITTER *d. l.*

d. l. §. 4. add. CONRING. *de antiquit. academ. dissert. 4. p. 135.* de cæterogradus ille in omnibus quatuor Facultatibus obtinet ITTER *d. l. §. 5.* ZIEGLER *de jur. maj. l. 1. c. 24. §. 21. 22.* de quo tamen dubitat LIMN. *d. l. n. 25.* Alter gradus est *Licentia*, & Licentiatus audit, qui, exanthlato examine, & habita disputatione inaugurali, licentiam obtinuit assumendi gradum Doctoris, quod si tamen renunciatio solennis non accesserit, juribus & existimatione Licentiatorum nondum fruitur *v.* LIMN. *d. l. n. 41. seqq.* ZIEGLER *d. l. n. 4. 13.* LYNCKER *Res decis. Jen. Decis. 317.* Creantur etiam Licentiati in Facultate philosophica, non tamen seorsim, licet, quoad hoc & præcedens assertum, dissentiat ITTER *d. c. 2. §. 13. 14.*

§. 3. Summus gradus est *Doctoratus* sive *Magisterium v. l. 19. §. 2. de recept.* & olim quidem Doctores Theologiæ, *Magistri* dicti sunt *add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 114. in fin.* in specie Theologi Parisienses, Lovanienses & Colonienses, *Magistri nostri* dici voluerunt *v.* ZIEGL. *d. c. 24. §. 17. 18. 19.* Hodie, titulo Doctoris Superioribus Facultatibus vindicato, Magistri nomen Philosophis remansit, nihilominus tamen etiam Magistri, Doctores sunt, eo tamen titulo non antea utuntur, quam in Facultate aliqua Superiori idem sit etiam obtentus. JCti audiunt *Doctores utriusque juris*, nempe Civilis & Canonici *v.* ITTER *d. c. 2. §. 15. seqq.* quod ad veterem pertinere superstitionem, satis quidem videtur certum.

§. 4. Assumtio gradus academici, tamdiu utique licita censeri debet, quamdiu discrimina hominum, ordinis alicujus causa introducta, non improbantur. Intercurrens forte fastus, vitium hominis est, risu magis quam pœna dignum. Illud quoque certum, quod Titulus Doctoris, probitati ac eruditioni, per se, nihil addat, imo, cum abusus nimis invaluerit, ne quidem eruditionis præsumtionem, excitare ille videtur, etsi nec ignorantiæ testimonium sit, quod dignitatum academicarum contemtores, nonnunquam satis inepti, credi mallent *add.* ITTER *d. tr. c. 3.*

§. 5. Circa originem dignitatum academicarum, non eadem omnium est sententia *v.* LIMN. *d. c. 8. n. 2.* ITTER *d. tr. c. 4.* Quidam sub initium Seculi 13. ex dispositione Papæ Gregorii IX. & Imperatoris Friderici II. cœpisse eas censent, ac jam Seculo XIV. abusum

invaluiſſe *v. clement. 2. de magiſtr. & ne aliq. exig.* CONRING. *de antiqu. acad. diſſert. 4. p. 134. ſeqq.* De cætero citius, in Gallia & Italia, quam Germania, illæ uſitatæ fuerunt, adeo ut in hac, demum Seculo XIV. & primo quidem, in Academia Pragenſi, cœperint *v.* ITTER *d. c. 4. §. 23. ſeqq.*

§. 6. Facultas conferendi has dignitates, ineſt imperio civili, hinc unaquæque Respublica ſui juris, eas conferre poteſt. Si Papam pro Vice Deo habeas, tum in omnibus Rebuspublicis illas poteſt impertiri, ſed, negata illa hypotheſi, etiam conſectarium corruit *add.* ITTER *d. tr. c. 5.* In Germania quivis Status imperii, dignitates ſcholaſticas in ſuo Territorio valituras conferre poteſt, licet diſſentiat ITTER *d. tr. c. 6. §. 10. ſeqq.* Sed jus conferendi dignitates, ubique effectum habituras, eſt penes Cæſarem ITTER *d. c. 6. §. 1. ſeqq.* & Vicarios, non vero Regem Romanum *d. c. 6. §. 15. ſeqq.*

§. 7. Aliquando Cæſares immediate hoc jus exercent *v.* LIMN. *d. c. 8. n. 9. 10.* ITTER *d. c. 6. §. 21. ſeqq. add.* ZIEGL. *de jur. maj. l. 1. c. 24. §. 10.* plerumque verò illud aliis concedunt. Conceſſum autem id eſt Archiducibus Auſtriæ, quod tamen jus, licet ex privilegio dependeat, non amplius pro delegato haberi, ſed potius jus proprium, ob approbationem legum fundamentalium, exiſtimari debet. De cætero Archiduces tantum habent jus creandi Doctores juris civilis, Medicinæ & Philoſophiæ, non vero Theologiæ & Juris Canonici *v.* ITTER *d. c. 6. §. 26.* quæ reſtrictio unde ſit, facile patet.

§. 8. Præterea etiam Cæſar jus conferendi dignitates, Comitibus Palatinis & Academiis delegat, non vero Cameræ imperiali ITTER *d. c. 6. §. 20.* Comites Palatini omnis generis Doctores creare poſſunt, niſi reſtrictio acceſſerit ITTER *d. c. 6. §. 27. 28.* etiam in Academiis, niſi diſerte hoc jus ademtum, ex doctrina ITTERI *d. l. §. 29.* ſed contrarium verius eſt, nam non præſumitur Cæſar, in præjudicium Academiarum, jus Comiti Palatino conceſſiſſe; imo, ſi calculum recte ſubducas, ne quidem concedere poteſt, cum Academiæ ſimul, à Dominis Territorialibus, dependeant, adeoque iis Cæſar, conceſſione largiori, moleſtus eſſe non debeat *arg. J. P. W. art. 8. §. 1. add.* LIMN. *d. c. 8. n. 12.*

§. 9. Si Rector Academiæ, vel collegii alicujus Decanus, Comitiva

Digitized by Google

tiva palatina donatus ſit, tum jus conferendi dignitates academicas, ei ſimul concedi non ſolet, quodſi tamen aliquando id factum ſit, tum jus illud tantum in Academia ſua Rectorem vel Decanum exercere poſſe, cenſet ITTER *d. c. 6. §. 30.* cum *extra academiam Rector aut Decanus non ſit.* Sed mihi potius jus illud ita accipiendum videtur, ut in Academia exerceri nequeat, ob rationem *§. præc.* datam. Nec obeſt ratio oppoſita, nam utut Rectoratus aut Decanatus, extra Academiam, effectum non habeat, jus tamen adjunctum, alibi valere poteſt. De cætero uti Comites Palatini liberis quoque ſuis dignitatem conferre poſſunt, ita, jus ſuum aliis eos delegare non poſſe, niſi expreſſe hoc indultum ſit, verius eſt *add.* ITTER *d. c. 6. §. 31. 32.*

§. 10. Inprimis Academiis earumque Facultatibus, jus conferendi dignitates ſcholaſticas, conceſſum eſt, ea tamen plerumque ſub reſtrictione, ut, ad ejus exercitium, Cancellarii vel Domini Territorialis permiſſio requiratur. Uti autem jus illud Academiæ vel Facultati, ut Corpori morali ſive Collegio competit, ita, cum habitus ejus immediatum exercitium non admittat, neceſſario hoc certis perſonis eſt delegandum, ubi quidem regulariter nihil refert, cujus conditionis intermediæ illæ perſonæ ſint, ſed hoc omne libertate & ſtatutis definitur.

§. 11. Exinde conſequitur, quod ille qui Profeſſor non eſt, vel in alia Academia, profeſſione fungitur, dignitatem conferre poſſit *v.* ITTER *d. c. 6. §. 34. ſeqq.* Non minus ille, qui Magiſter aut Doctor non eſt, Magiſtros vel Doctores creare poteſt *v.* ITTER *d. c. 6. §. 37. ſeqq.* LIMN. *J. P. l. 8. c. 8. n 37.* ZIEGLER *de jur. maj. l. 1. c. 24. §. 19. 20.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 397.* Nec incongruum eſt, licet forte non adeo ſit uſitatum, ut JCtus, Theologiæ, vel Theologus, Juris Doctores renunciet. Regulariter ſane hæc omnia recte ſe habent, niſi ſtatutis aliud cautum ſit.

§. 12. In promendo requiritur uſus rationis, ac ea aptitudo, quam vel indoles harum dignitatum, vel leges exigunt, quæ quidem regulariter adeſſe cenſetur, quamdiu contrarium non apparet. Ætas igitur per ſe, nullum affert impedimentum, nec illud refert, intra quod tempus, aut, quo in loco, eruditionem neceſſariam quis acquiſiverit *v.* LIMN. *J. P. l. 8. n. 65. ſeqq.* nec ſexus fœmininus inhabilitatem operari cenſetur *v.* ITTER *de grad. academ. c. 7. §. 1. ſeqq.*

Digitized by Google

§. 13. Inter Christianos requiritur, ne promovendus, improbatæ hæresi sit addictus, aut omnino infidelis, quod tamen non adeo stricte servari solet *v.* ITTER *d. c. 7. §. 11. seqq.* Infames & levis notæ macula laborantes, à dignitatibus hisce repelluntur ITTER *d. l. §. 16. seqq. v.* LIMN. *dict. c. 8. n. 76. seqq.* ut & servi, ac pontificii religiosi, certo Ordini adscripti, nec non uxorati ITTER *d. l. §. 25. 26. 27.* quod ultimum tamen inter Protestantes, nullius est usus. Inprimis eruditio, in Candidato, est necessaria, sed pecunia ejus defectum facile supplet, in quod valde invehitur ITTER *d. l. §. 28. seqq. add.* ZIEGL. *de jur. maj. l. 1. c. 24. §. 7. seqq.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 408.* Videtur tamen abusus ille magis in stultitiam, quam injustitiam incidere *v.* ITTER *d. tr. c. 8. §. 13.*

§. 14. Quando aliquis in Academia quadam examinatus, & licentiam consecutus est, tum sine ejus consensu, alibi Doctoris titulum assumere nequit, nam eo fine promissio, plerumque etiam jurata, exigi solet *v.* LIMN. *l. 8. c. 8. n. 43.* ITTER *d. tr. c. 6. §. 44. seqq.* ZIEGL. *de J. M. l. 1. c. 24. §. 13.* quam tamen scopus harum dignitatum minimè exigit. Promotionis solennia antecedere debent lectiones, examina & disputationes, quibus peractis, actus ipse consvetis ritibus & symbolis peragitur, qua de re, ut & Candidatorum ordine, convivio Doctorali similibusque, leges cujusvis Academiæ consuli debent *v.* LIMN. *d. c. 8. n. 88. seqq.* ITTER *d. tr. c. 8.*

§. 15. Finis dignitatum academicarum esse debebat, ut diligentia præmio aliquo afficeretur, aliique hac ratione, ad similia patranda, allicerentur, sed postquam abusus invaluit, non alius asseri potest scopus, quam ut aliquem in vita civili locum, vel honoris gradum quis consequatur, qui sæpe non rationem præmii, sed rei emtæ habeat. De cætero prærogativa Doctorum, ex diversitate Facultatum dependet *v.* ITTER *d. tr. c. 10. §. 1. seqq.* Unius vero Facultatis Doctores, ex ætate, locum sortiuntur, nisi forte alia dignitas vel peculiaris functio Facultatum aut ætatis ordini prævaleat *v.* ITTER *d. c. 10. §. 8. 9. 13.* ZIEGL. *de J. M. l. 1. c. 24. §. 14. 15. 16.*

§. 16. Quodsi personas gradu academico donatas, cum aliis e. gr. Senatoribus *v.* ITTER *d. c. 10. §. 10.* Patriciis aut militibus *d. c. 10. §. 38. 39.* Consiliariis, præcipue titularibus, aut Comitibus Palatinis *v.* DN. HORN *de jur. proædr. decad. 1. qu. 2. 3.* comparemus, tum vix est, ut ra-

ratione prærogativæ, certa dari possit regula, hinc leges cujusvis loci, ac, his deficientibus, possessio potissimum, attendi debent. In Saxonia Electorali, Doctor Medicinæ regulariter præfertur Præfecto CARPZ. *p. 2. D. 110.* Inter cognatos ætas gradu debet quoque esse potior *v.* ITTER *d. c. 10. §. 11. 12.*

§. 17. Num vero Doctores, pro Nobilibus haberi queant, dudum disceptatum fuit *v.* LIMN. *J. P. l. 8. c. 8. n. 100. seqq.* ZIEGL. *de J. M. l. 1. c. 24. §. 6.* ITTER *d. c. 10. §. 14. seqq.* Non videtur improbabile, si nobilitatem personalem & ecclesiasticam iis tribuamus, sicut enim Episcopi, Principes, Abbates, Comites in suo genere sunt, ita dignitatibus scholasticis, Nobiles togati aut ecclesiastici videntur effecti, nam ex papatu omnis illa res habet originem *v.* EYBEN *de titul. Nobil. in addend. §. 25.*

§. 18. Ex eo autem sequi videtur, quod Nobilitas togata, equestri par, vel etiam superior sit, id quod, ex variis juris germanici textibus, quoque colligi potest *v. R. J. de anno 1511. tit. 5. §. 11. Ordin. Cam. 1500. tit. 1. Ordin. Regim. 1500. tit. 4. in fin. tit. 17. Ordin. Cam. 1521. tit. 1. 4. §. 1. de anno 1555. p. 1. tit. 1. §. 3. 4. R. J. 1500. tit. 22. §. 5. 7. 8. Ordin. polit. 1530. tit. 17. §. 1. tit. 10. seqq. Reform. polit. August. 1548. tit. 10. seqq. Ordin. polit. Francofurt. 1577. tit. 10. seqq. v.* DN. COCCEJ. *J. P. P. c. 31. §. 18. seqq.* Hodie tamen certum videtur, quod equestris togatam dignitate superet *v.* ITTER *de grad. academ. c. 10. §. 30.* DN. HORN *de jur. prœdr. Dec. 2. qu. 1.* adeo ut Nobiles equestres, dignitates scholasticas, olim non infrequenter assumtas *v.* LANS. *pro German. p. m. 24.* nunc fere aspernentur *add. Ordin. polit. 1530. tit. 17. §. 1. 1548. tit. 14.*

§. 19. Ex asserta autem Doctorum nobilitate, illud amplius sequitur, quod Doctoribus gladios gestare, insignia cum apertis galeis usurpare, titulisque convenientibus uti liceat *v.* ITTER *d. tr. c. 11. §. 14. seqq.* Non minus illi Nobilibus, quoad vestimenta, æquiparantur vel etiam præferuntur *v. R. J. 1500. tit. 22. §. 5. 6. 7. 8. Ord. polit. 1530. tit. 14. §. 1. tit. 15. de anno 1548. 1577. tit. 11. 12.* Alii tamen, Doctores hac in parte Nobilibus esse inferiores, ex *Ord. polit. 1530. tit. 14. §. 2.* existimant *v.* ITTER *d. tr. c. 11. §. 22. seqq.*

§. 20. Alias Doctoribus etiam competit jus, de rebus suæ profes-

ſionis, legendi, diſputandi & conſulentibus reſpondendi *v.* ITTER *c. 11. §. 1. ſeqq.* Hinc in ſpecie Medicis exercitia anatomica inſtituere licet, ſine læſione tamen aliorum *v.* LIMN. *J. P. l. 8. c. 4. n. 30. ſeqq. Diſſert.* DN. PETERMAN *de anatom. public. hab. Hallæ 1703. ſub præſ.* DN. HOFFMAN. Non minus Doctoribus tribui ſolent immunitas ab oneribus perſonalibus *v.* ITTER *c. 11. §. 10. ſeqq.* & realibus ITTER *c. 12.* ut & nonnulla privilegia, intuitu judiciorum & delictorum ITTER *d. tr. c. 13.* Imo ea omnia, quæ jure Romano, de Doctoribus & Profeſſoribus, conſtituta cenſentur, ad Doctores noſtri temporis fere applicantur *v.* ITTER *d. tr. c. 15.* LIMN. *J. P. l. 8. c. 8. n. 115. ſeqq.*

§. 21. Sed vix ejusmodi aſſertionibus fides in genere tribui debet, ſed leges cujusvis loci, inprimis hic inſpiciendæ erunt, maxime cum Status Doctorum, valde imminutus ſit, ac multum de dignatione ſua amiſerit. Inprimis putem, Dominum Territorialem, leges vel extraneas, vel germanicas, Doctoribus forte faventes, in ſuo Territorio, abrogare poſſe, licet, in controverſia veſtiaria, aliud viſum ſit aſſeſſoribus Cameralibus *v.* LIMN. *J. P. l. 8. c 8. n. 120.* quod vel ad antiqua tempora referendum, vel ſolennibus Cameralium præjudiciis annumerandum erit.

§. 22. De cætero, inter perſonas promotas, triplex eſt differentia, vel ratione perſonæ, dignitatem conferentis, vel Facultatis, in qua promoti exiſtunt, vel ratione dignitatis acquiſitæ. Interim privilegia, quæ certo digniratis gradui competunt, omnibus facultatibus regulariter ſunt communia *v.* ITTER *d. tr. c. 14.* In ſpecie jura Doctorum etiam Bullatis, quos vocant, aſſeri debent, nam & hi, voluntate Imperatoris & Domini Territorialis, creantur *v.* ITTER *d. c. 14. §. 6. ſeqq.* LIMN. *J. P. l. 8. c. 8. n. 13. 14.*

§. 23. Circa dignitates academicas, variæ lices occurrere poſſunt, dum quis Doctoris titulum ſibi falſo arrogat, vel alii eundem ſine cauſa negat, aut, ejus intuitu, alia ratione, alterum lædit. Hiſce & ſimilibus caſibus privari actiones, coram competente judice, inſtituunt *v.* ITTER *d. tr. c. 16.* ZIEGL. *de J. M. l. 1. c. 24. §. 5.* quorum hic, ex ſtatu cujusvis regionis cognoſci, illæ vero, ex jure competente, æſtimari debent, nec de nominibus actionum, ex jure Romano formandis, actores hodie valde oportet eſſe ſollitos.

§. 24. Pri-

Digitized by Google

§. 24. Privilegia Doctorum neceſſitati ſine dubio cedunt ITTER *d. tr. c. 17. §. 1. ſeqq.* Gradus vero ſemel acquiſitus, rurſus deponi nequit, ex ſententia ITTERI *d. l. §. 4.* ſed putem, ei omnino poſſe renunciari, verum renunciationem talem non neceſſariam ſed perinepram eſſe. Ob delicta famoſa dignitas quoque amittitur ITTER *d. l. §. 5. 6. 7.* modo ſententia privatoria interveniat. Ob imperitiam & indignitatem quoque quem degradandum eſſe volunt *v.* ITTER *d. l. §. 8. 9.* ſed hoc magis locos communes quam uſum civilem ſapit.

§. 25. Exercitio ſordidarum viliumque artium, privilegia Doctoralia quoque amitti cenſent, ubi tamen non ſatis liquet, quænam in illum cenſum referri debeant *v.* ITTER *d. c. 17. §. 10. ſeqq.* Verum putem, non tam amitti, quam ſuſpendi; aut ſaltem non amitti ipſo jure, ſed demum per ſententiam judicialem jura Doctoralia, quæ tamen, ob illas cauſas, raro dabitur. In ſpecie putant, mercaturam cum Doctoratu pugnare *v.* ITTER *d. l. §. 14. 15.* ſed id moribus noſtris vix congruit, quibus mercatura Doctoribus non tam diſſvadenda, quam commendanda potius videtur.

§. 26. De eo etiam quæri poteſt, cur dignitates academicæ, olim magni æſtimatæ *v.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 79.* hodie vilipendantur? Cauſam inde nonnulli repetunt, quod tot indignis illæ conferantur *v.* ITTER *d. tr. c. 7. §. 39.* Sed vix ratio illa, ſolida eſt, cum experientia teſtetur, alias dignitates ſæpe maxime indignis conferri, quarum nihilominus magnum pretium & autoritas eſſe ſolet. Vera igitur cauſa, ex nimia Doctorum multitudine, ac præcipue defectu opum, quibus nobilitas togata, non perinde ac equeſtris, ſuffulta eſt, dependet, nam, hiſce cauſis omnes dignitates minui, manifeſtum eſt.

§. 27. Labentibus autem dignitatibus academicis ſuccurri poſſe cenſet ITTER *d. c. 7. §. 40.* ſi promotiones indignorum impediantur, quod quidem, ea potiſſimum ratione, obtineri poſſe exiſtimat, ſi, auctis Academiarum ſalariis, gradus deinde gratis conferantur. Sed uti illud medium moraliter videtur impoſſibile, ita admiſſum, reſtituendæ dignitatum academicarum autoritati, non ſufficere, ex ante dictis intelligi poteſt, nam, impeditis licet indignorum promotionibus, tamen magnus Doctorum numerus eſſe poteſt, qui, deficientibus opibus, nullo erit in numero *conf.* SPECIM. JUR. ECCLES. *l. 4. c. 6. 7.*

CAPUT

CAPUT III.
DE COMMERCIIS.

SUMMARIA.

Commerciorum natura, neceſſitas, moralitas §. 1.
Utilitas ac Imperantium circa illa officium §. 2.
Uſus commerciorum legibus & pactis circumſcribitur §. 3.
A commerciis abſtinere debent Imperantes & Nobiles §. 4.
Cum aliquo temperamento §. 5.
Ut & Clerici §. 6.
Commercia cum exteris, pactis & communibus philantiæ & ſocialitatis regulis diriguntur §. 7. 8.
Cum hoſtibus commercia vel abſolute vel certo modo prohiberi ſolent §. 9.
Judæi quoad commercia vel jure civium vel exterorum utuntur §. 10.
Nec illicitum eſt Chriſtiano inire cum Judæo ſocietatem mercatoriam §. 11.
Inter Chriſtianos & infideles alios commercia non admodum frequentia ſunt §. 12.
Negotiantium requiſita ſpecialia §. 13.
Commercio eximuntur res omnibus communes, homines liberi §. 14.
Res ſacræ ſanctæ religioſæ & Eccleſiaſticæ §. 15.
Leges civiles, quoad res ſacras, hoſtibus fruſtra opponuntur §. 16.
Fructus rerum religioſarum ut & ſepeliendi uſus ſunt in commercio §. 17.
Rerum publicarum & bellicarum commercium quatenus occurrat §. 18.
Cum exteris illud, quoad res, quæ cum damno Reipublicæ exportantur §. 19.
Vel invehuntur, non eſt inſtituendum §. 20.
Rerum turpium nulla debent eſſe commercia §. 21.
Ad venditionem ſubditi quandoque recte compelluntur §. 22. 23.
Imo etiam exteri fines noſtros tranſeuntes §. 24.

§. 1.

EX deſignatione *c. 1. §. 1.* nunc de *commerciis* diſpiciendum erit. Intelligi hoc nomine varias rerum actionumque commutationes, etiam in vulgus notum eſt *add. l. 1. c. 11. §. 14.* Eſſe autem commercia, tam quoad ſingulos homines, quam integros populos & civitates, *neceſſaria*, ex introducte rerum dominio, mutuaque hominum indigentia, ultro liquet; Exinde neceſſario conſequitur, commercia quoque eſſe *licita*, quis enim id, ſine quo genus humanum ſubſiſtere nequit, illicitum diceret? Ob abuſus tamen, non raro intervenientes, negotiatores male audiunt *v. c. 11. 12. 13. diſt. 88. l. 44. §. 1. in fin. de ædilit. edict. l. 6. C. de dignit. l. un. C. negotiator. ne milit. l. 12. §. 3. C. de cohortal. l. 1. C. de natur. lib. l. 7. C. de inceſt. nupt.*

§. 2. Cum

Digitized by Google

§. 2. Cum etiam per commercia, res, quibus abundamus, in alios transferre, ac quibus egemus, consequi queamus, hinc, illa esse *utilia*, facile quoque intelligitur. Aliquando tamen utilitas malè æstimatur, dum illud etiam utile censetur, quod cum læsione aliorum est conjunctum, vel privata utilitas publicæ proponitur. Ex quibus omnibus consequitur, Imperantem accurata cura usum commerciorum semper debere prosequi, maximè cum ingeniosè nimis & subtiliter à negotiatoribus damnum dari soleat, adeo ut sæpe non prius sentiatur, quam ubi in immensum illud excreverit, & jam desperata sint remedia *v.* ZIEGLER. *de J. M. l. 1. c. 41. n. 1. seqq.* LATHER. *de censib. l. 3. c. 12. seqq.*

§. 3. Sicut autem, in usum proprium, cuivis contrahere licet, ita commercia quæstuaria à quovis etiam institui possunt, quamdiu libertas illa restricta non est. Existit vero, in societate civili, ejusmodi restrictio, ex distincto vitæ genere, quod subditi sectantur, cui leges speciales surrogari solent; Quoad exteros verò tam legibus, quam pactis ea res amplius determinatur. Hæc autem omnia, uti sunt positiva, ita nec ubique eadem, nec immutabilia sunt, hinc, circa usum commerciorum, uniformes ac perpetuæ regulæ non obtinent.

§. 4. Inter eos igitur, qui negotiationibus abstinere debent, primo occurrit ipse Imperans, hujus enim non esse, commercia exercere, sed dirigere & promovere, ex indole societatis civilis facile liquet; Habere tamen eam rem suas limitationes, non minus certum. Nobilibus quoque mercatura interdicta est *l. 3. C. de commerc. & mercat.* ne opibus & potentia sua commerciorum totam utilitatem ad se trahant; cui accedit, quod Nobilium sit, arma tractare, ac Patriam defendere, hinc muneri, quod ipsis injunctum est, vacare, non vero negotiis alienis se immiscere debent.

§. 5. Fruges tamen, in prædiis suis natas, æquo pretio vendere non prohibentur Nobiles, ex hordeo autem sibi nato cerevisiam coquere, ac artem cauponariam exercere, non perinde iis licitum est, præsertim in Saxonia Electorali *v.* CARPZ. *p. 2. C. 6. D. 4.* Quia etiam omnis illa commerciorum prohibitio, positiva est, ideo in quibusdam civitatibus ut apud Venetos, Genuenses, Lucenses, Anconitanos, Florentinos & Hollandos, mercatura in Nobilibus quoque laudatur &

probatur, ea vero Nobilitatem imminui, gratis utique dicitur *v.* ZIEGL. *d. c. 41. n. 9. ſeqq.*

§. 6. Clericis commercia quæſtuaria exercere non licet *v. c. 1. 3. 4. 8. 9. C. 14. qu. 4.* qualis prohibitio etiam occurrit in *can. 3. diſt. 44.* quamvis in *Can. 9.* Synodi Quiniſextæ, in Trullo habitæ ex quo prior ille, deſumtus eſſe perhibetur, Clericis ſaltem, *cauponariam habere tabernam*, interdicatur. Secus facientes, deponi debent *d. can. 3. diſt. 44.* vel fori privilegium amittunt, ac coram judicibus Laicis conveniuntur *c. 16. X. de vit. & honeſt. Cleric.* Ea tamen negotiatio, qua victum neceſſarium ſibi conquirunt, & quod ſupereſt, in uſum pauperum miniſtrant, Clericis permiſſa eſt *l. 2. C. de epiſcop. & Cleric.* add. *c. 2. 9. diſt. 88. c. 71. C. 12. qu. 2.* Quæ ad noſtrates Clericos & Profeſſores Academicos fere etiam quadrant *v.* ZIEGL. *d. l. n. 15. ſeqq.*

§. 7. Quoad commercia, cum peregrinis exercenda, ante omnia obſervari debent pacta, hoc nomine inita, his enim perſonæ, locus, tempus ac res ipſæ, ſpecialius determinari ſolent. Uti autem ejusmodi conventiones, tacitas habere ſolent reſtrictiones, ita verus earum ſenſus, ex conſvetis interpretandi principiis, cognoſcendus eſt; Quo autem recte obſerventur, Imperantis eſt cavere, pœna in transgreſſores ſtatuta. Ceſſantibus pactis, commerciorum uſus, ex generalibus philautiæ & Socialitatis principiis, judicari debet, nec tanta commerciorum libertas eſt exiſtimanda, ut illa non aliquando prohiberi queant.

§. 8. Cum igitur ordinata charitas, à ſe ipſa, incipiat, hinc liquet, res, quibus ipſi indigemus, aut ex quibus commodum aliquod acquirere poſſumus, exteris nos communicare non teneri, in cæteris vero, innoxia commercia peregrinis indulgere, humanitas jubet: quod ſi & hæc negentur, injuria quidem ſtricte dicta, illi non afficiuntur, de inhumanitate tamen & incivilitate merito queri, ac, data occaſione, talionis jure uti poſſunt. Si vero appareat, exteros, per callida & noxia commercia, opibus noſtris inſidiari, recte illa prohibentur, talia enim admittere, non probitas aut humanitas, ſed ſtultitia eſt *add.* ZIEGLER. *de J. M. l. 1. c. 41. n. 22. ſeqq.*

§. 9. Inter hoſtes etiam ceſſant commercia, id quod quidem juxta rigorem juris naturalis, erga injuſtum hoſtem ſaltem obtinere debebat, ſed jure, id eſt, conſvetudine gentium juſtitiæ belli nulla ratio ha-

haberi, sed utraque potius pars belligerans eodem loco censeri solet. De cætero uti rationis est, ut rerum in bello utilium commercia tollantur, ita circa illas, quarum nullus in bello usus est, commutationes admitti possunt, sed, evitandis vel fraudibus, vel aliis incommodis, hæ quoque prohiberi solent. Plane illud, ad jus & prudentiam bellicam pertinet, ut res, instruendo bello idoneas, ex solo hostili, ad nos inferri curemus, sed hostis tam improvidus non erit, ut tale quid fieri patiatur *v.* ZIEGL. *d. c. 41. n. 25. seqq.*

§. 10. Judæi hostibus comparari solent, tum ob totale religionis dissidium, tum magnam, ad alios decipiendos, proclivitatem, *v.* ZIEGL. *d. c. 41. n. 30. seqq.* sed prior ratio papatum olet, dum, ob religionis diversitatem, cognatio naturalis, sublata male existimatur, posterior vero ad ejusdem religionis homines etiam quadrat. Quare Judæis, in Republica toleratis, sub iisdem fere legibus, commercia permitti posse arbitror, sub quibus illa Christianis permittuntur, ut scilicet illi, ab inhumanitate & impostura, præcipue abstineant *v. Reform. polit. 1530. tit. 27.* Illi vero, qui extra civitatem sunt, jure peregrinorum regulariter censeri possunt *v. R. J. 1551. §. 79.*

§. 11. Utrum vero Christiano, societatem mercatoriam inire liceat cum Judæo, & an Princeps eam permittere debeat, quæri solet? Quidem id asserunt, cum societas sit contractus juris gentium *l. 7. pr. §. 1. de pact. §. 2. I. de I. N. G. C.* Alii negant, ob periculum seductionis, & interdicta conjugia *l. 6. C. de Judæ. v.* ZIEGLER *d. l. n. 35.* Sed uti, ob innatam velut utrique parti aversionem, rarior forte, in vita civili, est illa quæstio, ita, circa eam, prior decisio omnino probanda, nam periculum seductionis, quod altera opponit, non ratio solida, sed prætextus papalis est, à conjugio vero, ad societatem mercatoriam, non recte infertur.

§. 12. Inter Christianos, & Turcas aliosque infideles, ob religionis diversitatem, itidem perpetua hostilitas esse censetur. Etsi verò id esse non debebat, attamen verum est, quod utraque pars, in peculiares digesta civitates, sibi invicem parum faveat, hinc haut consultum fuerit, per noxia commercia, infidelium vires augere, id quod vel maxime verum, si connata hostilitas, in actuale bellum eruperit *v. c. 6. 11. 12. 17. X. de Judæ. & Saracen. c. 1. extrav. comm. de Judæ.*

quemadmodum, ob ſimilem cauſam, cum barbaris *v. l. in fin. de lon. damn. l. 28. C. de epiſcop. & Cler. l. 2. C. quæ res ven. non poſſ.* jure Romano commercia prohibentur *v. l. 2. C. quæ res export. non deb. l. 4. C. de commerc. & mercat.* Interim hodie Infideles, iſtis commerciis facile carere poſſunt, ſicut etiam tota illa legislatio, arbitrio Imperantis ſubeſt *v* ZIEGL. *d. c. 41. n. 36. ſeqq.*

§. 13. Licet verò certo hominum generi negotiatio permiſſa ſit, ſingulis tamen negotiari, ſemper non licet; nam ſi quis jure civitatis municipalis non gaudeat, nec in collegium mercatorum receptus ſit, is à negotiatione arcebitur, de quo tamen Statuta localia amplius conſuli debent. Aliquando, ob delictum, alicui negotiatione interdicitur *l. 1. §. 13. de offic. præf. urb. l. 9. §. 9. 10. de pœn.* quemadmodum vice verſa, negotiandi neceſſitas, quandoque, in pœnam, imponitur *d. l. 9. §. 10.* modo quis, exercendæ negotiationi injunctæ, ſit idoneus *l. fin. quæ ſent. ſin. appell. reſcind.* ZIEGLER *d. c. 41. n. 40.*

§. 14. Dantur etiam multæ res, commercio exemtæ, & quidem vel abſolute, vel ratione certarum perſonarum, aut certi alicujus uſus, id quod omne, ex inſtitutis & legibus poſitivis Rerumpublicarum fere dependet, adeoque mutationi ſubjacet. Et primo quidem earum rerum, quarum uſus promiſcue omnibus patet & ſufficit, commercium fruſtra aſſerueris. Deinde homines liberi, commercio ſunt exemti *v. l. 1. §. 9. de O. & A. l. 103. de V. O. l. 34. §. 2. de C. E. V.* libertas tamen non eſt immutabilis, eaque adeo ſublata, alienatio procedit *l. 2. C. de patrib. qui fil. diſtrax.* imo etiam, cum libertate, eos aliquando vendi poſſe arbitror.

§. 15. Res ſacræ ſanctæ & religioſæ, in commercio quoque non ſunt *§. 7. I. de R. D. l. 6. pr. l. 22. l. 73. de C. E. V.* non tamen ideo, quod plane non ſint in dominio hominum, hoc enim falſum eſſe *l. 9. c. §. §. 18.* oſtenſum eſt, ſed quia uſui, cui ſemel deſtinatæ ſunt, relinqui debent, habere tamen hanc rem ſuas exceptiones, vel ex *l. 21. C. de SS. Eccleſ.* liquet. Ob eandem rationem, etiam rerum eccleſiaſticarum commercium regulariter recte negatur *l. 14. C. de SS. Eccleſ. v.* ZIEGLER. *de J. M. l. 1. c. 41. §. 41.* quamvis & hic exceptiones occurrant *Nov. 120. c. 6. 9.* Alii vero res eccleſiaſticas à ſacris, intuitu commercii, diſtingvendas eſſe cenſent *v.* LAUTERB. *C. J. de contr. emt.*

cmt. lit. O. n. 3. sed ex falsa hypothesi, quasi in rebus sacris, ob defectum dominii humani, commercium cesset.

§. 16. Illud etiam facilè liquet, leges civiles hostibus non posse opponi, hinc rei tormentariæ Præfecti Generales, ab urbibus occupatis postulare solent, ut campanæ, templis inhærentes, certa pecuniæ summa redimantur. Licet vero hanc consvetudinem improbet ZIEGL. *d. c. 41. §. 45.* attamen, si justum bellum præsupponas, non major quoad eas, dubitandi ratio subesse videtur, quam alias res hostiles: Neque enim illæ res, ad cultum divinum, præcise sunt necessariæ, præterea non res ipsæ postulantur, sed earum saltem æstimatio.

§. 17. Res religiosæ ob eandem rationem, quam circa sacras dedimus, non sunt in commercio *v. l. 2. C. de religios.* sicut vero illarum fructus, in contractus deduci possunt, ita, quoad usum sepeliendi, commercium, etiam jure civili, asserirur *l. 14. C. de legat. v.* ZIEGLER *d. l. §. 46.* Jure Canonico quidem, hoc quoque prohibitum est *v. c. 12. 13. 14. C. XIII. qu. 2. c. 13. X. de sepult. c. 41. 42. X. de Simon.* sed variis artibus solerter illa eludere norunt Pontificii ZIEGL. *d. l. §. 47. seqq.* Inter Protestantes certum est, quod usus sepeliendi, sit in commercio ZIEGL. *d. l. §. 50.* imo dubitandum non est, quin ipse etiam locus religiosus, ob justam causam, usibus profanis possit iterum subjici.

§. 18. Res ad usum publicum destinatæ, commercio etiam sunt exemtæ, potest tamen ille status arbitrio Imperantis mutari, quemadmodum aliæ res publicæ, in quosvis usus comporatæ, regulariter commutationibus subsunt *v. l. 6. pr. l. 72. §. 1. de C. E. V. l. fin. C. de vend. reb. civit.* Quoad hostes, earum rerum, quibus illorum vires instrui possunt, commercia cessare debent *v. l. 11. de public. & vectig. l. 1. C. quæ res export. non deb. l. 2. C. de commerc. & mercat.* Inter subditos autem armorum commercium est *l. 2. ad L. Jul. de vi publ.* nisi specialis prohibitio interveniat *v. Nov. 84.* ZIEGL. *d. c. 41. §. 54. seqq.*

§. 19. Extra hostilitatis respectum, varia etiam prohiberi solent commercia. Nam earum rerum, quæ cum damno Reipublicæ exportantur, ut auri, argenti frumenti, aliarumque ad annonam pertinentium exportatio, merito prohibetur, constitutis eo fine custodibus *v. l. un. C. de littor. & itin. custod.* Quemadmodum etiam, inter ipsos

ſubditos, hujusmodi commercia, refrænandæ dardanariorum improbitati, limitari ſolent *v. Reform. polit. 1548. tit. 19. Ord. polit. 1577. tit. 19.* Uti autem, pro ſtatu Reipublicæ, certæ quædam res quandoque exportari prohibentur *v. l. 1. 2. C. de cupreſſ. ex luc. Daphn.* PERETZ *ad C. d. t.* ita, materiam rudem, quam cives ipſi commode tractare poſſunt, evehi, communis vetat ratio *v.* ZIEGL. *d. c. 41. §. 60. ſeqq.*

§. 20. Illa quoque commercia, quibus ea invehuntur, quæ ad luxum voluptatem & vanitatem pertinent, ac quibus Respublica depauperari poteſt, prohiberi debent *v.* ZIEGL. *d. l. §. 68. ſeqq.* Sed hoc, in multis Territoriis, male ſervatur. Aliquando, in prohibendis commerciis, major ambitionis & voluptatis, quam utilitatis publicæ, habetur ratio; Quorſum, apud Romanos, forſitan pertinuit prohibitum purpuræ *l. 1. C. quæ res ven. non poſſ. l. 3. ſeqq. C. de veſtib. holob. Nov. Leon. 80.* veſtium ſericarum *v. l. 1. ſeqq. C. de veſtib. holob. l. 2. C. quæ res ven. non poſſ.* & cupreſſorum *l. 1. 2. C. de cupreſſ.* commercium *v.* ZIEGLER *d. l. §. 71. ſeqq.*

§. 21. In primis rerum turpium nulla debent eſſe commercia. De delictis igitur *l. 6. §. 3. mandat. l. 53. 57. pro ſoc. l. 26. 123. de V. O.* eorumque adminiculis, ut veneno malo *l. 3. ad L. Cornel. de ſicar. l. 4. §. 1. fam. erciſc. l. 236. de V. S. Ord. crimin. art. 37.* contrahere non licet. Illicitæ quoque ſunt conventiones, quæ in delictum incidunt, aut illud etiam præſupponunt, ut quæ de rebus furtivis *l. 34. §. 3. de C. E.* litigioſis *l. 2. fin. C. de litigioſ.* aut libris reprobatæ lectionis *l. 4. §. 1. fam. erciſc.* ineuntur. In ſpecie lenonum commercia ferenda non ſunt *l. 7. C. de ſpectac. Nov. 14. v.* ZIEGL. *d. c. 41. n. 76. ſeqq.* licet lupanaria in Republica Romana aliquando fuerint tolerata *l. 27. §. 1. de hæred. petit. v.* LATHER *de cenſ. l. 1. c. 5. n. 21. ſeqq.* Noxiis & illicitis commerciis merito etiam Alchymia annumeratur *v. cap. un. extrav. commun. de crim. falſ.* AGRIPP. *de vanit. Scient. c. 90.* LATHER *d. tr. l. 3. c. 11.* LIMN. *Jur. publ. l. 8. c. 4. n. 24. ſeqq.*

§. 22. De cætero commercia bona fide ſunt exercenda, procul omni fraude, contra quod tamen ſæpiſſime peccatur *v. l. 3. §. 1. ſtellion.* ZIEGL. *d. c. 41. §. 81.* In cæteris libera regulariter eſt negotiatio *l. 11. 14. C. de concr. emt. l. 16. C. de jur. delib.* pro utilitate tamen Reipublicæ, libertas illa reſtringi poteſt & ſolet; Hinc non tantum is, qui

rem,

rem, ad victum pertinentem, venalem expoſuit, ſed & qui publicæ venditioni eam non obtulit, ad illam vendendam, quandoque recte cogitur, & ita quidem, ut ob urgentem cauſam, fidem de pretio habere debeat, quemadmodum pretii quantitas, autoritate publica, quoque definiri poteſt *add.* PERETZ *ad C. ut nem. lic. in coemt. ſpec. n. 4.*

§. 23. Non minus etiam ruſtici compelli poſſunt, ut in civitatem adjacentem potius, quam remotiora loca, annonam ferant & illic vendant. Tempore neceſſitatis, Domini Jurisdictionales prohibere poſſunt, ne ruſtici, extra caſtrum ſuum, cibaria alibi vendant, ſepoſito vero tali caſu, dominis id haut licet MEV. *p. 2. D. 279.* cum, in fructibus ruſticorum prædialibus, nec protimiſeos quidem jus, illi affectare licite poſſint RAUCHBAR *p. 2. qu. 22. add. §. fin. l. de his qui ſui vel alien. l. 12. pr. de religioſ.* FAB. DE MONTE *de emt. vend. qu. 3. n. 38. 39.*

§. 24. Mercatores extranei, terra marique terras vel fines noſtros tranſeuntes, in caſu neceſſitatis, attineri, ac, ad res vendendas, cogi poſſunt, nam illi, ex legibus ſocialitatis, ad faciendam venditionem, obligantur, hinc, ferente occaſione, ad implendum officium, recte compelluntur. Ob ſolam utilitatem, commerciorum libertas turbari non debet, hoc enim & inhumanum, & quandoque etiam noxium erit, detentis impoſterum alias vias quæſituris, vel etiam talionem, data occaſione, exercituris. Rationi igitur conſentaneum eſt, ne extraneorum detentio, ſubditorum arbitrio facile permittatur. Quodſi, eo nomine, pacta inter gentes inita ſint, certius de hac re pronunciari poteſt *v.* ZIEGL. *d. c. 41. n. 81. ſeqq.*

CAPUT

CAPUT IV.
DE NUNDINIS.

SUMMARIA.

Nundinarum natura §. 1.
Varietas §. 2. Et origo §. 3.
Solennium inſtitutio Cæſari tribuitur §. 4.
Sed hodie illa magis dependet ex Superioritate Territoriali §. 5.
Conceſſio Cæſaris expreſſa quatenus uſum habeat §. 6.
Acquiſitio nundinarum tacita per præſcriptionem vix hodie obtinet §. 7.
Nundinæ minus ſolennes à ſtatibus imperii inſtituuntur §. 8.
Nundinarum ſubjectum locus & tempus §. 9.
Ad nundinas euntibus debetur ſecuritas §. 10.
Salvus tamen conductus eo fine hodie impetrari non ſolet §. 11.
In nundinis ſolennibus ceſſant actiones & arreſta §. 12.
Quod privilegium etiam ad exteros §. 13.
Et de fuga ſuſpectos quodammodo pertinet §. 14.
Reſpicit cauſas civiles, non criminales §. 15.
Ac per imperium civile limitari poteſt §. 16.
Cum nundinis incipit & deſinit ac ob renunciationem plane ceſſat §. 17.
A vectigalibus aliisque oneribus mercatores non ſunt immunes §. 18.
A jure nundinarum differunt jus ſtapulæ, emporii & geranii §. 19.
Commerciorum libertati adverſantur monopolia §. 20.
Jus nundinarum amittitur non uſu voluntario per decennium §. 21.
Abuſu ac delicto alio graviori §. 22.
Revocatione ob juſtam cauſam §. 23. 24.
Renunciatione & municipii deſtructione pœnali §. 25.
Jura nundinarum minus ſolennium §. 26.
Hebdomadalium inſtitutio & exercitium ex jure municipali dependere videtur §. 27.

§. 1.

PRomovendis commerciis invaluerunt Nundinæ, quæ germanicè, *Märckte* & *Meſſen* dici ſolent, quamvis hoc poſterius nomen, nundinis ſolennibus uſus vindicaverit *v. l. 69. pro ſoc.* FRITSCH. *de regal. nund. jur. c. 1.* ZIEGLER. *de J. M. l. 1. c. 43. n. 1.* SCHWED. *Introd. ad J. P. p. ſp. S. 1. c. 17. §. 11. 12.* GLOCK *diſſert. inaugur. de nundin. hab. Marpurg. 1637. §. 4. ſeqq.* In ſenſu generaliori, nundinæ ſunt *conventus, mercatus gratia, ex permiſſione publica, juxta certas leges, inſtituti.*

§. 2. Diſtinguuntur nundinæ, in *municipales*, quæ in uſum municipiorum, ſingulis ſeptimanis habentur, ac ideo etiam hebdomadales, *Wochenmärckte* vocantur, & *Provinciales*, in quibus majus commercium, tam ab hominibus provincialibus, quam exteris exercetur;

Hæ

Hæ iterum ſunt vel *minus ſolennes* ſeu *minores*, in quibus vicini fere ſaltem conveniunt, quæque anniverſariæ, *Jahrmärckte* plerumque audiunt, & *ſolennes* ſive *majores*, quæ & mercium quantitate, & mercantium numero, cæteris longe præſtant.

§. 3. Aliàs nundinæ, à *temporis quantitate* vel *qualitate*, nec non à *potiori objecto*, variè denominari ſolent *v.* FRITSCH. *d. tr. c. 2.* SCHWED. *d. c. 17. §. 18.* Illud autem facile liquet, nundinas cum ipſis commerciis fere extitiſſe, adeoque omnibus gentibus eſſe communes, hinc etiam vix ad liquidum deduci poterit, an aliqua, & quænam gens, cæteris hac in parte præiverit, quanquam & hoc, ſine eruditionis jactura, ignorari poteſt *add.* FRITSCH. *d. tr. c. 3.* Nundinas Francofurtenſes Fridericus II. inſtituiſſe perhibetur *v.* GLOCK *d. diſſert. inaugur. §. 8.* FRITSCH. *d. c. 4. n. 19.*

§. 4. Nundinarum ſolennium inſtitutio, ad Reſervata Cæſaris pertinere cenſetur *v.* GLOCK *d. diſſert. §. 30. ſeqq.* FRITSCH. *d. l. c. 4. n. 9. ſeqq.* ſuperſtitioſis Seculis etiam Papæ conceſſio quandoque acceſſit *v.* GLOCK. *d. diſſert. §. 35. ſeqq.* FRITSCH. *d. tr. c. 4. n. 48.* Sed uti ſuperſtitionem & papatum ſanior doctrina Proteſtantium diſſipavit, ita quæ de jure Cæſaris dicuntur, ad antiqua tempora pertinent, præſens verò Germaniæ Status ea ita ſimpliciter non admittit.

§. 5. Hodie igitur Cæſar, in inviti Status Territorio, nundinas inſtituere nequit *arg. J. P. W. art. 8. §. 1.* Status vero imperii, ſi aliorum jus non obeſt, vi Superioritatis Territorialis, illas inſtituunt, ac privilegiis, quibus volunt, inſtruunt, quo facto, ſolennitatis & autoritatis cauſa, confirmatio Cæſarea accedit, præciſe vero illa non eſt neceſſaria; Neque ad effectum ſecuritatis, in univerſo Imperio, obtinendæ, confirmatio illa requiritur, licet nonnulli ita velint *v.* STRYK *in not. ad* LAUTERB. *de nund.* nam de hoc etiam ſinguli Status, in ſuis Territoriis, decernunt *v.* ZIEGLER. *de J. M. l. 1. c. 43. n. 7.*

§. 6. Uti autem conceſſio nundinarum, ex publicæ utilitatis rationibus, proficiſci debet, ita eam, à Cæſare, *expreſſe* vel *tacite* fieri poſſe contendunt. Circa priorem modum amplius obſervant, quod Cæſar, vel motu proprio, vel ad implorationem, privilegium hoc impertiatur, auditis antea vicinis civitatibus, quo ultimo caſu etiam cautelas, evitando ſub- & obreptionis vitio, commendant *v.* GLOCK *d.*

diſſert. §. 27. ſeqq. FRITSCH. *d. tract. c. 4. n. 66. ſeqq.* Sed, hujus doctrinæ exiguam hodie eſſe utilitatem, ex ante dictis intelligitur, niſi forte, intuitu confirmationis Cæſareæ, aliquis adhuc ejus uſus eſt.

§. 7. Tacite jus nundinarum ſolennium concedi & acquiri cenſetur, per præſcriptionem immemorialem GLOCK *d. diſſert. §. 62. ſeqq.* FRITSCH. *de jur. nund. c. 4. n. 52. ſeqq.* Sed hujus etiam doctrinæ nullus vel exiguus uſus eſſe videtur: Nam, Cæſari præſcriptionem opponere, fruſtraneum fuerit, cum ab eo, nundinarum jus non dependeat; quoad Dominum vero Territorialem, ad præſcriptionem confugere, haut neceſſarium erit, quando enim nundinæ palam habentur, ex eo, quod Imperans eas non prohibeat, intra modicum tempus, ejus conſenſus vel conceſſio colligi poteſt.

§. 8. De eo vulgo non dubitant, quin Status imperii, nundinas minus ſolennes inſtituere poſſint: Harum verò inſtitutio uti, ratione ſubditorum, merito ita temperanda eſt, ne nundinæ, ultra neceſſitatem multiplicatæ, vel eodem tempore habendæ, ſubditis incommodent, ita vicinorum hactenus non habenda ratio erit, quo minus quisque commodis ſuis velificari queat, id quod eo facilius admitti poteſt, quo incertius eſt jus, quod alteri, ex æmulatione, acquiri cenſetur *l. 3. de oper. publ. Nov. 63. c. 1.* ac hic etiam objici ſolet *v.* FRITSCH. *d. l. c. 4. n. 81. ſeqq.* ZIEGLER. *de J. M. l. 1. c. 43. n. 4.*

§. 9. Conceditur jus nundinarum regulariter municipiis, civitates vero imperiales ſuo jure eas inſtituunt, vix tamen hoc jure utuntur ob defectum virium. De cætero in nundinis exercendis, certa tempora & loca obſervari debent *v.* FRITSCH. *de jur. nund. c. 9. n. 19. ſeqq.* qua in re leges provinciales & ſtatuta municipalia ſervanda ſunt, nihilque hic mutari poteſt, niſi ab eo, penes quem ejus rei eſt arbitrium. Die Sabbathi nundinas non recte haberi, multorum eſt ſententia *v.* GLOCK *d. diſſert. §. 69. ſeqq.* FRITSCH. *de jur. nund. c. 5.* id quod in locum communem incidit, de quo breviter dixi *l. 9. c. 11. §. 7. 8.*

§. 10. Ad nundinas euntibus communi jure naturali debetur ſecuritas, modo ipſi nihil, coercitione dignum, committant, hinc jam olim mercatoribus jus geſtandi gladium in itinere conceſſum eſt. *II. f. 27. §. 5.* Ob eandem cauſam, ſalvus conductus invaluit, quando Dominus Territorialis, vel is, qui jus conducendi acquiſivit, ſecuritatem pro-

proficiſcentibus, literis promittit, vel comites eo fine adjungit, de quo varia diſputari ſolent *v.* GLOCK *d. diſſert. §. 98. ſeqq.* FRITSCH. *de jur. nundin. c. 6.*

§. 11. Sed ob mutata tempora, & Reipublicæ ſtatum, illorum exiguus eſt uſus: Salvus conductus hodie nec exigi nec concedi ſolet, & ſi forte priſtini moris quædam adhuc occurrant reliquiæ, illæ tamen nullius effectus eſſe deprehenduntur. Interim certum eſt, quod Dominus Territorialis vias tutas præſtare, &, ſi ſecus fecerit, ejusque culpa peregrinantibus damnum acciderit, hoc reſarcire teneatur, ſed raro forſitan læſi, effectu juris ſui gaudebunt. Tempore belli, ſalvi conductus, ab hoſtibus impetrandi, non infrequens eſt uſus, ſed ille alius eſt generis, ac ſecuritatem ſolum, quoad hoſtes, præſtat.

§. 12. In nundinis ſolennibus obtinet privilegium, quod iis durantibus, actiones & arreſta, in cauſis civilibus, locum non habeant *l. un. C. de nund. Conſt. Saxon. 30. p. 1. v.* MOLLER *Semeſt. l. 1. c. 12.* Hoc tamen privilegium uti in nundinis Francofurtenſibus ceſſare dicitur *v.* GLOCK *d. diſſert. §. 129. 130.* FRITSCH. *d. tr. c. 7. n. 66.* ita anceps quæſtio eſt, annon in Cancellaria Principis, durantibus nundinis, contra debitorem ſuſpectum, arreſtum generale, tam quoad bona, in loco nundinarum, quam alibi ſita, impetrari & concedi queat? quæ in utramque partem diſputatur apud ZIEGLER. *d. J. M. l. 1. c. 43. n. 6. ſeqq.*

§. 13. Aliàs varia, circa hoc privilegium, diſceptari ſolent, quæ actorem, reum, cauſam, effectum vel contraria reſpiciunt, quæ ſtrictim perſequemur. Primo igitur aliqui putant, incolas ſolum illius loci, in quo nundinæ habentur, agere non poſſe, bene vero exteros, ſed ob generalitatem legis, contrarium potius dicendum *v.* FRITSCH. *de jur. nund. c. 7. n. 3. ſeqq.* Communiter mercatoribus ſaltem privilegium aſſeritur *v.* FRITSCH. *d. l. n. 11. ſeqq.* aliis tamen idem quoque tribuit BRUNNEM. *ad l. un. C. de nund.* circa quod uſus fori ſpectandus erit.

§. 14. De fuga ſuſpectis, jure civili, privilegium non competit *arg. l. 10. §. 16. quæ in fraud. credit.* GLOCK *diſſert. de nund. §. 137.* ſuſpectum vero illum nonnulli dicunt, qui non poſſidet immobilia, & ſæpius interpellatus non ſolvit, frequenter luſit, ſumtuoſe vixit, ſua con-

conſumſit & dilapidavit, & de quo fama eſt, quod plus debeat, quam in bonis habet, & fugam machinatur; Sed hoc judicis arbitrio relinquendum eſt *v.* FRITSCH. *d. c. 7. n. 38.* In Saxonia Electorali etiam ſuſpectis privilegium aſſeritur CARPZ. *p. 1. C. 30. D. 25.* ZIEGL. *de J. M. l. 1. c. 43. n. 5.* de quo tamen quodammodo dubitat FRITSCH. *d. l. n. 30. ſeqq.* Illud non inſolitum eſt, ut contra ſuſpectos & tergiverſantes, à Principe, mandata arreſtatoria impetrentur.

§. 15. Obtinet privilegium quoad cauſas civiles, ad crimina ergo non pertinet, hinc ſaccularii aliique delinquentes eodem non gaudent FRITSCH. *d. c. 7. n. 74. ſeqq.* Circa cauſas civiles communiter etiam excipiunt, debita in ipſis nundinis contracta, ob quæ actionem ſtatim locum habere exiſtimant *v.* GLOCK *d. diſſert. §. 134. ſeqq.* Sed illa limitatio, ex *l. 19. §. 2. de judic.* probari nequit, hinc privilegium merito generaliter hic accipitur FRITSCH. *d. c. 7. n. 21. ſeqq.* quæ ſententia, in Electoratu Saxoniæ, dubio caret CARPZ. *p. 1. C. 30. D. 26.* ZIEGL. *d. c. 43. n. 5.* Ex quibus ſequitur, quod, ſi conſummatio contractus in nundinas incidat, privilegio etiam locus ſit *v.* FRITSCH. *d. l. n. 39.*

§. 16. Illud facile liquet, privilegii effectum eousque non extendi, ut Dominus Territorialis commercia, tam ratione perſonarum quam rerum, prout utilitas exegerit, temperare non poſſit *v.* GLOCK *d. diſſert. §. 145.* FRITSCH. *d. tr. c. 6. n. 1. ſeqq.* A repreſſaliis tamen mercatores & merces, immunes, pronunciant GLOCK *d. diſſert. §. 142.* FRITSCH. *c. 7. n. 83. 84.* quod de loco nundinarum dubio procul admittendum, ſed in alieno Territorio, vim Superioritatis Territorialis, privilegio illo, vix reſtringi patietur Imperans. *v. §. 5.* CARPZ. *p. 1. C. 30. D. 28. in fin.*

§. 17. Sicut privilegium cum nundinis incipit, ita, iis finitis, quod per campanam alicubi indicari ſolet, ceſſat *v.* FRITSCH. *d. c. 7. n. 68. ſeqq.* Quodſi ei renunciatum ſit, nec nundinarum tempore illud locum habet FRITSCH. *d. l. n. 63. ſeqq.* atque illa renunciatio renunciantis hæredi quoque nocet GLOCK *d. diſſert. §. 122. ſeqq.* Juramentum obligationi appoſitum, excludere etiam privilegium, nonnulli cenſent, ſed immerito, juramentum enim ſaltem eò tendit, ut obligationem, in conſcientia, magis adſtringat, non ut beneficia, ad

breve

breve tempus profutura tollat *v.* FRITSCH. *d. c. 7. n. 40. ſeqq.* ZIEGL. *J. M. l. 1. c. 43. n. 5.*

§. 18. Immunitatem à vectigalibus ſimilibusque oneribus, mercatoribus quoque ex *l. un. C. de nund.* aſſerunt, ut tamen, hodie id vix obſervari, ſimul fateantur; & ſane experientia comprobat, quod tam Domino Territoriali vectigalia, aliaque tributa, quam Magiſtratui municipali, loci pretium, *Standt Geldt* ſolvantur *v.* GLOCK *d. diſſert. §. 117. 118.* FRITSCH *d. tr. c. 8.* Scilicet Status imperii leges civiles, in ſui præjudicium, non tam facile admittunt, quam quoad privatos. Interim ita ſervari ſolet: Si nundinæ jam bene conſtitutæ ſint, onera non exigua exiguntur, ſed ad inſtituendas vel augendas, immunitatis promiſſione alliciuntur mercatores, graviori præſtatione, ſuo tempore, eam penſaturi.

§. 19. A jure nundinarum, quod integram commerciorum libertatem relinquit, differt (1.) *jus ſtapulæ*, quod neceſſitatem imponit hominibus certi diſtrictus, quo merces, de quibus privilegium loquitur, in locum privilegiatum convehant, ac ibi tam incolis, quam exteris, venum exponant *v.* LEHMAN *Chr. Spir. l. 4. c. 22.* (2.) *jus Emporii*, ob quod, merces in locum privilegiatum convectæ, ſolis incolis vendi debent *v.* ZIEGL. *de J. M. l. 1. c. 42.* (3.) *Jus Geranii*, quod ſaltem pertinet ad defenſionem vectigalis, hinc ob illud, liber mercium tranſitus impediri nequit *v.* FRITSCH. *de jur. nund. c. 10. conf.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1490.*

§. 20. Commerciorum & nundinarum libertati inprimis adverſantur *Monopolia*, quæ, ſi privato auſu in aliorum damnum & oppreſſionem exerceantur, tolerari non debent *v. l. un. C. de monopol. Reform. polit. 1548. tit. 18.* Rerum etiam ad victum & amictum pertinentium monopolia, vix ab Imperante recte conceduntur, inprimis ſi monopolarum inhumanitati & avaritiæ modus non ſtatuatur. Aliarum vero rerum, quarum uſus non adeo neceſſarius vel univerſalis eſt, publicè, ob juſtas cauſas, monopolia permitti, nihil vetat, maxime ſi Imperans proſpiciat, quo probæ ſemper merces, æquo pretio vendantur *v.* FRITSCH. *de jur. nundin. c. 11. & tot. tract. de monopol.*

§. 21. Jus nundinarum amittitur (1.) *non uſu voluntario* per decennium *l. 1. de nundin.* Jure Saxonico 30. annos, annum & diem requirit FRITSCH. *de jur. nundin. c. 12. n. 32. ſeqq.* Sed vix caſus talis

Digitized by Google

exiſtet, cum negligentia tanta, ab ullo municipio, non facile committi ſoleat. Si ob bellum aliudve impedimentum uſus ceſſet, præſcriptio locum non habet, quemadmodum illa etiam deficere cenſetur, ſi nundinæ, pro arbitrio & mera facultate exercendæ, conceſſæ ſint *v.* GLOCK *diſſert. de nund. §. 169. ſeqq.*

§. 22. Amittitur (2.) *abuſu graviori*, qui immodicis & inſolitis exactionibus præcipue committi cenſetur *v.* GLOCK *d. l. §. 175. ſeqq.* FRITSCH. *d. c. 12. n. 44. ſeqq.* Sed & hujus doctrinæ exiguus videtur eſſe uſus, cum plerumque abuſus ab ipſo nundinarum Autore dependeat (3.) *delicto alio majori*, ob qualem cauſam Carolus IV. Francofurtenſibus jus nundinarum olim ademiſſe, mox tamen reſtituiſſe perhibetur *v.* FRITSCH. *d. c. 12. n. 39. ſeqq.* GLOCK *d. l. §. 179.*

§. 23. Tollitur quoque (4.) *Revocatione*, ob juſtam cauſam, ſi ſcilicet, ex mera gratia & liberalitate, conceſſum ſit, ſi vero per contractum, aut ob bene merita, civitas jus nundinarum obtinuerit, tum revocari nequit GLOCK *d. diſſert. §. 180. ſeqq.* FRITSCH *d. c. 12. n. 1. ſeqq.* Cæterum uti dubium non eſt, quin etiam hæc ultima concedendi ratio utilitati publicæ ſubjaceat, ita in univerſum revocationis rarior videtur eſſe uſus. Inprimis etiam cavendum, ne revocationem ſolius arbitrii Cæſarei eſſe putemus.

§. 24. Morte concedentis privilegium nundinarum non intercidit, neque ſucceſſor illud regulariter revocare poteſt *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 5.* hinc etiam ejus renovatio & confirmatio, ſub pœna privationis, à Succeſſore haut eſt petenda; Utiliter tamen illa exigitur, quamvis Confirmatio Cæſarea magis ex rationibus ſolennitatis, quam utilitatis dependeat, cum per pacta fundamentalia Statibus, ratione jurium quæſitorum, jam ſatis ſit proſpectum *add.* GLOCK *d. diſſert. §. 188. ſeqq.* FRITSCH. *d. c. 12. n. 50. ſeqq.*

§. 25. De eo dubitandum non eſt, quin (5.) *renunciatione* nundinæ tollantur, quæ tamen raro etiam occurret, præterea illa non ſemper ſubeſt arbitrio municipii, in quo nundinæ habentur *v.* FRITSCH. *d. c. 12. n. 49.* Denique privilegium perit (6.) *municipii deſtructione, vel diſſipatione, ob delictum facta v. l. 21. quib. mod. uſiufr. amitt.* Caſualis vero vel voluntaria deſtructio illud non aufert *v.* GLOCK *d. diſſert.*

d. differt. §. 192. ſeqq. Sed de hoc ſatagere, etiam vix operæ eſt pretium.

§. 26. Nundinas minus ſolennes Status imperii inſtituere poſſe, jam diximus *§. 8.* De cætero uti ea, quæ de amiſſione proxime dicta ſunt, ad haſfere etiam quadrant, ita ſolennium privilegia in iis locum non habent *v.* CARPZ. *p. 1. C. 30. D. 23.* Dubium tamen non eſt, quin Dominus Territorialis eadem illis tribuere poſſit, licet nonnulli, ex falſis hypotheſibus, illud negent *v.* FRITSCH. *de jur. nund. c. 9. n. 1. ſeqq.* Interim nundinarum minus ſolennium exilitas, rarò tam ambitioſa privilegia vel expoſcit, vel admittit.

§. 27. Nundinas hebdomadales inſtitui poſſe à municipiis, merum & mixtum imperium habentibus, aliqui cenſent; alii vero Domini Territorialis conſenſum requirunt *v.* FRITSCH. *d. c. 9. n. 16. ſeqq.* Sed putem ipſi juri municipali facultatem illam ineſſe, adeoque regulariter nec merum & mixtum imperium, nec Superioris conceſſionem requiri *v. l. 8. c. 4. §. 19.* Varia etiam, intuitu harum nundinarum, ratione pecuniæ forenſis, *des marcktgeldes*, juris protimiſeos, *des Vorkauffs*, ad aliquot horas, indigenis concedendi, ratione ponderum, menſurarum aut pretii rerum venalium, ſimiliaque conſtitui ſolent *v.* FRITSCH. *d. c. 9. n. 22. ſeqq.*

CAPUT V.
DE CAMBIIS.

SUMMARIA.

Cambiorum materia eſt quodammodo involuta & incerta §. 1.
Cambii indoles §. 2.
Circa eam variæ ſunt ſententiæ §. 3.
Ex tribus negotiis cambium non conſtat §. 4.
Pro caſuum diverſitate eſt ſpecies locationis, mandati vel donationis §. 5.
Cambium dividitur in manuale & locale, hoc in regulare & irregulare §. 6.
Cambiorum origo §. 7.
Perficitur cambium conſenſu, accedentibus plerumque literis §. 8.
Denominationes perſonarum cambialium §. 9.
Regulariter quivis cambium contrahere poteſt §. 10.
Etiam mediate §. 11.
Et ope proxenetæ §. 12.
Materia cambii §. 13.
Traſſanti merces aliqua ſolvitur §. 14
Ac ei ratione Valutæ non ſtatim præſtitæ proſpiciendum §. 15.

Litera-

Digitized by Google

Literarum cambialium forma & contenta §. 16. 17. 18.
Neceſſitas nonnullarum clauſularum eſt dubia §. 19.
Exceptio non numeratæ pecuniæ privilegiata literis cambialibus opponi nequit §. 20.
Effectus voculæ: Wechſelbrieff §. 21.
Commiſſ. §. 22.
Sola, prima, ſecunda, tertia §. 23.
Literarum aviſoriarum neceſſitas §. 24.
Modus præſentandi & acceptandi literas cambiales §. 25. 26.
Præſentationis & acceptationis tempus §. 27.
Ac effectus §. 28.
Proteſti negata acceptatione, neceſſitas, modus & effectus §. 29.
Acceptatio aliquando fit honoris cauſa §. 30.
Literis acceptatis vario modo ſatisfieri poteſt §. 31.
Solutionis tempus §. 32.
Et effectus §. 33.
Solutio anticipari nequit §. 34.
Niſi anticipatio ſit innoxia §. 35.
Præſentans tempus ſolutionis prorogare nequit §. 36.
Solutio ante literas aviſorias facta traſſantem non obligat, ſi hic in illis ſolutionem inhibuerit §. 37.
Negata ſolutione, novo opus eſt proteſto §. 38.
Singularia proceſſus cambialis §. 39. 40.
Literarum cambialium ad alia negotia extenſio §. 41.
Propriarum & traſſatarum differentia §. 42.
Earum indoſſamentum §. 43.
Eſt perfectum vel imperfectum §. 44.
Illius diverſitas §. 45.
Hoc pro nudo mandato non ſemper habendum §. 46.
Modus indoſſandi §. 47.
Indoſſamenti nudi utilitas incommodum & effectus §. 48.
Indoſſamenti extenſio vel deletio falſum non inducit §. 49.
Indoſſamenta ſunt inſtar novi cambii §. 50.
Regulariter revocari nequeunt §. 51.
Indoſſatarii in præſentando, exigendo & proteſtando officium nec non indoſſati obligatio §. 52.
Indoſſatarius plus juris habet, quam ſimplex ceſſionarius §. 53. 54.
Ei tamen exceptio ſolutionis ſimilisque valide quandoque opponitur §. 55.
Indoſſatarius contra indoſſatum & indoſſantem agere poteſt §. 56.
Ceſſione ipſi debitori, ac ab hoc alii iterum facta, præcedentia indoſſamenta non exſpirant §. 57.
Indoſſato ſolventi indoſſans jure cambiali tenetur §. 58.

§. I.

ADminicula Commerciorum ſunt *Cambia*, veteribus quidem Romanis incognita, ſed hodie uſitatiſſima. Eorum jura non per omnia ſatis ſunt liquida, ſed ſæpe intricata ac incerta, cujus rei primaria ratio eſt, quod, cum jus, ex facto, ſeu conſenſu potiſſimum, oriri debeat, hic ſæpe non ſatis declaretur, nec etiam ob perſonarum accidentiumque varietatem, in omnes eventus, exacte ſemper declarari queat: Cui accedunt Scriptorum nonnullorum confuſio & præjudicia leguleja, quibus quandoque rem, etiam non adeo obſcuram, magis involvunt: Forte aliquid incertitudinis etiam parit non adeo neceſſaria terminorum exterorum affectatio. Hic locus brevem ſaltem materiæ hujus delineationem exigit.

§. 2.

§. 2. Cambium veteribus notat quamvis permutationem *v. l. f. 4. §. 2. I. f. 22. V. f. 1. in fin. c. 6. X. de except.* VOGT. *de camb. §. 1.* Sed hic in ſpecie ad pecuniam refertur, & eſt *contractus conſenſualis, de pecunia, certo in loco, promte ſolvenda.* Eſſentiam igitur cambii, in *conſenſu, de pecunia, certo in loco, promte ſolvenda* conſiſtere putamus. Ut numeratio antea præceſſerit, & operæ pretium interveniat, ac exactio & ſolutio pecuniæ mediate per alios fiat, illa plerumque quidem adſunt, ad eſſentiam tamen cambii non pertinere, ſed *naturalium* ſaltem rationem habere videntur.

§. 3. Quodſi cambium ad communia contractuum principia exigatur, tum quidam illud, pro contractu peculiari habent, alii mutuum, depoſitum, venditionem, locationem, mandatum &c. dicunt *v.* VOGT. *de camb. §. 1. lit. d. §. 2. lit. d.* Dn. ZIPFEL *de teſſer. collyb. in proœm. §. 3. 4.* Quidam tria negotia ſubeſſe cenſent (1.) *contractum innominatum, do ut facias,* quo pecuniæ ſolutio, certo in loco facienda, promittitur (2.) *mandatum,* quo tertius de facienda ſolutione rogatur ac (3.) *conſtitutum*, quo ſoluturus exigenti ſe obligat Dn. BERGER *in ſupplem. proc. execut. ad theſ. 50. §. 8.*

§. 4. Tria negotia hic plerumque concurrere, certum eſt, ſed illa omnia ad cambium non ſpectant, verum prius, ad ejus *perfectionem*, duo poſteriora autem, ad *conſummationem* vel *executionem* ſaltem pertinent. Hinc etiam cambium dicitur initum, antequam de eventu duorum reliquorum contractuum conſtet, vel hi non procedant, quemadmodum hæc negotia etiam plane ceſſant, ſi, qui de pecunia alibi ſolvenda convenerunt, in loco condicto, ipſi executionem faciant, quod ſane aliquando fieri poteſt.

§. 5. Solum igitur negotium, quo de pecunia, certo in loco, ſolvenda agitur, pro cambio haberi debet; hoc ſi quis dicere velit *contractum innominatum, do ut facias*, non quidem repugno, modo, ex principiis juris Romani haut receptis, illum non æſtimet, ac meminerit, dationem non ſemper requiri. Mihi itaque planiſſimum videtur, ſi cambium, pro caſuum diverſitate, pro ſpecie *locationis*, *mandati* vel etiam *donationis* habeamus. *Illa* & *iſtud* occurrunt, ſi quis acceptam pecuniam interveniente mercede, vel gratis, *hæc* vero, quando pecuniam donatam, certo in loco, ſolutum iri promittit.

§. 6. Cambium dividi solet in *manuale*, quod eodem in loco fit, ac pecuniæ præsentis, cum præsente, permutatio esse dicitur & *locale*, quod diversa loca respicit. Illud etiam *minutum*, hoc *literale, trajectitium* & *translativum* dicitur *v.* Dn. ZIPFEL *de tess. collyb. in proœm. §. 5.* Dn. BERGER *in supplem. proc. execut. ad th. 50. §. 3. seqq.* Verum manuale, proprie cambium non est, sed hoc nomine quodvis negotium obligatorium, literis cambialibus munitum, significatur. Solum igitur locale, cambii nomen meretur, ac est vel *regulare* sive *feriarum*, quod in nundinas directum est, vel *irregulare*, sive *platearum*, quod aliud tempus respicit *v.* VOGT. *de camb. thes. 3.*

§. 7. Ex rationibus utilitatis cambia invaluisse, manifestum est, nam per eadem vitare licet incommoda & pericula pecuniæ transportandæ & amittendæ nec non rejiciendæ, si, ob monetæ varietatem, aliquo in loco non valeat *v.* VOGT *de camb. th. 4. 8.* ZIPFEL *d. dissert. Sect. 5.* BERGER *d. l. §. 7. 9.* Quando vero, aut à quibus cambia sint inventa, exacte forsitan definire non licet. Anno 1585. eadem cœpisse, ac in Italia, à Gibellinis, in Gallia, à Judæis esse introducta censet Dn. ZIPFEL *d. dissert. in proœm. pr.* quod in medio relinquimus.

§. 8. Perficitur cambium *mutuo consensu v.* VOGT. *de camb. §. 4.* & aliquando quidem nihil amplius accedit, sed nudæ promissioni, *Kauffmans Wort oder Parole*, impletio committitur, plerumque vero literæ cambiales, de negotio peracto, conficiuntur, quæ non tantum ad probationem pertinent, sed & causam determinant, sive processum promovent, adeoque magnæ utilitatis existimari debent *v.* ZIPFEL *d. dissert. Sect. 6.* BERGER *d. l. §. 20.* Quo in loco cambium celebretur, in æde mercatoria, *auff der Börse v.* ZIPFEL *d. l. Sect. 3. §. 2.* BERG. *d. l. §. 19.* an alibi, nihil refert.

§. 9. Qui pecuniam in loco contractus solvit, *Remittens*, qui ejus solutionem alio loco faciendam repromittit, *Trahens, Tractans* vel *Trassans* dicitur VOGT *de camb. th. 5.* Ille etiam *Campsavius*, hic *Campsor* audit BERGER *d. l. §. 11.* etsi hisce terminis, sensu inverso, utatur Dn. ZIPFEL *de tess. collyb. in proœm. §. 2.* Qui in loco condicto solutionem exigit, *Præsentans* vocatur, ac aliquando est ipse Remittens, aliquando alius; Qui solutionem spondet, *Acceptans* audit;

Quodsi

Quodſi Remittens & Traſſans ipſi executionem faciant, præſentatio & acceptatio ceſſat. Ex quibus liquet, quod circa cambium aliquando duæ, tres vel quatuor perſonæ occurrant *v.* VOGT *d. tract. th. 4. in fin.* ZIPFEL *d. diſſert. Sect. 1.*

§. 10. De cætero cambium valide etiam ineunt Nobiles, Milites, Doctores, Conſiliarii Principum & Mulieres, ſed in Saxonia, de mercatricibus id ſaltem verum eſt *Ord. camb. Lipſ. §. 1. 2.* Contra fœminas tamen non mercatrices, ex literis cambialibus, executive agi poteſt. Filiifam. ex cambio non obligantur, cum habeatur pro mutuo palliato BERGER *d. l. §. 12.* id quod de cambio manuali, quod vocant, videtur accipiendum *add.* VOGT *de camb. th. 5.* ZIPFEL *d. diſſert. Sect. 1.*

§. 11. Poteſt etiam cambium mediate, per procuratores & inſtitores, contrahi. Quodſi inſtitor, intuitu negotiationis, licet ſuo nomine *arg. l. 5. pr. §. ſeq. l. 11. §. 6. l. 16. 18. de inſt. act.* LAUTERB. *C. J. d. t.* contrahat, tum obligatio & jus cambiale, ad dominum, exercitium vero etiam ad inſtitorem, durante officio, pertinet: Si verò non ut inſtitor contraxerit, depoſito quoque munere tenetur BERGER *d. l. §. 13.* LAUTERB. *d. l. lit. E.* In *Ord. camb. Lipſ. §. 23.* cautum eſt, ut literarum cambialium, inſtitori datarum, periculum ſpectet ad dominum, ſi ejus nomine conceptæ ſint: ſi vero inſtitor, in propriam perſonam, eas concipi curaverit, easque domino ceſſerit, ille in ſolidum domino, ex ceſſione, obligetur.

§. 12. Aliquando cambium, à ſolis contrahentibus, aliquando, interventu proxenetæ, initur *v.* VOGT *de camb. th. 2. lit. b.* qui uti, bona fide, in genere verſari debet, ita in ſpecie contractum, per ſe conciliatum, ſine mora, utriusque partis notitiæ in ſcriptis inſinuare jubetur in *Ord. camb. Lipſ. §. 15. p. 76.* Cambium, ſine proxeneta initum, vocari *da buono à buono*, teſtatur DN. ZIPFEL *d. diſſert. Sect. 1.* verb. *traſſans* probat DN. BERGER *d. Supplem. §. 11.* de quo alii amplius diſpiciant.

§. 13. Materia cambii eſt, *pecunia, alio in loco ſolvenda*, quæ plerumque Traſſanti, in loco contractus, antea ſolvitur, vel mercibus aliaque ratione ei ſatis fit. Ratione Remittentis, *Remiſſa*, Traſſantis, *Valuta*, Acceptantis, *Tratta* dicitur. De cætero triplicis generis pecunia hic occurrere ſolet (1.) *pecunia cambialis*, quæ in cambiis dari conſvevit

ſvevit, (2.) *moneta currens*, quæ in loco ſolutionis, in uſu eſt (3) *pecunia grandis*, *Banco-Geld* vid. *Ord. camb. Lipſ. §. 22.* VOGT *de camb. th.* 6. ZIPFEL *de teſſer. collyb. Sect. 2.* BERGER *d. ſupplem. §. 15. 16. 17.*

§. 14. Traſſanti merces operæ regulariter quoque promittitur, quæ *collybus*, *Lagio*, *uff-* & *Wechſel-Geld* dici ſolet ZIPFEL *d. Sect. 2. §. 1.* BERGER *d. l. §. 18.* Ne vero illa nimis intendatur, quoad cambia regularia, conventione mercatorum, definitur, eaque definitio ſchedulis publicis *Cours-Zeddel* indicatur *v. O. C. L. §. 31.* VOGT *de camb. th. 2. lit. i.* Ob iſtam mercedem, contractus cambialis, à nonnullis, velut uſurarius, improbatur, quibus ea ratione potiſſimum occurritur, ut, mercedem illam uſuræ rationem habere, negetur *v.* VOGT *d. l. th. 2. lit. d. th. 8. lit. b.* Sed ſimplicius dici poteſt: non illicitum eſſe, propriæ ſtudere utilitati, modo limites humanitatis non tranſiliantur.

§. 15. Quodſi Traſſanti, qui, ſpe accipiendæ valutæ, literas cambiales dedit, promte non ſatisfiat, ille, juxta *Ord. camb. Lipſ. §. 26.* contra Remittentem, ex jure cambiali, agere poteſt, ut nulla exceptio, in continenti liquida, ei obſtet. Si vero, in eventum litterarum acceptatarum, præſtatio Valutæ ſuſpenſa ſit, Remittens, datis literis cambialibus, tam ratione ſortis, quam mercedis, traſſantem, ſecurum reddere debet.

§. 16. Probando contractui & promovendæ executioni, dantur *literæ cambiales*, quæ ſunt *compendioſum inſtrumentum privatum, à Tractante confectum, quo illi, ad quem Tratta dirigitur, ejus ſolutio, certo die & loco, mandatur v.* ZIPFEL *d. diſſert. in proœm.* De earum *requiſitis & formulis*, uſus præcipue conſulendus eſt. Juxta ſtilum receptum occurrit (1.) *Epigraphe*, quæ nomen divinum, tempus, locum & ſummam continet: *Laus Deo, Anno 1707. Adi den 1. December in Leipzig. 1000. Thaler.*

§. 17. (2.) *Tenor*, qui exhibet tempus v. gr. *Nechſtkommende Michael-Meß*, mandatum de ſolvendo, *bezahle der Herr*, mentionem literarum cambialium, *meinen ſola Wechſel-Brieff*, creditorem ejusque mandatarium, *an Sempronium oder Commiß*, ſummam literis & ziffris expreſſam, *die ſumma von ein tauſend thaler banco, ſage 1000. Thaler*, con-

confessionem valutæ, *valuta von demselben wohl empfangen*, relationem ad mandatum specialius, *stellets à Conto*, *laut avisò*, votum, *Gott befohlen.*

§. 18. (3.) *Subscriptio*, quæ nomen Trassantis, in parte sinistra inferiori exhibet; sola sigillatio non sufficit, nisi trassans literas nesciat, præsertim si Crucis aut aliud signum apponat *Nov. 107. c. 11.* ZIPFEL *d. dissert. Sect. 7. §. 29.* BERGER *d. Supplem. §. 31.* licet forte dubitari queat, num illa sanctio, ad literas cambiales, recte applicetur (4.) *Inscriptio* quæ sistit nomen futuri acceptantis & debitoris, ac vel in infima parte dextra interiori schedulæ, vel externa seu opistographo, quod vocant ex *l. 4. de bon. poss. secund. tabb. v.* STRYK *dissert. de jur. Apostillæ c. 1. §. 5.* ponitur, e. gr. *An Herrn Mevium in Franckfurt am Mayn* vid. VOGT *de camb. thes. 7.* ZIPFEL *d. dissert. Sect. 6.* BERGER *d. Supplem. §. 22. 32.*

§. 19. An vero omnes illæ clausulæ sint necessariæ, non semper liquidum est. Confessio valutæ non requiritur in *O. C. L. §. 3.* Imo in *Wechsel-Briefen à retour*, clausula: *die valuta*, *an anderer Orten Wechsel-Briefen vergnügt*, plane improbatur, ac forte addita, pro non adjecta habetur *§. 18.* Inter formulam: *Valuta oder den Wehrt von ihme*, & hanc: *Valuta von ihme empfangen*, hæc censetur esse differentia, quod, priori casu, exceptio non numeratæ pecuniæ possit opponi, non verò posteriori *v.* ZIPFEL *d. dissert. S. 6. §. 19.* BERGER *d. Supplem. §. 27.*

§. 20. Sed uti illas formulas, ex communi mercatorum stilo & observantia, coincidere testatur VOGT *de camb. th. 7. lit. b. p. 98.* ita, Trassantem exceptionem non numeratæ pecuniæ privilegiatam plana non posse opponere, probabilibus mihi visum in *dissert. de putat. contr. literal. §. 34. 35. 36. v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 11. enunc. 52.* Licet enim natura cambii eam admittat, utpote cum Trassans se non simpliciter, sed intuitu rei sibi præstandæ, obliget, attamen indoles literarum cambialium, paratam executionem habentium, illam respuit. Juxta hæc igitur, ad excludendam illam exceptionem, etiam non requiritur, ut exprimatur, quomodo Trassanti satisfactum sit *v.* BERGER *d. l. §. 28.* ZIPFEL *d. Sect. 6. §. 19.*

§. 21. Schedula in forma literarum cambialium confecta, omisso

Digitized by

vocabulo: *Wechſel-Brief* privilegium cambiale non habere, atque adeo non arreſtum perſonale, ſed tantum proceſſum executivum producere cenſetur *v.* ZIPFEL *d. diſſert. Sect. 7. §. 29.* BERGER *d. Supp. §. 24.* quæ ſententia, ſi conſtans uſus ei ſuffragatur, admittenda erit, aliàs vero contrarium potius dicendum videtur, cum actus, non ex nomine, ſed re ipſa, ſeu forma & contentis, æſtimari debeat.

§. 22. Vocabulum: *commiſſ.* nihil amplius oſtendit, quam quod mandatario poſſit ſolvi, quod vero quivis literarum detentor, talis ſit, ſimul non docet. Hinc niſi is, qui literas tenet, vel ceſſione, iis adjecta, vel ſeparato mandato, ſe legitimum exactorem probaverit, tuto ei non ſolvitur. Plane ſi quis ſpecialiter in literis nominatus ſit, tum ei, ſine ullo alio mandato vel ceſſione, recte ſolvi poteſt *vid.* ZIPFEL *d. Sect. 6. §. 15.* BERG. *d. l. §. 25*

§. 23. Vox: *ſola* denotat unicam ſchedulam, ſed ſi ſchedulæ multiplicentur, tum iis, pro ratione numeri, *prima*, *ſecunda*, *tertia*, inſeritur. Omnes autem ſchedulæ ejusdem ſunt tenoris, atque in favorem campſarii, ad majorem ſecuritatem, ut & promovendam ceſſionem ac acceptationem, dari ſolent. *v. O. C. L. §. 11. 28.* VOGT. *de camb. th. 7. lit. b.* BERGER *d. l. §. 23.* Quodſi uni ſchedulæ ſatisfactum ſit, cæteræ exſpirant, hinc etiam literis inſeri ſolet: *Zahle dieſen meinen ſecunda Wechſel-Brief, prima unbezahlet* &c. *v.* ZIPFEL *d. diſſert. Sect. 6. §. 2. 9.*

§. 24. Promovendæ literarum cambialium præſentationi & acceptationi, literæ aviſoriæ ſive intimatoriæ, à Traſſante futuro acceptanti mittendæ ſunt, quibus rationes, ob quas acceptatio fieri debeat, exponuntur *v.* VOGT *d. th. 7. lit. b. p. 96.* ZIPFEL *d. diſſert. Sect. 4. §. 4.* Licet verò literæ illæ eum, ad quem Tratta dirigitur, ad acceptandum præciſe non obligent, attamen, iis miſſis, ſine cauſa acceptatio recuſari nequit, omiſſis vero literis illis, acceptatio impune negatur, etiam à Traſſantis debitore, juxta *O. C. L. §. 27.* etſi de hoc, ſepoſita ſanctione ſpeciali, contrarium forte dicendum ſit *v.* BERGER *d. l. §. 21.*

§. 25. Tam præſentatio, quam acceptatio, poterit fieri immediate & mediate per alios, voluntate Principalium ſufficienter inſtructos; Qui ſine mandato acceptant, dominum non obligant *v. O. C. L. §. 9.* In ſpecie

ſpecie inſtitores literas cambiales, intuitu negotiationis ſuæ, recte acceptant *l. fin. ff. d. inſtit. act. v.* BERG. *d. Supplem.* §. *13. 36.* De cætero uti regulariter præſentans & acceptans, ſibi mutuo noti ſunt, ita ſi notitia, aliquo caſu, deficiat, de eadem comparanda uterque debet eſſe ſollicitus *v. O. C. L. §. 36.*

§. 26. Acceptatio poterit fieri pure vel conditionaliter, tacite vel expreſſe, & hoc vel oretenus, vel in ſcriptura, eaque vel compendioſa, vel extenſa & plena *v.* ZIPFEL *de teſſer. collyb. Sect. 6. §. 24.* BERGER *d. Supplem. §. 34. 35.* Sed juxta *Ord. camb. Lipſ. §. 8.* acceptatio debet fieri, præſente creditore vel ejus mandatario, pure, in ſcriptis, & plene, expreſſo tempore & acceptantis nomine. Quodſi conditio forte adjiciatur, illa, pro non adjecta, ac acceptatio, pro pura, habetur.

§. 27. Tempus, quo præſentatio & acceptatio fieri debeat, conventione partium & lege poſitiva definitur, adeoque non ſemper idem eſt. Juxta *O. C. L. §. 4. ſ. 6.* in cambiis regularibus, ſtatim prima ſeptimana præſentatio & acceptatio fieri debet. Quod ita accipitur, ut, neglecto illo tempore, literas jura cambialia amittere exiſtiment, adeo ut ne quidem executive ex iis deinceps agi queat *v.* ZIPFEL *d. Sect. 6. §. 23.* BERG. *d. l. §. 33.* In cambiis irregularibus, præſentatio quovis tempore fieri poteſt, modo nulla captio ſubſit, eamque, fere pro diverſo ſolutionis termino, conveniens acceptatio ſequi debet. *v. O. C. L. §. 7. 15.*

§. 28. Ex acceptatione obligatur acceptans, ad ſolutionem debito tempore faciendam, nec poterit ſe exceptione aliqua defendere, niſi ſit incontinenti liquida *v. O C. L. §. 13.* In ſpecie exceptio non numeratæ pecuniæ privilegiata, ei non competit *v. l. 6. C. de non numer. pecun. diſſert. noſtr. de putat. contr. liter. §. 37.* VOGT. *de camb. th. 7. lit. c. p. 108. ſeqq.* Porro acceptans neque revocatione Traſſantis, neque exceptione fidejuſſionis juvatur, nam ſemel, velut debitor principalis, ex conſtituto tenetur. Ipſe etiam Traſſans manet obligatus, nec per acceptationem liberatur *v.* VOGT. *de camb. th. 7. lit. d. p. 101.* BERGER *d. Supplem. §. 29. 38. 39.*

§. 29. Quodſi, facta præſentatione, acceptatio negetur, tum opus eſt *Proteſto* ſive *Proteſtatione*, quæ per Notarium & teſtes fieri, ac

Digitized by Google

Traſſantem, & ſi forte merces quasdam, ad hunc pertinentes, penes ſe habeat, in foro Saxonico, jure retentionis & prærogativæ gaudet *O. C. L. §. 34.* BERG. *d. l. §. 40.* Quodſi tempus, velut *terminus ad quem*, ſit adjectum, tum ante illud recte ſolvitur, ſi vero tanquam *terminus à quo*, tum anticipatæ ſolutionis periculum ad ſolventem ſpectat *O. C. L. §. 14.* ZIPFEL *de teſſer. collyb. Sect. 7. §. 5.* BERG. *d. Supplem. §. 44.* SCHILT. *ad ff. exerc. 26. §. 83.*

§. 34. Equidem, hoc ultimo etiam caſu, ſolutionem impune anticipari poſſe, quidam cenſent, ideo quod *præſentans habeat jus proprium, &, ratione Traſſantis, irrevocabile, adeoque non ſit nudus mandatarius v.* Dn. BARTH. *diſſert. de anticip. hab. Lipſ. 1707. c. 3. §. 1.* Sed illa ratio non ſufficit, nam adeſt quidem jus proprium & irrevocabile, ſed ſimul *conditionatum* & velut *reſpectivum*, quod ad Traſſantem reſpicit, contra quem, tam præſentans quam ſolvens, pro caſuum diverſitate, regreſſum habere cupit. Hoc igitur ſi unus vel alter gaudere velit, conditiones à Traſſante poſitas, & ſub quibus regreſſus tantum promiſſus eſt, omninò obſervare tenetur.

§. 35. Putem tamen, anticipata ſolutione, ſolventi regreſſum non aliter negandum eſſe, quam ſi Traſſans docere poſſit, ſibi inde imminere damnum, quod, obſervato ſolutionis termino, evitare potuiſſet: Nam ſi nullum ille intereſſe probare queat, nimis inhumanum foret, eo ſolo prætextu ſolventi ſatisfactionem negare, quod tempus non ſtricte obſervaverit, hoc enim nihil aliud foret, quam malitiæ indulgere. Media igitur ſententia, quæ ſolutionem anticipatam, nec ſemper impunem, nec noxiam dicit, æquiſſimà videtur.

§. 36. Sicut acceptans, ante terminum, ſecure ſemper non ſolvit, ita præſentans etiam tempus ſolutionis prorogare non debet, niſi conventio vel conſvetudo id indulgeat, quorſum pertinent dies honoris vel diſcretionis, *ehren-diſcretion-reſpit-oder reſpect-* vel *nachtage*. Sed, ob præjudicium aliorum, parcior eorum debet eſſe uſus. In cambiis regularibus illos non admitti docet Dn. BERGER. *d. Supplem. §. 42. 45.* ſed in *O. C. L. §. 15. in fin.* generaliter improbari videntur.

§. 37. Si is, in quem Tratta dirigitur, ante literarum aviſoriarum

adventum, acceptet & solvat, anticipatio illa innoxia esse censetur, licet postea in literis illis acceptatio & solutio inhibeatur, cum, pro honore Trassantis conservando, acceptatio facta censeatur, nec post eam, res amplius sit integra, sibique ille imputare debeat, quod non maturius eas transmiserit D. BARTH. *d. dissert. c. 3. §. 1.* Verum cum solvens mandati fines excesserit, Trassantem ex mandato ei obligari, dicere non licet. Acceptatio honoris, præsupponit Protestum *v. §. 30.* Anticipata solutione vim secutæ inhibitionis eludi, probari nequit: Tardior literarum aviforiarum adventus, culpam Trassantis non involvit.

§. 38. Si solutio, suo tempore, non sequatur, novo Protesto opus est, quo cum literis remisso, dator literarum præsentanti, ratione sortis, & ejus quoad interest, promte satisfacere debet *v. O. C. L. §. 6. 19. 20. 21. 30.* BERG. *d. Supplem. §. 50.* VOGT. *de camb. th. 7. lit. h.* Est tamen in arbitrio creditoris, utrum contra datorem literarum agere, an acceptantem ad solutionem adigere velit, adeo ut variatio ei quoque sit concessa in *O. C. L. §. 20.* Omisso Protesto, regressum, contra Trassantem, Præsentans amittit, acceptans tamen valide ei obligatus manet *O. C. L. §. 13.* Cæterum quæ de necessitate Protesti, hic & *§. 29.* dicta sunt, de cambiis onerosis exaudienda esse, facile patet, nam in mere gratuitis, quæ v. gr. Pater filio transmittit, Protestum non occurrit.

§. 39. Circa cambia varii generis lites oriri solent, quæ debitis actionibus sunt expediendæ, id quod ex ante dictis fere intelligi potest *add.* BERGER. *d. Supplem. §. 58. 59.* Processus, ex literis cambialibus institutus, quædam habet singularia (1.) Reus citatus, & ultrò non comparens, per apparitores accitur (2.) ad recognitionem, vel, ea facta, solutionem, arresto personali invitus adigitur (3.) jurata tamen diffessio aliæque exceptiones, in continenti liquidæ, contra literas cambiales admittuntur.

§. 40. Cessare etiam (4.) censetur appellatio in causis cambialibus (5.) post elapsas, à termino solutionis, quatuor septimanas, literæ cambiales vim suam amittunt juxta *O. C. L. §. 32.* (6.) amissis literis cambialibus, debitor confessus solvere, secundum jus cambiale, tenetur, accepta à Creditore indemnitatis cautione *O. C. L. §. 33.*

Præ-

Prærogativam tamen (7.) in concurſu Creditorum literæ cambiales non operantur *O.C.L. §. 34.* nec privilegium nundinarum excludunt *v.* BERGER *d. Supplem. §. 24 52. ſeqq.*

§. 41. Cambiis introductis, literæ cambiales ad alia negotia & obligationes extendi cæperunt, inde invaluit diſcrimen *alienarum* & *propriarum* literarum. De cætero hæ, eodem fere modo, ac illæ, concipi ſolent, niſi quod earum dator, non alii ſolutionem mandet, ſed ipſe eam facere promittat, *v.* BERGER *d. Supp. §. 5.* hinc etiam inſcriptio de ipſo debitore concipitur v. gr. *an mich Sempronium in Leipzig.* Jure quoque cambiali literæ propriæ gaudent *v.* BERGER *d. l. §. 24.*

§. 42. Cum vero tot negotia & perſonas illæ non præſupponant, hinc à traſſatis etiam, in nonnullis, differunt: Sic (1.) acceptatione regulariter non indigent *v. O.C.L. §. 4.* (2.) etiam poſt diem cedentem ſolutio fieri debet, damno moræ Creditori cunctanti imputato *d. O.C. §. 12.* ac (3.) ante illum, ſecure fieri poteſt *d. O. C. §. 14.* Huc quoque referendum videtur, quod (4.) anatociſmus in literis cambialibus admittatur, ac (5.) hypotheca conventionalis, & privilegii nundinalis renunciatio iis inſeri ſoleat *v.* BERGER *d. l. §. 6. 30.* Denique literæ propriæ (6.) regulariter anno & die præſcribuntur in Saxonia *O.C.L. §. 32.*

§. 43. Illud literis cambialibus, tam traſſatis, quam propriis, eſt commune, quod ſæpe aliis mandentur vel cedantur, quæ translatio *Indoſſement* aut *Giro* dicitur *v.* DN. ZIPFEL *de teſſer. collyb. Sect. 6. §. 15. 29.* BERGER *d. Suppl. §. 25. ſeqq.* D. HOECKNER *diſſert. inaug. de liter. camb. indoſſam. §. 3. 4.* Eo nomine igitur *nudum mandatum*, vel *vera ceſſio* intelligitur, quod diſcrimen, tam ex formulis diſertis, aut uſu probatis, quam aliis circumſtantiis, præcipue ex conditione perſonarum intelligendum eſt. In dubio ceſſio potius, quam mandatum præſumi debet.

§. 44. Indoſſamenta nonnullis in locis ſunt prohibita *v. O. C. L. §. 11.* Ob commodum vero, quod commerciis præſtant, plerumque ſunt permiſſa, ac diſtinguuntur in *perfecta*, quibus integra ſententia ſatis exprimitur, ac *imperfecta*, quando ſolum cedentis nomen, in dorſo cambii, ſcribitur, facultate extendendi vel complen-

di, ceſſionario relicta. Hæc dici ſolent *Indoſſament en bianco*, ac licet in *O. C. L. §. 11.* prohibeantur, nihil tamen vetat, quo minus inter conſentientes valeant; legitime vero completa, etiam in contradictorio valida ſunt.

§. 45. Indoſſamentum perfectum his formulis fieri ſolet: *Inhalt dieſes zahle der Herr vor mich an Cajum, ſoll mir gute Zahlung ſeyn*, vel: *valute von ihm vergnügt:* utrique vero formulæ additur locus & tempus, nec non cedentis nomen: *Leipzig Michael-Marck 1707. Johann Sempronius.* Prior formula nudum mandatum, poſterior, ceſſionem continere cenſetur *v.* ZIPFEL *d. diſſert. Sect. 6. §. 17.* Sed, niſi uſus diſcrimen probaverit, vix illud aſſerere licet, maximè iis in locis, in quibus valutæ confeſſionem ne quidem literæ cambiales requirunt.

§. 46. Indoſſamentum nudum ſive blancum, etiam pro mandato ſaltem habetur, ac tantum, ad apocham & quietantiam, fieri exiſtimatur *v.* ZIPFEL *d. Sect. 6. §. 29.* BERGER *d. Suppl. §. 26.* Verum, niſi ex conditione indoſſatarii hoc appareat, vix id dicere licet, qui enim indefinite indoſſat, facultate complendi indoſſatario relicta, is voluntatem cedendi habere non immerito dicitur. Hoc certum, indoſſatarium, in utilitatem ſuam, indoſſamentum extendere poſſe.

§. 47. Fit indoſſamentum regulariter in dorſo, ſeu parte exteriori literarum cambialium, nihil tamen vetat, quo minus etiam in parte interiori ſcribatur. Valutæ vel quantitatis expreſſio, neceſſaria non eſt, niſi quis indoſſamentum partiale ſaltem facere velit; Ut autem indoſſantis & indoſſatarii nomen, tempus & locus perſpicue & ſufficienter exprimatur, id ſi non neceſſarium, attamen, ad evitandas fraudes & lites, perutile eſt *v. O. C. L. §. 11.*

§. 48. Indoſſamenti imperfecti hæc cenſetur eſſe utilitas, quod ab indoſſatario, ſine novo indoſſamento, ulterius poſſit cedi; Sed hæc utilitas, orta controverſia, graviori incommodo penſatur, quod indoſſatarius ſecundus, contra primum, utpote in indoſſamento non nominatum, regreſſum non habeat. De cætero indoſſamenti nudi, vel etiam imperſonaliter concepti, v. gr. *vor mich zahle der Herr an commiſſ*, nullus eſt contra invitum effectus, antequam legitime

gitime compleatur *v. O. C. L. §. 11.* Multo minus igitur, ſola cambii poſſeſſio, indoſſamentum tacitum ac efficax inducit.

§. 49. Indoſſamenti nudi extenſionem, in crimen falſi non incidere, facile liquet, fit enim illud, quod indoſſans fieri voluit, & natura negotii requirit. Nec falſum exinde argui poteſt, quod indoſſatarius, quædam indoſſamenta, quæ ſuperflua exiſtimavit, deleverit, nam res illa indifferens & innoxia eſt. Aliquando indoſſamentis, mentio literarum primarum eſt adjicienda *v. O. C. L. §. 28.* Literæ aviſoriæ, circa ſingula indoſſamenta, non requiruntur, ſed ſufficit, ſi de voluntate Traſſantis, ſemel futurus debitor ſit informatus.

§. 50. Indoſſamenta ſunt inſtar novi cambii, hinc indoſſantem, Traſſanti, Indoſſatarium, Remittenti, ac Indoſſatum, ei in quem Tratta dirigitur, comparare, ac eadem ubique jura regulariter aſſerere licebit. Habilitas igitur perſonarum, quæ in cambiis requiritur, hinc etiam neceſſaria eſt: Poſſunt indoſſamenta quoque mediate fieri, per inſtitores & procuratores, modo terminos mandati, illi obſervent. Indoſſari poſſunt & ſolent tam literæ traſſatæ quam propriæ.

§. 51. Indoſſamentum ab Indoſſante revocari, aut alio modo ejus effectus impediri nequit, niſi indoſſatarius ſaltem ſit procurator, quo caſu pecunia accepta, ab hoc etiam exigi poteſt. In dubio tamen ceſſionarius potius, quam mandatarius præſumitur *v. §. 43.* nam ceſſio mandato eſt frequentior. Quodſi vera ceſſio ſubſit, indoſſans non tantum, nomen verum, ſed & bonum præſtare tenetur, quo nomine adeo, ut debitor principalis, conveniri poteſt, de quo mox iterum.

§. 52. Indoſſatarius in præſentando, exigendo & proteſtando, ea obſervare debet, quæ literarum cambialium poſſeſſoribus aliàs præſcripta ſunt, literæ tamen propriæ, præſentatione & acceptatione non indigent, niſi, ex ſanctione *O. C. L. §. 4.* poſt primum indoſſamentum, plura ſequantur. De cætero indoſſatus indoſſatario, ex literis propriis vel acceptatis, tam valide obligatur, ut exceptionem ſolutionis vel compenſationis, quæ indoſſanti poterat opponi,

illi objicere nequeat, quo nomine indoſſatarius, à ſimplici ceſſionario differt.

§. 53. Licet igitur indoſſatus indoſſanti ſolverit, ab eoque inſtrumentum caſſatorium, *ein Mortification-Schein*, acceperit, attamen indoſſatario denuo ſolvere tenetur. Aliud dicendum, ſi de ſolutione partiali, ex ipſis literis indoſſatis, conſtet, hæc enim indoſſatario valide opponitur. Ratio harum aſſertionum, ex eo repetenda videtur, quod jus cambiale ex literis dependeat, quæ ſententia, in Saxonia Electorali, ſpeciali Reſcripto, de *anno 1699.* confirmata eſt *v.* BERGER *in elect. proc. execut. §. 53.*

§. 54. Exinde ſequitur, quod indoſſatarius, ad impediendam ſolutionem, debitori, quoad literas proprias, ceſſionem factam denunciare non debeat, quod quidem ceſſionarius ſimplex aliàs facere tenetur *l. fin. de transact.* Porro inde fluit, quod indoſſatarius, ceſſionario antiquiori extracambiali, qui, juxta conſvetas ceſſionum regulas, potior eſt *v. l. 2. C. qui potior in pign. l. 4. C. quæ res pign. oblig. l. 55. de procur. l. 5. C. de hæred. vel act. vend. l. 20. de A. R. D. l. 143. 156. §. 3. l. 160. §. 2. de R. J.* præferatur, nam jus cambiale, ceu diximus, ex literis dependere videtur.

§. 55. Quodſi tamen cedens, pecuniam à debitore ſolutam, ceſſionario jam præſtiterit, vel debitor cedenti, ſciente ceſſionario, ſolverit, tum, prout res illa liquida eſt, aut non, indoſſatario vel exceptio ſolutionis obſtat, vel, hac, ob proceſſus rigorem, ceſſante, reconveniri ille poteſt. Illud quoque dubio caret, quod exceptiones, quæ ex proprio facto & obligatione indoſſatarii dependent, valide ei objiciantur. Hinc ſi vel debitori, vel indoſſanti, ille aliquid debeat, exceptionem compenſationis, vel ex ſua, vel indoſſantis perſona, debitor recte opponet.

§. 56. Si indoſſatus ſolvere detrectet, indoſſatarius vel ipſum actione urgere, vel contra indoſſantem agere poteſt *v. O. C. L. §. 12. 19. 20.* licet hic tantum ſit illius inſtitor *d. O. C. §. 23.* v. ſupr. *§. 11. h.* Si plures ſint indoſſantes, ſinguli ſuo ordine tenentur *O. C. L. §. 19.* Sic fiet, ut incommodum evictionis præſtandæ, eum tangat, qui vel nullum, vel non idoneum autorem habet, à quo ſuum poſſit conſequi.

ſequi. De cætero indoſſantes, ſecundum jus cambiale, *nach Wechſelrecht*, teneri videntur: Oritur enim ipſorum obligatio, ex literis cambialibus, præterea traſſantibus & acceptantibus illi comparari ſolent *v. O. C. L. §. 20.* Hæredes vero regulariter ſaltem executive obligantur *v.* CARPZ. *p. 2. C. 21. D. 10.* BERG. *ad O. P. S. tit. 5. p. 135.*

§. 57. Indoſſamentis ſæpius repetitis, fit aliquando, ut literæ propriæ vel acceptatæ, ipſi debitori cedantur, ac ab hoc denuo indoſſentur, quo caſu, ob confuſionem, præcedentia indoſſamenta exſpirare, & indoſſamentum debitoris, novum cambium eſſe videntur. Verum cum confuſio, invitis partibus, non fiat, hinc, ſeparata iterum debitoris & creditoris perſona, vim confuſionis reſolvi, ac obligationem debitoris, eamque reſpicientia indoſſamenta priora manere, verius putem *v. l. 6. §. C. ad L. Falcid.* Multo minus præcedentia indoſſamenta exſpirabunt, ſi literæ ad Traſſantem redeant, ab eoque amplius indoſſentur, cum, hoc caſu, ne quidem confuſio fiat.

§. 58. Quodſi debitor indoſſatus, ex literis acceptatis ſolverit, contra indoſſantem habet regreſſum, perinde ſicut is, qui Trattam ſolvit, contra Traſſantem regredi poteſt. Opus tamen eſt, ut terminum ſolutionis ille obſervaverit, & nihil intereſſe putamus, ſive indoſſatarius, fuerit nudus procurator, ſive verus ceſſionarius, per ea quæ dixi *§. 33. 34. 35.* Indoſſans autem, debitori ſolventi quoque, ſecundum jus cambiale, teneri videtur juxta *§. 56.* conf. Dn. D. HOECKNER. *d. diſſert. de indoſſam. liter. camb.*

CAPUT

CAPUT VI.
DE PROXENETIS.

SUMMARIA.

Proxenetarum natura varietas §. 1.
Constitutio & officium §. 2.
Muneris proxenetici subjectum §. 3.
Et objectum §. 4.
Conciliandis sponsalibus non autem muneri publico, proxenetæ mercenarii intervenire possunt §. 5.
Proxenetis philanthropum debetur §. 6.
Officii proxenetici norma §. 7.
Nuptiarum conciliatores ex dolo tenentur §. 8. 9.
Proxeneta in conciliando mutuo, fines mandati excedens mandantem obligat §. 10.
Multo magis obligatio principalium adest, negotio bona fide gesto, de quo etiam proxeneta testari potest §. 11.
Inter eum & principales, locum habent actiones §. 12.

§. 1.

PRoxenetarum, inter mercatores, frequens est usus, qui tamen, generaliùs accepti, etiam aliis negotiis interveniunt; de iis ergo quædam dicere, non alienum ab hoc loco erit. Proxeneta est *persona, in conciliandis negotiis licitis, sub conditione plerumque solvendæ mercedis, operam præstans v. l. 2. 3. de proxen. l. 1. §. f. de V. O. l. 21. de usur. l. fin. C. de sponsi. Nov. 90. c. 8. Nov. 123. c. 2. §. 1.* Proxenetæ sunt vel gratuiti *v. l. 10. §. 7. mand.* vel non gratuiti *l. 2. de proxen.* Porro vel *privati*, qui sine prævia constitutione publica, negotiis interveniunt, vel *publici*, quibus consensu eorum, penes quos ea res est, hoc munus demandatur.

§. 2. Privati ergo, mediante contractu locationis aut mandati, alienis negotiis adhibentur, sed in publicis, consensu habili facta constitutio præsupponitur, cui deinceps conventio privata accedit. Constituuntur autem publici Proxenetæ, intuitu commerciorum, ac jus eos constituendi, regulariter penes collegium mercatorum esse videtur, quamvis aliquando etiam penes Senatum municipalem esse soleat. De cætero proxenetæ juramento obstringi, eorumque officium, peculiaribus ordinationibus, specialius determinari solet *v.* VOGT *de camb. th. 2. lit. b. p. 11.*

§. 3. Privatum proxenetæ munus quivis subire potest, etiam fœmina, quæ Proxenetria vel Promnestria dici solet *v.* Dn. BODIN. *differt.*

dissert. de Philantrop. hab. Hall. 1699. c. 2. §. 3. ut & minor *arg. l. 23. de minor. l. 1. §. 1. si mens. fals. mod.* Publico verò muneri habiles saltem personæ adhiberi debent, ne aliàs, publica autoritate, homines decipiantur; constitutis autem publicis proxenetis, aliis, ab hoc munere, abstinendum est: Quidam, ut Nobiles *arg. l. 3. C. de commerc.* & milites *l. 31. C. de loc. cond.* à munere proxenetico, tam publico quam privato, excludi censentur, quod tamen generaliter non est accipiendum.

§. 4. Adhiberi possunt Proxenetæ omnibus negotiis licitis, ut muneribus, sponsalibus ac præcipue contractibus conciliandis *l. 2. 3. de proxen. l fin. C. de sponsal.* Si circa negotia illicita, operam suam quis præstiterit, tum, illa omnia in delictum incidere, manifestum est. Uti autem, negotiis licitis operam suam gratis accomodare, semper licet, ita, mercedem stipulari, tamdiu etiam licitum censeri debet, donec prohibitio appareat.

§. 5. In specie igitur, ob sponsalia, proxeneticum stipulari & exigere licet *v. l. fin. C. de sponsal.* D. BODIN *d. dissert. de philantr. c. 3. §. 5.* Parentes tamen & tutores, pro conciliandis filiarum & pupillarum nuptiis nihil recte exigere posse censentur PERETZ *ad C. de sponsal. n. fin.* Mediatori Sacerdotii illicitum quoque est, aliquid accipere *Nov. 123. c. 2. §. 1.* quod, ob paritatem rationis, ad alia munera etiam applicandum videtur, nam sine Simonia & ambitu eadem obtinere par est.

§. 6. Id quod Proxenetæ promittitur, Philanthropum audit *l. 2. de proxen. v.* D. BODIN *d. dissert. c. 1.* Debetur etiam, licet expresse nihil dictum sit, si modo conditio personæ hoc exigat, nam tum tacitè de eodem actum censetur. Quantitas autem Philanthropi lege, conventione vel arbitrio judicis determinatur *l. 3. de proxen.* Quoad sponsalia, specialis proxenetici occurrit determinatio in *l. fin. C. de sponsal. v.* PERETZ *ad d. tit. n. 20.* Sed constitutionis illius apocryphæ usum asserere non licet.

§. 7. Officium Proxenetæ est, ut, in conciliantis negotiis, bona fide versetur, id quod, ratione commerciorum, specialius nonnunquam statutis determinatur *v.* VOIGT *de camb. th. 2. lit. b.* Si secus fecerit, de dolo & culpa tenebitur. Ut igitur constet, num

proxeneta officium exceſſerit, nec ne, ad *ſcientiam* ejus, & *agendi modum*, præcipue erit reſpiciendum *v. l. 2. de proxen.* Si plures proxenetæ dolum admiſerint, ut correi debendi erunt obligati *v. l. 3. pr. ſi menſ. falſ. mod.*

§. 8. Nuptiarum conciliatores ex dolo ſuo quoque obligantur, hic tamen fere, ex malis corporis, non animi aut fortunæ, æſtimari ſolet; Hinc ſi conciliator fœminam infectam aut corruptam, pro ſana & virgine obtruſerit, ex facto ſuo tenebitur; Verum ſi quam formoſam, probam, nobilem aut divitem falſo laudaverit, illum non teneri cenſent *arg. l. 19. pr. de ædilit. edict.* præterea ne primo quidem caſu, matrimonium nullum eſſe exiſtimant *v.* PERETZ *ad C. de ſponſ. n. 21.* D. BODIN. *d. diſſert. c. 5. §. 4. 5.*

§. 9. Enimvero uti nulla ſubeſt ratio, quare matrimonium, dolo alterius contrahentis elicitum, nullum dicere non liceat, ſi læſi ratihabitio non accedat, ita altera aſſertio, non eo ſenſu accipienda eſt, quaſi proxeneta, ob male laudata animi fortunæque bona, nunquam obligetur, ſed ſaltem, quod non facile teneatur, nam læſio hic incertior eſt, præterea proxenetæ non diſerte & certo aliquid aſſerere, ſed ambiguitate potius ludere ſolent, denique plerumque læſi ſtulta accedit credulitas, cui adeo damnum imputare debet, ſæpe etiam, ludibrii ulterioris metu, ratihabitio ſequitur.

§. 10. Quodſi proxeneta, in conciliando mutuo, fines mandati exceſſerit, &, cum v. gr. 40. ſub pignore ſibi tradito, accipere deberet, 100. acceperit, ſexaginta in proprium uſum converſis, mandans creditori ignoranti ſolidum debitum reſtituere, ac quod non accepit, à proxeneta doloſo repetere debet, imputet enim ſibi, quod tali homini ſua negotia commiſerit; creditori vero bona fide contrahenti, dolus proxenetæ nocere non debet *v. l. 57. mand.* PHILIPP. *Uſ. Pr. l. 3. Eccl. 86.* D. BODIN. *d. diſſert. c. 5. §. 3.*

§. 11. Multo magis igitur ea negotia ultrò citroque obligant, quæ proxeneta bona fide geſſit, modo ad perfectionem fuerint deducta *v. l. 6. §. 1. de N. G.* Hinc etiam Parentes conſenſum ſponſalitium, Proxenetæ datum, revocare nequeunt *v.* MEV. *p. 9. D. 198. 199.* De negotiis autem, ſe mediante celebratis, proxeneta teſtari regulariter nequit *Nov. 90. c. 8. v.* D. BODIN. *d. diſſert. c. 5. §. 7.*

Sed

Sed usu contrarium servari, asserit VOIGT. *de camb. th. 2. lit. b. p. 13.*

§. 12. Proxenetæ debetur philanthropum, sive expresse, sive tacite promissum, quo nomine adeo, contra invitos, actionem competentem, in foro instituere potest *l. 1. de proxen.* Ipsum etiam ad faciendum officium, actione habili, compellere licet, sed hoc raro fiet, cum, altero tergiversante, alius paratior deesse non soleat. Quodsi proxeneta operas præstare vel nolit, vel nequeat, aut etiam intempestive sciens præstet, tum nihil accipit, ac acceptum proxeneticum restituere tenetur. *v. l. 15. §. 6. locat. l. 5. pr. de condict. c. d. c. n. f.* conf. D. BODIN. *d. dissert. c. 5. §. 10. seqq.*

CAPUT VII.

DE CONCURSU CREDITORUM.

SUMMARIA.

Creditores concurrentes §. 1.
Vel separati vel conjuncti debita exigunt §. 2.
Jure separationis suum petunt domini, quod variis exemplis declaratur §. 3. 4.
Dominis similes sunt, qui ante dimissum dominium sibi hypothecam reservant §. 5.
Præterea separatio ex tribus aliis causis existit §. 6.
Creditorum conjunctorum quinque classes generales sunt §. 7.
In prima occurrunt singulariter privilegiati §. 8. 9. 10.
In secunda deprehenditur uxor quoad bona dotalia §. 11. 12. 13.
Jus ejus quoad cætera bona §. 14. 15.
Reliqui secundæ classis creditores §. 16. 17.
Inter eos, si bona non sufficiant, temporis prærogativa observatur §. 18.
Tertiam classem occupant hypothecarii §. 19.
In quarta collocantur personale privilegium habentes §. 20. 21.
Horum prærogativa §. 22.
Quintam classem implent creditores chirographarii §. 23.

§. 1.

COmmercia non semper ex voto succedunt, sed aliquando mercatores, vel propria culpa, vel casu fortuito, ad incitas rediguntur, adeò ut Creditorum, inter se concertantium, existat concursus, quæ calamitas etiam alios quandoque homines afficit. De concursu igitur illo nunc quædam di-

cenda erunt; cum vero ista tractatio sit valde diffusa, intricata ac nonnunquam incerta, eamque adeo locus præsens non capiat, ideò primas ejus duxisse lineas, in subsidium subinde vocato jure Saxonico, jam satis erit.

§ 2. Creditores concurrentes, vel *separati* ex diversis bonis, vel *conjuncti*, ex eadem massa, suum consequuntur. Separatio, ex quatuor causis, locum habere videtur (1.) ob creditorum dominium vel jus ei æquipollens (2.) ob diversitatem debitorum (3.) ob res, voluntate debitoris, cum contraheret, separatas (4.) ob diversam rerum qualitatem. Effectus autem Separationis in genere ille est, quod cæteri creditores separatorum jura imminuere nequeant.

§. 3. Primo igitur, jure separationis, suum consequuntur domini, qui res proprias, apud debitorem, adhuc extantes, vindicant, qui naturalis dominii effectus est *v. l. 1. C. de jur. fisc. l. 5. §. 18. de tribut. act. l. 38. pr. de pecul. l. 14. 31. §. 1. de R. C.* Ad hanc igitur classem pertinent (1.) deponentes, quoad res depositas extantes *v. l. 1. ff. l. 8. C. depos. l. 31. locat. l. 24. §. 2. de reb. autor. judic. possid.* (2.) commodantes *l. 8. seqq. commod.* (3.) locatores *l. 39. locat.* (4.) debitores, qui, soluto debito, pignus repetunt *l. 9. C. de pign. act.*

§. 4. Porro huc pertinent (5.) Uxores illata extantia *l. 1. C. de privil. fisc.* (6.) liberi res adventitias & castrenses reperentes *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 13. 14.* (7.) Venditor, qui in re vendita adhuc dominium habet *l. 19. de C. E. V.* CARPZ. *d. l. D. 18. 19. 21.* (8.) dominus qui res suas vendendas alteri commisit *v. O. P. S. tit. 42. §. 1.* (9.) qui res furtivas repetunt *§. fin. I. de obligat. quæ ex delict.* (10.) pupilli quoad res proprias *v. l. 2. quand. ex fact. tutor.* (11.) qui ex successione dominium acquisiverunt, ejusque generis alii *add.* DN. RIVIN. *Enunc. tit. 42. posit. 9. seqq.* De cætero inter hos nulla est prærogativa, sed unusquisque rem suam vindicat.

§. 5. In hunc censum etiam referendi, quibus res jure reali fuit devincta, antequam in dominium debitoris illa perveniret, hoc enim jus dominio hactenus æquipollet. Tales sunt, quibus, ante debitoris dominium, res fuit oppignorata, ac in specie venditor, qui, in re vendita, ante dimissum dominium, hypothecam sibi

ſibi reſervavit CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 20. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſerv. 1064.* Inter plures autem hujus generis Creditores, prioritas temporis obſervatur *O. P. S. tit. 42. §. 2. 4.* DN. RIVIN. *ad d. tit. enunc. 12. 20.*

§. 6. Altera ſeparationis cauſa eſt, ex *diverſitate debitorum*, quando ſcilicet diverſa bona, ſuis quæque oneribus conſtricta, per ſucceſſionem conjunguntur. Hujus ſeparationis virtute, creditores perſonales ſuum præcipue conſequuntur, de quo *lib. 7. C. 18.* dictum. Tertiam cauſam ſeparandorum creditorum, præbet *voluntaria bonorum, quorum intuitu contrahitur, ſeparatio v. l. 5. §. 15. 16. de tributor. act.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ 1060.* Denique quarta ſeparatio reſultat ex *qualitate rerum allodialium* & *feudalium*, de qua alibi dicemus, jam enim ad illas tantum reſpicimus. Triplices hi ſeparati creditores, in ſuo ſinguli ordine, ſunt conjuncti, adeoque juxta prærogativam jurium, ſuum accipiunt.

§. 7. Creditorum in eadem maſſa conjunctorum *v. §. 2.* quinque claſſes generales conſtitui ſolent. (1.) Locantur, qui ſingulare prælationis jus habent (2.) hypothecarii, privilegio prælationis gaudentes (3.) Hypothecarii ſimplices (4.) perſonaliter privilegiati & (5.) Creditores chirographarii *v. O. P. S. tit. 41.* Hæ claſſes, in plures ſpeciales, ſententiis deſignatoriis, quas vocant, deduci ſolent, adeo ut in unaquaque claſſe generali, pro numero creditorum, propria & ſpecialis claſſis fere conſtituatur.

§. 8. In prima claſſe generali collocantur (1.) ex conſvetudine, expenſæ, in utilitatem concurſus factæ, ſub quibus hæc fere comprehenduntur (1.) expenſæ judiciales (2.) ſalarium Curatoris litis (3.) aliorum, qui concurſui operam præſtant (4.) impenſæ in agrorum culturam factæ *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 37. 38.* Solent, à non nullis, hi creditores etiam iis præponi, qui res proprias vindicant *v.* DN. RIVIN. *Enunc. ad O. P. S. tit. 42. enunc. 1. ſeqq.* Sed videtur res eodem recidere, quo demum in loco creditores hoſce colloces, cum inter eos nullus ſit concurſus & prærogativa: Domini res ſuas vindicant, impenſæ concurſus, ex bonis debitoris ſumuntur; niſi forte, illos, etiam in rebus propriis, has ferre debere, dicendum ſit, quo poſito, harum prærogativa admittenda erit.

§. 9. Ad hanc classem spectant (II.) mercedes domesticorum *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 23. seqq.* quod privilegium juri Romano incognitum censetur *v.* LAUTERB. *C. J. de privil. credit.* (III.) Impensæ funeris & ultimi morbi *v. l. 14. §. 1. l. 45. de relig. l. fin. §. 9. C. de jur. delib. l. 4. C. de hæred. pet. l. 3. C. de relig. l. 17. d. rcb. autor. jud. possid.* CARPZOV. *p. 1. C. 28. D. 39. seqq.* (IV.) Fiscus quoad tributa *l. 1. C. si propt. publ. pens.* etiam extraordinaria *v.* CARPZOV. *4. resp. 77.* THOMAS. *in not. ad* STRAUCH. *dissert. 28. th. 19.* BERGER *in resol.* LAUTERBACH. *de privil. Cred. qu. 2.* (V.) Onera rebus inhærentia, ut annui reditus, decimæ, salaria ministrorum Ecclesiæ *v. l. 15. qui prior. in pign.* CARPZOV. *p. 1. C. 28. D. 54. 55.*

§. 10. His annumeratur jure Saxonico Electorali (VI.) pecunia hæreditaria *O. P. S. tit. 42. §. fin.* modo quis inde usuras non acceperit, nam aliàs ad debita chirographaria rejicitur *v. Decis. Saxon. 7.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 59. 60.* Quodsi hisce creditoribus bona non sufficiant, non pro rata singulis decrescit, sed, juxta prærogativam privilegii, debita præstantur *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 12.* STRUV. *S. J. C. exerc. 44. §. 47. 48.* RIVIN. *Enunc. ad O. P. S. tit. 42. enunc. 22. seqq.* quod tamen, ad usum fori Saxonici, videtur restringendum.

§. 11. Ad Secundam classem generalem pertinet (1.) Uxor quoad bona dotalia consumta *l. 12. C. qui potior. in pign. Nov. 97. c. 2.* Sed in Saxonia Electorali, mulier saltem præfertur hypothecariis antiquioribus tacitis, non expressis *p. 1. Const. 28. O. P. S. tit. 43. conf. Decis. Saxon. 5.* STRAUCH *dissert. 28. §. 19.* Quodsi contingat, ut concurrant hypothecarius tacitus, ratione temporis, primus; expressus, secundus & tertio loco, fœmina, tum singuli vinci & vincere videntur, juxta regulam *l. 14. §. 3. de diverf. tempor. præscript.* fœminæ tamen hoc casu prælationem tribuunt *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 175.* Sed probabilius est, temporis rationem tantum hic esse habendam adeoque fœminam ultimo loco locandam *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1063.*

§. 12. Competit hoc privilegium etiam uxori putativæ, si excusabilis error subsit *l. 22. §. fin. sol. matrim. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs.*

Obſ. 1062. Non vero ei, quæ communem negotiationem cum marito exercuit, aut prodigalitate ſua maritum ad inopiam redegit CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 83. 85.* quod ultimum, ob difficillimam probationem, exigui uſus eſſe videtur. Illi tamen non denegatur, quæ ſciens obærato nupſit *Deciſ. Saxon. 6.* qua improbatur doctrina CARPZOVII *d. l. D. 84.*

§. 13. Datur quoque hoc privilegium liberis *l. 12. §. 1. C. qui prior. in pign. Nov. 91. pr. c. 1.* non aliis hæredibus *l. un. C. de privil. dot.* neque extraneo cedi poteſt *v.* CARPZ. *d. l. D. 95. 96.* ſed hoc ultimum ex falſis hypotheſibus aſſeritur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 538.* Uti autem jure dotis, etiam gaudet augmentum *Nov. 97. c. 2.* ut & pecunia, quam ante matrimonium uxori ſuæ jam debuit maritus *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 43. enunc. 2.* ita in genere probatio legitima requiritur *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 72. ſeqq.* RIVIN. *d. l. enunc. 4. §. 6.*

§. 14. Quoad bona paraphernalia mulieribus ſaltem competit tacita hypotheca *l. fin. C. de pact. conv. tam ſup. dot.* quod in Electoratu Saxoniæ quoque obtinet *O. P. S. tit. 43. §. 3.* CARPZ. *d. l. D. 87.* RIVIN. *d. l. enunc. 16. ſeqq.* Sed, ex rationibus juris Saxonici, debebant eodem, cum dotalibus, jure gaudere *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1093.* Donorum nuptialium conſumtorum pars dimidia, jure dotis repetitur in Saxonia, ſi illa marito expreſſe in dotem fuerint computata, aliàs paraphernalibus accenſentur *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 88.* RIVIN. *d. l. enunc. 7. ſeqq. Deciſ. Saxon. 51.*

§. 15. Donatio propter nuptias gaudet jure tacitæ hypothecæ *l. 12. §. 2. C. qui pot. in pign.* imo, ſi extet, jure dominii vindicari poſſe videtur *auth.* permiſſa *C. de donat. aut. nupt. v.* DN. OLEAR. *diſſert. de domin. mulier. in reb. propt. nupt. donat. hab. Lipſ. 1707.* Sed in Electoratu Saxoniæ, inter chirographarios, uxor hoc nomine collocatur *O. P. S. tit. 43. §. 4. 5.* In qua claſſe, receptitia bona illa quoque conſequitur, ſi uſuras acceperit, aliàs ad quartam claſſem remittitur *d. O. P. S. tit. 43. §. 3.* RIVIN. *Enunc. tit. 46. enunc. 8.*

§. 16. Ad ſecundam claſſem ſpectant (2.) qui in re, pecunia ſua, comparata vel refecta, hypothecam ſunt conſecuti *Nov. 97. c. 3.* ſive legis diſpoſitione, quæ quoad refectionem ædium occurrit *l. 1. qu. b.*

Digitized by Google

quib. in cauſ. pign. tac. ſive expreſſa conventione *l. 5. 6. ff. l. 7. C. qui potior. in pign. l. 17. C. de pignor.* quæ in cæteris rebus neceſſaria eſt *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 105. ſeqq.* (3.) pupilli, quorum pecunia tutor rem ſibi comparavit *l. 7. qui potior. in pign. l. pen. C. de ſerv. pign. dat.* qui etiam, ſi malint, rem extra concurſum vindicare queunt *v. S. 4. n. 10. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1065.* (4.) fiſcus quoad bona, poſt contractum fiſcalem quæſita *l. 28. de jur. fiſc.* Sed in iis, quæ poſt contractum primi creditoris acquiruntur, ante contractum tamen fiſcalem, prior potior eſt *l fin. qui prior. in pignor.*

§. 17. Quoad pœnas, à tempore condemnationis, fiſco tacitum pignus, à quibusdam tribuitur, per *l. 46. §. 3. de jur. fiſc. v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 104.* ſed jure civili potius omnibus creditoribus chirographariis, eo reſpectu, fiſcus poſtponitur *l. 17. 37. de jur. fiſc.* In Electoratu tamen Saxoniæ, tacitum pignus, quoad multas, fiſco competit *O. P. S. tit. 43. §. 7.* ſed hoc, ad caſum confiſcationis, minimè extendi, verum in eo jus civile potius obſervari debet.

§. 18. Quodſi Creditoribus ſecundæ claſſis, bona non ſufficiant, temporis prioritas, inter eos, ſervanda eſt *v. l. 12. §. 1. in fin. C. qui potior in pign. Nov. 91.* Cum enim non liqueat, quod unum privilegium altero ſit plenius, hinc, illis inſuper habitis *l. 11. §. p. de minor. l. 8. pr. de excuſ.* id quod maxime expeditum eſt, & plerumque obtinet, merito obſervatur *l. 2. 8. C. qui potior. in pign c. 45. de R. J. in 6. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1066.* Quæ ſententia, in Electoratu Saxoniæ certa eſt *O. P. S. tit. 43. §. p. & fin. v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 93.*

§. 19. Tertiam claſſem generalem occupant Hypothecarii ſimplices, quorum non exiguus ſolet eſſe numerus. In genere autem illi, inprimis in Saxonia Electorali, quatuor modis jus ſuum conſequuntur, *lege, conventione, immiſſione & arreſto.* De cætero ipſorum prærogativa ex *modo conſtituendi*, ac, ubi in eo nihil ſingulare occurrit, ex *tempore* æſtimatur, de quo *lib 3. c. 16. §. 20. ſeqq.* breviter dictum eſt, plenius vero, in uſum fori Saxonici, illud traditur in *O. P. S. tit. 44. ſeqq. conf.* DN. RIVIN. *in enunc. aliosque commentatores.*

§. 20. In quarta claſſe generali locantur, qui tantum perſonale pri-

privilegium habent *l. 9. C. qui potior in pign.* Ut (1.) deponentes, quorum res non amplius extat, modo uſuras inde non acceperint *l. 7. §. 2. depoſ. l. 24. §. 2. de reb. autor. jud. poſſ. O. P. S. tit. 49. §. 1.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 150. 151.* (2.) Respublica creditrix *l. 38. §. 1. de reb. autor. judic. poſſ. l. 16. de V. S.* (3.) Qui ad certam rem comparandam vel reficiendam credidit, nec de pignore ſibi proſpexit *l. 17. C. de pignor. l. 26. 34. de reb. autor. jud. poſſ.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 155.*

§. 21. Jure Saxonico Electorali huc etiam referuntur (4.) debita piarum cauſarum, ut legata pauperibus, vel ſtudiorum cauſa, relicta, nec non alimenta *v.* CARPZ. *d. l. D. 152.* modo ex contractu vel teſtamento debeantur, liberorum igitur alimenta huc non pertinent CARPZ. *d. l. D. 157.* (5.) qui ſine uſuris pecuniam credidit CARPZ. *d. l. D. 153.* (6.) rei venditæ pretium reſiduum, certis terminis non ſolvendum *v. O. P. S. tit. 49.* (7.) ex ſententia nonnullorum, pecunia ad cambium data *v.* RIVIN. *Enunc. ad d. tit. 49. enunc. 2.*

§. 22. Si ſinguli, in hac claſſe, ſolidum conſequi nequeant, quidam deponentibus, qui uſum rei non conceſſerunt, primum, *l. 7. §. 2. depoſ.* qui vero eum permiſere, ultimum locum tribuunt *l. 24. §. 2. de reb. autor. jud. poſſ.* cæteros, ex cauſa favorabiliori locandos cenſent *v. l. 32. cod.* plures ejusdem tituli æqualiter admittunt *l. 7. §. f. depoſ. v.* LAUTERB. *C. J. depoſ.* verb. *actio directa lit. E. in fin. de privileg. creditor. n. 4.* Sed, ex ambiguis juris civilis textibus, illa ſententia vix elici poteſt *v.* STRYK. *in not. ad* LAUTERB. *depoſ. d. l.* BERG. *in reſolut. ibid. qu. 7.* Hinc alii creditores hujus claſſis pro rata admittunt *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 149. 150.*

§. 23. Ultimam denique claſſem generalem implent creditores chirographarii, qui, ſine conſideratione temporis, pro rata ſuum conſequuntur *v. l. 6. C. de bon. autor. judic. poſſid. O. P. S. tit. 50. §. 1.* Jure civili uſuræ in eadem claſſe ſolvuntur, in qua ſors præſtatur *l. 18. qui prior. in pign.* Sed jure Saxonico Electorali uſuræ, ob mutuum ſolvendæ, ſorti chirographariæ etiam poſtponuntur; In cæteris cauſis uſuræ ſortis locum retinent, *O. P. S. tit. 50.* quod etiam de mutuo dicendum, ſi uſuræ pupillis, piis cauſis, vel

etiam ex bonis feudalibus debeantur *Decis. Saxon. 8. 9. 10. v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 160. seqq.* conf. LAUTERB. *C. J. de privil. Credit.* OBSERV. LAUT. *Obs. 1067. 1068.*

CAPUT IIX.
DE DEBITORIBUS OBÆRATIS.

SUMMARIA.

Status debitorum obæratorum §. 1.
Creditoribus urgentibus concursus formatur §. 2.
Ejus effectus ratione debitoris, judicis §. 3.
Et creditorum §. 4.
Moto concursu exactiones particulares cessant §. 5.
Repudiatio hæreditatis sine fraude fieri potest §. 6.
Aliis tamen aliter sentientibus §. 7.
Cessio & repudiatio hic coincidunt §. 8.
Debitores bonis lapsi de salvo conductu solent esse solliciti §. 9.
Curatoris bonorum vel litis constitutio §. 10.
Requisita §. 11.
Officium §. 12.
Potestas §. 13.
Et obligatio ad reddendas rationes §. 14.
Debitoribus competit cessio bonorum §. 15.
Qua tamen raro illi hodie uti solent §. 16.
Sed transactione sibi potius prospiciunt §. 17. 18.
Obligatio debitorum ad obstagium ac traditio in vincula hodie cessat §. 19.
Pœna decoctorum in Saxonia §. 20.
A carcere quædam causæ liberant §. 21. 22.
Iis deficientibus fit incarceratio §. 23.
Incarceratus quomodo alendus §. 24.
Positis requisitis, omnis generis debitores incarcerari possunt §. 25.
Aliquando carcer non est pœna sed medium executionis §. 26.
Quidam debitores habent beneficium competentiæ §. 27.

§. 1.

HOrum status nunc etiam breviter repræsentandus est. Summa dicendorum eò redit, ut Creditoribus satisfiat, ac debitores, sine culpa sua, ad incitas redacti, quantum æquitas exigit, conserventur, decoctores autem condigna pœna afficiantur, id quod, legibus positivis, specialius determinari solet, quæ tamen æquitati & utilitati publicæ, per omnia, non satis attemperatæ quandoque deprehenduntur.

§. 2. Primo igitur concursus formari, hoc est, bona debitoris, in utilitatem Creditorum, arctius constringi, ac ipsi Creditores, ad

ad deducenda jura ſua, conjungi ſolent. Quamdiu autem Creditores ſolutionem non urgent, Judici integrum non eſt, formare concurſum Creditorum, eosque ad jurium deductionem provocare. Debitor autem, quamdiu ipſi adminiſtratio interdicta non eſt, uni vel alteri creditori gratificari, ac debitum exſolvere poteſt, modo, in rem ſolutam, aliis jus reale non competat.

§. 3. Concurſu formato, debitori manus velut ligatæ ſunt, hinc in ſpecie, pretium rerum venditarum, non ipſi ſolvendum, ſed in judicio deponendum eſt, id quod emtor, etiam invitis Creditoribus facere poteſt, quodſi pecuniam maturè non deponat, ex mora ſua, ad uſuras temporis intermedii tenetur. Judex vero pecuniam vel depoſitam, vel ex bonorum venditione redactam, inter Creditores, juxta ipſorum prærogativam aut æqualitatem, diſtribuit, nec, pro opera ſua, aliquid inde detrahere poteſt, niſi conſvetudo vel lex ſcripta id permittat.

§. 4. Creditores, eodem proceſſu, tam inter ſe, quam cum debitore, diſceptare, ac jura ſua deducere tenentur. Citatus tamen ac, ob contumaciam, præcluſus creditor, nihilominus, contra debitorem, ſalvam habet actionem etiam cambialem, ſed finito concurſu: Nam excluſio ſaltem reſpicit utilitatem reliquorum creditorum comparentium, hinc emanens, ex maſſa concurſus quidem nihil accipit, jure tamen, erga debitorum, non privatur. Quodſi ejus jus, ex actis ſit liquidum, ne quidem à concurſu excludi poteſt *v.* DN. RIVIN. *ad O.P.S. tit. 41. Enunc. 1. ſeqq. 25.*

§. 5. Moto concurſu univerſali, exactiones particulares ceſſare, omnesque creditores ad forum concurſus remitti debent. Si creditor, à debitoris ſui debitore, extra territorium degente, debitum exegerit. maſſæ concurſus, illud inferre, vel minimum, eo nomine, cavere tenetur, quod tamen de caſu, quo creditor foro concurſus, aliquo modo, ſubeſt, intelligendum eſſe, facilè liquet. Poſtea generali ſententia, inter Creditores fit diſtributio, ſingulisque ſuum exſolvitur. Si quis tamen præcæteris habeat prærogativam, re judicata jam agnitam, is, non expectata omnimoda diſtributione, ſuum recte exipit *v.* RIVIN. *d. l. enunc. 15. ſeqq.*

§. 6. Uti autem contra debitores, in fraudem creditorum, do-

loſe quid molientes, inquiſitio etiam inſtitui poteſt *v.* RIVIN. *d. l. enunc. 26.* ita non ſatis liquet, utrum repudiatio hæreditatis, fraudem involvat, adeoque illicita & invalida ſit, nec ne? Jure civili, fraudis expers eſt, qui non acquirit *l. 6. pr. §. ſeqq. de his quæ in fraud. cred.* niſi acquiſitionis omiſſio reſpiciat fiſcum *l. 45. pr. de jur. fiſc.* quoad hunc enim, *in omnibus* (ſcilicet modis, qui fiſco obſunt) *fraus punitur*, ut ait Paulus, qui adeo hac locutione, ad omnes debitores, non reſpexit, ut quidem eum explicant *v.* DN. THOMAS. *in not. ad* HUBER *poſit. ff. de his quæ in fraud. cred. n. 7. add.* DN. BERGER *ad* LAUTERB. *d. tit.*

§. 7. Alii diſtingvunt inter hæreditatem *deferendam*, & *delatam*, illam, ſine fraude, repudiari poſſe, non hanc, exiſtimantes CARPZ. *Deciſ. 161.* quæ ſententia, contra priorem, in Electoratu Saxoniæ, videtur prævaluiſſe *v.* RIVIN. *d. t. 41. enunc. 16.* BERGER *ad* LAUTERB. *de his quæ in fraud. credit.* Quidam, cæteris rigidiores, etiam repudiationem hæreditatis deferendæ, improbant *v.* SCHILT. *ad ff. exercit. 46. th. 53.* Sed prima ſententia, ab æquitate non abludit, hinc regulariter merito ſervatur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1074.*

§. 8. Circa eam vero, quidam hanc commendant cautelam, ne debitor hæreditatem alii *cedat*, ſed ut potius ſimpliciter eam *repudiet*, cum ceſſio & juris acquiſitionem, & acquiſitionis confeſſionem involvat, adeoque in præjudicium creditorum fieri nequeat *v.* Dn. BERG. *d. l.* Enimvero uti certum eſt, quod hæreditas, revera acquiſita, aliis cedi nequeat, ita, ex ſolo ceſſionis nomine, talem acquiſitionem ſequi, aut, in præjudicium cedentis, aſſerendam eſſe, haut crediderim, cum non *hæreditas acquiſita*, ſed *jus eam acquirendi*, alteri cedi queat, quo ſenſu ceſſionem, cum repudiatione, coincidere, manifeſtum eſt, quo etiam reſpicit præjudicium *A. 1690.* apud DN. RIVIN. *d. tit. 41. enun. 16.*

§. 9. Debitores, imminente concurſu, ſecedere, ac de ſalvo conductu, vel ab Imperante, vel creditoribus, obtinendo, ſolliciti eſſe ſolent. Sed difficulter, & non ſine temporis ſumtuumque diſpendio, utplurimum ille obtinetur, ut ſatius ſit, ſi debitoribus obæratis, ipſo jure, ad certum tempus, concederetur, ſic & hi ſæpe à

ruina

ruina præſervari, & creditores plenius, ſuum conſequi poſſent. Aliquando Creditores debitori inducias concedunt, quod etiam, à majori parte, fieri poſſe cenſetur *l. fin. C. qui bon. ced. poſſ. junct. l. 7. §. fin. l. 8. 10. ff. de pact.* Creditoribus tamen cambialibus, in Electoratu Saxoniæ, majora non obſunt *v.* RIVIN. *d. tit. 41. enun. 14.* Majoris efficaciæ ſunt induciæ, ab Imperante impetratæ, quæ tamen temere concedi non debent.

§. 10. Exiſtente concurſu, Curator bonorum *l. 48. de admin. & peric. tutor. l. 23. §. 2.3. de H. I.* ſive litis, juxta uſum hodiernum, conſtitui ſolet, vel à Magiſtratu competente *l. 2. de curat. bon. dand.* vel à creditoribus in poſſeſſionem miſſis *l. 8. 9. ex quib. cauſ. in poſſ. l. 8. §. fin. l. 14. 15. de reb. autor. jud. poſſ. l. fin. de curat. bon. l. 9. de curat. furioſ.* Sed hoc ultimum hodie non videtur obtinere, & crediderim, ipſum potius debitorem, poſſe conſtituere curatorem litis. Debitore mortuo, Curator non conſtituitur, antequam hæredes declaraverint, quod hæreditatem defendere nolint *v.* RIVIN. *d. tit. 41. enun. 6.*

§. 11. Curatores litis eſſe poſſunt, qui non prohibentur, quales ſunt mulier & minor *l. 9. de curat. furioſ.* Plerumque uni ex creditoribus hoc munus, jure civili defertur *l. 2. §. 4. de curat. bon. l. 8. 9. ex quib. cauſ. in poſſ.* Sed hodie Advocatis illud concedi ſolet. Invitus ad id nemo cogitur *l. 2. §. 3. de cur. bon. l. 4. C. de bon. autor. jud.* licet ſit hæres defuncti curatoris *l. 9. de curat. furioſ.* de quo hodie non valde laborandum, cum non declinari, ſed, ob ſpem ſalarii, ambiri munus illud ſoleat. Antequam Curator adminiſtret, inventarium conficere *l. 15. de reb. autor. jud.* ſatisdare *l. 3. C. de poſtlim. rever.* & de fideli adminiſtratione jurare debere dicitur *l. 27. C. de epiſcop. audi. v.* LAUTERB. *C. J. de curat. bon.* Sed illa nec ſatis certa ſunt, nec ad nudum Curatorem litis quadrant.

§. 12. Curator conſtitutus bona cuſtodire, ac, in utilitatem creditorum, diſtrahere debet *l. 48. de admin. tutor. l. fin. de curat. bon.* Sed hæc officii pars, vel nunquam, vel rariſſime in Curatoribus litis hodiernis, occurrere videtur. Horum potius eſt, jura debitorum defendere, adeoque tam agere, quam actiones excipere, id quod etiam jure civili obtinuit *v. l. 7. §. 11. 12. ex quib. cauſ. l. 14. de*

reb. autor. jud. poſſ. l. 1. §. f. l. 2. §. 1. de curat. bon. Pluribus conſtitutis, ſinguli in ſolidum agere & conveniri poſſunt *l. 2. §. 2. l. 3. de curat. bon.* de quo uſus fori, hodie conſulendus eſt.

§. 13. Poteſt etiam Curator litis, actorem vel procuratorem conſtituere *l. 11. C. de procur.* qui vel mandato inſtructus eſſe, vel, eo deficiente, nomine Curatoris, cavere debet *l. 2. §. 1. de curat. bon. l. 9. rem rat. hab.* de quo itidem fori obſervantia erit ſpectanda. De juribus Creditorum conſervandis, Curator non debet eſſe ſollicitus, hinc fruſtra contra creditorem, qui ſibi, in præjudicium cæterorum, de ſolutione proſpexit, actionem intendit *v.* RIVIN. *d. tit. 41. enun. 18.*

§. 14. Peracta adminiſtratione, ad exemplum aliorum Curatorum, etiam Curator bonorum obligatur ad rationes *arg. l. un. C. de ratiocin. oper. publ. l. 1. §. 3. de tutel. & ration.* ad reſiduum *l. 8. §. f. de liber. legat. l. 45. §. 12. de jur. fiſc.* & ad damnum reſarciendum *l. 9. §. f. de reb. autor. judic.* tacita tamen hypotheca, in bonis ejus, creditoribus non competit *v. l. 22. §. 1. eod.* Creditores quoque, pro caſuum diverſitate, Curatori, actione mandati, vel negotiorum geſtorum tenentur *v. l. 22. §. 10. mand.* LAUTERB. *C. J. de curat. bon. lit. E.* Sed, hæc quoad Curatores litis, nullius vel exigui uſus eſſe, ex præcedentibus intelligitur.

§. 15. Cum debitorum bona plerumque Creditoribus non ſufficiant, hinc de alia ſatisfactione, ſolent eſſe ſolliciti. Jure *civili* obtinet *Ceſſio bonorum*, qua debitor, ſine dolo malo obæratus, omnia ſua bona, creditoribus ſponte relinquit, ut ipſis exinde, quantum fieri poteſt, ſatisfiat, ac ille à carcere liberetur *l. 1. ſeqq. C. qui bon. ced. poſſ.* Facta ceſſione, debitor ratione reſidui manet obligatus, in bonis tamen poſtea quæſitis, ratione priorum creditorum, habet beneficium competentiæ *l. 4. 6. de ceſſ. bon. l. 3. C. de bon. autor. judic. poſſ.* Fidejuſſoribus exceptio ceſſionis non prodeſt *§. fin. I. de replic.* neque enim obligatio debitoris tollitur, quo caſu etiam fidejuſſores liberantur *l. 43. de ſolut.* ſed ſaltem ſuſpenditur *add.* LAUTERB. *C. J. de ceſſ. bonor.*

§. 16. Sed cum illud ceſſionis beneficium, nimis ſit macilentum, ideo raro debitores eodem utuntur, quin tamen illo, poſitis re-

requiſitis, uti queant, dubium non eſt, nam ipſa æquitas exigit, ut debitores, ſine ſua culpa obæratos, ceſſione defungi patiamur, nec eos inclementius tractemus. Neque admittenda eſt illorum ſententia, qui ceſſionem, in multis locis, introducto carcere publico, abrogatam eſſe cenſent *v.* LAUTERB. *d. l. in fin.* CARPZ. *p. 2. C. 22. D. 12.* malitioſi enim decoctores, quibus beneficium ceſſionis non competit, carcere ſaltem coercentur *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1054. ſeqq.*

§. 17. Hodie igitur debitores *tranſactione* ſibi proſpicere ſolent. Ea vero vel cum *creditoribus ſigillatim* initur, quæ aliis non obeſt, vel *conjunctim cum majore creditorum parte*, per hanc, cæteros quoque obligari, ex rationibus juris Romani defendit CARPZOV. *p. 2. C. 22. D. 27. 28.* Sed non ſatis probat. Ex ſtatuto tamen Lipſienſi, illa ſententia obtinet, modo creditores, non tam numero, quam quantitate majores, & diſſentientibus, jure æquales vel potiores, tranſactionem judicialiter ineant, ac debitor omnia ſua bona, libros ac rationes, nec non Creditores jurato indicet *Leipz. Handelsgerichts Ordn. §. 25.*

§. 18. Creditor tamen cambialis per majora obligari nequit, quemadmodum etiam Creditor, tranſactioni contradicens, finito concurſu, debitum exigere poſſe videtur *v.* Dn. RIVIN. *d. tit. 41. enun. 9. ſeqq.* In genere vero, quoad hanc tranſactionem præſupponendum, quod debitor, ſine fraude, obæratus eſſe debeat, id quod tamdiu præſumendum videtur, donec contrarium creditores docuerint, hoc autem cum difficulter fieri queat, ideo, inter mercatores, raro, ex hoc capite, tranſactio impeditur.

§. 19. Olim debitores, ad obſtagium ſe obligare ſolebant *vid.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 7. c. 26.* quem in modum, Carolum IV. ſe etiam Civibus quibusdam Spirenſibus, obligaſſe refert FUCHS *ad* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 42. in fin.* Aliquando etiam debitores creditoribus, ad manus & vincula, *an hand und halffter*, tradebantur, quo ſcilicet ipſis, ſerviendo, ſatisfacerent. Sed uterque ille modus, in Saxonia Electorali, introducto carcere publico, ſublatus eſt *p. 2. Conſt. 22. O. P. S. tit. 52.* Obligatio tamen ad carcerem, ſanctione illa, non videtur improbari *v.* CARPZ. *p. 2. C. 22. D. 30. 31.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 52. enunc. 6.*

§. 20.

Digitized by Google

§. 20. Decoctores, in Electoratu Saxoniæ, debent (1.) geſtare, per aliquod tempus, pileum flavi coloris *Reſol. Grav. de anno 1661. tit. von juſtitien ſachen §. 78.* (2.) à mercatura, & aliis officiis publicis excluduntur *Ordin. judic. mercat. Lipſ. art. 22.* (3.) ad inſtantiam Creditorum, carceri publico includuntur. Ut autem hoc recte fiat, cauſæ cognitio præcedere debet, in qua de duobus diſquirendum, num debitor ſit inidoneus; & annon, deficientibus bonis, aliæ occurrant cauſæ, à carcere liberantes.

§. 21. Idoneus adhuc eſt debitor (1.) qui res vel nomina idonea offerre poteſt (2.) qui habet fidejuſſorem idoneum *v. l. 27. §. 2. de fidejuſſ.* (3.) qui idonee cavet, non per juramentum, niſi creditorum conſenſus accedat (4.) qui inducias à majori Creditorum parte, obtinuit *v.* CARPZ. *p. 2. C. 22. D. 29.* Inidoneum vero à carcere liberant (1.) infortunium (2.) ætas (3.) ſcientia creditoris, cum obærato contrahentis (4.) Sexus (5.) beneficium competentiæ adeoque (6.) dignitas *v.* CARPZ. *d. l. D. 17. ſeqq.* (7.) tranſactio (8.) ceſſio bonorum, à creditoribus admiſſa (9.) qualitas debiti & ſimilia *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 52. enunc. 9. ſeqq.*

§. 22. Hæc omnia, in certo termino, diſcutienda ſunt, & ſi quid in facto dubium ſit, debitori ordinaria probatio non conceditur, ſed judex ipſe, in facti veritatem, inquirere tenetur. Ratione idoneitatis, ipſe judex etiam pronunciare poteſt, ſed quoad cauſas, à carcere liberaturas, reſponſum collegii juridici impetrari debet. De cætero exceptiones dilatoriæ Leuteratio & Appellatio hic ceſſant.

§. 23. Quodſi nihil, in ſui defenſionem, afferre queat debitor, ad carcerem condemnatur *v.* RIVIN. *d. tit. 52. enun. 7. §.* Si in termino emaneat, prævia Creditoris cautione, literis arreſtatoriis aliisque mediis ejus captura intenditur. Aliquando etiam, ſine prævia cauſæ cognitione, ſtatim in carcerem conjicitur debitor, ſi nempe de fuga ſit ſuſpectus, quo caſu tamen Creditoris cautio, de impenſis, & judicis indemnitate, præcedere debet; aut notorie ſit inidoneus & inexcuſabilis *v.* RIVIN. *d. l. enunc. 13.*

§. 24. Debitor incarceratus ſe ipſum alere tenetur, deficientibus bonis, eleemoſynis collectis ſuſtentandus eſt, ſed hoc vix obtinet; Quamobrem creditores potius alimenta præſtare, eoque nomine

mine cavere debent *v.* CARPZ. *p. 2. C. 22. D. 22.* Aliquando etiam, ad petitionem creditorum, debitor in ergaſtulum detruditur, quo labore ſuo alimenta ſibi paret. Alimentis æquiparatur pecunia, præfecto carcerum ſolvenda *das Sitzegeld v.* RIVIN. *d. l. enunc. 14. 15.*

§. 25. Poſitis autem requiſitis, tam debitor principalis, etiam Advocatus *v.* RIVIN. *d. l. enun. 12.* quam fidejuſſor incarcerari poſſunt, hæres tamen debitoris, qui inventarium confecit, vel juratam edidit ſpecificationem, à carcere immunis eſt CARPZ. *p. 2. C. 22. D. 20.* Decernitur autem carcer contra ſubditos Saxonicos, etiam temporarios *v.* CARPZ. *d. l. D. 26.* non tantum ad inſtantiam aliorum ſubditorum, ſed & exterorum, modo horum Magiſtratus, literis reverſalibus, parem promtitudinem, in caſu ſimili, promittat, RIVIN. *d. tit. §2. enunc. 16.* De cætero carcer, ad minuendum debitum, non prodeſt CARPZ. *d. l. D. 8.*

§. 26. Aliquando carcer non in pœnam imponitur, ſed ut medium executionis adhibetur, nempe in cauſis cambialibus, quo caſu Creditor quoque alimenta aliasque impenſas, in ſubſidium præſtare, eoque nomine, judicem ſecurum reddere tenetur, modus autem alimentorum, pro conditione perſonarum definiri ſolet. In aliis cauſis civilibus incarceratio, ad obtinendam ſolutionem, non ſtatim adhibetur, niſi debitor de fuga ſit ſuſpectus *v.* RIVIN. *d. tit. §2. enunc. 1. ſeqq.*

§. 27. Quidam debitores habent beneficium competentiæ, vi cujus neceſſaria alimenta retinere poſſunt *l. 16. ſeqq. de re judic.* modo ex dolo non ſint obligati *l. 22. §. 1. l. §2. eod. l. 21. §. fin. rer. amot. v.* NERGER *diſſert. de benef. compet. hab. Witteb. 1663.* Tale beneficium etiam tribuitur civitatibus municipalibus, quæ ſolvendo non ſunt, adeo, ut, antequam creditoribus ſatisfiat, tantum ex facultatibus ſeparandum, quantum ſalariis, aliisque ſumtibus, ad conſervandum publicæ rei ſtatum neceſſariis, præſtandis requiritur *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 41. enunc. 20.*

CAPUT IX.
DE ACTIONE PAULIANA.

SUMMARIA.

Actionis Pauliana natura §. 1.
Causa efficiens §. 2.
Fundamentum §. 3.
Requisita §. 4.
Subjectum §. 5.
Objectum §. 6. 7.
Duratio §. 8.
Et usus hodiernus §. 9.
Si actionem Paulianam ad aliam debitoris fraudem, quam quæ alienatione fit, extendamus, ejus usus hodie est frequens, sed non opus est illa extensione §. 10.

§. 1.

CIrca debitores obæratos etiam occurrit *Actio Pauliana*, in qua explicanda interpretes varie sentiunt. Sed, ut mihi quidem videtur, hoc nomine significatur *Actio vetus, quæ ex jure debitoris reali, vel personali, quod is, in fraudem creditorum, transferre vel remittere voluit, à Creditoribus volentibus in possessionem missis, suumque, ex residua bonorum massa, plene non consequentibus, instituitur, ad res, cum sua causa, revocandas, ab iis, qui ex titulo lucrativo acceperunt, indistincte, oneroso, non aliter quam si fraudis fuerint conscii.*

§. 2. Censetur hanc actionem Prætor Paulus introduxisse *v. l. 38. §. 4. de usur. l. 1. §. 1. quæ in fraud. creditor.* Sed ille nihil novi constituit, verum, jura debitoris non obstante alienatione adhuc superesse, saltem ostendit, adhibito forte restitutionis schemate, ac data peculiari agendi formula. Juxta intentionem debitoris, jura sunt amissa, sed, juxta veritatem, adhuc supersunt, ex quo liquet etiam, Prætorem hic nihil finxisse, quæ nonnullorum est doctrina, sed veritatem saltem, ab ineptiis stricti juris, vindicasse.

§. 3. Descendit hæc actio ex dominio §. *6. I. de action.* usufructu aliave servitute *l. 3. §. 1. l. 4. quæ in fraud. creditor.* pignore *l. 2. 18 cod.* ut & jure personali *l. 1. in fin. l. 3. §. 1. l. 10. §. 14, 15. 22. l. 17. cod.* adeoque pro casuum diversitate, est rei vindicatio, confessoria, hypothecaria, vel actio aliqua personalis. Ex quo liquet, Juris-

risprudentiam, nomine actionis Paulianæ, non valde indigere, sed illud, extricis fori Romani, habere originem.

§. 4. Ut autem actio locum habeat, requiritur, ut debitor doloso, gerendo vel non gerendo, patrimonium diminuerit *l. 1. §. 2. l. 3. §. 1. 2. l. 4. 5. quæ in fraud. cred.* Dolus vero ex intentione *l. 6. §. 8. 9. l. 17. §. 1. eod.* & eventu æstimatur *l. 10. §. 1. eod.* ac ab allegante probandus est *l. 1. C. eod. v.* PERETZ *ad C. d. tit. n. 10.* Acquisitionis omissio, regulariter in fraudem non incidit *v. cap. præc. §. 6. seqq.* In accipiente quoque dolus requiritur, si titulo oneroso aliquid consecutus sit *v. l. 6. §. 8. 11. l. 9. 10. §. 2. quæ in fraud. cred. l. 5. C. eod.*

§. 5. Datur hæc actio creditoribus volentibus *l. 6. §. 9. quæ in fraud. cred.* præcipuè post venditionem bonorum residuorum *l. 10. §. 1. ff. l. 1. 5. C. quæ in fraud. cred.* Datur etiam curatori bonorum *l. 1. pr. eod.* quatenus scilicet ille non debitoris, ut hodie, sed Creditorum vices sustinet. Debitori vero aut ejus hæredibus illa non competit *l. 4. C. eod.* Instituitur contra eos, in quos aliquid alienatum, eorumque successores *l. 10. §. fin. l. 11. eod.* & quidem si titulo lucrativo aliquid consecuti sint, indistincte *l. 6. §. 11. h. t.* si oneroso, quando fraudis fuerunt participes *l. 10. §. 2. l. 5. C. h. t.* quo casu pretium in bonis existens, ipsis restituitur *l. 7. 8. eod.*

§. 6. Revocantur alienata, & in casu habili etiam fructus, non tantum, qui alienationis tempore rei cohæserunt, aut, post inchoatum judicium, percepti sunt, sed & temporis medii *l. 10. §. 22. quæ in fraud. creditor.* Licet enim hos restituendos neget JCtus in *l. fin. §. 4. eod.* ideo quod *in bonis fraudatoris non fuerint*, attamen cum illa ratio saltem ad jus strictum pertineat, cujus nullus solet esse effectus, hinc sententiæ illi, in foro autoritatem tribuere non licet.

§. 7. Sortis dolose remissæ usuras, actione Pauliana, quoque exigere licebit, modo, jure Romano, sortem usurariam supponas *l. 10. §. 22. h. t.* quæ restrictio, etiam juxta æquitatem, obtinet, largius tamen secundum hanc sors usuraria æstimatur. Quodsi fiscus pecuniam à Creditore, qui sibi vigilaverat, ac mature eam exegerat, jure plane singulari repetat, tum usuræ præstari non debent *l. 18. §. fin. l. 19. de jur. fisc.* ex quo regulam constituere non licet *v.* LAUTERB. *C. J. quæ in fraud. cred. lit. P.*

§. 8. Actio Pauliana, anno utili, poſt venditionem bonorum computando, præſcribitur *l. 6. §. fin. l. 10. §. 1. 18. 24. ff. l. 1. 5. C. h. t.* Ex quo ſequi videtur, quod illa demum, diſtractis bonis, inſtitui queat *v.* LAUTERB. *C. J. h. tit. lit. J.* PERETZ *ad C. eod. n. 3.* Sed cum, hac mora, actio facile poſſit inanis fieri, ideo malim dicere, quod etiam, ante diſtractionem bonorum, illa inſtitui poſſit, minimùm ad hoc, ut ratione rerum, apparente fraude reſtituendarum, Creditores ſecuri reddantur.

§. 9. Videtur igitur actio Pauliana pertinere ad alienationem voluntariam, qua ſcilicet debitor in eos, quibus obligatus non eſt, aliquid transfert. Hoc ſi admittas, exiguum ejus & olim, & hodie fuiſſe & eſſe uſum, inde conſequitur: Debitores enim obærati, in alios gratis quid non facile transferunt, venditio vero fieri quidem ſolet, ſed ſæpe in emtores ignorantes, ac doli non temere convincendos. Quodſi ponas, actionem hanc, diſtractis demum bonis, inſtitui poſſe, tum plerumque etiam erit inanis *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1070. ſeqq.*

§. 10. Illud frequenter contingit, ut debitores, imminente concurſu, bona quædam amoveant ac occultent, ut &, quod creditores tam hæc, quam alia, perſequi, ac arreſto vel inhibitionibus conſtringere, inprimis vero, concurſu formato, id agere ſoleant, ne maſſa bonorum diminuatur, aut particulariter uni alterive Creditori quid ſolvatur. Ad hos caſus ſi extendere velis actionem Paulianam *v. l. 6. §. 7. l. 10. §. 16. l. 24. quæ in fraud. Credit.* tum ejus ſane frequentior erit uſus. Sed non opus eſt illo nomine, cum Creditores illa omnia, ex ſuo jure, agant, qui enim jus exigendi habet, ille, imminente diſſipationis periculo, etiam executionem mature ſibi velut pignerari poteſt *add.* STRUV. *diſſert. de Pauliana hab. Jen. 1675.*

CAPUT

CAPUT X.
DE PEREGRINATIONIBUS.

SUMMARIA.

Peregrinationum neceſſitas, natura & varietas §. 1. 2.
Longinquarum utilitas & damnum §. 3.
Circa politicas perogrinationes diſtingvendi ſunt homines §. 4.
Idoneis peregrinationes recte permittuntur ſed non incautæ juventuti §. 5.
Peregrinationibus ſimilia ſunt commercia literarum §. 6.
Quæ de rebus novis ſæpe inſtituuntur §. 7. 8.
Peregrinationibus & literarum commerciis inſerviunt Poſtæ §. 9.
Harum varietas §. 10.
Et inſtitutio §. 11.
Poſtarum germanicarum protector & præfecti §. 12.
Præfectorum provincialium aliorumque officialium conſtitutio & officium §. 13.
Inter præfectos poſtarum & peregrinatores initur contractus locationis §. 14.
Curſorum habitus & officium §. 15.
Curſus publici privilegia §. 16.
Officiales & cauſæ poſtarum cui jurisdictioni ſubſint §. 17.
In uſum peregrinationum etiam vehicula & navigia privata exercentur §. 18.
Principium generale quoad peregrinantes in via publica ſibi occurrentes §. 19.
Applicatur illud vel ad retroceſſum vel ſimplicem ceſſionem §. 20.
Retrocedere tenetur qui colliſioni cauſam præbuit §. 20. 21.
Aut, ceſſante culpa, qui ſine minori incommodo hoc facere poteſt §. 22.
Quod etiam circa ſimplicem ceſſionem obſervandum §. 23. 24.
Officium negligens ad damni reſtitutionem & tenetur §. 25.
Vehiculum antecedens nec ſequenti cedere, nec ejus tranſitum impedire debet §. 26.
Regulis humanitatis ſe adſtringi non patiuntur potentes §. 27.
In itinere maritimo de ſubmiſſione velorum ſæpe certatur §. 28.
Ejus uſus & abuſus §. 29.

§. 1.

PEregrinationum, in vita civili, maximus eſt uſus, de quibus, juxta *c. 1. §. 1.* indicium, jam breviter agendum eſt. Peregrinationis nomine intelligi *locorum exterorum viſitationem*, in vulgas quoque eſt notum, de cætero variè illa diſtingvi poteſt (1.) à loco, qui aditur, eſt *brevis*, vel *longinqua* (2.) à locis per quæ tranſeundum, *terreſtris* vel *maritima* (3.) à cauſa, eſt vel *voluntaria*, quæ ultro, vel *neceſſaria*, quæ ex obligatione ſuſcipitur, veluti à Legatis, militibus imo & iis, qui ob delictum alio migrare debent. Talis tamen, ratione Imperantis, poteſt eſſe voluntaria.

Digitized by Google

§. 2. Inprimis (4.) à fine, eſt *æconômica*, quæ præcipue utilitatis pecuniariæ, *politica*, quæ cognitionis, & *voluptuaria*, quæ recreationis cauſa inſtituitur. Primi generis peregrinatio, à mercatoribus, aurigis, ac iis, qui, apud exteros, operis ſuis rem facere intendunt, inſtituitur, quo etiam referri poſſunt, quos quæſtus bellicus, huc illuc, per varios Orbis trahit angulos. Secundi generis, vel ad comparandam prudentiam politicam *vid.* CONRING. *diſſert. de prudent. peregr.* vel acquirendam morum elegantiam, vel excolendam rem literariam, inſtitui poteſt. Tertii generis exempla, in peregrinatione brevi occurrunt, nam quoad longinquam, recreatio acceſſorii ſaltem rationem habere debet.

§. 3. Uti autem peregrinationibus brevioribus, quæ, ex loco aliquo, in vicinum alium ſuſcipiuntur, nulla Respublica carere poteſt, ita num longinquæ, civitatibus utiles, vel noxiæ ſint, non immerito quæritur? Sed diſquiſitio illa, ad Juris diſciplinam non præciſe pertinet, hinc paucis jam defungi licebit. De peregrinationibus, quæ ob commercia ſuſcipiuntur, vel in pœnam imponuntur, ex cauſa ſua ſtatuendum eſt: Stipendia apud exteros mereri, inutile cenſeri non poteſt, ſi Civitas operis ſubditorum non indigeat: Solius voluptatis cauſa peregrinari, utile nemo dixerit.

§. 4. De politica ergò peregrinatione quæſtio ſupereſt. Licet vero Lycurgi rigor, quo cives peregrinari prohibuit, ad advenas, in urbem irrepentes abegit, ut & ſententia Platonis, qua neminem, niſi quinquagenarium, inter alienigenas verſari permiſit, probari forte non debeant *v.* CONRING. *d. diſſert. §. 9.* attamen nec promiſcua peregrinatio Reipublicæ utilis exiſtimari poteſt. Quare diſtingvendum videtur, utrum peregrinationes *hominibus idoneis & moderatis*, an *incautæ ac in vitia proclivi juventuti* indiſtincte permittantur.

§. 5. Prius omnino utile cenſeri debet, quo aliorum populorum mores, vitia, Studia ac Status politicus hac ratione propius cognoſcantur; ſed poſterius noxium, ac magnum Reipublicæ morbum arguere dicendum eſt: Nam ſæpe id, quod expetitur, tanti non eſt, ut tam carè redimi debeat, plerique peregrinatores, ad acquirendam illam notitiam ſunt inidonei, non paucis etiam deeſt occaſio, cogni-

cognitione acquiſita utendi, hinc, in ſpem futuræ oblivionis, ſaltem aliquid diſcunt. E contrario damna ſunt ſæpe certa; jactura pecuniæ, inutiliter prodactæ, vitiorum vanitatumque externarum aſſumtio & ſimilia, quæ quidem eò majori cum effectu ſe exſerunt, quo major peregrinantium domi forisque eſt libertas.

§. 6. Minus ſumtuoſa peregrinatio eſt, quæ per literas inſtituitur, qualia commercia, de omnis generis materia, rem familiarem, literariam vel publicam concernente, inſtitui poſſe, manifeſtum eſt. De cætero officia hic obſervanda, fere eadem ſunt, quæ circa ſermonem in genere occurrunt, quæque, pro temporum perſonarumque diverſitate, nonnunquam variant. Præterea prudentia literarum commercia ita inſtitui jubet, quo finem intentum conſequamur, ac ne ingenua nimis veritatis profeſſione, malum nobis attrahamus, non enim omnia, quæ licent, expediunt.

§. 7. Inprimis literarum commercia, de rebus novis, inſtituuntur, circa quæ, uti generalia ſocialitatis & prudentiæ dictamina quoque obſervari debent, ita multa præterea lege poſitiva definiuntur. Nam cura rerum novarum, ſpecialius quibusdam injungi ſolet *v.* HÖRNICK *de jur. poſt. c. 15. th. 32. ſeqq.* Aliquando novellarum communicatio prohibetur, eoque fine literæ privatorum antea perleguntur; Nonnunquam nuncius, parum acceptus, ſupprimitur, vel læti publicatio, antequam Imperans illum reſciverit, inhibetur.

§. 8. Non inſolitum quoque eſt, ut literæ privatorum, novellarum cauſa, aperiantur, quod moleſtius rerum novarum aucupium, falſis relationibus quandoque deluditur. Aliquando etiam præmia aut pœnæ, nunciis & autoribus novorum eventuum decernuntur *v. l. 1. C. publ. lætit. vel conſ. nuntiat.* Illud non obſcurum eſt, quasdam hujus generis ſanctiones, dominatum redolere, ex cujus principiis quoque, adulatio veritatem rerum geſtarum nimium quantum ſæpe corrumpit *add.* DN. STRYK *diſſ. de jur. novell. hab. Kilon. 1697.* DN. MENCKEN *diſſert. de eo quod juſt. eſt circ. teſtin. Hiſtor. ſub præſ.* DN. BODIN. *hab. Hal. 1701.*

§. 9. Peregrinationibus literarumque commerciis inſerviunt *Poſtæ*, quo nomine comprehenditur *inſtitutum, ad transportandos homi-*

homines, res & literas, autoritate publica, ordinatum. Poſtas cenſetur introduxiſſe Cyrus, Rex Perſarum *v.* HORNICK *de jur. poſt. c. 1. ſeqq.* Sed rei, à communi aliqua ratione dependentis, originem, certo alicui homini vix aſſignare licet. Ad poſtarum conſtitutionem, requiruntur homines, equi aliaque inſtrumenta, ac, juxta uſum multarum gentium, curſus publicus, pedibus, equis, curru vel navigio fieri ſolet *v.* HORNICK *d. l. c. 6. ſeqq.*

§. 10. Poſtæ varie diſtingvi poſſunt (1.) ab *inſtrumentis*, in *jumentarias* & *curules* &c. (2.) à *modo eundi*, in *celeres* & *tardas*, (3.) à *tempore*, in *ordinarias* & *extraordinarias*, ac inprimis in Germania (4.) à *cauſa efficiente*, in *imperiales*, vel potius *imperatorias*, quas Cæſar, & *territoriales*, quas Status imperii, in ſuis territoriis, inſtituunt, quæque, ex uſu temporis antiqui, *Neben-* & *Metzgerpoſten*, vocantur *v.* HORNICK *d. tr. c. 19. th. 1.*

§. 11. Poſtarum inſtitutio ad imperium civile pertinet, hinc, in Germania, illas inſtituunt Cæſar, vi *reſervatorum*, ubi hæc obtinent *Capit. Joſeph. art. 34.* verb. *wo dergleichen poſtämbter vorhanden und hergebracht*, & Status imperii, vi *Superioritatis Territorialis v.* SCHWED. *introd. ad Jus publ. p. ſp. Sect. 1. c. 18. §. 9.* Licet vero olim poſtæ imperatoriæ rationem rei principalis habuerint, territoriales vero acceſſionis inſtar fuerint, attamen hodie, facta Reipublicæ mutatione, res potius inverti debet. Qui igitur ad imperatorias præcipuè reſpiciunt *v.* HORNICK *d. tr. c. 3. 5. 9. 19.* illi, niſi temporis ratione excuſentur, omninò errant.

§. 12. Poſtarum imperialium Protector dicitur eſſe Elector Moguntinus, earumque Præfectus generalis, lege feudi, eſt Comes de Taſſis *v.* HORNICK *d. tr. c. 6. th. 2. 3. c. 10. th. 3. c. 15. th. 4. 5.* Tam ſummus autem quam ſubordinati poſtæ Præfecti, jurisdictione domini, in cujus territorio agunt, quoad officium & perſonam eximuntur, præterea etiam poſteriores, à perſonalibus oneribus, quæ antea Magiſtratui ſuo præſtitere, ſunt immunes ac quibusdam aliis gaudent privilegiis HORNICK *d. l. c. 15. th. 6. ſeqq. c. 18. th. 3.* nec dubitandum, quin ſæpe inſolentius illi ſe gerant, quam libertas Statuum permittat *v. Capit. Joſeph. art. 34.*

§. 13. In Territoriis amplioribus, Dominus territorialis Supremum

mum Poſtarum Magiſtrum conſtituere, eidemque Poſtarum reditus, certo pretio, locare ſolet. Ab hujus arbitrio, reliqui Officiales plerumque dependent, præterea diverſas Poſtarum ſtationes, prout viſum fuerit, ille inſtituere poteſt. De cætero officium ejus generaliter in eo conſiſtit, ut ea, quæ ad transportandas perſonas, res & literas requiruntur, in promtu habeat, ac, quo, omiſſa fraude & negligentia, omnia diligenter expediantur, curet, quo fine utile eſt, ut ſcripturæ idoneæ conficiantur, quo de officio rite obſervato, ſi opus fuerit, fides fieri queat *v.* HORNICK *d. tr. c. 15. th. 5. ſeqq.*

§. 14. Inter Poſtarum Præfectos & Peregrinatores, contractus locationis initur, ſive de perſonis, ſive rebus transferendis agatur. Controverſiæ igitur, quæ hic occurrunt, de culpa, damno & ſimiles, ex conſvetis contractus illius principiis ferè ſunt decidendæ. Nonnulla etiam definit lex poſitiva v. gr. quantum ſarcinarum peregrinatoribus ſecum ferre liceat, quam legem ipſi etiam Præfecti obſervare, nec poſtas nimis onerare debent. Pretii definitio arbitrio Imperantis quoque fieri debebat, ſed illa ſæpe voluntati Præfectorum relinquitur. Regulariter etiam cuivis, poſtis uſuro, de rebus neceſſariis proſpiciendum videtur *v.* HORNICK *d. c. 15. th. 38.*

§. 15. Quoad exercitium curſus publici notandum, quod curſores toga, cornicula & ſchedula curſoria inſtrui ſoleant, quæ ultima tamen, circa poſtas territoriales, non adeo uſitata eſt. Officium autem ſuum diligenter curſores obire, ac ſi dolo vel culpa damnum dederint, illud reſarcire, ac inſuper pœnam promeritam excipere tenentur. Quodſi Præfecti Poſtarum culpa concurrat, dum opera malorum vel ineptorum hominum ſciens utitur, ipſum quoque teneri, manifeſtum eſt. *add.* HORNICK *c. 16. 17.*

§. 16. Gaudet etiam curſus publicus quibusdam privilegiis: Nam contra vim externam ſpecialiter munitus eſt; vectigalibus eximitur; noctu adventantibus curſoribus portæ aperiuntur, in quem uſum quandoque portulæ nocturnæ habentur; commodas iis quærere licet vias, nec adeo Regia via iis ſemper utendum;

Peregrinatores curſori publico præcurrere non debent, niſi damnum equi, ex curſu illo mortui, ſubire velint; Curſor, amiſſo equo, quemvis alium ſibi obvium inſilire poſſe cenſetur; Equi curſorii arreſto conſtringi non debent *v.* HORNICK *c. 18.* De quibus omnibus, uſus territoriorum amplius conſulendus eſt *add.* ZIEGL. *de J. M. l. 2. c. 18.*

§. 17. Cui jurisdictioni Poſtarum Præfecti aliique Officiales ſubeſſe debeant, id ex voluntate Domini Territorialis dependet, qui quidem plerumque Præfectis ſuis, *den Amtmännern* eos ſubjicit. Quodſi autem curſor, in via publica, occiſus reperiatur, tum ejus cognitio, non magiſtratui Ordinario, ſed Domino Territoriali tribui ſolet HORNICK *d. tr. c. 21 th. 2. 3.* id quod ex generali principio, quo, in viis publicis, jurisdictio, Regalia habenti, tribuitur, fluit, ac, in Saxonia Electorali, non indiſtincte obtinet *v.* LINCK *de centen. c. 3. §. 5. B.* SCHWENDEND. *diſſert. hab. Lipſ. 1691. de conſerv. viæ publ. §. 13.*

§. 18. In uſum peregrinationum, etiam vehicula & navigia privatis ſumtibus exerceri ſolent, quæ adeo, cum Poſtis, aliquam habent convenientiam *v.* HORNICK *d. tr. c. 19.* Uti autem aurigæ, ejusque generis homines alii, peculiaria nonnunquam formant collegia, de quorum jure & obligatione, Statuta localia conſuli debent, ita res privata vehicularis, certis legibus quoque circumſcribi ſolet, ne Poſtarum exercitio & emolumento illa obſit. De cætero aurigæ delictis abſtinere, ac quæ promiſerunt, fideliter implere debent, hinc controverſiæ, quæ hic occurrunt, ex conſvetis delictorum & contractuum principiis, decidendæ ſunt *v. l. 27. §. 33. ad L. Aquil. l. 13. pr. §. 1. locat.* FELTMAN *de vehic. ſib. obv. §. 61. ſeqq.*

§. 19. Frequenter contingit, ut peregrinantes, in via publica, ſibi invicem occurrant, tum adeo quæritur, uter retroire, vel cedere teneatur? Quæ res, ex regulis æquitatis, ita definienda eſt, ut is, qui, culpa ſua, colliſioni anſam præbuit, vel, hac ceſſante, qui minore cum incommodo id facere poteſt, alteri cedat, ille tamen vice verſa, quantum fieri poteſt, cedentem adjuvet: In pari au-

autem causa, utrique cessionis officium æqualiter incumbat, nisi forte personalis aliquis respectus, uni in solidum illud imponat, quam æquitatis regulam fere confirmavit jus Saxonicum *v. Landr. l. 2. art. 59.* LEISER *Jus Georg. l. 3. c. 32. n. 4.*

§. 20. Circa applicationem, in universum duo casus videntur distingvendi, vel enim (1.) via est nimis angusta, vel (2.) satis quidem ampla, sed ad transeundum non ubique commoda, illo casu de retrocessu, hoc, de simplici cessione quæritur. Primo igitur casu, ille retrocedere tenetur, qui culpa sua collisioni ansam præbuit. V. gr. si lege vel consvetudine cautum sit, ut, qui ad urbem tendunt, superiore, qui ab ea recedunt, inferiore via, vehicula agant, si quis, contra legem, insolitam viam ingressus sit, retroire tenebitur *v.* FELTMAN *de vehic. sib. obv. §. 9.*

§. 21. Eadem culpa subest, si quis, sepositа consvetudine, cum alium viam jam occupasse videret, vel, ex tintinnabulis, equorum hinnitu, aliove signo, intelligeret, nihilominus eandem ingressus sit, nam tum quoque ad retrocedendum erit obligatus. Putem tamen, hoc non tam stricte esse accipiendum, sed, si alter, minori cum incommodo, cedere possit, culpam, hoc & præcedente casu, alteri condonandam, maxime si hic illius retrocessum operis suis promovere velit.

§. 22. Si culpa absit, ex circumstantiis, de necessitate retroeundi, statuendum erit, hinc in via angusta declivi, ille potius retrocedere debebit, qui ascendit, quam qui descendit. Fallere tamen & hoc poterit, si diversitas oneris impositi, aut itineris emensi quantitas, similesque circumstantiæ aliud exigant. Si utriusque hactenus par sit causa, occupantis melior erit conditio, nisi alter sit dignior *v.* FELTMAN *de vehic. sib. obv. §. 14.* sed hoc magis, ex regulis dominatus, quam humanitatis dependet.

§. 23. Secundo casu *v. §. 20.* vi regulæ antea datæ, pedes debet cedere equiti, nisi per lutum, aquam aut paludes ei, si de semita cederet, si eundum *v.* FELTMAN *d. l. §. 44.* Uterque tam pedes quam eques, locum dare debent currui, nisi forte in fuga justa sint constituti, tum currus gradum sistere debet *Landr. l. 2. art. 59.*

FELTMAN. *d. l. §. 48. seqq.* quod exigui usus esse videtur. Currus vacuus cedere debet onerato, & minus oneratus, magis onerato. Carrus currui, ac, hyberno tempore, traha utrique *v.* FELTMAN. *d. l. §. 25.*

§. 24. Si æquale onus sit, tum ex qualitate rerum, quæ vehuntur, ex majori minorive eversionis periculo & damno, nec non jumentorum diverso statu, integrarum illa virium, an delassata sint, de prærogativa statuendum erit. Ex quo capite alicubi receptum est, ut currus ex urbe veniens, cæteris paribus, cedere debeat currui in illam tendenti: Si quis vero per urbem aut pagum, sine refectione jumentorum, iter fecerit, is ad hanc legem non pertinet, licet ita videatur FELTMAN *d. l. §. 24.* Si par utriusque sit causa, tum uterque dimidio orbitæ cedere, vel forte litem dirimere debent *v.* FELTMAN. *d. l. §. 34.*

§. 25. Quod si is, qui orbitam deserere debuit, id non faciat, ac alteri directe vel indirecte noceat, tum illum, & ad damnum resarciendum, &, pro facti qualitate, ad pœnam teneri, satis manifestum est. Quodsi autem, dum cedit, damnum incurrat, pro fortuito illud reputare debet, nec ejus restitutionem, ab altero, petere potest. Si, qui cessionem suo jure ab altero exigere poterat, moræ impatiens, alteri damnum inferat, ad illud resarciendum omnino erit obligatus, si vero contra contumacem, jus suum violenter asserat, id non illicitum videtur, modo excessus absit, cum habeat rationem defensionis necessariæ, licet aliud videatur FELTMANNO *d. l. §. 52.*

§. 26. Vehiculum antecedens, sequenti cedere regulariter non tenetur, sed si hoc festinet, orbita deserta, illud transire potest, neque hoc, tardius incedens, impedire debet; contra quod tamen non raro peccatur, dum ii, qui viam occuparunt, quando transitum, à sequente, parari intelligunt, gradum intendunt, ac, postquam delusum in orbitam rediisse intelligunt, tardius iterum plaustra sua agunt, quos male festinantes cunctatores damni restitutioni & pœnæ subjacere, dubium non est. *add.* FELTMAN. *d. l. §. 31. 32. 99.*

§. 27.

§. 27. Regulis humanitatis hactenus traditis, Potentes se non adeò adstringi patiuntur, sed, ut alibi, ita hic etiam, tenuiores sæpe insultant, inter se vero, ex principiis ambitionis, de cessione decertant, ac non raro vanitatem aliorum ludibrio, eadem opera, exponunt *v.* FELTMAN *d. l. §. 14. 35. seqq.* Atque ex hoc potentiæ fundamento digniorum ut & cursoriis vehiculis plerumque prærogativa tribuitur, licet, eam illis quandoque justè deberi, negandum non sit.

§. 28. Quemadmodum in itinere terrestri, de cessione certatur, ita in maritimo, submissio velorum, *das Segel-streichen*, certamini sæpè ansam præbet. Intelligitur hoc nomine *Ritus navalis, quo navigantes, Urbibus, Castellis, Arcibus, vel aliis Navibus, humanitatis, reverentiæ vel subjectionis causâ, vela submittunt, atque ita illa salutant.* Diverso igitur fine, submissio illa fieri potest, eidemque alii ritus, ut tormentorum explosio, solent accedere.

§. 29. Quodsi illa, ex libera voluntate, præstentur, humanitatis & urbanitatis laudem omnino merentur, sed postquam ad necessitatem retrahi, ac per violentiam, cum hominum internecione, asseri cœperunt, notam inhumanitatis & injustitiæ incurrunt. Ei excludendæ, inter æquales, pacta ineuntur, ac isti rei modus aliquis ponitur, sed, erga imbelles, socialitas impune violatur

add. SIBRAND *dissert. de vetor. submiss. hab. Rostoch. 1691.*

Digitized by Google

CAPUT XI.
DE VIIS PUBLICIS.

SUMMARIA.

Viæ diverſitas §. 1.
Privatæ §. 2.
Et publicæ definitio §. 3.
Via publica eſt vicinalis & regia §. 4.
Illarum proprietas in dubio publicæ cenſeri debet §. 5.
Eſt tamen hujus diſquiſitionis exigua utilitas §. 6.
Via publica deſinit, ſi pagum vel oppidum ingrediatur §. 7.
Quæ tamen aſſertio nec certa nec alicujus uſus eſt §. 8.
Viæ publicæ ad regalia pertinent §. 9.
Conſtituuntur ab Imperante §. 10.
Earum latitudo & conſervatio §. 11.
Sumtus refectionis ex fiſco præſtari debent §. 12.
Aliquando à ſubditis exiguntur §. 13.
In viis publicis ſecuritas præſtanda §. 14. 15.
Ejus procurandæ media §. 16.
Juris conducendi fundamentum §. 17.
Pro ſalvo conductu regulariter nihil ſolvendum §. 18.
Damnum viatoribus illatum eſt reſarciendum §. 19.
Salvi conductus, quoad Principes peregrinantes neceſſitas & ſenſus §. 20.
Jurisdictio in viis publicis ad quem ſpectet §. 21.
Viarum publicarum partem aliquando conſtituunt pontes §. 22.
Ac horum defectum ſupplent pontones §. 23.

§. 1.

FAciendis itineribus, requiri certam aliquam terræ portionem, res ipſa ſatis loquitur. Hæc nomine *Viæ* venit v. FRITSCH. *de regal. viar. public. jure c. 1. n. 1. ſeqq.* quæ diſtingvitur in *privatam*, & *publicam*. Utraque ſic dicitur, vel ratione *proprietatis* & *uſus ſimul*, vel *proprietatis*, aut *uſus tantum*.

§. 2. Primo reſpectu, via privata eſt, *quæ tam quoad proprietatem, quam uſum, ad privatos pertinet, adeoque jure dominii privati, vel ſervitutis habetur v. l. 2. §. 21. ne quid in loc. publ. vel itin. fiat.* Secundo autem reſpectu eſt, *cujus proprietas ad privatos ſpectat, ſed uſus omnibus eſt communis*, quoad hunc igitur, eſt publica *d. l. 2. §. 23.* Hæc iterum eſt vel *agraria*, quæ in agros, vel *vicinalis*, quæ in vicos ducit, hæc ultima tamen aliquando, tam quoad uſum quam proprietatem, eſt publica *d. l. 2. §. 22.*

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. Via publica, juxta primum reſpectum, eſt, *cujus tam proprietas, quam uſus, publica ſunt*, ſive, eſt *portio territorii, ad directum, certis finibus latitudinis, ab eo, qui jus publicandi habuit, ut ea publice iretur, commearetur, relicta. v. d. l. 2. §. 21.* ZIEGLER. *de J. M. l. 2. c. 17. §. 1.* Juxta ſecundum, eſt, *cujus uſus omnibus eſt communis, ſed proprietas, ad privatos, pertinet*, quoad hanc itaque via hæc, eſt privata, ac illa ipſa, de qua §. 2. dictum.

§. 4. Prioris generis via publica, ab *uſus amplitudine*, diſcernitur in *vicinalem*, quæ in vicos aut oppida tantum ducit, & *regiam*, quæ ad exteras regiones tendit. Dicitur etiam Prætoria Conſularis *l. 2. §. 22. ne quid in loc. publ.* & militaris *l. 3. §. 1. de loc. & itin. publ.* quanquam hanc, ab illa, quidam diſtingvant, ſed vel nullum, vel mere Romanum, ac hodie nullius uſus, ſubeſt diſcrimen, hinc etiam nobis viæ publicæ, *Land-* vel *Heerſtraſſen* dicuntur *v.* ZIEGL. *de J. M. l. 2. c. 17. §. 3. 4.*

§. 5. Illud non ſatis liquet, an via vicinalis, quoad proprietatem, potius privata, quam publica ſit exiſtimanda. Ex refectione privata, non poſſe inferri ad proprietatem privatam, docet *l. 2. §. 22. ne quid in loc. publ.* ac vias vicinales, in quibus privatæ proprietatis memoria non extat, publicarum viarum numero eſſe, ait *l. 3. de loc. & itin. publ.* Sed inde non apparet, quid in dubio magis dicendum ſit. Videtur tamen rationibus civilibus conſentaneum, ut proprietas potius publica, quam privata cenſeatur.

§. 6. Fatendum tamen ſimul eſt, nihil vel parum referre, quid tandem hic ſtatuas, nam quando de uſu publico conſtat, proprietas ſola, in ſe ſpectata, nullius effectus videtur, præterea imperium civile, ejusdem, circa vias, eſt efficaciæ, ſive publicam, ſive privatam proprietatem ſupponas, denique refectionis onera, non ſolus fert dominus, ſed, cum uſus ſit communis, æquum eſt, ut communibus impenſis via reficiatur, adeo ut eadem reficiendi ratio ubique videatur obtinere *v. l. 2. §. 22. ne quid in loc. publ.*

§. 7. Viam publicam, extra pagum vel oppidum eſſe, adeoque ſtatim, atque alterum ex illis ingreditur, publicam eſſe deſinere, atque iter dici, aliqui cenſent *arg. l. 1, 3. §. 1. de loc. & itin. publ. l. 1.*

de

de via publ. & itin. publ. refic. maxime cum cura viarum urbanarum, ad magiſtratum pertineat *l. un. de via publ. & ſi quid in eâ fact.* & viæ illæ, rebus univerſitatis annumerentur. Ex quo porro conſequi exiſtimant, quod menſurationem viæ publicæ, ſecundum milliaria, non à porta civitatis, ſed à continentibus ædificiis incipere ſoleant *v.* ZIEGLER. *d. l. §. 6. 7.* FRITSCH. *de viis publ. c. 1. in fin.*

§. 8. Enimvero illa ſententia nec certa, nec admiſſa, alicujus uſus eſt, ob dicta *§. 6.* Inprimis certum eſt, quod viæ urbanæ, imperio civili perinde ſubſint, ac ruſticæ *v. l. 11. 12. C. de ædific. priv.* ZIEGLER. *d. l. §. 8.* Neque etiam ratio menſurationis, à *qualitate viæ urbanæ*, ſed à *jure municipiorum* dependet, nam quando, de diſtantia municipiorum & pagorum, quæritur, utique illa viæ pars, quam municipia continent, excludi, ac ibi menſuratio inchoari debet, ubi jus municipii deſinit, ex quo tamen, vias urbanas non eſſe publicas, inferre vel arguere non licet.

§. 9. Viæ publicæ Regalibus annumerantur *II. f. 56.* quod aliquando de dominio & imperio ſimul, aliquando de hoc tantum, intelligendum eſt. De cætero aſſerti veritas, ex habitu ſocietatis civilis, facilè intelligitur, nam viæ publicæ rectè conſtitui, bene muniri & conſervari, nec non ſecuræ præſtari debent, quæ non niſi à Republica fieri poſſunt *v.* ZIEGLER. *d. l. §. 9.* In Germania igitur jus viarum publicarum, Statibus imperii præcipue competit, Cæſari vero, prout hodiernus eſt Reipublicæ Status, non niſi per modum exceptionis tribui poteſt, licet doctrina quorundam aliò tendat *v.* FRITSCH. *de viis publ. c. 3. 4.*

§. 10. Imperans igitur viam publicam conſtituit, vel conſtitutam mutat, agris quoque privatorum, in hunc uſum publicatis, id eſt commercio privatorum exemtis *v. l. 14. in fin. quemadm. ſerv. amitt.* ZIEGLER. *d. l. §. 10 11.* quanquam alii, per publicationem, intelligant, publico Edicto factam notificationem, ex quo vias publicas, *Baanen* dici exiſtimant, quod per banna indicentur FRITSCH. *d. tr. c. 2. n. 14. 15.* LIMN. *ad capit. Carol. V. art. 22. p. 250.* Non raro etiam ex tacita Imperantis voluntate, ipſo uſu via publica conſtituitur FRITSCH. *d. l. n. 5.*

§. 11.

§. 11. Latitudo viæ, ex usu peregrinantium, & conditione loci, definienda est *v. Landr. l. 2. art. 59.* COLER. *Decis. 237. n. 4.* Definitio latitudinis, quæ in jure Romano occurrit *l. 8. de servit. præd. rustic.* ad vias privatas pertinet, ac conventione partium mutari potest *l. 13. §. 2. eod. add. Weichbild art. 130.* Est quoque via publica, recte munienda & conservanda vel reparanda. Cavendum tamen est, ne temere fiant sumtus, aut sub specie refectionis, via reddatur deterior *v. l. 1. §. 2. de via publ. refic. l. 2. §. 32. ne quid in loc. publ.* Apud Romanos, refectio mancipibus & Viocuris committebatur *v.* ZIEGL. *d. l. §. 12. seqq. §. 17. 18.* FRITSCH. *d. tr c. 14.*

§. 12. Sumtus refectionis, ex fisco, præstari debent, nam, eum in finem, vectigalia exiguntur, hinc etiam Magistratus oppidanus, ad reparationem lithostroti in illa platea, per quam via publica dirigitur, non tenetur *v.* LYNCKER *Decis. Jen. D. 387.* Aliquando Magistratibus inferioribus, vectigalium emolumenta, sub conditione faciendæ refectionis, conceduntur, quo ipso tamen, nec regale vectigalium illi acquirunt, nec pro lubitu suo vectigalia augere possunt, licet reparationi non sufficiant *v. Ord. polit. Saxon. de anno 1612. n. 21.*

§. 13. Quodsi à viatoribus vectigalia non exigantur, vel exacta refectioni non sufficiant, tum hoc onus in subditos cujusque provinciæ redundat. Neque vero soli vicini, quos vetustas *Amsegetes* dixit, sed potius omnes subditi, ad hoc munus obligantur. Jure civili nec Clerici, prædia possidentes, nec domus divinæ, sive Principis patrimoniales, ab eodem eximuntur *l. 7. 8. C. de SS. eccles. l. 4. C. de privil. dom. Aug. l. 8. C. de exact. tribut. l. 14. §. 2. de muner.* Apud Romanos olim sæpæ viæ, privatis sumtibus, ostendendæ magnificentiæ, reficiebantur *v.* ZIEGLER *d. l. §. 19. seqq. add.* FRITSCH. *d. tr. c. 14. n. 14. seqq.* B. SCHWENDEND. *Dissert. de conserv. viæ publ. hab. Lipsi. 1691.*

§. 14. Securitas, in viis publicis, obtinere debet, quæ summatim, in libero tutoque commeatu, consistit. Eam igitur, ex communi Socialitatis principio, dependere, adeoque regulariter omnibus hominibus, tam quoad personas, quam res, deberi manifestum

eſt. Hoſtibus vero profeſſis, delinquentibus, veluti proditoribus, transfugis, prædonibus, Cingaris, bannitis & ſimilibus, denique iis, à quibus periculum imminet, vel qui, ſub ſpecie recti, commodis noſtris inſidiantur, ſecuritas illa recte negatur *v.* FRITSCH *d. tr. c. §. 6. 7. 8.*

§. 15. Ex quibus etiam facile liquet, exercitui advenienti tranſitum recte negari, ſi noxius ſit futurus, ſed innoxius concedi debet GROT. *de J. B. P. l. 2. c. 2. n. 13.* nec putem rationes diſſentientis ZIEGLERI *de J. M. l. 2. c. 17. §. 29.* ſententiam illam evertere. Nam quod (1.) *ea, quæ ex humanitate debentur, extorqueri non poſſe*, nec adeo (2.) *denegantem, dum ſuo jure utitur, alteri injuriam facere*, cenſeat, id utrumque ſupponit id, de quo quæritur: ſi autem (3.) *tranſitus aliquando periculoſius ſit futurus*, tum recte negabitur, ſed id alteri aſſertioni non eſt contrarium. Verum de hoc alibi plenius diſputandum eſt.

§. 16. Quo autem ſecuritas viarum conſervetur, magiſtratibus inferioribus injungendum, quo malis hominibus provinciam purgent *v. l. 3. 4. de offic. Præf. l. 2. C. de offic. Rect. prov. v.* ZIEGLER *d. l. §. 15.* Præterea alendi ſunt milites, qui vias diligenter obequitent, quos ſumtus Imperantem debere præſtare, nec in ſpecie Vaſallos, ad hoc munus, eſſe obſtrictos, communiter putant. Inprimis etiam homines improbi, qui vias reddunt intutas, condignis ſuppliciis ſunt afficiendi *v.* FRITSCH. *de viis publ. c. 13.*

§. 17. Aliquando peregrinantibus datur ſalvus conductus, dum vel literis ſecuritas promittitur, vel comites ipſis adduntur. Quod jus conducendi, imperio civili ineſt, de quo inepte dubitatur ex eo, quod illud *II. f. 56.* non exprimatur. Aliquando tamen, ex privilegio, præſcriptione vel conventione, illud etiam, in alieno Territorio, exercetur, cujus rei origo, ad antiqua tempora pertinet, ac potiſſimum Territoria Statuum, minus potentium, afficit.

§. 18. Pro ſalvo conductu, regulariter guidagium, *glaitgeld*, non eſſe ſolvendum cenſent, niſi, privilegio vel præſcriptione, jus exigendi ſit acquiſitum. Licet vero hæc aſſertio ex *R. J. 1548. §. 20.* ex verbis: *an orten es herkommen*, vix probari queat, attamen admit-

mittenda videtur, cum Dominus Territorialis vias ſecuras præſtare teneatur, adeoque turpe quodammodo ſit, exigere pecuniam, ut officium facias *v. l. 2. §. 1. l. fin. ff. l. 6. C. de condict. ob turp. cauſ.* Si tamen turbulentus regionum, præcipue vicinarum, ſtatus hoc officium reddat moleſtius, à conductis pretium exigere, non erit illicitum, nec privilegii vel præſcriptionis titulus præciſe erit requirendus.

§. 19. Si viatores damnum patiantur, illud reſarciendum erit, ſi promiſſio hoc nomine intervenerit, modo illi etiam hujus terminos obſervaverint *v. R. J. 1559. §. 34. Landr. l. 2. art. 27.* Si vero nihil promiſſum ſit, Dominus territorialis, ex culpa, nihilominus, ad ejus reſtitutionem, tenebitur, niſi culpam abfuiſſe probaverit *v.* ZIEGLER *d. c. 17. §. 16.* Licet enim culpa regulariter non præſumatur, hic tamen circumſtantiæ, neglecti officii Imperantem ſatis arguunt, quas adeo vel elidere, vel læſo ſatisfacere tenetur *add.* FRITSCH *de viis publ. c. 12.* Interim hujus obligationis exiguus, vel nullus, contra potentes, ſolet eſſe effectus.

§. 20. Principem imperii, per alterius territorium, ſine impetrato ſalvo conductu, tranſire non poſſe, cenſent; aliud vero obtinere putant in Cæſare, qui ſalvum conductum impetrare non teneatur, juxta illud: *Kaiſerliche Majeſtät bringt das geleit mit;* Sed illa, ad tempora turbida ac antiquum Reipublicæ ſtatum pertinere, ac hodie nullius uſus eſſe videntur. Ex eo autem, contra communem ſententiam, infert STRAUCH. *exerc. exot. 11. §. 2.* ſalvum conductum, Principi conceſſum, non involvere promiſſionem ſecuritatis, ſed ſolum libertatem tranſeundi *v.* FRITSCH *d. c. 12. n. 10. 31.* Verum quid obſtat, quo minus eadem promiſſione, utrumque contineri dicamus?

§. 21. Jurisdictio in viis publicis criminalis, non Magiſtratui ordinario, qui circumquaque alias habet merum imperium, ſed Domino Territoriali tribuitur *v. cap. præced. §. 17.* quam ſententiam, contra Bocerum, pluribus defendere nititur ZIEGLER *de J. M. l. 2. c. 17. §. 30. ſeqq. add.* FRITSCH *d. tr. c. 10.* LYSER *Jus Georg. l. 3. c. 32.* Non alia autem ratione illa adſtruitur, quam quod *viarum*

publicarum dominium, ad Rempublicam pertineat, ex quâ tamen nihil solidi inferri potest, cum enim jurisdictio, cum dominio, nihil habeat commune, poterat sane generalis ejus concessio ita accipi, ut illa, tam in locis publicis, quam privatis, exerceretur. Illud etiam certum, hujus generis controversias, non ob rationes utilitatis publicæ, sed commodi privati, plerumque agitari.

§. 22. Vias publicas non raro intersecant flumina, adeoque *Pontibus* illæ conjungi debent. Pontis nomine quid intelligatur, notissimum est, ut, definitionem dare, vix opus sit. Solet tamen ita definiri: *Est via, ex ligno & lapide, supra aquas, arte facta, ut terra cum terra jungatur, ad eundi vel vehendi commoditatem vid.* FRITSCH *de jur. pont. c. 1.* Cum igitur fluminis publici pons, sit pars viæ publicæ, hinc quæ de hujus constitutione, conservatione ac securitate dicuntur, ad illum etiam pertinent *v. l. 4. de flumin.* ZIEGL. *de J. M. l. 2. c. 16.* FRITSCH. *d. tr.*

§. 23. Pontium loco, trajiciendis fluminibus, alicubi pontones, *Fähren* habentur. *v. l. fin. de S. R. P.* GELL. *N. A. l. 10. c. 3.* qui eodem cum illis jure censendi videntur: Quia tamen per eosdem, tota fluminis latitudo non expletur, aut obtenditur, nec tantum est istis, quantum ex pontibus, metuendum est periculum, & facile insuper isti, ut alia navigia, loco moveri & subduci possunt, inde facilius etiam eorum, quam pontium, usus privatis permittitur. In usum ergo rei familiaris & agriculturæ, privatis pontonem habere licet, quamvis alius cum jure illo, eo in flumine investitus sit ZIEGLER *de Jur. Maj. l. 2. c. 16. §. 4. 5. & in Decis.*

D. 20.

CAPUT

CAPUT XII.
DE VECTIGALIBUS.

SUMMARIA.

Vectigalis varia ſuppoſitio §. 1.
Vectigalia publica inſtituunt Imperantes §. 2.
In rebus propriis, etiam privatis pro tranſitu aliquid exigere licet §. 3.
Privata vectigalis inſtitutio in diverſa incidit delicta §. 4.
Jus inſtituendi vectigalia, in Germania §. 5.
Vectigalium varietas, juſtitia §. 6.
Et abuſus §. 7.
Vectigalia regulariter omnes ſolvere debent §. 8.
Quidam tamen excipiuntur §. 9.
Res quædam ab hoc onere debent eſſe immunes §. 10. 11.
Vectigalis ſolvendi qualitas, quantitas, locus & cauſa §. 12.
Publicanorum officium §. 13.
Et improbitas §. 14.
Actiones contra eos comparatæ §. 15. 16.
Viatores merces profiteri & vectigal ſolvere tenentur §. 17. 18.
Alias merces in commiſſum cadunt §. 19.
Niſi juſta cauſa eos excuſet §. 20.
In commiſſum cadunt ſaltem res defraudatoris propriæ §. 21.
Et non indicatæ §. 22.
Quæ ipſo jure fiſco acquiruntur, aliquando alia pœna obtinet §. 23.
Obligatio domini territorialis ad damnum reſarciendum, ex ſolutione vectigalis non recte repetitur §. 24.

§. 1.

A Tranſeuntibus vias publicas, *Vectigal* exigi ſolet. Hoc nomine, in ſenſu generaliori, quivis reditus *v. l. 59. §. fin. de uſufr. j. l. 9. §. fin. eod.* ac penſio tam privata quam publica *l. 1. ſi ag. vectig. l. 15. §. 1. qui ſatisd. cog. l. 23. C. de admin. tutor. l. 7. pr. de publican. & vectig. l. 17. §. 1. de V. S.* notatur. In ſpecie vero eſt *penſio, quæ, pro mercium vectura, aut tranſitu, in itinere vel pontibus ſolvitur v. l. 3. C. de vectigal. l. 60. §. p. loc. l. 21. pr. de donat. int. V. & U.* Alii ipſam *obligationem*, hoc nomine intelligunt, hinc vectigal, dicunt *munus reale, pro mercium vectura, aut tranſitu, Principi, in auctoramentum præſtitæ ſecuritatis, & refectionis viarum publicarum, debitum v.* ZIEGLER. *de J. M. l. 2. c. 5.*

§. 2. Jus imponendi vectigalia, imperio civili ineſt *v. l. 10. de publ. & vectig. l. 2. 3. C. vectigal. nov. inſt. non poſſ. II. f. 56. c. 10.*

X. de cenſ. c. 26. X. de V. S. Solet tamen aliquando, non facultas vectigalia pro lubitu inſtituendi, ſed jus, certo in loco, eadem exigendi, municipiis, vel aliis univerſitatibus aut perſonis, concedi *v. l. 10. C. de vectigal. l. 1. C. vectigal. nov. inſt. l. 3. C. de compenſ. l. 15. §. 10. de excuſ. l. 8. §. 1. de vacat. mun.* quemadmodum, per præſcriptionem, etiam jus illud privatis quandoque acquiritur *c. 26. X. de V. S. v.* ZIEGLER *d. l. 2. c. 6. §. 1. ſeqq.*

§. 3. Eſt autem iſta acquiſitio referenda, ad loca publica, in quibus alias privatis nihil juris eſt. Nam ſi vel univerſitas, vel privatus, aurigas, per aream ſuam, accepta aliqua mercede, tranſire ſinant, eo caſu, quo via prætoria, parum munita eſt *vid.* ZIEGLER *d. l. §. 6.* id ſuo jure faciunt, perinde ſicut uſum rerum aliarum locare poſſunt. Neque igitur permiſſione publica hic opus eſt, nec, qui ita agunt, in regale vectigalis jus involare cenſendi ſunt, utut illi, qui tale lucellum privatis invident, hoc credi velint.

§. 4. Si quis vectigalia, in uſum ſuum, inſtituat, crimen læſæ Majeſtatis committit *arg. l. 3. ad L. Jul. maj.* ratione vero viatorum, quibus pecuniam, hoc ratione, extorquet, vis publicæ reus fit *l. fin. ad L. Jul. de vi publ.* quod etiam dicendum, ſi vectigalia legitime acquiſita, ultra modum extendat *add. l. 9. §. 5. de public. & vectig.* Jure Canonico inſuper excommunicationis pœnam incurrit *c. 10. X. de cenſ.* quod utrumque probavit Rudolphus I. apud LEHMAN. *Chron. Spir. l. 5. c. 108.* Si quis, muneris obtinendi cauſa, nova vectigalia comminiſcatur, pœna ambitus tenetur *l. un. §. 3. de L. Jul. amb. v.* ZIEGL. *d. c. 6. §. 9. ſeqq.*

§. 5. In Germania, vectigalia vi ſolius Juris Territorialis, inſtitui nequeunt, ſed conceſſio Imperatoris & Electorum accedere debet. *Capit. Leopold. art. 21. J. P. W. art. 9. v.* VITRIAR. *J. P. P. l. 3. tit. 4. §. 4. ſeqq.* SCHWEDER *J. ad J. P. p. ſp. S. 1. c. 20.* Videtur tamen hoc eſſe referendum ad vectigalia, iis imponenda qui Territoria ſimpliciter tranſeunt *v.* FUCHS *ad Lehman. Chron. Spir. l. 7. c. 120. verſ. fin.* nam, quin rebus, quæ in- & evehuntur, Dominus Territorialis vectigal imponere queat, non dubitem. Quidam Status jus vecti-

vectigalium ſimpliciter habere cenſentur *v.* LIMN. *addit. T. I. ad l. 5. c. 7. n. 136. ad Capit. Maximil. II. art. 9.* RHET. *J. J. P. l. 1. tit. 6. §. 24. tit. 13. §. 4.*

§. 6. Vectigalia ſunt vel *terreſtria*, vel *fluviatica*, vel *maritima*, ſub quibus diverſæ ſpecies continentur, hinc varia vectigalium nomina, ex Italorum plerumque idiomate depromta, extiterunt *v.* ZIEGL. *de J. M. l. 2. c. 7. §. 1. 2. 18.* FRITSCH *de jur. pont. c. 4.* Omnium autem juſtitia deducitur eximpenſis, quas in viarum & pontium, ut & riparum & portuum refectiones & exſtructiones, inſumere oportet, ut & ex lucro, quod negotiantes ex commerciis, per terras noſtras inſtitutis, percipiunt *v.* ZIEGL. *d. c. 7. §. 14. ſeqq.*

§. 7. Regulæ tamen ſocialitatis, in imponendis vectigalibus, obſervari debent. Apud antiquos Germanos moderata ſatis fuerunt vectigalia *v. Landr. l. 2 art. 27.* LEHM. *Chr. Spir. l. 2. c. 44.* Sed hodie abuſus paſſim invaluit, ac vectigalia nimis ſæpe vel intenduntur, vel multiplicantur, cujus rei ratio, à luxu & multitudine Dominantium, dependet. Inprimis gravem olet dominatum, ſi, ſine urgentiſſima cauſa, pedagia exigantur *v.* ZIEGLER. *d. c. 7. §. 16. ſeqq.* FRITSCH. *de viis publ. c. 9.* Inter liberas gentes, pactis quandoque vectigalium exactio determinatur.

§. 8. Exigi poſſunt vectigalia ab omnibus, tam incolis quam exteris, niſi vel lege, vel pacto immunitatem obtinuerint, id quod ex natura imperii civilis fluit, adeoque ubique obtinet. Jure Romano, vectigalium oneri etiam ſubſunt milites *l. 3. 7. C. de vectig.* & palatini; quibus tamen reſcripto conceſſa immunitas prodeſt, ſed, quoad privatos, ejusmodi reſcriptum, obreptitium præſumitur adeoque nullius effectus eſt *l. 6. 10. 12. C. de vectig. v.* ZIEGL. *de J. M. l. 2. c. 8. §. 1.*

§. 9. Immunes ſunt à vectigalibus (1.) Clerici *v. c. 4. de cenſ. in 6. clem. 3. eod.* niſi mercaturam exerceant ZIEGL. *d. c. 8. §. 2. 3.* (2.) Illuſtres & Nobiles ut & Principum Officiales *v. Ord. Regim. de anno 1500. tit. 21. de anno 1521. §. 39.* quod in aliis quoque Rebuspublicis obtinere ſolet *v.* ZIEGL. *d. l. §. 4.* (3.) Legati *l. 8. C. de vectig.* de quo uſus gentium conſulendus (4.) fiſcus *l. 9. §. 8. de publ. & vect.* (5.) Academici *v.* ZIEGL. *d. l. 5. ſeqq.* Uti autem immunitas illa, poſitivi vel arbitrarii juris eſt, ita regulariter ad pontium vectigalia non pertinet *v. l. 7. C. de*

de SS. Eccleſ. ZIEGLER *d. l. 2. c. 9. §. 1.* LAUTERB. *C. J. de public. lit P.*

§. 10. Res, pro quibus vectigal ſolvendum ſit, quod attinet, primo quidem excipiuntur merces, ad publicum cujusque civitatis uſum, ab ipſa nimirum Republica, aut ejus curatoribus, comparatæ *v. l. 9. §. 7. 8. de publ. & vectig.* ZIEGL. *d. c. 9. §. 1.* Sed hujus rei ratio non dependet à *qualitate rerum*, ſed à *conditione ſubjecti.* Illam vero ſi reſpiciamus, æquitas exigit, ut rebus valde neceſſariis, vel nullum vel modicum, iis vero, quæ ad commoditatem voluptatem & luxum pertinent, grave vectigal imponatur *v.* SCHWED. *J. ad J. P. p. ſp. Sect. 1. c. 20. §. 5.*

§. 11. Jure Romano, quicquid privati uſus gratia vehitur, à vectigalibus eſt immune *l. 5. C. de vect. l. 4. §. 1. de public. j. l. 43. 44. 203. de V. S.* quicquid vero, negotiationis cauſa, habetur, iis obnoxium eſt *v. l. 16. §. 7. de publ. & vect.* quæ ſanctio, ex laudato æquitatis principio quodammodo fluit, hodie tamen etiam res uſuales, multis in locis, vectigalium exactioni ſubjacent *v.* ZIEGL. *d. c. 9. §. 2. ſeqq.* Apud Romanos, ex rebus turpibus vel ſordidis, quandoque vectigalia, vel ejus generis tributa alia, ſunt exacta, cujus ſpurcitiæ veſtigium quoque occurrit in *l. 17. §. 5. de uſur. v.* ZIEG. *d. c. 9. §. 6. ſeqq.*

§. 12. Vectigal ſolvendum eſt in pecunia numerata, etſi, ex ipſis mercibus, quoque præſtari queat, ſi utraque pars conſentiat. Jure civili ſolvitur pars octava *l. ult. C. de Eunuch. l. 7. C. locat. l. 7. 8. C. de vect.* non ſpecierum ipſarum, ſed pretii. Hodie cujusque loci privilegium & conſvetudo legitima attendi debet *v.* CARPZ. *p. 4. C. 41. D. 15. n. 8.* Facienda eſt ſolutio in teloneo ſive publicanorum ſtatione, quam etiam regulariter is, qui jure dependente vectigalia exercet, mutare nequit. Sublata vectigalis cauſa, e. gr. ponte deſtructo, pontenagium amplius non debetur, ſi vero, eodem exiſtente, per vadum quandoque eant viatores, vectigal pontis, alioquin neceſſarii, adhuc ſolvendum erit *vid.* ZIEGL. *d. l. 2. c. 10.*

§. 13. Exigendis vectigalibus, certi officiales ſunt conſtituendi, quibus reditus hi, vel certa mercede locantur, vel qui, iis adminiſtrandis, ſaltem præficiuntur, ac Publicani *v. l. 1. §. 1. l. 12. §. 3. l. 13. pr. de publ. & vect. l. 16. 17. de V. S.* vel portitores audiunt, licet quidam hæc nomina diſtingvant *vid.* ZIEGLER *de J. M. l. 2. c. 5. §. 2. ſeqq.*

Eorum

Eorum autem officium vel reſpicit *Rempublicam*, cui nihil intervertere, vel *viatores*, à quibus, ſine acerbitate, vectigal exigere, ac ab omni læſione abſtinere debent.

§. 14. Sed Publicanorum improbitas, apud omnes fere gentes, celebrata eſt *v. l. 12. de public. & vectig.* hinc variis remediis illa coerceri ſolet. Si erga Rempublicam illi deliquerint, tum & damni reſtitutioni, & pœnæ arbitrariæ ſubjacent; poterit etiam pœna Reſidui locum habere. Viatores, erga quos frequentius malitia publicanorum ſe exſerit, pro caſuum diverſitate, diverſas habent actiones, quibus vel damni reſtitutionem, vel pœnam exigunt.

§. 15. Si per errorem aliquid ſolverint, habent condictionem indebiti *l. fin. §. fin. de public. & vectig.* Si publicani illicite quid exegerint, ſine vi, duplum, ſi per vim compulſivam, quadruplum reſtituere tenentur, ac, ultimo caſu, etiam extra ordinem puniuntur *l. 5. §. 1. l. 9. §. 5. eod.* Opus tamen eſt, ut intra annum agatur, nam alias in ſimplum ſaltem actio competit *l. 1. pr. l. 13. §. fin. eod.* ſi reus promte reſtituat, actio etiam quoad pœnam evaneſcit *l. 5. pr. eod.*

§. 16. Datur hæc actio etiam hæredi *l. 13. §. fin. eod.* non vero contra hæredem niſi quatenus locupletior factus *l. 4. pr. eod.* plures delinquentes, pro rata regulariter obligantur *l. 6. eod.* Si delictum commune, ut furtum, rapinam vel damnum, committat Publicanus, cum præcedente actione, conſvetæ actiones concurrunt *l. 1. §. 2. 3. 4. de public. & vectig.* Ex facto vel mancipiorum, vel famulorum mercenariorum, publicanus in ſolidum quoque tenetur, quia ejus culpa præſumitur *l. 1. pr. §. 5. 6. l. 2. 3. de publican. v.* ZIEGL. *de J. M. l. 2. c. 6. §. 11. c. 11. §. 3. ſeqq.* LAUT. *C. J. de publican.*

§. 17. Viatores, etiam non admoniti, merces profiteri, ac vectigal ſolvere tenentur, poterit tamen, conſentiente publicano, ſolutio differri *l. 16. §. 6. 12. de publican.* Si res notorie ſint immunes, v. gr. mancipia uſualia veterana, profeſſio impune omittitur, ſi vero de immunitate ambigitur, ut contingit circa mancipia uſualia novicia, ſub pœna commiſſi, illa eſt facienda *d. l. 16. §. 3. 9. eod.* Hodie vero profeſſio, eo tantum fine, requiritur, ut de immunitate conſtet, omiſſa autem pœnam non operatur *v.* ZIEGL. *d. l. 2. c. 11. §. 1. 2.*

§. 18. Si portitor non adſit, qui vectigal recipiat, jure Svevico

c. 214. viator per tres horas expectare, ac clara voce publicanum excitare tenetur; sed hodie, sine metu pœnæ, ultra ire potest, ut tamen solutioni vectigalis maneat obligatus. In conscientia vero eum obstringi ad ultroneam oblationem, non crediderim, nam leges nihil amplius exigunt, quam ut vectigal ministris paratis, certo in loco, offeratur. Sed de hoc, in tanto speculatorum numero, frustra forte disputatur *add.* ZIEGL. *l. 2. c. 7. §. 21.*

§. 19. Si merces, fraudandi vectigalis causa, non indicentur, in commissum cadunt *l. 14. 16. §. 1. 3. 12. de publican.* idem dicendum, si, facta professione, illico quis se, animo non solvendi, subduxerit *vid.* ZIEGL. *l. 2. c. 12. §. 1. 2. 3.* Ignorantia affectata, à pœna non liberat *l. 16. §. 5. de publican.* ob culposam vero, duplum vectigal solvendum est *d. l. 16. §. 10.* distinctio, inter *ignorantiam* & *errorem*, qua nonnulli, huic rei expediendæ, utuntur *v.* ZIEGL. *d. c. 12. §. 8. 9.* fundamento caret.

§. 20. Si servus fugitivus, pro se, vectigal non solvat, hoc domino nocere non debet *l. 16. §. 4. de publican.* Cessat quoque pœna commissi, si propter necessitatem adversæ tempestatis, onus expositum sit *l. 16. §. 8. eod. v.* ZIEGL. *d. c. 12. §. 11. 12.* qui vero sponte ad aliam viam deflectunt, illi in pœnam sine dubio incidunt *v. l. 2. C. de curs. publ.* CARPZ. *p. 2. C. 27. D. 3. n. 7.* Præterea vel ob lubricum ætatis, vel permissam juris ignorantiam, ignoscitur militibus *l. 3. C. de vectig.* pupillis *l. 7. §. 1. de publican.* & minoribus *l. 16. §. 9. eod.* neque enim hos, ab istis, separandos esse putem, licet aliis ita videatur *v.* ZIEGL. *d. c. 12. §. 10.*

§. 21. Cadunt in commissum res defraudatoris propriæ *v. l. 8. §. 1. l. 11. §. 2. l. 14. 16. §. 11. de publican.* hinc si nauta vel auriga vectigal non solvant, navis & currus cum equis tantum fisco acquiruntur, non etiam merces domini ignorantis. Nam ex eo, quod factum procuratoris domino *l. 23. de minor. l. 10. C. de procur.* vel famulorum, cauponi noceat *l. fin. §. 4. naut. caup. stabul.* inferri nequit, quod dominus mercium, duram commissi pœnam sustinere debeat, cum nauta vel auriga neque ejus procurator, neque famulus sit, ac dominus dolo careat, qui tamen ad hanc pœnam requiritur.

§. 22. Porro illa tantum res in commissum cadit, quæ, cum vectigali subesset, non fuit indicata, hinc si quis res munes & immunes simul

simul advexerit, ac ex illis quasdam, vel certam quantitatem, celaverit, res immunes, aut ex munibus illæ, quæ indicatæ sunt, fisco haud cedunt *l. 16. §. 2. de publican.* Licet enim res licitæ cum illicitis, fisco vindicari soleant *l. 11. §. 2. de publican. l. 3. C. de naut. fœn.* attamen à mercibus illicitis, ad munes, professione non indicatas, non recte infertur *arg. l. 11. pr. de publican. l. 2. C. quæ res export. non deb. v.* ZIEGL. *d. c. 12. §. 4. seqq.*

§. 23. Res commissa, ipso jure, fisco acquiritur *l. 8. 14. de public.* sententia tamen declaratoria præcedere debet, antequam possessio reo auferatur, sed hodie illa non exigitur, si defraudatio sit manifesta *vid.* LAUTERB. *C. J. de publican. lit. D.* Lapsu quinquennii fiscus excluditur *l. 2. C. de vectigal.* Jure Saxonico, ob defraudatum vectigal, habet locum pœna pecuniaria *Landr. l. 2. art. 27.* COLER *Decis. 190.* Sed hæc vix observatur *add.* ZIEGL. *d. c. 12. §. 13. 14.*

§. 24. Ob solutum vectigal, dominus territorialis, ad damnum viatoribus illatum, resarciendum censetur esse obligatus *v.* ZIEGL. *d. l. 2. c. 13.* LAUTERB. *C. J. de publican. in fin.* Sed solutio vectigalis, cum præstatione securitatis, haud videtur esse connexa, ceu admonui in OBSERV. LAUTERB. *Obs. 998.* nam si pactum & culpa absit, damni restitutio exigi nequit, licet vectigal sit solutum, & vice versa, si vectigal alicubi non obtineat, damnum tamen erit resarciendum, si pactum vel culpa interveniat. Ex his solis ergo regulariter damni præstatio judicanda erit *v. cap. præc. §. 18. 19.*

CAPUT XIII.

DE INFORTUNIIS PEREGRINATIONUM.

SUMMARIA.

Peregrinantes variis casibus sunt expositi §. 1.
Inprimis in itinere maritimo naufragium aliquando accidit §. 2.
Naufragio imminente personæ & res in tutum sunt subducendæ §. 3.
Vel res quædam ejiciendæ §. 4.
Requisita periculi ad jactum sufficientis §. 5.
Iis positis jactus recte fit §. 6.
Sed depulso periculo, damnum est resarciendum §. 7.
Modo periculum fuerit verum §. 8.
Fatale §. 9. Commune §. 10.
Ac ejectione & amissione rerum depulsum §. 11. 12.
Contributionis necessitas, modus §. 13.
Objectum §. 14.
Et media §. 15.

Facto naufragio, conſervatio ſui extraordinariis mediis aliquando obtinetur §. 16.

Obligatio ejus, qui naufragii cauſa fuit §. 17.

Res recuperatæ dominis ſunt reſtituendæ refuſis tamen impenſis §. 18.

Bona naufragorum aliis male adjudicantur §. 19.

Preces publicæ de lucro ex naufragiis faciendo, quo ſenſu tolerari queant §. 20.

§. 1.

UTi homines in genere, variis calamitatibus ſunt expoſiti, ita inprimis peregrinantes diverſis caſibus, quos vel vis major immittit, vel hominum culpa aut improbitas excitat, ſubjacent. Caſus fatales patienter eos ferre oporret, ſed damni voluntarii reſtitutionem, ab autoribus, ſi haberi queant, recte illi exigunt, qui inſuper etiam condignis ſuppliciis merito afficiuntur, de quo, in genere, alibi actum. Aliquando etiam Domini Territoriales damnum reſarcire tenentur, ceu proxime *§. fin. cap. præc.* notavimus.

§. 2. Inprimis in itinere maritimo, naufragii calamitas accidere ſolet, de qua ſpecialius nonnulla dici merentur. De præſagiis futuræ tempeſtatis, qualia navigantes obſervare ſolent, aliqua hic tradere, extra inſtitutum eſt *v.* D. GERDES *diſſert. de Naufrag. hab. Gryphiswald. 1681. c. 3. §. 1.* Naufragii nomine intelligitur *calamitas fluctibus oppreſſi & jam pereuntis navigii.* A cauſa diſtinguitur, in doloſum *v. l. 10. de incend. ruin. naufrag.* culpoſum *l. 16 §. 1. de R. V. l. 13. §. 2. locat. l. 7. C. de navicul. & naucler.* & caſuale *v.* GERDES *d. diſſert. c. 2.*

§. 3. De cætero naufragium conſiderari poteſt, vel quatenus *imminet*, vel *factum eſt.* Primo caſu id agendum eſt, quo *perſonæ & res in tutum ſubducantur*, vel etiam, *damno minori, naufragium evitetur.* Prius contingit, ſi non procul à littore naufragium metuatur, *wenn das Schiff ohnweit vom lande, ſtrandet und leck wird:* tum enim primo perſonæ, deinde res vectæ, tandem etiam ipſa navis, ſi fieri queat, periculo eripi debent. Quibusdam legibus maritimis, inſtrumenta navis, bonis mercatorum præferuntur *v. Jus marit. Hanſeat. tit. 9. art. 4.* quod tamen alibi non obſervatur *v.* GERDES *d. diſſert. c. 3. th. 2. in fin.*

§. 4. Poſterius accidit, ſi calamitate preſſi, evitando naufragio, res quasdam ejiciant, de quo jactu olim diſpoſuit *Lex Rhodia*, eo nomine

mine Romanis celebrata. *v. l. 1. de L. Rhod. de jact.* Sunt vero, quæ hic afferri ſolent, ſanctiones, fere nihil aliud, quam concluſiones, ex generali æquitatis principio, ſupra *l. 2. c. 18.* tradito, deductæ, de quo ut ſpecialius conſtet, ſpectari poteſt (1.) periculum (2.) jactus & (3.) damni reſtitutio.

§. 5. Periculum debet eſſe (1.) *commune*, nam alias de jure in res eorum, qui extra periculum ſunt, vel ipſorum obligatione, quæ quidem ex neceſſitate reſultent, quæri nequit (2.) *tale, quod ejectione quarundam rerum probabiliter queat depelli*, nam alioquin ejectio iniqua vel fruſtranea erit. Quodſi deliberandi ſpatium ſuppetat, nauta cum mercatoribus, de faciendo jactu, conſilium inire tenetur *v. jus marit. Wisbienſ. tit. 38.* GERDES *d. diſſert. c. 3. th. 2.* Utrum vero periculum (3.) ſit *caſuale, an culpoſum*, id aliquando attenditur, aliquando non, ceu ex dicendis conſtabit.

§. 6. Præſente igitur periculo, jactus fieri poteſt, tam propriarum quam alienarum rerum *v. l. 14. de præſcr. verb.* nam in caſu neceſſitatis obligatio, quæ rerum alienarum corruptionem prohibet, ceſſat. *v. c. 4. X. de conſvet.* Nihil porro, quoad ipſum jus ejiciendi, intereſt, ſive periculum, fatale, ſive culpoſum ſit, nam omni caſu ſatius eſt, damno minori, majus redimere. Ut vero, quantum conſternatio permittit, in rebus ejiciendis habeatur delectus, ac prius ejiciantur res majoris ponderis ac minoris pretii, aut etiam inſtrumenta navis *v. l. 2. §. 1. in fin. l. 3. §. §. 1. de L. Rhod. de jact.* rationis eſt.

§. 7. Jactu facto, damnum à cæteris, quorum res ſervatæ ſunt, æquabili contributione eſt reſarciendum, ita tamen ut ipſe læſus, ejus partem etiam ferre debeat. Licet enim, poſito periculo, pati quis debeat, ut, in ſalutem communem, res ipſius ejiciantur, attamen ut is, depulſo periculo, damnum ſolus ferat, nulla æquitatis ſpecie poſtulari poteſt, ſed ſicut periculum fuit commune, ita illa etiam exigit, ut damnum minus omnes quoque ferant *l. 1. 2. §. 1. in fin. l. 3. 4. pr. l. 5. §. 1. de L. Rhod. de jact.* Ut tamen illa obligatio aſſeri queat, variis opus eſt cautionibus.

§. 8. Primo igitur conſiderandum, an periculum fuerit *Verum*, nam ſi nauta, ex imprudentia vel malitia, res alicujus ejecerit, ille ſolus damnum reſarcire debebit *l. 14. pr. §. 2. de præſcript. verb.* adeo, ut ſi

ille non ſit ſolvendo, cæteri ne quidem in ſubſidium teneantur, nam ceſſat periculum, quod prima hujus obligationis eſt cauſa. Ex humanitate cæteros quandoque obligari, recte dicitur, ſed illius obligationis, in foro externo, regulariter nullus eſt effectus. Utrum autem periculum verum ſubfuerit nec ne, juramento nautarum duorum vel trium plerumque definitur *v. Jus Wisbienſ. tit. 38.* GERDES *d. diſſert. c. 3. th. 2. verſ. fin.*

§. 9. Poſtea videndum, utrum periculum verum, ſit *fatale*, an *culpoſum*, illo caſu memorata obligatio ſe exſerit, hoc vero, culpoſus damnum reſarcire cogitur *v. l. 14. pr. §. 2. de P. V. l. 27. §. 23. ad L. aquil. l. 30. §. 2. locat.* Quodſi tamen ſolvendo non ſit, tum cæteri, perinde ut altero caſu, ad contributionem erunt obligati, nam periculum revera ſubfuit, ex quo, inter eos, qui culpa carent, obligatio contribuendi oritur: Neque malus debitor, qui periculum excitavit, illi ſoli, qui ejectionem paſſus eſt, obtrudi debet, ſed ad omnium potius damnum pertinere cenſendus eſt.

§. 10. Non minus etiam periculum debet eſſe *commune*, quæ quidem infelix communio, circa naufragium, ſemper adeſt. Idem obtinet, ſi navis, unius pecunia, à piratis fuerit redemta, ſi vero ipſi piratæ uni quid abſtulerint, cæteri ad contributionem non obligantur, his enim periculum non imminuit, nec adeo, illius damno, fuit depulſum *l. 2. §. 3. de L. Rhod. de jact.* Humanitas tamen contributionem quandoque exigit.

§. 11. Illud quoque requiritur, ut res alterius *perierint*, vel *deteriores* ſint redditæ *l. 4. §. fin. de L. Rhod. de jact.* nam quando damnum non eſt illatum, nec ejus reſtitutio peti poteſt. Quodſi adeo res ejectæ, fuerint recuperatæ, contributio ceſſat, vel ſaltem diminuitur *l. 2. §. 7. eod.* Denique opus eſt, ut *ejectione periculum ſit depulſum*, alias enim nullum ejus eſt meritum, nec adeo cæterorum obligatio.

§. 12. Quodſi adeo, jactu facto, navis nihilominus petierit, nulla debetur contributio, ſed quæ quisque ſervavit, ſibi ſervat *l. 5. 7. de L. Rhod. de jact.* Si tamen navis poſtea alio loco ſubmerſa ſit, & res per urinatores iterum fuerint extractæ, tum contributio obtinet *vid.* LAUTERB. *C. J. de L. Rhod. de jact. lit. O.* nam ſufficit, quod primum peri-

periculum, ejectione fuerit depulsum. Si Scapha, in quam merces, levandæ navis gratia, fuerunt repositæ, perierit, contributio debetur, si, salva scapha, navis submersa sit, illa cessat *l. 4. pr. de L. Rhod. de jact.* nam ibi est meritum, hic nullum; videtur tamen æquitas hic dubia.

§. 13. Positis autem requisitis, omnes contribuere tenentur, quorum interfuit jacturam fieri *l. 2. §. 2. de L. Rhod. de jact.* Quo vero æqua contributio obtineri queat, omnes res amissæ & servatæ, justo pretio æstimandæ sunt, quo facto, singuli juxta proportionem rerum servatarum, conferunt *l. 2. §. 2. 4. de L. Rhod. de jact.* LAUT. *C. J. d. t. lit. O.* Cumque probatio & æstimatio hic quandoque sit difficilis, ideo legibus maritimis specialius ea definitur *v. Jus Wisbienf. art. 38. Jus marit. Svec. p. 5. c. 10. §. 1.* GERDES *d. dissert. c. 3. th. 2. in fin.*

§. 14. A contributione excipiuntur Cibaria, consumendi causa, navi imposita, & homines liberi *l. 2. §. 2. de L. Rhod.* Sed prius videtur intelligendum de cibariis communibus, aut si illi, quorum interest, in exemtionem consentiant, nam alias, ut propriorum cibariorum, sepositio consensu, fiat æstimatio & contributio, rationis omnino esse videtur. Porro licet liberi hominis nulla sit æstimatio, attamen ejus conservatio, pretio aliquo arbitrario æstimari poterit, hinc à ratione non abhorret, si ob hanc aliquid conferendum sit.

§. 15. Petitur collatio actione locati, contra magistrum navis, eo fine, instituta, ut ipse res salvas tamdiu retineat, donec cæteri suas portiones præstent *l. 2. pr. §. 2. de L. Rhod. de jact.* censetur tamen magister navis, actionum cessione posse defungi *l. 51. in fin. de pecul. l. 16. §. ult. de hered. petit.* LAUT. *C. J. de L. Rhod. de jact. lit. O.* Sed cum rebus dimissis, & actione in plures divisa, vix aliquid sperari queat, ideo cessio non erit admittenda. Alias certum puto, quod læsus, etiam sine concessione, contra cæteros agere queat.

§. 16. Facto naufragio, sive jactus aliquis præcesserit, sive non *v. §. 3.* dubio procul unusquisque se & res suas, quantum licet, periculo eripere potest. Si quis tabulam, duorum non capacem, occupaverit, ac alius adnatans eidem quoque se velit injicere, is à tabulæ detentore recte repellitur, nam præcepta affirmativa & officia humanitatis, in casu necessitatis, cessant. Si plures in scapham insiluerint, quam illa ferre possit, sorte duci possunt, qui projiciantur, quemadmodum

modum etiam, pluribus in altum mare projectis, ac fame sitique pressis, unus alterve, in reliquorum conservationem, mactari posse videtur *v.* PUFENDORF *de J. N. G. l. 2. c. 6. §. 3. add.* OBSERV. PUFEND. *Obs. 143. 144. 145.*

§. 17. Quoad res deperditas distingvendum, utrum naufragium, fatale an alterius dolo vel culpa excitatum sit. Illo casu damnum æquo animo digerendum est, hoc vero, ab autore mali, ejus restitutio peti potest, sed plerumque vel ejus inopia, vel facti incertitudo, actionem reddit inanem. Præterea delinquens, delicti convictus, condigno supplicio merito est afficiendus *v. l. 3. §. 8. l. 4. pr. l. 10. de incend. ruin. naufr. l. 3. §. 4. ad L. Cornel. de sicar. Jus marit. Svec. p. 5. c. 6.* Probatio autem, ex consvetis principiis, hic est instituenda, ut scilicet affirmans casum aut culpam probare, ac probationes oppositas, si iis se convictum fateri nolit, elidere teneatur *add.* GERDES *dissert. de naufrag. c. 2.*

§. 18. Quodsi ex bonis amissis quædam recuperentur, dominis erunt restituenda, licet ab his ejecta sint, quamvis enim pro derelictis videantur habita *l. 43. §. 11. de furt.* attamen hoc saltem verum est ratione *æquoris*, non *hominum recuperantium*, sive, bona illa non sunt in derelicto, sed deperdito *l. 21. §. 1. de A. A. P.* impensæ tamen, in recuperationem factæ, *Bergelohn*, recuperantibus restituendæ sunt *v. Jus marit. Svec. p. 5. c. 1.* Quodsi autor naufragii læsis damnum restituerit, tum res postea recuperatæ, illi erunt præstandæ *v. l. 46. 47. de R. V. l. 25. §. 1. solut. matrim. l. 9. rer. amot.*

§. 19. Inhumana igitur, dubio procul, est consvetudo, quæ bona naufragorum, vel fisco vel occupantibus addicit, quæ ex eo forte habet originem, quod exteri, pro hostibus male habeantur. Merito igitur illa improbatur, nisi hostes aut piratæ naufragium faciant *v. l. 1. 7. 12. de incend. ruin. naufrag. l. 1. C. de naufrag. auth. navigia C. de furt. c. 3. X. de raptor. junct. c. 20. X. de privileg. Ord. crim. art. 218.* quod legibus aliarum gentium caveri quoque solet *v.* GERDES *dissert. de naufr. c. 4.*

§. 20. Quibusdam in locis, Deus, publicis precibus, rogari dicitur, quo infausta hæc lucra augeat, *das er das strandrecht segne*, quas preces, impias & absurdas esse facile liquet. Quodsi eo saltem preces perti-

pertinere dicantur, quo Deus accolis maris bona illa potius adjiciat, quam eas in mari perire patiatur, tum admitti quidem poterunt, sed debita cautione recte erunt explicandæ, ut neque naufragiorum votum continere, neque in ullius injuriam tendere, existimari queant.

CAPUT XIV.
DE DIVERSORIIS.

SUMMARIA.

Hospitiorum diversitas §. 1.
Mercenarii natura, denominatio §. 2.
Et abusus §. 3.
Jus instituendi diversorii regulariter est effectus dominus §. 4.
Cauponum obligatio status civilis §. 5.
Et delicta §. 6.
Inter cauponem & viatorem censetur subesse quasi contractus §. 7.
Sed est potius locatio & venditio cum promissione omnis diligentiæ §. 8. 9.
Consensus juris romani §. 10.
Cessante culpa caupo non tenetur §. 11.
Hospitum parsimonia cauponibus displicet §. 12.
A falso & immodica exactione hi abstinere debent §. 13.
Justam vero æstimationem præstitorum merito exigunt §. 14.
Viatoribus præstanda est securitas §. 15.
Dominus diversorii quatenus per alios obligetur §. 16.
Obligatio eorum, qui sine professione cauponariæ, hospites recipiunt §. 17.
Obligatio cauponum cessat, cessante culpa §. 18.
Ob culpam viatoris & pactum §. 19.
Temperamentum §. 20.
Actionis de recepto natura §. 21.
Probatio circa eam necessaria §. 22.
Ex facto famulorum & inquilinorum caupo tenetur in duplum §. 23.
Actionis hujus usus & processus quoad advenas observandus §. 24.
Viatores ad tempus Reipublicæ subjiciuntur §. 25.
Subjectionis hujus effectus §. 26.
Caupones regulariter utuntur jure subditorum communi §. 27.

§. 1.

IN usum peregrinantium sunt instituta diversoria. Recipiuntur autem advenæ vel gratis *v. l. 5. §. 2. de injur.* vel ob reciprocum hospitii usum, vel ob mercedem, hinc hospitia sunt vel *gratuita*, quæ inter amicos locum habent, vel Imperanti aut Officialibus quandoque præstari debent *v. c. 19. 23. 24. X. de cens.* vel *permutatoria*, qualia apud veteres in usu fuerunt, & hodie quoque inter amicos obtinent, vel *mercenaria*, de quibus hic tantum sermo est *v.* LEYSER *Jus Georg. l. 3. c. 19. §. 1. seqq.*

§. 2. Hospitium mercenarium est *Ædificium, in quo advenæ,*

cum rebus ſuis, pro mercede ſuſcipiuntur, ac iis, quæ ad vitam ſuſtentandam & quietem capiendam, neceſſaria ſunt, inſtruuntur. Dicitur etiam Diverſorium *l. 3. in quib. cauſ. pign.* taberna *l. 13. §. 4. de damn. infect.* caupona *l. 29. C. ad L. Jul. de adult. l. 13. de inſtr. legat.* meritorium *l. 5. §. 5. de injur. l. 13. §. 8. de uſufr.* &, pro ratione hoſpitum receptorum, ſtabulum *l. 1. §. 5. naut. caup. ſtabul. v.* LEISER *d. c. 19. §. 18. 19.*

§. 3. Eſt autem concepta definitio ſecundum uſum legitimum & neceſſarium, nam alias ignotum non eſt, quod plerumque in diverſoriis ea quoque occurrant, quæ peregrinatorum intemperantiam ſtimulent, *v. l. 29. C. ad L. Jul. de adult.* ut &, quod incolarum commeſſationibus & ludis eadem ſimul inſerviant, vel etiam, in illum finem, unice habeantur. Hinc diſcrimen cauponum hoſpitalium & cereviſiariorum, *der Gaſt- und Schenckwirthe*, ſub quibus etiam, quos vetuſtas ignoravit, *die Coffeeſchencken*, comprehenduntur, innotuit. De cætero illa fere omnia, quæ uſum neceſſarium excedunt, improbari debent.

§. 4. Inſtituere diverſorium, eoque fine ſignum aliquod ſuſpendere, dominii effectus videtur, hinc cuivis domino tamdiu illud licitum cenſeri debet, donec reſtrictio probetur. Poterit autem libertas illa reſtringi vel per *conventionem expreſſam*, vel per *præſcriptionem*, vel inprimis per *legem publicam*, quo reſpectu, jus hoſpitii habendi Regalibus annumerari ſolet *v.* KLOCK. *V. 1. Conſ. 8. n. 125.* adeo ut illud vel ab Imperante, vel, ex hujus conceſſione, à Domino Jurisdictionali, impetrandum ſit. In dubio tamen pro libertate erit pronunciandum *v.* LEISER *d. c. 19. §. 20. ſeqq.*

§. 5. Is qui publicum hoſpitium inſtituit, neceſſario hoſpites recipere tenetur LEISER *d. l. §. 23. ſeqq.* quod tum verum videtur, ſi cum jure prohibendi diverſorium exerceat, non, ſi ex communi dominii jure. De cætero cauponariam immediate exercere, infra dignitatem Nobilium & Clericorum eſſe cenſetur, in ſe tamen inhoneſtum, ac homine ingenuo indignum non eſt, modo abuſus abſit; Hic vero in eo conſiſtit, quod tabernæ plerumque commeſſationibus, luſui & Veneri inſerviant *v. l. 43. pr. de R. N.* ac caupones pecunia hoſpites nimis emungant.

§. 6.

§. 6. Solent quidem ei leges opponi, ſed cum in illum plerique mortalium inclinent, hinc hæ raro ſervantur, ac abuſus impune exercetur, modo modica cautio accedat. Gravior exceſſus eſt, ſi delictorum, ſocietatem civilem turbantium, rei, ut latrones, violatores pacis publicæ, Cingari, relegati, fures, & ejus generis alii, hoſpitio excipiantur, in quem adeo ſeverius animadverti ſolet *v. l. 13. de offic. Præſ.* LEISER *d. c. 19. §. 31. ſeqq.*

§. 7. Inter hoſpitem activum & paſſivum, ſeu viatorem *v. l. 2. naut. caupon. ſtabul. l. 19. §. 2. de judic. l. 239. §. 4. de V. S.* LEISER *d. l. §. 67.* facta receptione, cenſetur initus quaſi contractus, per quem ille huic omnem ſecuritatem promiſiſſe cenſeatur, adeo ut damnum, ſine ſua culpa, viatori illatum reſarcire quoque debeat *v.* LAUTERB. *C. J. naut. caup. ſtabul.* quam ſententiam, quoad obligationis rigorem, fere etiam probavi OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 137. in fin.*

§. 8. Sed, re rectius expenſa, & quaſi contractum, & obligationem adeo rigidam gratis fingi, exiſtimo. Juxta rei veritatem, inter cauponem & viatorem, quoad uſum rerum concedendarum, *locatio conductio*, quoad cibaria vero, *emtio venditio* initur, & caupo inſuper omnem diligentiam promittit, omnimodam vero ſecuritatem, nullis caſibus turbandam, haud quaquam pollicetur, tam ampla enim promiſſio, & à communi ratione abhorret, nec jure Romano adſtruitur, hinc etiam, ad damni reſtitutionem, non aliter obligatus dici poteſt caupo, quam ſi culpam commiſerit.

§. 9. Poſſunt illa facile ad liquidum deduci. Indoles contractus laudati, ſatis eſt manifeſta *v. l. 5. naut. caup. ſtabul.* nec aliud in *l. 3. §. 1. cod.* adducitur locationis & hujus negotii diſcrimen, quam diverſa culpæ præſtatio, quod mere accidentale eſt, neque locationem negat. Promiſſio ſecuritatis fit tacite, jam cum caupo, publica profeſſione, hoſpites ad ſe velut invitet, eum omnem promiſiſſe diligentiam, æquitas colligi quidem jubet, ſed, damnum fortuitum illum quoque in ſe ſuſcepiſſe, ex nullo indicio apparet.

§. 10. Eadem eſt ſententia juris Romani. Cuſtodiam præſtare debet Caupo *l. 1. §. fin. l. 5. pr. naut. caup. ſtabul.* id quod, de ſumma diligentia, juxta ſuppoſitionem *l. 2. §. 1. de peric. & comm. rei vend. l. 5. §. 1. commod. l. 1. §. 4. de O. & A.* merito exponitur. Actio viatori datur,

ſi damnum injuria paſſus ſit *l. 6. pr. naut. caup. ſtabul.* Vim majorem non præſtat caupo *l. 3. §. 1. eod.* ergo, ob paritatem rationis, nec factum tertii, ſi ejus culpa non concurrat, ex quibus adeo qualitas factæ promiſſionis ſatis apparet.

§. 11. Equidem *non tantum factum famulorum, ſed & vectorum ac hoſpitum, nauta & caupo præſtare debere* dicitur *l. 1. §. fin. naut. caup.* verum quatenus ex debita cuſtodia aliquid omiſit, adeoque culpæ concurrentis reus eſt, ceu ex verbis præcedentibus merito colligitur. Non minus obligatus eſſe perhibetur, *etiamſi ſine culpa ejus res periit l. 3. §. 1. eod.* Sed contextus oſtendit, non omnem, ſed levem ſaltem culpam ibi removeri. Denique nec id obeſt, quod, ſi caponem ob culpam ſolum obligari dicamus, nulla futura ſit differentia inter actionem *de receptis*, ac, *in factum*, de qua in *l. 6. §. 3. l. 7. naut. caup.* nam diſcrimen nihilominus manet: Illa locum habet ob quamvis, hæc, graviorem culpam.

§. 12. His præſtructis, utriusque jura & obligationes, ſpecialius nonnihil conſiderabimus: Illi hoſpites, qui comeſtibilia & avenam ſecum afferunt, aut cibos crudos ſaltem parari ſibi cupiunt, parum ſunt accepti *v.* LEISER *d. c. 19. n. 77. 78.* neque tamen hoſpiti activo, jus ad emtionem cogendi competit, ſed nihil ei ſupereſt, quam ut hoſpites adeo parcos non recipiat. Vice verſa caupo ad prodigalitatem aliosque ſumtus non neceſſarios, hoſpites adigere non debet, quod etiam legibus provincialibus quandoque caveri ſolet *v.* LEISER *d. l. n. 40. 44. 45. 46.* ſed raro illæ uſum habent.

§. 13. Ne caupo eſculenta & potulenta corrumpat, & v. gr. vinum generoſum viliori, vel aqua temperet, commune etiam juris naturalis decretum exigit *v.* LEISER *d. l. n. 47.* Sed illud ſolerter eluſiſſe, inter præcipuas artes cauponarias plerumque habetur. Immodicis quoque exactionibus hoſpites vexare non debet caupo, ac in Saxonia Electorali, hujus rei cura Magiſtratui, ſub pœna centum aureorum, injungitur *v. Ordin. provin. de anno 1543.* tit. *von Wirthen. de anno 1555.* tit. *Zehrung. Ord. polit. 1612. tit. 17. Nov. Ord. polit. tit. 12. §. 1. 6.* LEISER *d. l. n 43.* Sed illa quoque raro obſervantur.

§. 14. Eorum vero, quæ caupo hoſpitibus, legitimum intra modum præſtitit, quo nomine ſchedulam ille exhibere, vel rationes confi-

conficere tenetur *v.* LEISER *d. c. 19. n. 42.* juſtum pretium ei utique debetur, quod adeo actione venditi & locati ille recte exigit, aut, quod compendioſius eſt, res hoſpitum tamdiu retinet, donec ſibi ſatisfactum ſit *v.* CARPZ. *p. 1. C. 30. D. 18. n. 7. p. 2. C. 25. D. 22. n. 4 ſeqq.* in rebus enim illatis habet tacitum pignus *l. 3. 4. in quib. cauſ. pign. tac.* imo prælationem *l. 6. §. 2. qui potior in pign.* Damni quoque ab hoſpitibus illati reſtitutionem iisdem mediis exigit *v.* LEISER *d. c. 19. n. 61. 62. 63. 70. 71. 76.* Aleatorum tamen receptatori, damnum & injuria impune infertur *l. 1. de aleator. v.* HUBER *in Eunom. Rom. ad d. l. 1.*

§. 15. Vice verſa caupones hoſpitibus ſecuritatem debent, tam quoad perſonas, quam res *v.* LEISER *d. c. 19. n. 48. 72.* Qui igitur eos ſpoliant, aut, quod gravius eſt, occidunt, dubio procul, velut fures & latrones puniendi ſunt. Non minus etiam hoſpites, qui ſuum præſtiterunt, cum rebus illatis, licet alienis, dimittere *l. 1. §. 7. naut. caup.* ac damnum ſua culpa datum reſarcire tenentur *l. 1. §. 8. l. 2. 3. 5. pr. eod.* CARPZ. *p. 2. C. 26. D. 10.*

§. 16. Illud nihil refert, ſive quis immediate, ſive mediate cauponam exerceat, illi tamen qui recipiendi poteſtatem non habent, exercitorem recipiendo non obligant *l. 1. §. 2. 3. 5. naut. caup. ſtab.* CARPZ. *p. 2. C. 26. D. 11.* quemadmodum etiam ille, qui diverſorium alii locavit, de damno non tenetur, nam ejus nomine illud non exercetur *v. l. 1. §. 4. de his qui effuder.* Specialis aſſignatio *v. l. 9. §. 3. de jur. dot.* non requiritur *l. 1. §. fin. naut. caup. ſtaub.* ſcientiam tamen generalem, quidam neceſſariam putant *v.* LEISER *d. c. 19. n. 50. 51.* ſed hoc perpetuum non videtur, cum etiam, ſine ſcientia, culpæ quandoque argui queat caupo: Neque ceſſat obligatio, licet quis gratis hoſpites receperit *l. 6. pr. naut. caup. ſtabul.*

§. 17. Uti autem hæc obligatio, eique reſpondens jus, ad lædentis & læſi hæredes tranſit *l. 3. §. 4. naut. caup. ſtab.* ita eos, qui ex neceſſitate vel amicitia hoſpites recipiunt, cauponariam tamen non exercent, non teneri cenſent *arg. l. 1. §. 1. eod. v.* LEISER *d. c. 19. n. 53. 54.* LAUTERB. *C. J. d. t. lit. P.* quod de cauponibus cereviſiariis, *den Schenck-Wirthen*, quoque aſſeritur *v.* DN. LYNCKER *Res Dec. Jen. Dec. 331.* Sed utrumque eo ſenſu accipiendum eſt, quod in illis culpa tam rigide non æſtimetur, ſicut in cauponibus hoſpitalibus.

§. 18. Ceſſat obligatio cauponis (1.) ſi ejus culpa abſit, per dicta §. 8. ſeqq. Hinc ſi quid vi majori contingat, aut in ſpecie, ſi fures, effractis foribus, quid abſtulerint, caupo regulariter non tenetur *v. l. 3. §. 1. naut. caup. ſtab.* LEISER *d. c. 19. n. 56.* DN. MYLII *concluſ. for. Lipſ. 1703. concl. 8.* Idem dicendum erit, ſi hoſpiti, dum res infert, aliquid ſurripiatur, niſi jam tum caupo eas in ſuam cuſtodiam receperit, quod circa nautas accidere ſolet *l. 3. pr. naut. caup. ſtab.* Culpa etiam abeſſe videtur, ſi fur audacior, ſub equiſonis vel domini ſpecie, equos palam abducat v. OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 140.*

§. 19. Ceſſat (2.) ſi viator ipſe in culpa ſit *v. l. 203. de R. J. l. 11. pr. ad L. aquil.* LEISER *d. c. 19. n. 55.* (3.) ſi pacto cuſtodia cauponi ſit remiſſa, dum prædixit hic, ſe damnum non præſtiturum, & viatores vel expreſſe, vel non contradicendo, conſenſerunt *l. 7. pr. naut. caup. ſtab.* LEISER *d. c. 19. n. 52.* Tacite etiam tale pactum cenſetur initum, ſi viatores rebus ſuis cuſtodem appoſuerint LEISER *d. l. n. 7.* DN. MYLIUS *ſelect. concl. for. concl. 9.* non vero, ſi caupo claves cubiculi hoſpiti ſimpliciter tradiderit *v.* LAUTERB. *C. J. naut. caup. ſtab. in fin.*

§. 20. Putem tamen, ob culpam & pactum viatoris, cauponem ſaltem liberari, à præſtatione culpæ levioris, non vero doli & culpæ magnæ, nam culpa, cum dolo, non recte compenſatur, nec viator, pacto ſuo, ad voluntariam læſionem, cauponem velut invitaſſe, exiſtimari poteſt. Quodſi, vice verſa, cauponi res ſpecialiter aſſignatæ, & in cuſtodiam traditæ ſint, non tamen putem, eum, de caſu fortuito, teneri, cum hoc pacto, omnis diligentia, quam alias tacite promittit, expreſſe ſaltem videatur eſſe promiſſa.

§. 21. Actio, qua præſtationes illæ exiguntur, *de receptis* dici ſolet *v. l. 1. §. 3. naut. caup. ſtab.* ac eſt *actio in factum prætoria, perſonalis, rei perſecutoria, qua hoſpites eorumque hæredes, à cauponibus & hæredibus, res illatas repetunt, & damni, culpa dati, reſtitutionem exigunt v.* LAUTERB. *C. J. naut. caup.* LEISER *d. c. 19. n. 80.* Deſcendere hanc actionem, ex contractu locationis & conductionis, ac, quantum ad damni reſtitutionem, præſupponere culpam, *§. 7. ſeqq.* oſtenſum eſt, hinc nomina actionis *de recepto, prætoriæ & in factum*, ſunt otioſa emblemata.

§. 22.

§. 22. Qui ad damni reſtitutionem agit, debet probare (1.) res illatas (2.) damnum (3.) quantitatem rei amiſſæ, & (4.) cauponis culpam *l. 2. de probat.* niſi forte hanc præſumi, dicendum ſit *arg. l. 1. §. 1. naut. caup. ſtab.* cum vero difficilis ſit probatio, æquum videtur, ut perſonæ non ſuſpectæ juramentum hic admittatur. Caſus fortuitus a caupone probandus dicitur *l. 2. C. de naufrag.* LAUTERB. *C. J. naut. caup. lit. O.* quod eo caſu verum eſt, quo abſentis res periiſſe dicuntur, nam alias probationi damni, quam læſus facit, probatio caſus fortuiti ineſt. Fere igitur tantum indiget caupo probationibus eliſivis, quibus culpam imputatam elidat.

§. 23. Quodſi famuli mercenarii vel inquilini hoſpites lædant, tum caupo, ob graviorem hanc culpam, alia actione in factum convenitur in duplum *l. 6. §. 3. l. fin. naut. caup. l. 5. §. f. de O. & A. l. un. §. fin. furt. adverſ. naut.* ex facto autem mancipii, ſolum obligatur ad noxæ deditionem *l. 7. §. 4. naut. caup. ſtab. l. un. §. 5. furt. adverſ. naut.* Datur etiam illa actio hæredi, ſed non contra hæredem *§. fin. I. de oblig. quæ quaſ. ex del. l. fin. §. fin. naut. caup. ſtab.* Poſſunt etiam læſi contra ipſos lædentes agere *l. 6. §. 4. eod. l. un. §. 3. 4. furt. adverſ. naut.* vel LAUTERB. *C. J. naut. caup. ſtab.* LEISER *d. c. 19. n. 58. 80.*

§. 24. Uti autem actio hæc in factum, ob cauſas *§. 18. 19. 20.* adductas, ceſſare quoque videtur, ita, cum non ſatis conſtet, num actiones dupli, receptæ ſint, hodie fruſtra ad eam læſus forte recurret, ac difficiliori probatione ſe fatigabit. Eſt etiam tam hujus, quam præcedentis actionis exitus, ob probationis difficultatem, & lubricam culpæ æſtimationem, valde incertus. Inter commoda tamen advenarum, refertur, quod ipſorum lites ſummariter ſint tractandæ *v.* CARPZOV. *Pr. tit. 1. art. 1. n. 71.* adeo ut, multis Germaniæ in locis, peculiare judicii genus, *das Gaſtrecht* obtineat *v.* LEYSER *d. l. 3. c. 19. n. 73. 74.* ſed raro forte hoſpites illo hodie fruuntur.

§. 25. Quodſi viatores ad Rempublicam referamus, tum huic illos ſubjici, manifeſtum eſt. Hinc urbem ingreſſuri nomen profiteri, alquando etiam arma, diſceſſuris reſtituenda, tradere, ac ab omni hoſtilitate abſtinere debent *v.* LEISER *d. c. 19. n. 69. 70. 71.* Ex eadem ſubjectione temporaria fluit, quod caupones, quibusdam in locis, deſignationem advenarum receptorum Magiſtratui exhibere, ac exortas

inter

inter illos rixas, ad eundem deferre teneantur LEISER *d. l. n. 41. 60.*

§. 26. Inprimis etiam Viatores legibus territorii, in quo hoſpitantur, ſubſunt quoad contractus, delicta, teſtamenta ac lites forenſes LEISER *d. l. n. 68.* Num vero id, quod juxta leges illius loci egerunt, alibi etiam valeat *v.* CARPZ. *p. 3. C. 6. D. 12.* ejus dijudicatio incidit in locum communem, de quo actum *l. 1. c. 10.* Collectis peregrinos directe ſubjicere, nimis fuerit invidioſum, nec opus eſt eo progredi, cum per indirectum ſatis ad tributa illi vocari queant *add.* LEISER *d. l. n. 75.* STRUV. *S. J. C. exerc. 2. §. 12. exerc. 50. §. 53.*

§. 27. Caupones, ad exemplum aliorum ſubditorum, regulariter utuntur jure communi. Aliquando autem ſingulare occurrere ſolet e. gr. quod lecti, qui in diverſoriis, in uſum viatorum habentur, Geradæ in Saxonia non annumerentur CARPZ. *p. 2. C. 14. D. 37.* Ab hoſpitatione militari diverſoria eſſe immunia, quidam ſtatuunt, ſed communis ſubditorum obligatio hic rectius aſſeritur. Si ſoli aut ultra modum, metatis graventur caupones, à cæteris ſubditis impendia pro rata refundi debent *v.* MEV. *p. 3. Dec. 63.* LEISER *d. c. 19. n. 64. ſeqq. conf.* SCHILT. *diſſert. de jur. hoſpit.* MOEBIUS *diſſert. de jur. hoſpit. mercenar.*

CAPUT XV.
DE BELLO.

SUMMARIA.

Tranſitus ad belli geſtionem §. 1.
Belli natura & varietas §. 2. 3.
Belli gerendi facultas, prudentia & jura §. 4.
Officium militum & Imperantis §. 5.
Inter ipſos milites occurrit imperium & obſequium militare §. 6.
Obligatio militum erga cives & ſocios §. 7.
Ut & amicos neutrales §. 8. 9.
Exercitui alimenta ſuppeditanda, quo fine etiam excurſiones pabulatoriæ fiunt §. 10.
Harum natura, exercitium §. 11.
Juſtitia §. 12.
Et leges §. 13.
Privatis per pabulationes dominium aufertur, alio commodo merito penſandum §. 14.
Controverſiæ ratione pabulationis inter privatos ortæ, ex generalibus caſuum fortuitorum principiis ſunt decidendæ §. 15.
Erga hoſtem quid liceat jure naturali aut gentium §. 16.
Sine permiſſu publico hoſtis lædi non debet §. 17.
Capti olim redigebantur in ſervitutem §. 18.
Quæ inhumanitas juris gentium glaucomate tegi ſolet §. 19.
Hodie ceſſat, ſervitus vel minimum ejus effectus quoad civitatem capti §. 20.
Servitutis penitus abolendæ nulla ſpes eſſe videtur §. 21.
Captivorum redemtio privata & publica §. 22. 23.

Occupa-

Occupatio rerum hoſtilium §. 24. 25. 26.
Salvæ gardiæ natura, cauſa efficiens §. 27.
Objectum, modus §. 28.
Finis, effectus §. 29.
Et duratio §. 30.
Tempore belli, defenſionis gratia, ſocietates aliquando ineuntur, quo inprimis pertinet admiralitas §. 31.
Hæc eſt privata & publica; illius indoles & effectus §. 32.
Certis legibus aliquando circumſcribitur §. 33.
Deſerens admiralitatem de damno tenetur, accepti vero reſtitutionem non exigit §. 34.
Admiralitatis publicæ natura §. 35.
Victoriæ conſectaria horumque abuſus §. 36.
In bello pactorum multiplex eſt uſus §. 37.

§. 1.

BElli duplex eſt conſideratio, vel quatenus *præparatur*, vel quatenus *geritur*. Priorem *l. 8. c. 17.* executi ſumus, poſterior, ex monito *c. 1. §. 1. h. lib.* nunc erit inſtituenda. Cum vero nonnulla prioris tractationis capita, in hanc poſteriorem etiam influant, præterea pleraque, quæ hic dici poſſunt, vel ex communi Gentium jure, vel ex Ordinationibus ſpecialibus dependeant, adeoque modum inſtituti noſtri fere excedant, hinc brevi delineatione nobis defungi licebit.

§. 2. Bellum, in ſenſu ſtrictiori magisque uſitato, eſt *ſtatus multorum hominum, vi vel aperta vel obliqua, propter jus controverſum, certantium, aut, omiſſa vel ultro vel ex pacto ad tempus hoſtilitate, certandi propoſitum retinentium.* Eſt bellum vel *juſtum*, quod injuſtam offenſionem præſupponit, vel *injuſtum*, quo ſine cauſa alii læduntur. Aliquando juſtum, in injuſtum degenerat, ſi *modus gerendi* excedatur, quod plerumque fieri ſolet.

§. 3. Alias bellum dividitur in *ſolenne*, quod à libero, juſtique nominis populo, poſt præviam indictionem, ſuſcipitur, & *minus ſolenne*, quod vel ſine indictione, vel ab iis, quibus juſti populi dignatio non tribuitur, ut latronibus & ſubditis, geritur. Sed hæc diviſio, commentum eſt gentium bellicoſarum, fucandæ bellorum injuſtitiæ, inventum, de quo, aliisque generalibus, in Jurisprudentia univerſali, pleniusagitur *v.* OBSERV. PUFENDORF. *Obſ. 684. ſeqq.*

§. 4. In Germania, jus belli gerendi, non tantum competit toti Reipublicæ, ſed & ſuo modo ſingulis imperii Statibus *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 3. c. 5. §. 53. ſeqq. l. 6. c. 8. §. 23. ſeqq. l. 6. c. 8. §. 10. ſeqq. vid.* STRYK. *diſſert. de jur. milit. imperial.* ut & *de jur. milit. circular.* nec

non *de milit. provinc.* Quomodo bellum recte valideque gerendum ſit, prudentia bellica docet, jura vero, circa ejus geſtionem, occurrentia, juxta quatuor reſpectus, delineari poſſe videntur. Milites enim conſiderantur, vel (1.) ratione Imperantis, vel (2.) inter ſe vel (3.) ratione amicorum vel (4.) hoſtium.

§. 5. Imperanti ſuo milites fidem præſtare debent, hinc tam in defendendis fortalitiis, quam in expeditionibus bellicis, prudenter & fortiter ſe gerere tenentur *v.* D. SCHOPFER *diſſert. de offic. Præf. Caſtell ad extrem. obligat.* BODIN. *de obſeq. milit. in defend. præſid.* ENGELBRECHT *de militant. offic. in expedit. bell.* Contra illud officium præcipue peccatur proditione & deſertione, quæ, aliaque delicta graviter puniri ſolent *v. l. 7. de re milit. l. 3. in fin. ad L. Cornel. de ſicar. Reuterbeſtall. 1570. art. 62. 63. add.* SCHOPFER *diſſert. de milit. deſert.* WÖLCKER *diſſert. inaug. de transfug.* Vice verſa Imperans militibus ſtipendia & annonam præſtare, ac, finita expeditione, de hoſpitiis proſpicere tenetur, poſſuntque huc referri, quæ *l. 8. c. 17. §. 7. ſeqq.* diximus.

§. 6. Si milites inter ſe ſpectentur, multiplex, quoad eos, occurrit ſubordinatio, ex qua imperium & obſequium militare exiſtit. Solet autem illud, valde rigidum & deſpoticum eſſe, plerique tamen libenter ſe ei ſubmittunt, quo, mandati militaris prætextu, alia officia quandoque negligere, ac erga alios eodem imperii genere uti queant. Inobedientia etiam graviter punitur, quod in ſponte allectis ſuumque accipientibus injuſtum non eſt. *conf.* MÜLLER *diſſert. de mandat. Duc. milit.*

§. 7. Amici, ad quos etiam milites referri poſſunt, ſunt triplicis generis, *cives, ſocii* & *amici nudi.* Quoad illos & iſtos, officium militum eſt, eos, contra hoſtes, defendere *v.* MÜLLER *diſſert. de copiis auxiliatr. ſtatuum imper.* ac nulla ratione lædere. Quodſi, ex rationibus bellicis, læſio evitari nequeat, damnum illatum, ex æquitatis præſcripto, erit reſarciendum. In ſpecie tranſitus militum debet eſſe innoxius *v. R. J. 1570. §. 5. ſeqq. R. J. 1582. §. 32. ſeqq. R. J. 1598. §. 31. R. J. 1603. §. 10. R. J. 1641. §. 43. J. P. W. art. 17. §. 9. R. J. 1654. §. 178.* FRITSCH. STRYK. MÜLLER *de tranſit. militar.* Sed quam parum illa ſerventur, experientia docet *v.* SCHWED. *introd. ad J. P. part. ſpec. ſect. 2. c. 16. §. 11. 12.*

§. 8.

§. 8. Amici nudi, communiter *neutrales* dicuntur, quia neutri parti sunt addicti, sed utriusque potius amici. Quibus vero liceat esse neutrarum partium, tum quæ illorum, erga belligerantes, vel horum, erga illos, tam juxta merum jus naturæ, quam speciales conventiones, sint officia, id omne, ex communi Gentium Jurisprudentia repeti, adeoque hic præsupponi, non prolixe inculcari debet *v.* VOSSENHÖLII *dissert. de neutral.* DN. FRANCKENSTEIN *dissert. de his qui neutr. in bell. part. sequ.*

§. 9. Summa officii in mutuæ amicitiæ exhibitione consistit, hinc belligerantes Statum neutralem lædere non debent, aut si omnino, ex rationibus bellicis, damnum ei inferendum sit, ejus restitutio bona fide præstanda est, sin secus fiat, bello causa præbetur, quod tamen plerumque rationes status dissvadent. Vice versâ pars neutralis, non tantum, à positiva belligerantium læsione, abstinere, sed & actus amicos, alteri parti nocituros, omittere tenetur, alias à parte læsa, hostiliter tractari potest *v.* DN. COCCEJ. *dissert. de bell. in amic.* ZIEGLER *de J. M. l. 1. c. 41. §. 28. 29.*

§. 10. Inprimis milites, intuitu hostium, spectandi sunt, antequam tamen eo progrediamur, primo eos, velut in medio amicorum & hostium, considerabimus. Quando exercitus in expeditionem educitur, tum, prout res tulerit, modo in solo hostili, modo in pacato, castra ponit. Res igitur exigit, ut alimenta, aliaque ad sustentationem necessaria, apparentur, hoc, ut aliis mediis, ita etiam pabulatoriis excursionibus, *durchs fouragiren*, ab omni retro memoria usitatis, obtineri solet.

§. 11. Excursio pabulatoria est *actus, publica autoritate & directione susceptus, quo, in usum jumentorum castrensium, pabula conquiruntur & comportantur.* Debet actus ille publica autoritate & directione suscipi *v. Reuter-Bestallung de anno 1570. art. 60. 90.* adeoque excursiones, privato ausu susceptæ, vel posthabitis ordinationibus institutæ nomen illud, ne quidem jure militari, merentur, sed pro furtis & latrociniis haberi debent. Publicæ autem excursiones, pro ratione indigentiæ, magis minusque, tam ratione locorum, è quibus pabula petenda, quam pabuli ipsius, solent esse restrictæ.

§. 12. Excursiones pabulatoriæ, in solo hostili institutæ, eatenus justæ sunt, quatenus ipsum bellum justum est, in iisque exercendis mo-

dus ſervatur: lis vero, quæ erga cives ſocios & amicos, ut & ſubditos hoſtiles, qui ratione tributorum pacti ſunt, ſuſcipiuntur, ſpecioſa quidem dominii eminentis & neceſſitatis nomina prætexuntur; ſed ut hæc jus dent pabula auferendi, obligationem tamen ad ſolvendum pretium non tollunt, hanc vero milites haud agnoſcunt.

§ 13. Interim jure militari excurſiones illæ, licitæ ſunt, earumque exercitium ſpecialibus ordinationibus amplius determinatur, quarum ſumma eo tendit, ut pabulatores, ab incurſibus hoſtilibus tuti præſtentur, ac pabulationis modus, addita pœna, præſcribatur, ne ii, qui hæc incommoda ſuſtinent, ultra modum affligantur, vel improvida diſpenſatione pabula, in longius tempus ſuffectura, perdantur. Aliquando etiam, prohibitis excurſionibus, pagani pabula advehere jubentur, quod militibus parum acceptum eſſe ſolet *conf. l. 2. 3. C. de paſc. public. & privat.*

§. 14. Per pabulationes privati rerum ſuarum dominium amittunt, ubi legulejum eſt, amiſſionem, ex ficta quadam traditione, repetere. Quodſi exercitus, relicto pabulo comportato, caſtra ſubito moveat, tum dominis volentibus illud eſſe reſtituendum, nec cuivis occupanti concedendum, manifeſta æquitas jubet. Eadem exigit, ut læſis vel ex ærario publico, vel cæterorum contributione, damnum reſarciatur, vel onera publica, pro ratione damni illati, remittantur.

§. 15. Quodſi autem, ut plerumque fit, nulla ſequatur reſtitutio, tum inter privatos, variæ quæſtiones, intutu damni hujus, emergere poſſunt. E. gr. an conductoribus vel emphyteutis, mercedis aut canonis remiſſio, ſit concedenda; an creditoribus antichreticis, ad minuendum fructuum perceptorum exceſſum, pabulationes illæ proſint? & ſimiles, quæ, ex generalibus caſuum fortuitorum principiis, pro dominii, contractus, conventionis ſpecialis, ac damnorum emolumentorumque diverſitate, decidi debent *v.* D. GRASS. *diſſert. de eo quod juſt. eſt circ. pabulat. milit. excurſ. hab. Tubing. 1698.*

§. 16. Poſtea milites propius cum hoſtibus conferendi ſunt. Erga hoſtem injuſtum, & voluntate viribusque nocendi inſtructum, etiam jure naturali, in infinitum læſionem extendere, adeoque perſonas occidere, capere & res occupare licet. Sed jure, i. e. conſvetudine gentium, juſtitiæ intrinſecæ nulla habetur ratio, verum utriusque par-

partis eadem ſunt jura, modo bellum habeat, requiſita, gentibus belli-coſis probata *v. l. 5. §. fin. de A. R. D. c. 4. ſeqq. C. 23. qu. 1. Ord. eqneſt. 1570. art. 84. 96.* CARPZ. *p. 4. C. 35. D. 8.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1431.*

§. 17. Eſt autem læſio & occupatio bellica, vel *publica*, quæ decreto & apparatu publico, vel *privata*, quæ permiſſu quidem publico, ſed mediis privatis ſuſcipitur, cujus exemplum præcipue occurrit in iis, qui autoritate publica prædatoriam in mari exercent, hi enim jure belli gaudent, nec pro piratis habentur. Solis igitur militibus, aut quibus ab Imperante id permittitur, hoſtilitatem exercere licet *vid.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1432. ſeqq.*

§. 18. In bello occiduntur aut capiuntur perſonæ cujuscunque conditionis *v. l. 19. §. fin. de captiv.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1436. 1437.* & quidem vel ſpecialibus excurſionibus ac velitari pugna, vel ſolenni prælio; Aliquando etiam obſeſſi, victorum clementiæ ſe dedere coguntur *v.* D. SCHEINEMAN *diſſert. de dedit. ſub clauſ. clement. & diſcret.* Olim captivi in ſervitutem redigebantur, adeo ut Romani, ab hoſtibus capti, in Republica etiam Romana pro ſervis haberentur *l. 7. de A. R. D.* niſi latrones, quos vocabant, eos cepiſſent *l. 13. qui teſt. fac. poſſ. l. 19. §. 2. l. 24. 27. de captiv. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1435.*

§. 19. Scilicet ſervitus, ſi Diis placet, eſt ex jure gentium, adeoque ab hoſtibus impoſitam, Romani quoque, in ſua civitate, admittere debuerunt, ſed illud jus gentium, commento legis Corneliæ & juris poſtliminii iterum eluſere *v. l. 12. qui teſtam. fac. poſſ. l. 29. de vulg. & pupill. ſubſtit. l. 11. 12. de captiv.* Ex quo probabile eſt, quod, cum Romani præcipui iniquitatis illius autores fuiſſe videantur, amovendæ ſaltem inhumanitatis ſuſpicioni, juris Gentium glaucoma objecerint, quaſi ſcilicet non ultro ſervitutem, ſocialitati contrariam, introduxerint, ſed ſublimiori & velut indiſpenſabili principio, nolentes volentes ſe ſubmittere debuerint.

§. 20. Hodie inter Chriſtianos, teſte notiſſima praxi, ſervitus ceſſat *v. Reuterbeſtall. 1570. art. 94. 95.* GROT *de J. B. P. l. 3. c. 7. §. fin.* Licet vero, inter chriſtianos & infideles, illa adhuc obtineat, attamen, ultra Rempublicam capientium vel detinentium, ſervitus illa effectum non habet, in civitate vero, ex qua quis captus eſt, captivus, non pro ſervo, ſed homine libero abſente habetur, adeoque inſulſis Legis

Digitized by Google

Corneliæ & Juris poſtliminii fictionibus, quarum illa mortuum, ante captivitatem deceſſiſſe, hæc vero, reverſum, nunquam in captivitate fuiſſe, fingebat, non indiget.

§. 21. Sane contrarium, ex præjudicio ſaltem legulejo, quo quævis Romana, improba licet vel inepta, magni æſtimantur, aſſeritur; Hoc autem exploſo, capti ab infidelibus, jura ſua, in Republica chriſtiana, retinent, reverſi continuant, mortui vero, à tempore mortis, amittunt. *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1443.* De cætero nulla ſpes ſupereſſe videtur, fore, ut, inter chriſtianos & infideles, ſervitus quoque aboleatur, cum odium ex religionis diverſitate exortum, ſit maxime inveteratum, ac Cleri infidelis, papalis & papizantis improbitas, frigidam hic ſemper ſuffundat *conf.* ROMAN. *diſſert. de captivit.* THANNER *de captiv. in bell.*

§. 22. Aliquando etiam capti redimuntur, & quidem vel propria, vel aliorum privatorum, vel publica pecunia *v. l. 20. ſol. matrim. l. 21. C. de SS. Eccleſ. Nov. 7. c. 8. Nov. 115. c. 3. §. 13.* Redemti lytrum, ab aliis ſolutum, reddere tenentur, niſi vel ab initio, vel ex poſtfacto id iis donatum ſit *l. 2. 11. 17. C. de poſtlim. reverſ. l. 12. §. 7. 17. ff. de captiv. l. 43. §. fin. de Legat. 1.* recipiunt etiam jura libertatis, redemtori tamen, donec lytrum reſtituant, jure pignoris obligantur *l. 2. 8. 12. 15. C. de poſtlim. reverſ. v.* LAUTERB. *C. J. de captiv. in fin.*

§. 23. Hodie de ſtatu redemtorum non amplius laborandum eſſe, ex modo dictis apparet; Ipſa vero redemtionis jura, & naturalia ſunt, & adhuc obtinent. Cum etiam hodie, ceſſante ſervitute, redemtiones ſint frequentiores, ideo certa pacta, inter belligerantes, eo nomine iniri, ac mutua captivorum permutatione, vel certo aliquo lytro, illæ fieri ſolent. Quodſi quis ſe ipſum redimat, à ſacramento ſuo liberari videtur, cum dominus non redimens, ipſum videatur dereliquiſſe. Aliquando, deſperata redemtione, captivi operas ſuas, nolentes volentes victori addicunt *conf.* MÜLLER *diſſert. de eo quod juſt. eſt circ. redemt. captiv.* HERT. *diſſert. de lytro.*

§. 24. Porro in bello occupantur omnis generis res, mobiles & immobiles *l. 20. §. 1. de captiv. l. 36. de religioſ. l. 4. de ſepulchr. violat.* ſi vero res amicorum in ſolo hoſtili deprehendantur, illas dominis reſtitui jubet æquitas *v. l. 5. §. f. de A. R. D.* Jura vero in res hoſtiles compe-

competentia, occupantes sibi quidem asserunt, sed solidum jus demum à secuta pace dependet. Si chirographum occupatum sit, tum occupans debitori quidem illud donare, atque debitum remittere potest, sed sicut alteri parti res amissas recuperare, ita debitum etiam, non obstante illa remissione, exigere licet, nisi conventione omne jus dimiserit *v.* OBSERV. LAUT. *Obs. 1438.*

§. 25. Occupari etiam possunt res hostiles, in territorio amici repertæ, dominum tamen territorialem, hostilitatem prohibere posse, ex natura imperii liquet, ac referri huc possunt argumenta, ex *§. 12. J. de R. D. l. 16. de S. P. R. l. 13. §. 7. de injur.* deducta *v.* LAUTERB. *C. J. de captiv. lit. fr.* Vix tamen dominus, potentia destitutus, jure suo utitur. Res autem occupatæ, ad eum pertinent, cujus auspiciis bellum geritur, qui tamen res mobiles plerumque militibus capientibus permittit, imo, si stipendia non solvantur, concedere debet, secundum quæ, accipiendæ *l. 5. §. 7. l. 51. §. 1. de A. R. D. l. 20. §. 1. de captiv. l. pen. ad L. Jul. pecul. l. 36. §. 1. C. de donat. v. Reuterbestall. 1570. art. 96. 203. 205. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1444.*

§. 26. Cum acquisitio bellica, mera vi constet, facile liquet, nihil acquisitum censeri posse, nisi quod occupatum est, neque ejus veritas, ex legibus Romanis *l. 5. §. f. l. 7. pr. l 51. §. 1. de A. R. D. l. 1. §. 1. l. 18. §. f. de A. A. P.* & similibus, repeti debet. Per occupationem autem indistincte, hosti occupanti acquiritur, nec opus est, ut res in præsidium sit translata, aut bello solenni occupata *v.* LAUTERB. *d. l. lit. fr.* quis enim hosti capienti leges præscribet? intuitu tamen postliminii, illarum circumstantiarum habetur ratio *l. 5. §. 1. l. 21. §. 1. de captiv. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1439. 1440. 1441.*

§. 27. Aliquando in solo hostili, impediendis direptionibus, *salva gardia* incolis conceditur. Hæc generalius accepta, notat quamvis protectionem specialem & extraordinariam, sed hoc loco est *protectio sive securitas, personis & rebus, plerumque sub conditione certi pretii solvendi, ab hoste concessa.* Concedit eam Dux hostilis, qui cum imperio est, aliquando etiam alii hoc jus sibi arrogant, quo incolas, sub hac specie, pecunia emungant, qui condigno supplicio merito afficiuntur *v.* D. ENGELBRECHT *dissert. de Salv. gardia c. 1. 2.*

§. 28. Conceditur salva gardia personis cujuscunque conditionis,

nis, aut rebus, vel, quod frequentius eſt, utrisque ſimul, inprimis ad integras quoque univerſitates illa extenditur. Solet autem vel militibus, vel literis patentibus aliisve ſignis conſtitui; prior modus in bello frequentior eſt, debetque ille, qui cuſtodiæ cauſa ſe miſſum eſſe dicit, hoc legitime probare, impediendæ fraudi, quæ hic non infrequens: ſi poſterior modus interveniat, tum literæ affigi, vel ſigna imponi debent *v.* ENGELBRECHT *d. diſſert. c. 3. 4.* Regulariter vero ſalva gardia, ſub conditione certi alicujus pretii ſolvendi, conceditur.

§. 29. Finis ſalvæ gardiæ, ratione concedentis, eſt, ut ille tributa eo certius percipiat, vel etiam ut imperans belli Dux, prædam, quam cæteris invidet, ſolus conſequatur. Incolæ autem facile illam admittunt, vel ultro etiam expetunt, cum ex duobus malis, minus ſit eligendum. Conceſſa ſalva gardia, concedens ſecuritatem præſtare, nec intempeſtive illam revocare tenetur; Incolæ vero ſecuritate gaudent, modo ipſi conventionem quoque impleant ac ab hoſtilitate abſtineant: Denique milites hoſtilitatem omittere, ac ſecus facientes, ad damni reſtitutionem adigi, & pœnis ſubjici debent *v.* ENGELBRECHT *d. diſſert. c. 5.* Sed hic ſæpe bonam fidem deſiderare licet!

§. 30. Deſinit ſalva Gardia, ſi cauſa, ob quam, vel tempus, ad quod, conceſſa fuit, deſinant, hinc, exercitu caſtra movente, ſalvæ gardiæ vivæ revocari ſolent. Morte etiam concedentis, vel ſuperioris Ducis ſupervenientia, illa extinguitur; Cavendum tamen hic erit à fraude, ne incolæ pecunia probe emuncti, prætextu Salvæ gardiæ ceſſantis, direptui exponantur. Denique, ſi impetrans ſit mortuus, vel fidem non ſervet, ſalvam gardiam quoque exſpirare, certum eſt. Sed hic plerumque prætextus magis, quam vera cauſa ſuberit *add.* D. ENGELBRECHT *d. diſſert. c. 5. §. 9. 10. 11.*

§. 31. Aliquando etiam, tempore belli, defenſionis gratia, ineuntur ſocietates, tam *terreſtres*, quales ſunt, quas *Caravanen* vocant, quam *maritimæ*, quæ nomine *Admiralitatis* vulgo veniunt. *v.* GROT. *de J. B. P. l. 2. c. 12. §. 4.* Hoc nomen deſcendit, à nomine Admiralii *v. l. 46. ad SCt. Trebell.* hoc autem non ab admiratione, ſed arabico, *Emir* ſive *Amira*, quod Principem notet, & græco ἅλιος, *marinus*, derivari cenſent. Alias Admiralitas notat ipſam præfecturam navalem, quam etiam Admirallatum vocant.

§. 32.

§. 32. Distinguitur admiralitas, quæ hujus loci est, in *privatam* & *publicam*. Illa est *societas, à privatis, ad securitatem commercii maritimi, inita;* Quousque igitur hæc societas se extendat, id ex conventione partium, quæ instrumento publico, *admiralschaffibrieff*, comprehendi solet, intelligendum est. Plerumque autem socios obligat (1.) ad servandam societatem (2.) mutuam defensionem, *wen eine admiralschafft gemacht ist, so ist das volck schuldig, sich zu wehren* (3.) ad damnum acceptum, pro rata, resarciendum (4.) ad prædam communicandam.

§. 33. Quia etiam societas hæc, publicæ utilitatis rationes attingit, hinc legibus specialibus dirigi solet. E. gr. ne naves è portu solvant, nisi certum numerum conficiant: ut, antequam abeant, visitentur, num bene instructæ, ac ad prælium aptæ sint, nec ne: non minus, ut cum bonis taxentur, quo contributio, forsitan facienda, eo expeditius suscipi queat; Aliquando etiam modus navigationis & defensionis, certis articulis exprimi solet.

§. 34. Si quis admiralitatem deserat, is damnum acceptum, sibi imputare, id vero quod societati, hac desertione, infertur, resarcire tenetur. Si tamen, ad certum itineris spatium, *v. gr. bis sie die höhe erreichet*, admiralitati se quis saltem adjunxerit, tum, illo emenso, impune recedit, quemadmodum etiam ob justam causam, *v. gr. wenn er eilfertig wäre, und der übrigen schiffe nicht erwarten könte*, admiralitati renunciare potest.

§. 35. Admiralitas publica, est *collegium ab Imperante institutum, quo totius rei navalis ac præcipue commerciorum maritimorum curam gerat:* Alio sensu publica admiralitas, dicitur illa societas, quam liberæ gentes, ob securum & commodum commerciorum usum, ineunt; sed putem tamen, huic vel conventioni vel societati, nomen admiralitatis rarius tribui. Ad illud admiralitatis collegium, totius rei navalis cura, ac inprimis jurisdictio in controversias maritimas, pertinet. Ab illo etiam naves mercatoriæ, bellicas conductrices, *convoyschiffe* accipiunt *v.* VASMER *dissert. de admiralitate hab. argentor. 1674.*

§. 36. Ut victoriam, in bello obtentam, victor, præsupposita justa causa, prosequatur, id justitia pariter ac prudentia exigit: Inhumanitas

tamen ac insolentia abesse debet *add.* COCCEJ. *dissert. de jur. victor. diversf. à jur. bell.* Ob res prospere evenientes, liturgia institui, ac inprimis solenne illud canticum: *Te Deum*, cantari solet. Quæ res uti in se optima est *v. Exod. 15. 11. Chron. 20. 27.* ita abusu sæpe corrumpitur, nam, ut taceam ἐπιχαιρεκακίαν, quæ intervenire solet (hæc enim leve & vix attendendum inter homines censetur esse vitium) non raro stultitia & improbitas gravior, totum illud negotium dirigit.

§. 37. De cætero, tempore belli, varias conventiones, tam ratione belligerantium, quam amicorum, occurrere, res ipsa & experientia satis docent. Potest enim conventio iniri, ratione neutralitatis *v.* §. *8.* urbium expugnatarum *v.* §. *18.* redemtionis captivorum §. *23.* securitatis §. 27. commerciorum §. *35.* induciarum *v. l. 19.* §. *1. de captiv.* & pacis: Huic conciliandæ quandoque alii interveniunt, ac initæ fidejussionem velut in se suscipiunt. Sed de his, cum omnibus gentibus fere communia sint, in Jurisprudentia universali agendum est. *add.* BECHMAN *dissert. de bell. commerc.* COCCEJ. *dissert. de offic. & jur. mediator pac.* nec non *de gvarand. pac.* SCHILT. *de jur. obsid.*

CAPUT XVI.
DE JURE POSTLIMINII.

SUMMARIA.

Postliminii duplex consideratio male vulgo negligitur §. 1.
Postliminii ratione belligerantium spectati natura & fundamentum §. 2.
Circa id nihil, nisi receptio rerum, spectandum §. 3.
Postliminii ad subditos relati indoles & origo §. 4.
Habet illud locum in personis §. 5.
Quod hodie nullius usus §. 6.
Et rebus, modo sit bellum solenne §. 7.
Quod tamen aliquando non necessarium §. 8.
Ac res in hostium præsidium fuerit translata §. 9.
Postliminium obtinet in immobilibus, non vero regulariter in mobilibus §. 10.
Juris hujus ratio & extensio §. 11.
Res ad amici præsidia translatæ quatenus postliminio rediisse censendæ §. 12.
Crediti etiam inter liberas gentes est postliminium §. 13.
Quamdiu res in potestate hostium est, postliminium cessat §. 14. 15.
Ex duplici ejus consideratione, interpretum diversæ sententiæ facile conciliantur §. 16.

§. 1.

§. 1.

SÆpe contingit, ut perſonæ & res captæ, hoſti iterum eripiantur, aut illæ etiam propria ſolertia redeant, tum obtinet *Poſtliminium.* Hoc dupliciter conſiderari poteſt, vel ratione *belligerantium*, vel *ſubditorum ejus civitatis, quæ res amiſſas recuperavit.* Hos duos reſpectus dum Scriptores non diſtingvunt, ſæpe in explicandis rebus, non adeo involutis, ſe fatigant, aut ſententiam parum probabilem adſtruunt, vel adverſarios fingunt, ubi nulli ſunt.

§. 2. Primo reſpectu jus poſtliminii, eſt *facultas, qua civitas ea, quæ ab hoſtibus recepit, ſibi aſſerere & habere poteſt.* Fluit hoc jus, ex *jure naturali*, quatenus res injuſte ab hoſte antea ereptæ ſunt, ſed ratione juſte amiſſarum, & nunc receptarum, nititur ſaltem *jure*, i. e. *conſuetudine gentium*, qua ſcilicet, inſuper habita belli juſtitia, utriusque partis belligerantis eadem jura eſſe cenſentur.

§. 3. In hoc autem jure poſtliminii æſtimando, nulla eſt facienda rerum diſtinctio, neque modus aut tempus, factæ vel occupationis, vel receptionis, attendi, ſed hoc unice conſiderari debet, num vis hoſtium eluſa, & res recepta ſit, nam tum poſtliminium locum habebit: Nemo enim hoſtibus leges præſcribere poteſt, ſed ſicut alter omnes res ſibi acquiſitas putat, quas vi bellica cepit, ita eodem jure omnes res & perſonæ recuperatæ, ſimpliciter habent poſtliminium, i. e. hoſti recuperanti hactenus iterum ſunt acquiſitæ, ut eædem ad hoſtem, olim capientem, non amplius pertineant.

§. 4. Secundo reſpectu, jus poſtliminii, eſt *jus, quo perſonæ & res, ex hoſtium poteſtate liberatæ, priſtinum ſtatum, belli jure ſublatum, recipiunt l. 14. 19. de captiv.* Eſt illud, ex jure naturali, quatenus per injuriam ablata, in priſtinam conditionem redeunt *d. l. 19.* Præterea ejus origo juri gentium, ac informatio, juri civili tribuitur *vid.* LAUTERB. *C. J. de captiv. lit. a.* quorum prius, de jure civili nonnullarum gentium, poſterius, de jure civili, Romanæ vel alii genti proprio, accipiendum eſt.

§. 5. Locum habet jus poſtliminii in perſonis, cujuscunque conditionis *l. 19. §. f. de captiv.* hæ enim, ex hoſtium poteſtate liberatæ, li-

bertatem aliaque jura recipiebant, *l. 5. §. 1. l. 12. §. 1. 6. l. 16. 19. 24. de captiv. & postlim. l. 9. C. eod.* modo bello solenni captæ essent, nam alias jure postliminii non indigebant *l. 19. §. 2. l. 21. §. 1. l. 24. 27. de captiv. l. 13. qui testam. fac. poss.* Neque tamen omnibus reversis postliminium concedebatur *v. l. 4. 12. pr. l. 17. 19. §. 4. 5. l. 20. pr. l. 25. de captiv. & postlim. l. 1. C. eod.* neque eodem gaudentes, quoad omnia restituebantur *l. 23. §. 1. de A. A. P. l. 19. 20. ex quib. caus. major. l. 12. §. 2. l. 14. §. 1. de captiv. §. fin. J. quib. non est perm. fac. testam.*

§. 6. Hodie juris postliminii, quoad personas, nullum esse usum, *cap. præc. § 20 21.* jam ostensum est: Capti enim jura sua non amittunt, hinc reversi non indigent restitutione, sed jura retenta continuant. In specie captivitas, neque possessionem neque usu capionem amplius interrumpit. Stipendia medii temporis, postliminio non contineri, scriptum est in *l. 1. C. de re milit.* quod hodie etiam obtinet, est enim juris ordinarii, nam qui operas non præstat, mercedem petere nequit *v. l. 15. §. 6. locat. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1448. 1453. 1454. 1455.*

§. 7. Deinde etiam jus postliminii obtinet in rebus *l. 19. pr. de captiv.* quando scilicet jure belli amissæ, ac postea receptæ sunt, nam cessante amissione, non opus est postliminio & restitutione. Huic igitur recte intelligendo, respiciendum est ad *bellum, modum occupandi, & res ipsas.* Requiritur bellum *solenne* sive *legitimum jure gentium, l. 5. §. 7. de A. R. D. §. 17. J. de R. D.* hinc quæ in bello intestino & civili, aut per furta & latrocinia auferuntur, illorum jura manent prioribus dominis adeoque restitutione postliminii non egent *l. 21. §. 1. de capt. v.* CARPZ. *p. 4. C. 35. D. 8. n. 12. seqq.*

§. 8. Idem dicendum, si in bello cum latronibus gesto, quid auferatur, nam & hujus dominium, manet apud priorem dominum, nec adeo postliminio opus est *l. 24. 27. de capt.* Cum autem id fere ambitione Gentium definiatur, num gens aliqua, justi populi titulum mereatur, an latronum nomine diffamanda sit, nec segnius famosa illa appellatio retorqueri, quam inferri soleat, hinc facile fieri potest, ut etiam, quoad latrocinantem gentem, quæstiones, de jure postliminii, admittantur, quod exemplo Algerienſium ostendit GROTIUS *de J. B. P. l. 3. c. 9. §. fin. add. Decis. Saxon. 90.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1435. 1449.*

§. 9. Porro, in bello solenni, res ita ab hoste occupata esse debet,

ut

ut *in præſidium ſit translata l. 5. §. 1. de captiv.* vel, ut conſvetudine receptum perhibetur, *24. horas minimum, apud occupantem maneat* GROT. *de J. B. P. l. 3. c. 6. n. 3. in fin.* Hinc quæ, in fuga hoſtium, ſtatim recuperantur, non cenſentur amiſſa, adeoque, ſine interventu poſtliminii, dominis reſtitui debent *arg. l. 8. §. f. fam. erciſc. l. 44. in fin. de A. R. D.* CARPZ. *p. 4. C. 35. D. 9.* LAUTERB. *C. J. de captiv. lit. fr.*

§. 10. Poſitis illis requiſitis, *res ipſæ* tertio ſpectandæ ſunt. Res immobiles, ab hoſtium poteſtate liberatæ, habent poſtliminium, adeoque prioribus dominis reſtituuntur *l. 20. §. 1. de capt. l. 26. quib. mod. uſusfr. amitt.* ſed mobiles jure illo regulariter deſtituuntur ac militibus recuperantibus in prædam cedunt *l. 28. de captiv.* CARPZ. *p. 4. C. 35. D. 9.* ſervi tamen, naves onerariæ, & equi, freni patientes, poſtliminium habent *l. 2. pr. §. 1. l. 12. §. 7. l. 19. §. 5. de captiv. l. 12. C. eod.* Ex eo autem conſequitur, quod priores domini regulariter res amiſſas, à tertio poſſeſſore, qui à militibus eas comparavit, vindicare nequeant *v. l. 6. de captiv. & poſtlim.*

§. 11. Videtur vero ideo illud ſancitum, quo ſubditi, in rebus ſuis defendendis, eo eſſent fortiores, aut, ad res recuperandas, alacriores *v. l. 2. §. 2. de captiv. & poſtlim.* adeoque ſanctio illa talem reipublicæ ſtatum præſupponere videtur, quo incolæ, ſimul operas militares præſtare debent. Hoc ſi admittas, conſtitutio illa hodie ceſſare, ac omnes res mobiles poſtliminium habere debebant, cum milite conducto bellum geratur: ſed adeo illud non obſervatur, ut potius nullæ dominis reſtitui dicantur *v.* GROT. *de J. B. P. l. 3. c. 9. n. 15.* Forte, quæ eſt militaris diſciplinæ corruptio, ne illæ quidem reſtituuntur, quæ incontinenti recuperantur.

§. 12. Ex his quæſtiones controverſæ, facile explicantur. Quæritur *an poſtliminio locus ſit, ſi res ad amici præſidia pervenerint?* ſpectat hæc quæſtio præcipue poſtliminium, intuitu liberarum Gentium conſideratum, de cætero eam affirmat, ac Grotium Vinniumque, velut diſſentientes adducit LAUTERB. *C. J. de capt. & poſt. lit. a.* Verum omnis res facile conciliari poteſt; Si res ab hoſtium poteſtate liberata, ad amicum perveniat, tum poſtliminio locus eſt *l. 19. §. 3. de captiv.* ſi vero hoſtis eam adhuc teneat, poſtliminium ceſſat, niſi amicus ille, ſit

Digitized by Google

ſimul alterius ſocius, tum enim prædam hoſti eripere poteſt, hinc poſtliminio illa rediiſſe cenſeri debet *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1450. 1451.*

§. 13. Alia eſt quæſtio, *an Thebani à Theſſalis debitum recte exegerint, quod Alexander, Thebanorum victor, antea remiſerat?* Negat GROTIUS *l. 3. c. 9. n. 9.* inter alia cauſatus, *creditum non eſſe in eorum numero, quo poſtliminio redeant.* Verum incongrue illa dici, facile putet, eſt enim quæſtio de poſtliminio inter liberas gentes, quo reſpectu, nullam obtinere rerum differentiam communis ratio ſatis inſinuat *v. §. 3.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1438.*

§. 14. Genuenſes prædam Turcis ereptam, in portum communis amici, Reipublicæ ſcilicet Venetæ, detulerant, quæritur *an eo ipſo, ad Turcas, rediiſſe illa cenſeri queat?* Recte hoc negat CUNÆUS *in peculiari Reſponſo de jur. poſtlim.* ſed ad rationem ex *l. 5. §. 1. de capt.* deſumtam, quod Genuenſes prædam in præſidia ſua nondum transtulerint, adeoque Turcæ eam amiſiſſe non videantur, nihil aliud reſpondere poteſt, quam textum illum accipiendum eſſe de *liberis perſonis*, non etiam de *rebus captis*, has enim ſola occupatione acquiri.

§. 15. Sed illa reſponſio parum apta eſt, nam inter liberas gentes, de quibus hic quæritur, neque quoad perſonas, neque res captas, translatione in præſidia opus eſt, ſed ſufficit ſola occupatio & vis bellica, hac belligerantes acquirunt, retinent & recuperant. Neque aliud requirit *d. l. 5. §. 1.* nam agit illa, ut contextus oſtendit, de poſtliminio intuitu ſubditorum, denique ſi aliud requireret, in controverſiis liberarum gentium, juris Romani, qua talis, nulla eſt autoritas.

§. 16. Idem CUNÆUS *d. l. p. m. 401.* ait, *non ignobiles interpretes exiſtimare, quod etiam, quoad res captas, requiratur deductio in præſidia, eamque ſententiam eſſe communem, ſed mirum in modum erroneam, nec uſu populorum ſervari, verum conſtitutionibus potius, Gallorum Hiſpanorum ac Belgarum improbari.* Sed ſi interpretes illos intelligas de poſtliminio, intuitu ſubditorum ſpectato, tum ſententia nec à veritate abludit, nec Cunæo contraria eſt *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1446.* conf. REUSNER *diſſert. de captiv. & poſtlim.* COCCEJ. *diſſert. de poſtlim. in pac.* GRASS. *de eo quod juſt. eſt circ. recuper. bell.*

CAPUT

CAPUT XVII.

DE LÆTITIA ET CALAMITATE PUBLICA.

SUMMARIA.

Lætitia amicus naturæ humanæ affectus eſt §. 1.
Publicæ lætitiæ ſunt variæ ſpecies §. 2.
Sed plerarumque magnus eſt abuſus §. 3.
Genus humanum variis calamitatibus obnoxium eſt §. 4.
Quibus media licita opponi debent §. 5.
Inter calamitates etiam ſunt morbi, contra quos ars medica aliaque remedia comparata ſunt §. 6.
Artis medicæ diverſo tempore diverſa fuit conditio §. 7.
Ejus partes ſucceſſu temporis ſeparari cœperunt §. 8.
Eſt ars præſtantiſſima §. 9.
Curare debet magiſtratus, quo periti eam exerceant §. 10.
Non tamen ægrotos ad quorundam operam cogere §. 11.
Medicorum officium §. 12.
Neque gratis neque omnibus operas præſtare debent §. 13.
Ægrotus ab iis, quo ſalutis æternæ curam gerat, admonendus nec pecunia emungendus eſt §. 14.
Ob damnum illatum conveniri poſſunt §. 15.
Pharmacopolarum definitio & denominatio §. 16.
Differentia à mediciis, pigmentariis, ſeplaſiariis, ungventariis, laborantibus §. 17.
Et circumforaneis §. 18.
Pharmacopoliorum locus neceſſitas & utilitas §. 19.
Pharmacopolarum officium generale & ſpeciale §. 20.
Privilegia §. 21. 22.
Recte iis monopolium, etiam contra medicos, conceditur §. 23.
Regulariter praxin medicam omittere tenentur §. 24.
Curare debet magiſtratus quo in officio pharmacopolæ & adverſarii contineantur §. 25.
Quo fine Viſitationes inſtituendæ §. 26.
Earum tempus ſumtus §. 27.
Et omiſſio §. 28.

§. 1.

ORdinis *c. 1. §. 1.* deſignati, ratio exigit, ut, de hoc argumento, nunc etiam nonnulla proferantur. Lætitia, amicus naturæ humanæ affectus eſt, ac, ſi in plures diffundatur, *publica* dici poteſt, eodem ſenſu, quo in *tit. C. publ. latit. vel conſul. nunciat.* accipitur. Uti igitur homines, triſtitia, quæ animum corpusque velut carie quadam exedit, ejecta, merito lætitiæ ſtudent, ita cavendum eſt, nec hæc limites honeſtatis tranſiliat.

§. 2. Apud omnes gentes, varias lætitiæ publicæ ſpecies deprehendere licet. Eo pertinebant, apud Romanos, varii generis ludi & ſpectacula *v.* PEREZ *ad C. de ſpectac. & ſcen. tit. ſeqq.* Hodie ubique fere occurrunt bacchanalia, *v.* MACCAB. *l. 6. 7. v.* M. DIETZ. *aſſert. de*

Digitized by Google

de Bacchanal. hab. Lipſ. 1691. certamina ferarum, torneamenta ſimiliaque exercitia *v. l.* 1. *C. de aleator.* LEHMAN. *Chr. Spir. l.* 5. *c.* 1. *l.* 7. *c.* 90. 97. *in fin.* LIMN. *J. P. l.* 6. *c.* 5. Comediæ *v.* LEHMAN. *Chr. Spir. l.* 5. *c.* 21. *in addit.* oblationes votorum *v. l. un. C. de oblat. votor.* FRITSCH. *comment. ad d. l. un.* exercitia jaculatoria *v. l.* 9. §. 4. *ad L. aquil.* ZAHN. *Ichnograph. c.* 85. Encænia *v.* LIMN. *T.* 1. *addit. ad l.* 4. *c.* 8. *n.* 302. & ejus generis inventa alia.

§. 3. Sed pleraque illa lætitiæ genera dudum fidem decoxerunt, & quo major eſt libertas, eo gravior in iis eſt abuſus, ut ſatius ſit, eadem plane tollere, quam legibus circumſcribere. Quædam otium ignavum, ac pravi affectus & introduxerunt & auxerunt. Nonnulla originem quidem habent non erubeſcendam, iisdemque etiam hodie utilitas publica prætexi ſolet; ſed finis legitimus dudum ceſſavit, & nunc non alio pertinent, quam ut per ea cives ad otium aliosque pravos mores alliciantur. Interim nihilominus conſervantur, imo ſæpe inviti ad ejusmodi recreationes compelluntur, non aliam ob cauſam, quam quod nonnulli lucellum inde conſequantur.

§. 4. Calamitatibus genus humanum valde expoſitum eſt, nec tantum ſingulos illæ premunt, ſed ſæpe plures, in communionem miſeriæ, trahuntur, hinc calamitates, tam privatæ, quàm publicæ, non ſunt raræ. In univerſum autem illæ, vel à vi divina, vel hominum improbitate & culpa habent originem. Eo pertinent mala bellica, ſterilitas, fames & inedia, terræ motus, incendia, aquarum irruptiones & ejus generis alia.

§. 5. Sive autem, à vi divina, ſive hominum voluntate, calamitates dependeant, rationis eſt, ut iis media licita, quibus vel avertantur, vel imminuantur, opponamus. Inprimis igitur, ad auxilium divinum precibus confugiendum, præterea vero humana ſolertia illis, quantum fieri poteſt, occurrendum eſt. Sed ſæpe mali magnitudo media eludit, vel egeſtas horum comparationem impedit, plerumque etiam, rebus ſecundis, adverſa homines non cogitant adeoque calamitates imparatos obruunt, ut ſæpe, à malis prementibus, non alia ſit liberatio, quam poſtquam illa, ſua ſponte, deſævierunt.

§. 6. Ad communes hominum calamitates, inprimis etiam pertinent morbi *v. l.* 1. §. 7. *l.* 4. §. 5. 6. *l.* 6. *de ædilit. edict. l.* 15. §. 2. *de adopt.*

adopt. l. 60. de re judic. l. 8. C. de teſtam. contra quos comparata eſt Ars medica. Quodſi morbi contagioſi, ut peſtis, ingruant, aliis quoque remediis & inſtitutis extraordinariis eſt opus, quorum ſcopus ſummatim eo tendit, ut malum imminuatur & ſiſtatur, id quod peculiaribus Ordinationibus ſpecialius definiri ſolet.

§. 7. Artis medicæ, juxta diverſa tempora, diverſa fuit conditio. Antiquiſſimis temporibus, in duabus medicinæ partibus, *Dietetica* & *Botanica*, excelluiſſe Patriarchas dicunt. Succeſſu temporis invaluit Secta *empirica*, quæ ſolam experientiam obſervavit, *rationalis*, quæ experientiæ rationem conjunxit, & *methodica*, quæ experientiam inſuper habendam exiſtimavit. Ex Græcia dein, ab autoribus Hippocrate & Galeno, originem habuere Sectæ *Hippocraticorum* & *Galenicorum*. Hodie Medici quadruplicis generis eſſe perhibentur, *Paracelſici* ſive *Chemici*, *Galenici*, inter hos *Medii* & *Hippocratici*, de quo alii amplius diſpiciant *v.* Dn. THOMAS. *diſſert. de jur. circ. pharmacop. civit. c. 1. §. 1. ſeqq.*

§. 8. Ars medica generalius accepta, tribus conſtat partibus, *Medicina ſtricte dicta*, *Arte pharmaceutica* & *Chirurgia*: Olim omnes illas conjunctim à Medicis exercitas, ac ob id, Medicorum munus, ignobilius habitum fuiſſe, tradunt. Apud Romanos, medendi artem ſervi & libertini exercuerunt *v. l. 1. §. 5. C. de comm. ſerv. manumiſſ. l. 3. pr. C. comm. de legat. l. 26. de oper. libert. l. 41. §. 6. de fideicom. libert. l. 9. ad L. aquil.* Succeſſu temporis, à Medicina, Chirurgia & Pharmaceutica ſeparatæ ſunt, hinc, licet Medici utramque callere merito debeant, neutram tamen regulariter exercent *v.* THOMAS. *d. l. §. 10. 11. 12.*

§. 9. Quodſi etiam, ſepoſitis gentium opinionibus, de Medicina, ſtricte vel late accepta, judicandum ſit, apparet ſane, eam, pro præſtantiſſima arte habendam eſſe, ob inſignem, quam generi humano præſtat, utilitatem. *v.* SYRACID. *38. v. 1.* Imperitia tamen & abuſu ſæpe illa proſtituitur ac vileſcit, ſed hoc aliis etiam ſcientiis & artibus accidere ſolet. Apud Romanos quoque, ſucceſſu temporis, Medicorum exiſtimatio & privilegia creverunt *v. l. 18. §. fin. de muner. l. 5. 6. C. de profeſſor. & medic. l. 7. §. 2. de excuſat. l. un. C. de Comit. & archiatr. l. 1. §. 1. de extraord. cognit.*

§. 10. Curare autem debet Magiſtratus, quo periti artem medi-

Digitized by Google

cam exerceant *v. l. 1. de decret. ab ordin. fac.* PERETZ *ad C. de profess. & medic. n. 20. 21.* Neque tamen ideo illa, juxta regulas opificiarias, erit instruenda, nam, his sæpe imperitiam & ignaviam ali, in confesso est. Hinc etiam non consultum videtur, rigida prohibitione artis hujus exercitium circumscribere, uti enim sæpe contrarium illa habet effectum, ita inclinationi ægrotorum aliquid indulgendum erit, cum de sanitate & vita hominis agitur.

§. 11. Diversa igitur sunt: *curare, quo periti Medici adsint, & ægrotos, ad eorum operam cogere*, prius faciendum est Magistratui non posterius. bonus medicus, non coactione civili, sed peritia, ægrotos sibi conciliare debet; Contraria instituta non sanitatis habent rationem, sed avaritiæ, ac quandoque imperitiæ, patrocinantur. Si etiam ægrotus, cum peritorum opera uti ei liceret, imperitos adhibere maluerit, damnum, quod inde sentit, sibi imputet, ac satius est, imperitum, si deliquisse deprehensus fuerit, punire, quam generali prohibitione, ægrotorum affectui vim inferre.

§. 12. Uti autem Medici artem suam recte discere *v. can. 13. C. 28. qu. 1.* ac mediis licitis eam solum exercere debent *v. l. 1. §. 3. de extraord. cognit.* ita eorum, quoad ægrotos, officium vel ex *speciali constitutione*, vel *nuda medicinæ professione* repeti debet. Ex illa officium magis speciale & definitum resultat, de quo, ex constitutionis indole, judicandum; Ob hanc vero, Medici operam suam ita ægrotis præstare debent, ut tamen sui ipsorum quoque rationem habere possint & debeant, hoc enim ex amoris proprii & alieni æquilibrio fluit.

§. 13. Exinde apparet, quod Medici neque gratis, neque omnibus personis, nec quovis tempore & loco, operas suas præstare debeant, quod securius nonnunquam asseritur *v. pr. distinct. 83. c. 21. dist. 86.* PERETZ *ad C. de profess. & med. n. 13.* Vice versa salarium medicis debetur, licet ægrotus mortuus fuerit *v. l. 1. §. 1. de extraord. cognit. l. 6. §. 7. de offic. Præs.* quodsi sanitati restitutus, in morbum recidat, æquum est ut, pro nova opera, aliud salarium exhibeatur, nisi aliter rite conventum. *v.* PERETZ *d. l. n. 15.*

§. 14. Illud quoque ad officium Medici spectat, ut ægrotum tempestive admoneat, quo salutis æternæ curam gerat *v. c. 13. X. de pœnit. & remiss.* præterea medico non licet cum ægroto, ratione salarii, pacisci,

ciſci, actale pactum, ob præſumtam concuſſionem, eſt invalidum *l. 3. de extraord. cognit. l. 9. C. de profeſſ. & medic.* Improbum quoque eſt, morbum, lucri cauſa, protrahere ac augere, vel etiam, ex colluſione cum pharmacopœis, medicamenta, præcipue pretioſa, ſine neceſſitate, accumulare.

§. 15. Hoc nomine damni reſtitutio *v. l. 9. §. 1. ad L. aquil.* & pœna recte exigitur, quæ multo magis locum habent, ſi medicus ægrotum occiderit *v. l. 6. §. 7. de offic. Præſ. l. 3. §. 3. ad L. Cornel. de ſicar. Ord. crim. Carol. V. art. 134.* PERETZ *ad C. de Profeſſor. & med. n. 17. 21.* Sed cum difficile ſit, ille ad liquidum deducere, hinc medici, per regulas artis ſuæ, facile defenduntur *v. c. 7. X. de ætat. & qual. & ordin. præfic.* eorumque errores, dicente BARBOSA *ad d. c. 7. n. 5.* terra cooperit *v.* DN. THOMAS. *diſſert. de jur. circ. pharmacop. c. 1. §. 18.* conf. D. MÜHLPFORT *diſſert. de morb. & cur. ægrot. hab. Argentor. 1671.*

§. 16. Hactenus dicta, ad Medicos generaliter acceptos, pertinent, ut præcipue tamen eos, qui titulo illo ſpecialiter inſigniuntur, concernant. Poſtea quædam de Pharmacopœis ſive Pharmacopolis, in ſpecie dici merentur. Pharmacopœus eſt *perſona, quæ medicamenta, ſecundum formulam, à Medico præſcriptam, in uſum publicum, rite præparat, eademque indigentibus, æquo pretio, vendit.* Dicitur hodie *Apothecarius*, ejusdemque taberna, *Apotheca* audit, licet hæc nomina, in jure Romano, aliter accipiantur *v. l. 21. §. 6. de furt. l. 12. §. 34. de inſtruct. & inſtrum. legat. l. 12. §. 3. C. de cohortal.* DN. THOMAS. *d. diſſert. c. 1. §. 20. ſeqq.*

§. 17. Differunt Pharmacopœi (1.) à *Medicis* ſtricte dictis, qui formulas medicamentorum præparandorum illis præſcribunt (2.) *Pigmentariis, Aromatopolis* ſive *Aromatariis*, qui omnis generis condimenta, ac herbas ſpeciesque medicinales ſimpliciter vendunt (3.) *Seplaſtariis* ſive *medicamentariis*, apud quos, præter alias merces minutas, inprimis materia medica proſtabat, eo tempore, quo Medici ipſi medicamenta præparabant (4.) *Ungventariis*, qui ungventis conficiendis & vendendis operam impendunt *v. l. 21. §. 1. l. 25. §. 10. 12. de aur. argent. legat.* (5.) à *Laborantibus* & *Deſtillatoribus*, qui certas medicamentorum ſpecies, ſine Medici præſcripto, præparant & vendunt.

§. 18. Illud etiam facile liquet, Pharmacopœos differre (6.) à

circumforaneis ſive *circulatoribus v. l. fin. de extraord. crim.* cont. *l. 6. §. 1. de excuſ. l. 42. §. 9. C. de Epiſcop. & Cler.* hi enim & medicorum & pharmacopœorum munus ſimul ſibi arrogant, ac, quod arti deeſt, clamoribus ſupplere nituntur. De cætero uti varia illa negotiationum genera non ubique aut ſemper occurrunt, ita illorum diſcrimina etiam mutationibus ſubſunt. Hinc aliquando pigmentarii, & pharmacopœos & medicos, ſimul agunt *v. l. 3. §. 3. ad L. Cornel. de ſicar.* ac in pharmacopoliis non raro multa veneunt, quæ ad rem medicam non pertinent.

§. 19. Habentur autem Pharmacopolia in urbibus, non quaſi ruri habitantes iisdem plane non indigeant, ſed quia hoc, vel ad jura municipiorum pertinet, vel quia, in exiguis univerſitatibus, non tantum ſine fructu, ſed & cum damno, officinæ pharmaceuticæ inſtituuntur: Quamobrem etiam, in exiguis urbibus, parum inſtructæ, ac ſæpe, tanquam ſibi non ſufficientes, aromato vel Oenopoliis conjunctæ eſſe ſolent. De cætero licet homines, ob luxuriam, maxime opera Pharmacopœorum indigeant, id tamen non impedit, quo minus horum ſtatus neceſſarius, utilis & laudabilis exiſtimari queat *v.* THOM. *d. diſſert. c. 1. §. 14. ſeqq.*

§. 20. Intelligendæ Pharmacopœorum obligationi, generale hominis & chriſtiani officium præſupponendum eſt, quo recte ſe habente, ſpeciale officium etiam bene obſervabitur. Hoc autem ſummatim in eo conſiſtit, ut Pharmacopœi artem ſuam probe intelligant, materiam medicam & medicamenta, in juſta quantitate & qualitate, parata ſemper habeant, medicamenta, ſecundum approbata diſpenſatoria, quæ vocant, ac formulas à Medicis præſcriptas, rite præparent, & æquo pretio egentibus vendant, venditionem vero rerum noxiarum caute exerceant. Quæ ut eo certius obſerventur, Pharmacopœi, Proviſores & quandoque etiam ipſorum miniſtri, juramento obſtringi ſolent *v. Ord. polit. 1577. tit. 34. Ord. Saxon. Academ. tit. von der Facultät in der Artzney n. 4. p. m. 411.*

§. 21. Ad privilegia Pharmacopœorum pertinet (1.) quod dignitate literatorum & medicorum quodammodo fruantur, adeoque jurisdictioni Academicæ, ſi hæc, tempore pharmacopolii conſtituendi, jam adſit, ſubjici ſoleant, hinc etiam (2.) immunitas Medicis tributa

l. 6.

l. 6. C. de profeſſ. & medic. §. 15. J. de excuſ. tutor. Pharmacopœis neganda non videtur; In ſpecie, ab onere metatorum, illi immunes pronunciandi erunt, neque hoc privilegium, ad ſolam officinam, reſtringendum eſt cum TABORE *de metat. p. 3. Sect. 2. c. 3. art. 2. §. 8. p. 249.*

§. 22. In concurſu creditorum (3.) medicamenta, in ultimum morbum erogata, jure prælationis gaudent *v. c. 7. §. 9. n. 3.* Pharmacopœis (4) jus prohibendi, contra aromatarios, tonſores, balneatores, circumforaneos, aliosque, competit ne medicamenta præparent ac divendant *v. Ordin. Medic. Brandenburg de anno 1694. §. 25.* quæ prohibitiones, ob negotiationis medicæ ſumtuoſitatem, ac emtorum paucitatem, non ſunt injuſtæ, æquitas tamen ſimul exigit, ne pharmacopœi quoque aromatopolarum circulos turbeni.

§. 23. Ob eandem rationem, monopolia hic licita cenſeri debent, adeo ut nec in omnibus locis, neque ultra conſtitutum numerum, officinæ pharmaceuticæ inſtitui debeant. Contra ipſos etiam Medicos prohibitio valet, ut nec illis medicamenta præparare & vendere liceat, modo pharmacopolia rite ſint inſtructa, ut nec ſanitas ægroti, nec Medici exiſtimatio, ex pharmacopœi præparatione, periclitetur: Rariora etiam & ſelecta medicamenta, Medicis ſemper integrum eſt componere & divendere.

§. 24. Sicut autem Medici, à venditione medicamentorum, abſtinere, ita Pharmacopœi praxin medicam omittere tenentur, adeo ut ne quidem rogati operam ſuam impertiri, ſed ægrotos, ad Medicos ablegare, ex ſanctione quarundam Ordinationum, debeant. Sed talem prohibitionem, rationi non ſatis convenire, jam *§. 10. 11.* admonitum eſt. Nec obſtat, quod venditio medicamentorum, prohibitione recte circumſcribatur: Nam, ex communi mortalium affectu, regulariter nihil intereſt, à quo medicamentum emas, multum vero, à quo operam medicam accipias. Quodſi Pharmacopola, Doctoris gradu inſignitus ſit, ſine dubio praxin medicam exercere poterit *v. Ordin. Saxon. Acad.* tit. *von der Facultät in der Artzney n. 4.* DN. THOMAS. *d. diſſert. c. 2.*

§. 25. Quo autem Pharmacopœi officio ſuo recte fungantur, Magiſtratus curare debet, ex officio etiam & non imploratus. Quam varie vero Pharmacopolæ excedere queant, vel ex ſummaria officii

delineatione, §. 20. facta, intelligi poteſt *add. Ord. Crim. art. 37. Ord. polit. 1577. tit. 34. Ord. provinc. Saxon. 1550.* tit. *von Apothecken. Tax-Ordnung 1623. Claſſ. 2.* tit. *Apothecker-Waaren.* Non minus quoque ad curam Magiſtratus pertinet, quo Pharmacopolarum jura, §. 21. indicata, contra aliorum uſurpationes, tueatur.

§. 26. Obtinendo iſti fini, cum alia media, tum præcipue viſitationes Pharmacopoliorum inſerviunt. Has inſtituere debet Magiſtratus oppidanus, adjuncto Civitatis Phyſico *v. Ordin. provin. Saxon. 1550.* tit. *von Apothecken fol. 30.* Aliquando peculiari collegio medico, hæc cura committitur *v. Ordin. Medic. Brandenb. 1694. von Apothecken §. 23.* In Academiis eandem ſibi aſſerunt Profeſſores Medicinæ *vid. Ordin. Academ. Saxon.* tit. *von der Facultät in der Artzney n. 4.* Sed ſæpe, ratione directorii, res controverſa eſt.

§. 27. Inſtitui poſſunt Viſitationes, quoties juſta cauſa id exigit. Plerumque vero ſingulis annis haberi debent *v. Ord. polit. 1577. tit. 34.* Tempus autumnale, iis inſtituendis, cenſetur eſſe accommodatiſſimum; Regulariter, non admonito antea Pharmacopola ſuſcipiuntur, & ejus quidem ſumtibus, qui in ſpecie Viſitatoribus, ac inprimis Medicis, honorarium dare tenetur; Quandoque Magiſtratus partem expenſarum ferre debet. Aliquando etiam particularis & privata Viſitatio, à Medicis inſtituitur, ſi pretioſa aut paratu difficilia medicamenta præparanda ſint.

§. 28. De omiſſis Viſitationibus aliquando Medicorum querelæ audiuntur, & negari nequit, quin illæ, ex rationibus non probandis, quandoque ceſſent. Forte tamen etiam earum inſtitutio, aliquando magis, ex rationibus privatæ, quam publicæ utilitatis, urgetur, nam errata aliorum, libenter detegimus & reprehendimus, non ut emendentur, ſed ut affectui noſtro ſatisfiat. Qua autem in parte peccetur, in hypotheſi cognoſcendum eſt *add.* THOMAS. *d. diſſert. c. 3.*

CAPUT

CAPUT XIIX.

DE CURA PAUPERUM.

SUMMARIA.

Inter calamitates humanas eſt etiam paupertas §. 1.
Pauperum varietas §. 2.
Improbi mendicantes triplicis generis ſunt §. 3.
Pauperibus ſuccurritur liberalitate privata §. 4.
Et communi §. 5.
Quo etiam pertinent ſtipendia §. 6.
Evitando abuſui publica mendicitas recte prohibetur §. 7.
Improbi mendicantes ab eleemoſynis ſunt excludendi §. 8.
Pauperes in certis ædificiis aliquando aluntur §. 9.
Quorum dominium eſt penes aliquam univerſitatem §. 10.
Aliquando collectione & diſtributione eleemoſynarum iis ſuccurritur §. 11.
Licentia ſtipem colligendi ab Imperante & magiſtratu inferiori conceditur §. 12.
Privata liberalitas ſine permiſſu publico regulariter exerceri poteſt §. 13.
Cura pauperum Clero, in terris Proteſtantium, non recte tribuitur §. 14.
Bona pauperibus deſtinata abuſu aliquando ſubſunt §. 15.
Ob quem tamen ipſum inſtitutum improbari non debet §. 16.

§. 1.

INter calamitates publicas, etiam eſt Paupertas, hinc pauperibus ſuccurrere jubet humanitas, cujus decreta, legibus poſitivis, ſpecialius determinari ac augeri ſolent. Pauper hic eſt, *cui neceſſaria alimenta deſunt, quique eadem, ob ætatem nimis teneram vel provectam, morbum, fragilitatem, mediorum aut occaſionis defectum, comparare nequit.* Duo erga ad pauperem requiruntur (1.) defectus alimentorum & (2.) inhabilitas ea comparandi.

§. 2. Diſtingvntur pauperes (1.) in *natos*, & *factos*, qui vel ſubito infortunio, vel calamitate latente & ſucceſſiva, vel etiam propria culpa, ad incitas ſunt redacti (2.) in *temporarios* & *perpetuos* (3.) in *manifeſtos*, qui mendicitatem palam exercent, & *occultos* qui domi ſuæ cum paupertate luctantur, ac aliorum ſollicitare liberalitatem, vel non audent, vel erubeſcunt, *Hausarme*. Ex quibus liquet, paupertatem gradibus diſtingvi, unumque pauperem, altero eſſe favorabiliorem *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 7. §. 5. ibique* STRYK. *in not.*

§. 3. Dantur etiam mendicantes improbi, qui triplicis generis eſſe videntur. Vel enim (1.) alimenta neceſſaria poſſident, vel (2.) illa compa-

comparare poſſunt, &, utroque tamen, caſu, mendicando aliis moleſti eſſe malunt, vel (3.) bona male conſumſerunt, hi tamen, ſi incapacitas victum parandi concurrat, omni favore non ſunt indigni. De cætero cauſæ paupertatis aliquando ſunt manifeſtæ, aliquando occultæ & velut latentes, nec dubitandum videtur, quin inter incommoda dominatus, magnus pauperum numerus quoque referri debeat.

§. 4. Succurritur pauperibus, vel *privata liberalitate*, vel *communi proviſione*. Illam quivis, poſita occaſione, ex legibus ſocialitatis, exercere tenetur, etiam erga illos, qui ſua culpa ad incitas redacti ſunt *v.* STRTK. *in not. ad Br. J. E. l. 1. c. 6. m. 7. §. 2. in fin.* Non minus leges ſocialitatis exigunt, ne quis improba mendicitate proximo moleſtus ſit. Sed in utramque partem peccari ſolet, nam non raro liberalitas vel friget, vel opibus male partis exercetur, ſicut è contrario improbi mendicantes bona aliis furantur.

§. 5. Præterea liberalitas communi conſilio diſpenſari ſolet. Et in ſtatu quidem civili, regulariter cuivis Univerſitati, ut Municipio, Pago, Academiæ aliisque collegiis, liberum eſt, in uſum pauperum, eleemoſynas colligere, easdemque diſtribuere. Inprimis vero Eccleſiæ Parochiali bene convenit, ex membris tam perpetuis, quam temporariis, ea colligere, quibus paupertati ſubvenire queat. Ex quo liquet, eleemoſynas ſæpe quidem eſſe bona eccleſiaſtica, ſed non ſemper, verum & earum dominium, & jus diſpenſandi, aliis quoque quandoque competere univerſitatibus.

§. 6. De ſtipendiis, quæ in uſum pauperum ſtudioſorum conſtitui ſolent, idem dicendum, nam & illa aliquando ad Eccleſiam, aliquando ad aliam univerſitatem, imo familiam aliquam & homines privatos, ſpectant. Quodſi Dominus Territorialis ſtipendia, ejusque generis reditus alios conſtituat, pro bonis publicis, illa recte habentur. Ex quo patet, collationem ſtipendiorum, cum conſenſu Superintendentis, non ſemper eſſe faciendam, ceu vult CARPZ. *J. E. l. 2. D. 328.* ſed id eſſe intelligendum, de ſtipendiis publicis & eccleſiaſticis, niſi ejus munus, ſpeciali ſanctione latius extenſum ſit.

§. 7. Præter communem illam proviſionem, manet etiam privata liberalitas. Quo vero tam circa illam, quam hanc, abuſus, quantum fieri poteſt, impediatur, publica mendicitas, *der gaſſen bettel*, prohiberi

hiberi ſolet, conſtitutis, eum in finem, mendicorum præfectis. Talis prohibitio non tantum licita eſt, fruſtra quibusdam ex *Joh. XII. 8.* de eo dubitantibus, ſed & laudem meretur, ſi eam ob cauſam fiat, quo improba mendicitas excludatur, ac veris pauperibus eo efficacius ſuccurratur *v. Deut. XV. 4. ſeqq.* de cætero illa non prohibet liberalitatem & verecundam petitionem, ſed ſaltem impudentiam ac importunitatem *add.* STRYK *in not. ad Br. J. E. l. 1. c. 6. m. 7. §. 2.*

§. 8. Solet vero ejusmodi prohibitio tantum occurrere in Urbibus opulentioribus: Extra pomœria & in oppidis exiguis ac pagis, mendicitas impune exercetur, Sive autem talis prohibitio occurrat, ſive non, hoc tamen ſemper agendum eſt, quo vagabundi fures, Cingari *v.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 7. c. 97. in fin.* ejusque generis alii mendicantes improbi, ab eleemoſynis non tantum excludantur, ſed & debita pœna, inprimis ſi alia delicta, ut falſum, concurrant, coerceantur, nec rectius huic malo occurri poſſe videtur, quam per ergaſtula, à quorum ſane defectu, incommoda hæc, maximam partem, habent originem *v. tit. C. de mendic. valid. Ord. Polit. 1577. tit. 27.* FRITSCH. *de mendic. valid.* HEIG. *p. 2. qu. 27.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 324.*

§. 9. Porro, ſive publica mendicitas permittatur, ſive non, duplici inſuper ratione, pauperibus ſuccurri poteſt, vel enim *in certis ædificiis, quidam pauperes aluntur*, vel *eleemoſynæ tam communes, quam privatæ, egenis diſtribuuntur.* Ad priorem modum ſpectant Noſocomia, Prochotrophia, Xenodochia ſive Hoſpitalia, Orphanotrophia, Brephotrophia ejusque generis alia *v. l. 18. 35. C. de Epiſcop.* Inprimis, in uſum militum emeritorum & mutilatorum, ædificia exſtruenda, ſumtibusque neceſſariis ſuffulcienda erant.

§. 10. Ejusmodi bona, publica, eccleſiaſtica, vel alterius univerſitatis eſſe poſſunt. Imo ipſi pauperes peculiarem, & velut ſui juris univerſitatem quandoque conſtituunt, ad quam dominium illorum bonorum pertinet, illi vero, qui certo aliquo tempore vivunt, reditus inde percipiunt. Sive autem univerſitas pauperum, ab alia dependeat, ſive ſui juris ſit, ad exemplum aliarum univerſitatum, illa cum aliis agere, ac adminiſtratores, aliosque Officiales habere ſolet, adeo ut ſuo modo huc quadrent, quæ de Univerſitatibus *l. 8. c. 2.* & in ſpecie, de Eccleſia *l. 9. c. 17.* diximus.

§. 11. Alter modus, varia iterum ratione exerceri potest, vel enim, ex bonis jam collectis, distributione promiscua aut singulari, pauperibus succurritur; vel licentia petendi eleemosynas privatas, iis ad tempus conceditur, vel, occasione liturgiæ, Auditorum liberalitas sollicitatur. Eo etiam referri debent *Lotteriæ*, quas vocant, quibus, spe lucri, ad liberalitatem, homines alliciuntur, quod institutum recte se habet, cum animus bene faciendi per adjunctam sortem, haut quaquam vitietur *v. l. 4. c. 15. §. 20.*

§. 12. Quodsi, in toto Territorio, vel certo ejus districtu, licentia colligendi eleemosynas, concedenda sit, consensu Domini Territorialis id fieri debere, palam est. Circa executionem tamen ordinationis superioris, magistratus inferior concurrere solet *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 325. 326.* De cætero talis concessio non involvit mandatum de exercenda liberalitate, sed nudam permissionem & commendationem. Si in certo aliquo loco, eleemosynæ saltem colligendæ sint, domini jurisdictionalis permissio sufficere videtur; si plures jurisdictionem habeant, omnium consensus requiritur, quod tamen stricte non observatur. Si in præjudicium subditorum, ejusmodi permissiones fiant, ad Superiorem iis recurrere licet.

§. 13. Privatis quoque eleemosynas distribuere licet, nec opus est regulariter consensu Magistratus. Quomodo vero pecunia, in usum v. gr. universitatis, incendio ad incitas redactæ, distribui debeat, id, juxta regulas æquitatis & utilitatis, expediendum est *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 327.* Aliquando etiam bona, pauperum sustentationi destinata, legatis privatorum augentur, circa quæ voluntas legantis merito observatur *v.* CARPZ. *d. l. 2. D. 330. seqq.* Pauperibus relictum, etiam uni recte conceditur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 913.* Prochotrophio indefinite legatum, pauperrimo debetur *l. 49. §. 5. C. de Episcop. & Cler.*

§. 14. Ex his liquet, quod, in terris Protestantium, Cura pauperum publica Clero non recte tribuatur *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 7.* ei enim nihil amplius competit, quam ut Præfectis Ecclesiæ, præcipue rurestris, consilio quandoque assistant, ac Auditores ad liberalitatem hortentur: Nec obstat exemplum Ecclesiæ Judaicæ, vel primitivæ christianæ, nam ab his, ad Ecclesiam, in statu civili existentem, ab eoque curatam, non recte infertur. Nec porro obest autoritas

Juris

Juris Canonici *v. Can. 2. Dist. 87.* vel civilis *l. 28. §. 1. l. 49. C. de Episc. & Cler.* nam hæc papatum præsupponunt. Quodsi per Episcopum & Clerum, intelligas Principem & Consistoria, tum assertio quidem procedit, sed explicatio illa papatum quoque olet.

§. 15. Sicut autem, circa privatam liberalitatem, officia quandoque se recte non habent, ita communia etiam bona, abusui aliquando subsunt: Possunt enim in alium plane usum converti, vel indignis & parum egentibus conferri, aut quidam pauperes, qui ad ea jus omnino habent, ab eorum perceptione excludi. Aliquando etiam bona pauperum, ultra modum, crescunt, ut cæteris subditis oneri sint. Hinc oculata liberalitas præstat ea, quæ aliena fide exercetur.

§. 16. Ob abusum tamen, ipsum institutum, quo, in pauperum usum, bona colliguntur, improbari non debet. Quodsi rationes civiles permitterent, ut paupertas, observata, intra probabilem modum, æqualitate, plane excluderetur, ac, ex subita calamitate eveniens, reliquorum contributione, statim tolleretur, tum hoc, dubio procul, quavis liberalitate vel publica, vel privata, præstaret. Sed istam Rerumpublicarum felicitatem sperare non licet.

LIBER UNDECIMUS.

CAPUT I.

DE NATURA ET ORIGINE FEUDI.

SUMMARIA.

Feudi denominatio ac diversa suppositio §. 1.
Ejus definitio §. 2.
Ad feudum requiritur, ut jus cum restrictione §. 3.
Et sub lege fidelitatis concedatur, cætera extra ejus essentiam sunt §. 4.
Feudo opponitur allodium §. 5.
Exempla allodii pleni §. 6.
Et minus pleni §. 7.
Feudi & allodii comparatio §. 8.
Origo feudorum in genere vix explicari potest §. 9.
Videntur tamen illa cum monarchiis invaluisse §. 10.
Feudorum germanicorum origo §. 11.
Et mutatio §. 12. 13.
Institutum feudale auxerunt oblationes bonorum, variis ex causis factæ §. 14. 15.
Dantur etiam feuda extra Territorium constituta §. 16.

§. 1.

VAria hominum jura eo, qui maxime commodus visus est, ordine, hactenus exposui. Plerisque autem, præcipue tamen Imperio & Dominio, accidere solet, ut, sub lege fidelitatis, aliis, cum aliqua restrictione, quandoque concedantur, ex quo *Feudum* existit, de quo nunc merito agendum est. Feudi nomen, germanicum esse videtur, à *Fe*, quod, stipendium & *Od*, quod, prædium, seu bona in genere notat, deductum *v.* SCHILTER *introd. ad J.F.c. 1.§.1.* KULPIS *ad Monzamb. p.2.c.3.§.4.* De cætero tripliciter accipitur (1.) pro contractu *II.f.23.* (2.) pro re ipsa *I.f.4. II.f.25. 26. §.1.* (3.) pro jure *II.f.1.33.&c.*

§. 2.

Digitized by Go

§. 2. In definiendo feudo, interpretes non conſentiunt *v.* HUNN, *de feud. c. 5.* ſed, juxta diverſam ſuppoſitionem, modo notatam, omnes definitiones conciliari poſſunt, ſinguli tamen ideo numeros bonæ definitionis non implent. Cum vero ultimus ſignificatus ſit præcipuus, ad eumque cæteri reſpiciant *v. I. f. 1. II. f. 9. 11. 15. 24. &c.* hinc juxta eum definitio merito formanda eſt, licet alii aliter ſentiant *vid.* DN. THOMAS. *diſſert. de feud. oblat. c. 1. §. 32.* Eſt igitur feudum, *Jus cum certa reſtrictione, & ſub lege fidelitatis præſtandæ, alii conceſſum.*

§. 3. Feudum eſt *Jus*, non tantum *dominium utile*, nam plura, præter dominium, jura in feudum concedi poſſunt & ſolent, circa quæ, dominium aliquod utile, ambigue vel falſo aſſeritur. Debet autem jus, *cum reſtrictione* concedi, adeoque à concedente aliquid reſervari, ex qua diviſione, juxta ſtilum receptum, oritur *dominium utile*, quod Vaſallo, & *dominium directum*, quod Domino competit. Sed uti illud, vel ad caſus habiles referri, vel peculiari ſenſu accipi debet, ita hoc menſuram juris perſonalis vix egreditur fere enim, in jure recipiendi rem, ob delictum, aut defectum Succeſſorum, ac in jure exigendi fidem & ſervitia, conſiſtit.

§. 4. Porro ſub *lege fidelitatis* jus concedi debet, quæ communi fidei humanæ aliquid addit. In his duabus partibus, *reſtricta conceſſione*, & *fidelitatis lege*, eſſentia feudorum conſiſtit, quod ex inductione intelligitur. Utrum res *detur*, an *offeratur*, num *gratis* an *interveniente pretio*, negotium hoc expediatur; Utrum feudum in *re immobili* conſiſtat, *ſoli maſculi* ſuccedant, *ſervitia* præſtentur, nec ne, hactenus nihil refert, nam hæc, ad feudi eſſentiam, non pertinent, adeoque, in definitione generali, merito omittuntur.

§. 5. Ex jure illo oriuntur *Bona feudalia*, quibus opponuntur *allodialia*, ſive *allodia*, quod nomen itidem germanicum eſt *v.* STRUV *S. J. F. c. 2. §. 11. n. 2.* Allodium eſt *res, in qua quis vel plenum, vel alio reſtrictionis genere, quam feudali, reſtrictum dominium habet.* Eſt ergo vel *plenum*, vel *minus plenum.* Illud iterum dominus vel ſolus poſſidet, vel ejus uſum aliis, varia ratione, concedit.

§. 6. Ad primum genus allodii pleni pertinent (1.) bona libera à dominis poſſeſſa (2.) feudum ſolare, *Sonnen-Lehn*, quod quis à ſolo Deo recognoſcit *v.* FRITSCH. *diſſert. de feud. ſolar.* Ex ſecundo ge-

nere ſunt (1.) bona ruſticis, pro certa penſione, locata, *Las-Güter vid. Conſtit. Saxon. 40. p. 2.* (2.) bona hominibus propriis in uſum conceſſa (3.) aliis ad tempus locata (4.) commodata vel (5.) precario conceſſa. Eſt tamen allodium plenum ita accipiendum, ut imperio civili id ſubeſſe exiſtimetur.

§. 7. Ad allodium minus plenum ſpectant (1.) bona in uſumfructum conceſſa (2.) aliis ſervientia (3.) cum antichreſi oppignorata (4.) Precariæ *v.* LEHM. *Chr. Spir. l. 2. c. 43.* (5.) bona emphyteutica (6.) cenſitica, quæ illis ſunt durabiliora, ac in dubio, hæc potius quam illa præſumuntur *v. l. 39. de pact. conſt. Saxon. 39. p. 2.* (7.) Superficiaria (8.) bona libellaria ſive colonaria, *Meyergüter* (9.) bona ſolidorum *Schilling-Güter v.* STRYK *E. J. F. c. 2. §. 29. 30.* (10.) Feuda caduca, *Schupff-Lehn v.* BESOLD *Th. Pr.* voc. *Schupff Lehn* (11.) bona cognatica *Reis-Güter v.* STRUV. *S. J. F. c. 2. §. 10. 11.* (12.) Terra Salica *v.* SCHILTER *J. F. c. 3. §. 8.* & ejus generis alia.

§. 8. Quomodo feudum & allodium, aut hujus varie ſpecies, inter ſe differant, id, ex collatione, facile intelligitur. In dubio res præſumitur allodialis, non feudalis *v.* CARPZ. *p. 1. C. 27. D. 7. Deciſ. Saxon. 37.* Illud fortaſſis etiam admonendum, prædicata rei feudalis & allodialis, illis ſaltem rebus eſſe applicanda, quæ unum alterumve habere ſolent, hinc parum congruum videtur, ſi regna aut Respublicas plane liberas, allodia dicas, eſt tamen, ſi ita loquaris, inconcinnitas innoxia *add.* JUS FEUD. GERM. *c. 4.*

§. 9. Originem feudorum quod attinet, eam varia ratione explicare conantur *v.* HUNN. *de feud. c. 1.* STRUV. *S. J. F. c. 1.* ſed irritus labor eſt; eorum enim quæ à principio arbitrario, ac omnibus gentibus communi, dependent, origo vix explicari poteſt, neque etiam illius rei ignorantia, cum aliquo eruditionis damno eſt conjuncta. Qui in ſpecie pro Germanis pronunciant, illi quidem oſtendunt, eos habuiſſe feuda, ſed, quod primi horum fuerint autores, non perinde probant.

§. 10. In genere tamen probabile videtur, quod cum Monarchiis feuda ſint exorta, nam, pro ruditate vel ſimplicitate illorum temporum, tam ad Rempublicam formandam, quam defendendam aut dilatandam, ſufficere fortaſſis exiſtimatum fuit, ſi familiæ, viribus & exiſtima-

ſtimatione diſtinctæ ac diſpares, fidelitatis lege unirentur, hinc inſtitutum feudale vicem ſubjectionis civilis tum ſubiiſſe videtur. Sicut autem, bellis exortis, magis extenſum fortaſſis fuit, ita ſenſim vinculum ſubjectionis magis efformari & adſtringi quoque cœpit.

§. 11. In Germania, jam antiquiſſimis temporibus feuda fuiſſe, quidam cenſent *v.* STRUV. *S. J. F. c. 1. §. 3.* Sed probabilius eſt, quod illa, exortis regnis ac inprimis imperio Francico, demum exiſtere cœperint *v.* ITTER *de feud. imper. c. 1.* ea quidem ratione, ut Primores Reipublicæ, provincias in feudum à Rege vel Cæſare acceperint, aut huic illas obtulerint, ac incolas provinciarum ditiores & nobiles, eodem nexus genere, ſibi obſtrinxerint. Hic certe ſtatus, ſi non omni tempore obtinuit, creſcente tamen Procerum libertate, non male aſſeritur.

§. 12. Iſta qualisqualis Provinciarum conſociatio, primis temporibus, Monarchiæ inſtar fuit. Sed ſucceſſu temporis, earum poſſeſſores, ad libertatem civilem, adſpiraverunt, adeo ut velut Socii ſive Fœderati, tam Cæſari, quam inter ſe, maximam partem, connectantur, de quo in Jure Publico agitur *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 1. c. 4. §.* Exinde feuda eorum *immediata v. A. B. c. 5.* SCHWED. *introd. ad J. P. part. ſpec. Sect. 1. c. 9.* ac ipſi poſſeſſores, ſenſu ſublimiori, *Status imperii* dicuntur, quæ Juris publici Diſciplina plenius iterum exequitur *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 3. c. 1. ſeqq.*

§. 13. Vaſalli autem provinciales, ſive Landſaſſii, in ſuo Statu perdurarunt, *add.* ITTER *de F. J. c. 22.* imo, Territoriis ad liberæ Reipublicæ rationes propius accedentibus, vinculum ſubjectionis civilis, ſenſim quoque vel introductum, vel magis efformatum eſt, adeo ut hodie Vaſalli, Dominis Territorialibus non tantum Vaſallagio, ſed & ſubjectione regulariter obſtringantur *v. l. 8. c. 1. §. 2 ſeqq.* Sicut autem id non liquet, utrum juxta, doctrinam juris longobardici *I. f. 1. §. 1.* feuda germaniæ, ab initio fuerint precaria, ita ex veteri tamen inſtituto, Vaſalli germanici pro militibus recte habentur.

§. 14. Semel receptum inſtitutum feudale, valde promoverunt *Oblationes*, quibus domini res allodiales, potentioribus in feudum obtulerunt, ab iisque, ſub qualitate feudali, receperunt. Quæ oblationes, præcipue poſt Seculum XII. in valuiſſe cenſentur, & varias quidem

ob

ob cauſas: Quidam enim res alioquin perituras, hoſtibus obtulerunt; multi, ex ſuperſtitione, Epiſcoporum aliorumque Clericorum Vaſalli eſſe voluerunt. Invaleſcentibus, poſt Friderici II. obitum, diffidationibus, aliorum protectionem, oblatione bonorum, nonnulli ſibi pignerati ſunt; quidam etiam, ſolvendis debitis, dominium directum aliis ceſſiſſe exiſtimantur.

§. 15. Nec dubitandum, quin multa bona allodialia, in feudalia, per oblationem, ſucceſſu temporis, fuerint mutata, ad conſervandas Familias illuſtres nobilesque *v.* STRUV. *S. J. F. c. 7. §. 10. n. 11.* De cætero tam feuda immediata, quam mediata per oblationem cenſentur eſſe conſtituta, etſi in quibusdam exemplis, res non adeo ſit liquida *v.* HERT. *de feud. oblat. Beſold. Theſ. Pr.* voc. *Reichsſtand* STRYK. *E. J. F. c. 2. qu. 16.* Licet vero offerentes commodum aliquod intenderint, attamen in oneroſis etiam jure Vaſallorum regulariter cenſeri debent, niſi aliud conventum ſit.

§. 16. Præter Vaſallos Landſaſſios, Status imperii majores, aliquando etiam alios habent Vaſallos, qui ſubditi non ſunt, vel quorum ſubjectio minimum eſt controverſa. Hujus rei origo partim videtur eſſe ab *oblatione v.* HERT. *de feud. oblat. p. 3. p. 132.* partim ab *exemtione*, qua nonnunquam Status minor, quoad Vaſallagium, ſaltem imperio fuit fortaſſis exemtus, partim etiam ab *antiquo Reipublicæ ſtatu*, nam olim Duci, Comites duodecim ſubfuiſſe perhibentur *v.* CONRING *de Duc. & Comit. §. 12. ſeqq.* KULPIS *ad Monzamb. p. 2. c. 3. §. 2. p. 7.* EYBEN. *de Titul. Nob. §. 17. 18.* HEIG. *qu. 2. n. 38.* conf. JUS FEUD. GERMAN. *c. 1.*

CAPUT II.
DE VARIETATE FEUDI.

SUMMARIA.

Circa feudum occurrunt eſſentialia, naturalia & accidentalia §. 1.
Ab eſſentia feudum diſtinguitur in varium, imperfectum & apparens §. 2.
A naturalibus in proprium, improprium & mixtum §. 3.
Proprii & improprii ſpecies §. 4.
Eo pertinet feudum maſculinum & fœminum §. 5.
Donatum & emtum, perpetuum & temporarium §. 6.
Juratum & injuratum, datum & oblatum §. 7.
Immobile & mobile, ſerviens & francum aut inuſitata ſervitia præſtans §. 8.
Feudi franci & inuſitati indoles §. 9.

Ac

Ac hujus varia exempla §. 10.
Porro eo ſpectat feudum ex pacto & providentia, ac hæreditarium, alienabile & omni ſucceſſione carens §. 11. 12. 13.
Exempla feudi mixti §. 14.
Ab accidentibus feudum diſtinguitur in antiquum & novum §. 15. 16.
In ſeculare & eccleſiaſticum §. 17.
Nobile & ignobile §. 18. 19.
Ligium & non ligium §. 20.
In curte & extra curtem, generale & ſingulare, diviſibile & indiviſibile §. 21.
Epicriſis de utilitate hujus doctrinæ §. 22. 23. 24. 25.

§. 1.

CIrca feudum occurrunt *Eſſentialia*, quæ, ex uſu hominum, ad illud neceſſario requiruntur, de quibus *c. præc. §. 4.* dictum; *Naturalia*, quæ circa id regulariter occurrunt, ad eſſentiam tamen non pertinent, & *Accidentalia*, quæ modo adſunt, modo deficiunt, quo nomine à naturalibus, quæ in ſe etiam accidentia ſunt, diſtingvuntur. Ex iſto triplici fundamento, omnis feudorum varietas repeti poteſt & debet.

§. 2. Intuitu *eſſentiæ*, Feudum diſtinguitur in *verum*, quod omnes partes eſſentiales habet, *imperfectum*, in quo alterum eſſentiale adeſt, alterum deficit, e. gr. ſi alicui feudum concedatur, ſub lege quidem fidelitatis, ſed cum liberrima facultate alienandi, & *apparens*, quod de feudo nihil niſi nomen habet, quale olim etiam fuit feudum ſolare.

§. 3. A *naturalibus* feudum diſcernitur in *Proprium*, in quo omnes partes naturales adſunt, *Improprium*, in quo omnes ceſſant, & quod addendum puto, *Mixtum*, quod quædam naturalia habet, aliis vero deſtituitur. Eſt hæc diviſio celeberrima, ſed parum recte vulgo tradita, nam ſpecies, juſta & adæquata oppoſitione, non exhibentur, ac diviſiones feudi accidentales, male ei immiſcentur.

§. 4. Si feudum proprium & improprium, in ſua perfectione ſpecterur, neutrum aliquas habet ſpecies, cum illud, ex concurſu, hoc, defectu omnium naturalium, æſtimandum ſit. Si vero partes naturales ſigillatim conſideremus, ex illarum numero, ſpecies feudi proprii & improprii conſtitui poſſunt. Solent autem naturalia fere ad quatuor claſſes revocari, vel enim occurrunt (1.) circa feudi acquiſitionem vel (2.) objectum vel (3.) Servitia vel (4.) alienationem & ſucceſſionem *v.* STRYK *E. J. F. c. 4. §. 2.*

§. 5. Circa acquiſitionem, naturale eſt (1.) ut *mas feudum acqui-*

comparare poſſunt, &, utroque tamen, caſu, mendicando aliis moleſti eſſe malunt, vel (3.) bona male conſumſerunt, hi tamen, ſi incapacitas victum parandi concurrat, omni favore non ſunt indigni. De cætero cauſæ paupertatis aliquando ſunt manifeſtæ, aliquando occultæ & velut latentes, nec dubitandum videtur, quin inter incommoda dominatus, magnus pauperum numerus quoque referri debeat.

§. 4. Succurritur pauperibus, vel *privata liberalitate*, vel *communi proviſione*. Illam quivis, poſita occaſione, ex legibus ſocialitatis, exercere tenetur, etiam erga illos, qui ſua culpa ad incitas redacti ſunt *v.* STRYK. *in not. ad Br. J. E. l. 1. c. 6. m. 7. §. 2. in fin.* Non minus leges ſocialitatis exigunt, ne quis improba mendicitate proximo moleſtus ſit. Sed in utramque partem peccari ſolet, nam non raro liberalitas vel friget, vel opibus male partis exercetur, ſicut è contrario improbi mendicantes bona aliis furantur.

§. 5. Præterea liberalitas communi conſilio diſpenſari ſolet. Et in ſtatu quidem civili, regulariter cuivis Univerſitati, ut Municipio, Pago, Academiæ aliisque collegiis, liberum eſt, in uſum pauperum, eleemoſynas colligere, easdemque diſtribuere. Inprimis vero Eccleſiæ Parochiali bene convenit, ex membris tam perpetuis, quam temporariis, ea colligere, quibus paupertati ſubvenire queat. Ex quo liquet, eleemoſynas ſæpe quidem eſſe bona eccleſiaſtica, ſed non ſemper, verum & earum dominium, & jus diſpenſandi, aliis quoque quandoque competere univerſitatibus.

§. 6. De ſtipendiis, quæ in uſum pauperum ſtudioſorum conſtitui ſolent, idem dicendum, nam & illa aliquando ad Eccleſiam, aliquando ad aliam univerſitatem, imo familiam aliquam & homines privatos, ſpectant. Quodſi Dominus Territorialis ſtipendia, ejusque generis reditus alios conſtituat, pro bonis publicis, illa recte habentur. Ex quo patet, collationem ſtipendiorum, cum conſenſu Superintendentis, non ſemper eſſe faciendam, ceu vult CARPZ. *J. E. l. 2. D. 328.* ſed id eſſe intelligendum, de ſtipendiis publicis & eccleſiaſticis, niſi ejus munus, ſpeciali ſanctione latius extenſum ſit.

§. 7. Præter communem illam proviſionem, manet etiam privata liberalitas. Quo vero tam circa illam, quam hanc, abuſus, quantum fieri poteſt, impediatur, publica mendicitas, *der gaſſen bettel*, prohiberi

Digitized by Goo

liberi ſolet, conſtitutis, eum in finem, mendicorum præfectis. Talis prohibitio non tantum licita eſt, fruſtra quibusdam ex *Joh. XII. 8.* de eo dubitantibus, ſed & laudem meretur, ſi eam ob cauſam fiat, quo improba mendicitas excludatur, ac veris pauperibus eo efficacius ſuccurratur *v. Deut. XV. 4. ſeqq.* de cætero illa non prohibet liberalitatem & verecundam petitionem, ſed ſaltem impudentiam ac importunitatem *add.* STRYK *in not. ad Br. J. E. l. 1. c. 6. m. 7. §. 2.*

§. 8. Solet vero ejusmodi prohibitio tantum occurrere in Urbibus opulentioribus: Extra pomœria & in oppidis exiguis ac pagis, mendicitas impune exercetur. Sive autem talis prohibitio occurrat, ſive non, hoc tamen ſemper agendum eſt, quo vagabundi fures, Cingari *v.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 7. c. 97. in fin.* ejusque generis alii mendicantes improbi, ab eleemoſynis non tantum excludantur, ſed & debita pœna, inprimis ſi alia delicta, ut falſum, concurrant, coerceantur, nec rectius huic malo occurri poſſe videtur, quam per ergaſtula, à quorum ſane defectu, incommoda hæc, maximam partem, habent originem *v. tit. C. de mendic. valid. Ord. Polit. 1577. tit. 27.* FRITSCH. *de mendic. valid.* HEIG. *p. 2. qu. 27.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 324.*

§. 9. Porro, ſive publica mendicitas permittatur, ſive non, duplici inſuper ratione, pauperibus ſuccurri poteſt, vel enim *in certis ædificiis, quidam pauperes aluntur*, vel *eleemoſynæ tam communes, quam privatæ, egenis diſtribuuntur.* Ad priorem modum ſpectant Noſocomia, Prochotrophia, Xenodochia ſive Hoſpitalia, Orphanotrophia, Brephotrophia ejusque generis alia *v. l. 18. 35. C. de Epiſcop.* Inprimis, in uſum militum emeritorum & mutilatorum, ædificia exſtruenda, ſumtibusque neceſſariis ſuffulcienda erant.

§. 10. Ejusmodi bona, publica, eccleſiaſtica, vel alterius univerſitatis eſſe poſſunt. Imo ipſi pauperes peculiarem, & velut ſui juris univerſitatem quandoque conſtituunt, ad quam dominium illorum bonorum pertinet, illi vero, qui certo aliquo tempore vivunt, reditus inde percipiunt. Sive autem univerſitas pauperum, ab alia dependeat, ſive ſui juris ſit, ad exemplum aliarum univerſitatum, illa cum aliis agere, ac adminiſtratores, aliosque Officiales habere ſolet, adeo ut ſuo modo huc quadrent, quæ de Univerſitatibus *l. 8. c. 2.* & in ſpecie, de Eccleſia *l. 9. c. 17.* diximus.

§. 11. Alter modus, varia iterum ratione exerceri potest, vel enim, ex bonis jam collectis, distributione promiscua aut singulari, pauperibus succurritur; vel licentia petendi eleemosynas privatas, iis ad tempus conceditur, vel, occasione liturgiæ, Auditorum liberalitas sollicitatur. Eo etiam referri debent *Lotteriæ*, quas vocant, quibus, spe lucri, ad liberalitatem, homines alliciuntur, quod institutum recte se habet, cum animus bene faciendi per adjunctam sortem, hautquaquam vitietur *v. l. 4. c. 15. §. 20.*

§. 12. Quodsi, in toto Territorio, vel certo ejus districtu, licentia colligendi eleemosynas, concedenda sit, consensu Domini Territorialis id fieri debere, palam est. Circa executionem tamen ordinationis superioris, magistratus inferior concurrere solet *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 325. 326.* De cætero talis concessio non involvit mandatum de exercenda liberalitate, sed nudam permissionem & commendationem. Si in certo aliquo loco, eleemosynæ saltem colligendæ sint, domini jurisdictionalis permissio sufficere videtur; si plures jurisdictionem habeant, omnium consensus requiritur, quod tamen stricte non observatur. Si in præjudicium subditorum, ejusmodi permissiones fiant, ad Superiorem iis recurrere licet.

§. 13. Privatis quoque eleemosynas distribuere licet, nec opus est regulariter consensu Magistratus. Quomodo vero pecunia, in usum v. gr. universitatis, incendio ad incitas redactæ, distribui debeat, id, juxta regulas æquitatis & utilitatis, expediendum est *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 327.* Aliquando etiam bona, pauperum sustentationi destinata, legatis privatorum augentur, circa quæ voluntas legantis merito observatur *v.* CARPZ. *d. l. 2. D. 330. seqq.* Pauperibus relictum, etiam uni recte conceditur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 913.* Ptochotrophio indefinite legatum, pauperrimo debetur *l. 49. §. 5. C. de Episcop. & Cler.*

§. 14. Ex his liquet, quod, in terris Protestantium, Cura pauperum publica Clero non recte tribuatur *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. m. 7.* ei enim nihil amplius competit, quam ut Præfectis Ecclesiæ, præcipue rurestris, consilio quandoque assistant, ac Auditores ad liberalitatem hortentur: Nec obstat exemplum Ecclesiæ Judaicæ, vel primitivæ christianæ, nam ab his, ad Ecclesiam, in statu civili existentem, ab eoque curatam, non recte infertur. Nec porro obest autoritas

Juris

Juris Canonici *v. Can. 2. Dist. 87.* vel civilis *l. 28. §. 1. l. 49. C. de Episc. & Cler.* nam hæc papatum præsupponunt. Quodsi per Episcopum & Clerum, intelligas Principem & Consistoria, tum assertio quidem procedit, sed explicatio illa papatum quoque olet.

§. 15. Sicut autem, circa privatam liberalitatem, officia quandoque se recte non habent, ita communia etiam bona, abusui aliquando subsunt: Possunt enim in alium plane usum converti, vel indignis & parum egentibus conferri, aut quidam pauperes, qui ad ea jus omnino habent, ab eorum perceptione excludi. Aliquando etiam bona pauperum, ultra modum, crescunt, ut cæteris subditis oneri sint. Hinc oculata liberalitas præstat ea, quæ aliena fide exercetur.

§. 16. Ob abusum tamen, ipsum institutum, quo, in pauperum usum, bona colliguntur, improbari non debet. Quodsi rationes civiles permitterent, ut paupertas, observata, intra probabilem modum, æqualitate, plane excluderetur, ac, ex subita calamitate eveniens, reliquorum contributione, statim tolleretur, tum hoc, dubio procul, quavis liberalitate vel publica, vel privata, præstaret. Sed istam Rerumpublicarum felicitatem sperare non licet.

Digitized by Google

LIBER UNDECIMUS.

CAPUT I.

DE NATURA ET ORIGINE FEUDI.

SUMMARIA.

Feudi denominatio ac diverſa ſuppoſitio §. 1.
Ejus definitio §. 2.
Ad feudum requiritur, ut jus cum reſtrictione §. 3.
Et ſub lege fidelitatis concedatur, cætera extra ejus eſſentiam ſunt §. 4.
Feudo opponitur allodium §. 5.
Exempla allodii pleni §. 6.
Et minus pleni §. 7.
Feudi & allodii comparatio §. 8.
Origo feudorum in genere vix explicari poteſt §. 9.
Videntur tamen illa cum monarchiis invaluiſſe §. 10.
Feudorum germanicorum origo §. 11.
Et mutatio §. 12. 13.
Inſtitutum feudale auxerunt oblationes bonorum, variis ex cauſis factæ §. 14. 15.
Dantur etiam feuda extra Territorium conſtituta §. 16.

§. 1.

VAria hominum jura eo, qui maxime commodus viſus eſt, ordine, hactenus expoſui. Plerisque autem, præcipue tamen Imperio & Dominio, accidere ſolet, ut, ſub lege fidelitatis, aliis, cum aliqua reſtrictione, quandoque concedantur, ex quo *Feudum* exiſtit, de quo nunc merito agendum eſt. Feudi nomen, germanicum eſſe videtur, à *Fe*, quod, ſtipendium & *Od*, quod, prædium, ſeu bona in genere notat, deductum *v.* SCHILTER *introd. ad J.F.c. 1. §. 1.* KULPIS *ad Monzamb. p. 2. c. 3. §. 4.* De cætero tripliciter accipitur (1.) pro contractu *II. f. 23.* (2.) pro re ipſa *I. f. 4. II. f. 25. 26. §. 1.* (3.) pro jure *II. f. 1. 33. &c.*

§. 2.

§. 2. In definiendo feudo, interpretes non conſentiunt *v.* HUNN, *de feud. c. 5.* ſed, juxta diverſam ſuppoſitionem, modo notatam, omnes definitiones conciliari poſſunt, ſinguli tamen ideo numeros bonæ definitionis non implent. Cum vero ultimus ſignificatus ſit præcipuus, ad eumque cæteri reſpiciant *v. I. f. 1. II. f. 9. 11. 15. 24. &c.* hinc juxta eum definitio merito formanda eſt, licet alii aliter ſentiant *vid.* DN. THOMAS. *diſſert. de feud. oblat. c. 1. §. 32.* Eſt igitur feudum, *Jus cum certa reſtrictione, & ſub lege fidelitatis præſtandæ, alii conceſſum.*

§. 3. Feudum eſt *Jus*, non tantum *dominium utile*, nam plura, præter dominium, jura in feudum concedi poſſunt & ſolent, circa quæ, dominium aliquod utile, ambigue vel falſo aſſeritur. Debet autem jus, *cum reſtrictione* concedi, adeoque à concedente aliquid reſervari, ex qua diviſione, juxta ſtilum receptum, oritur *dominium utile*, quod Vaſallo, & *dominium directum*, quod Domino competit. Sed uti illud, vel ad caſus habiles referri, vel peculiari ſenſu accipi debet, ita hoc menſuram juris perſonalis vix egreditur fere enim, in jure recipiendi rem, ob delictum, aut defectum Succeſſorum, ac in jure exigendi fidem & ſervitia, conſiſtit.

§. 4. Porro ſub *lege fidelitatis* jus concedi debet, quæ communi fidei humanæ aliquid addit. In his duabus partibus, *reſtricta conceſſione*, & *fidelitatis lege*, eſſentia feudorum conſiſtit, quod ex inductione intelligitur. Utrum res *detur*, an *offeratur*, num *gratis* an *interveniente pretio*, negotium hoc expediatur; Utrum feudum in *re immobili* conſiſtat, *ſoli maſculi* ſuccedant, *ſervitia* præſtentur, nec ne, hactenus nihil refert, nam hæc, ad feudi eſſentiam, non pertinent, adeoque, in definitione generali, merito omittuntur.

§. 5. Ex jure illo oriuntur *Bona feudalia*, quibus opponuntur *allodialia*, ſive *allodia*, quod nomen itidem germanicum eſt *v.* STRUV *S. J. F. c. 2. §. 11. n. 2.* Allodium eſt *res, in qua quis vel plenum, vel alio reſtrictionis genere, quam feudali, reſtrictum dominium habet.* Eſt ergo vel *plenum*, vel *minus plenum.* Illud iterum dominus vel ſolus poſſidet, vel ejus uſum aliis, varia ratione, concedit.

§. 6. Ad primum genus allodii pleni pertinent (1.) bona libera à dominis poſſeſſa (2.) feudum ſolare, *Sonnen-Lehn*, quod quis à ſolo Deo recognoſcit *v.* FRITSCH. *diſſert. de feud. ſolar.* Ex ſecundo ge-

nere ſunt (1.) bona ruſticis, pro certa penſione, locata, *Las-Güter vid. Conſtit. Saxon. 40. p. 2.* (2.) bona hominibus propriis in uſum conceſſa (3.) aliis ad tempus locata (4.) commodata vel (5.) precario conceſſa. Eſt tamen allodium plenum ita accipiendum, ut imperio civili id ſubeſſe exiſtimetur.

§. 7. Ad allodium minus plenum ſpectant (1.) bona in uſumfructum conceſſa (2.) aliis ſervientia (3.) cum antichreſi oppignorata (4.) Precariæ *v.* LEHM. *Chr. Spir. l. 2. c. 43.* (5.) bona emphyteutica (6.) cenſitica, quæ illis ſunt durabiliora, ac in dubio, hæc potius quam illa præſumuntur *v. l. 39. de pact. conſt. Saxon. 39. p. 2.* (7.) Superficiaria (8.) bona libellaria ſive colonaria, *Meyergüter* (9.) bona ſolidorum *Schilling-Güter v.* STRYK *E. J. F. c. 2. §. 29. 30.* (10.) Feuda caduca, *Schupff-Lehn v.* BESOLD *Th. Pr.* voc. *Schupff Lehn* (11.) bona cognatica *Reis-Güter v.* STRUV. *S. J. F. c. 2. §. 10. 11.* (12.) Terra Salica *v.* SCHILTER *J. F. c. 3. §. 8.* & ejus generis alia.

§. 8. Quomodo feudum & allodium, aut hujus varie ſpecies, inter ſe differant, id, ex collatione, facile intelligitur. In dubio res præſumitur allodialis, non feudalis *v.* CARPZ. *p. 1. C. 27. D. 7. Deciſ. Saxon. 37.* Illud fortaſſis etiam admonendum, prædicata rei feudalis & allodialis, illis ſaltem rebus eſſe applicanda, quæ unum alterumve habere ſolent, hinc parum congruum videtur, ſi regna aut Respublicas plane liberas, allodia dicas, eſt tamen, ſi ita loquaris, inconcinnitas innoxia *add.* JUS FEUD. GERM. *c. 4.*

§. 9. Originem feudorum quod attinet, eam varia ratione explicare conantur *v.* HUNN. *de feud. c. 1.* STRUV. *S. J. F. c. 1.* ſed irritus labor eſt; eorum enim quæ à principio arbitrario, ac omnibus gentibus communi, dependent, origo vix explicari poteſt, neque etiam illius rei ignorantia, cum aliquo eruditionis damno eſt conjuncta. Qui in ſpecie pro Germanis pronunciant, illi quidem oſtendunt, eos habuiſſe feuda, ſed, quod primi horum fuerint autores, non perinde probant.

§. 10. In genere tamen probabile videtur, quod cum Monarchiis feuda ſint exorta, nam, pro ruditate vel ſimplicitate illorum temporum, tam ad Rempublicam formandam, quam defendendam aut dilatandam, ſufficere fortaſſis exiſtimatum fuit, ſi familiæ, viribus & exiſtima-

ſtimatione diſtinctæ ac diſpares, fidelitatis lege unirentur, hinc inſtitutum feudale vicem ſubjectionis civilis tum ſubiiſſe videtur. Sicut autem, bellis exortis, magis extenſum fortaſſis fuit, ita ſenſim vinculum ſubjectionis magis efformari & adſtringi quoque cœpit.

§. 11. In Germania, jam antiquiſſimis temporibus feuda fuiſſe, quidam cenſent *v.* STRUV. *S. J. F. c. 1. §. 3.* Sed probabilius eſt, quod illa, exortis regnis ac inprimis imperio Francico, demum exiſtere cœperint *v.* ITTER *de feud. imper. c. 1.* ea quidem ratione, ut Primores Reipublicæ, provincias in feudum à Rege vel Cæſare acceperint, aut huic illas obtulerint, ac incolas provinciarum ditiores & nobiles, eodem nexus genere, ſibi obſtrinxerint. Hic certe ſtatus, ſi non omni tempore obtinuit, creſcente tamen Procerum libertate, non male aſſeritur.

§. 12. Iſta qualis qualis Provinciarum conſociatio, primis temporibus, Monarchiæ inſtar fuit. Sed ſucceſſu temporis, earum poſſeſſores, ad libertatem civilem, adſpiraverunt, adeo ut velut Socii ſive Fœderati, tam Cæſari, quam inter ſe, maximam partem, connectantur, de quo in Jure Publico agitur *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 1. c. 4. §.* Exinde feuda eorum *immediata v. A. B. c. 5.* SCHWED. *introd. ad J. P. part. ſpec. Sect. 1. c. 9.* ac ipſi poſſeſſores, ſenſu ſublimiori, *Status imperii* dicuntur, quæ Juris publici Diſciplina plenius iterum exequitur *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 3. c. 1. ſeqq.*

§. 13. Vaſalli autem provinciales, ſive Landſaſſii, in ſuo Statu perdurarunt, *add.* ITTER *de F. J. c. 22.* imo, Territoriis ad liberæ Reipublicæ rationes propius accedentibus, vinculum ſubjectionis civilis, ſenſim quoque vel introductum, vel magis efformatum eſt, adeo ut hodie Vaſalli, Dominis Territorialibus non tantum Vaſallagio, ſed & ſubjectione regulariter obſtringantur *v. l. 8. c. 1. §. 2 ſeqq.* Sicut autem id non liquet, utrum juxta, doctrinam juris longobardici *l. f. 1. §. 1.* feuda germaniæ, ab initio fuerint precaria, ita ex veteri tamen inſtituto, Vaſalli germanici pro militibus recte habentur.

§. 14. Semel receptum inſtitutum feudale, valde promoverunt *Oblationes*, quibus domini res allodiales, potentioribus in feudum obtulerunt, ab iisque, ſub qualitate feudali, receperunt. Quæ oblationes, præcipue poſt Seculum XII. in valuiſſe cenſentur, & varias quidem

ob

ob cauſas: Quidam enim res alioquin perituras, hoſtibus obtulerunt; multi, ex ſuperſtitione, Epiſcoporum aliorumque Clericorum Vaſalli eſſe voluerunt. Invaleſcentibus, poſt Friderici II. obitum, diffidationibus, aliorum protectionem, oblatione bonorum, nonnulli ſibi pignerati ſunt; quidam etiam, ſolvendis debitis, dominium directum aliis ceſſiſſe exiſtimantur.

§. 15. Nec dubitandum, quin multa bona allodialia, in feudalia, per oblationem, ſucceſſu temporis, fuerint mutata, ad conſervandas Familias illuſtres nobilesque *v.* STRUV. *S. J. F. c. 7. §. 10. n. 11.* De cætero tam feuda immediata, quam mediata per oblationem cenſentur eſſe conſtituta, etſi in quibusdam exemplis, res non adeo ſit liquida *v.* HERT. *de feud. oblat. Beſold. Theſ. Pr.* voc. *Reichsſtand* STRYK. *E. J. F. c. 2. qu. 16.* Licet vero offerentes commodum aliquod intenderint, attamen in oneroſis etiam jure Vaſallorum regulariter cenſeri debent, niſi aliud conventum ſit.

§. 16. Præter Vaſallos Landſaſſios, Status imperii majores, aliquando etiam alios habent Vaſallos, qui ſubditi non ſunt, vel quorum ſubjectio minimum eſt controverſa. Hujus rei origo partim videtur eſſe ab *oblatione v.* HERT. *de feud. oblat. p. 3. p. 132.* partim ab *exemtione*, qua nonnunquam Status minor, quoad Vaſallagium, ſaltem imperio fuit fortaſſis exemtus, partim etiam ab *antiquo Reipublicæ ſtatu*, nam olim Duci, Comites duodecim ſubfuiſſe perhibentur *v.* CONRING *de Duc. & Comit. §. 12. ſeqq.* KULPIS *ad Monzamb. p. 2. c. 3. §. 2. p. 7.* EYBEN. *de Titul. Nob. §. 17. 18.* HEIG. *qu. 2. n. 38.* conf. JUS FEUD. GERMAN. *c. 1.*

CAPUT II.
DE VARIETATE FEUDI.

SUMMARIA.

Circa feudum occurrunt eſſentialia, naturalia & accidentalia §. 1.

Ab eſſentia feudum diſtinguitur in verum, imperfectum & apparens §. 2.

A naturalibus in proprium, improprium & mixtum §. 3.

Proprii & improprii ſpecies §. 4.

Eo pertinet feudum maſculinum & feminum §. 5.

Donatum & emtum, perpetuum & temporarium §. 6.

Juratum & injuratum, datum & oblatum §. 7.

Immobile & mobile, ſerviens & francum aut inuſitata ſervitia præſtans §. 8.

Feudi franci & inuſitati indoles §. 9.

Ac

Ac hujus varia exempla §. 10.
Porro eo ſpectat feudum ex pacto & providentia, ac hæreditarium, alienabile & omni ſucceſſione carens §. 11. 12. 13.
Exempla feudi mixti §. 14.
Ab accidentibus feudum diſtinguitur in antiquum & novum §. 15. 16.
In ſeculare & eccleſiaſticum §. 17.
Nobile & ignobile §. 18. 19.
Ligium & non ligium §. 20.
In curte & extra curtem, generale & ſingulare, diviſibile & indiviſibile §. 21.
Epicriſis de utilitate hujus doctrinæ §. 22. 23. 24. 25.

§. 1.

Irca feudum occurrunt *Eſſentialia*, quæ, ex uſu hominum, ad illud neceſſario requiruntur, de quibus *c. præc. §. 4.* dictum; *Naturalia*, quæ circa id regulariter occurrunt, ad eſſentiam tamen non pertinent, & *Accidentalia*, quæ modo adſunt, modo deficiunt, quo nomine à naturalibus, quæ in ſe etiam accidentia ſunt, diſtingvuntur. Ex iſto triplici fundamento, omnis feudorum varietas repeti poteſt & debet.

§. 2. Intuitu *eſſentiæ*, Feudum diſtinguitur in *verum*, quod omnes partes eſſentiales habet, *imperfectum*, in quo alterum eſſentiale adeſt, alterum deficit, e. gr. ſi alicui feudum concedatur, ſub lege quidem fidelitatis, ſed cum liberrima facultate alienandi, & *apparens*, quod de feudo nihil niſi nomen habet, quale olim etiam fuit feudum ſolare.

§. 3. A *naturalibus* feudum diſcernitur in *Proprium*, in quo omnes partes naturales adſunt, *Improprium*, in quo omnes ceſſant, & quod addendum puto, *Mixtum*, quod quædam naturalia habet, aliis vero deſtituitur. Eſt hæc diviſio celeberrima, ſed parum recte vulgo tradita, nam ſpecies, juſta & adæquata oppoſitione, non exhibentur, ac diviſiones feudi accidentales, male ei immiſcentur.

§. 4. Si feudum proprium & improprium, in ſua perfectione ſpectetur, neutrum aliquas habet ſpecies, cum illud, ex concurſu, hoc, defectu omnium naturalium, æſtimandum ſit. Si vero partes naturales ſigillatim conſideremus, ex illarum numero, ſpecies feudi proprii & improprii conſtitui poſſunt. Solent autem naturalia fere ad quatuor claſſes revocari, vel enim occurrunt (1.) circa feudi acquiſitionem vel (2.) objectum vel (3.) Servitia vel (4.) alienationem & ſucceſſionem *v.* STRYK *E. J. F. c. 4. §. 2.*

§. 5. Circa acquiſitionem, naturale eſt (1.) ut *mas feudum acqui-*

rat, hinc, *maſculinum*, proprium, *fœmininum*, improprium eſt. Aliquando etiam feudum, fœmineum eſt ratione *ſucceſſionis*, & quidem ſi fœmina feudum acquirat, fœminæ etiam regulariter in eo ſuccedunt, ſi vero mas illud comparet, tum fœmine excluduntur à ſucceſſione, aliquando tamen hæc, in ſubſidium vel abſolute, iis tribuitur. In dubio feudum præſumitur maſculinum.

§. 6. Illud circa acquiſitionem naturale cenſetur, ut (2.) *feudum gratis concedatur*, hinc feudum *donatum*, proprium, *emtum*, improprium eſt, de quo tamen diſputant, ſed ſine aliquo uſu (3.) ut *in perpetuum detur*, quamobrem feudum *perpetuum*, propriis, *temporarium*, impropriis annumerari debet. Ad hoc etiam pertinet *feudum pigneratitium*, quod, in ſecuritatem debiti, ſub qualitate feudali alicui conceditur. Hoc in omnes hæredes quidem transmitti poteſt, ſed alienari nequit: feudum vero oppignoratum, & transmiſſibile, & alienabile eſt *v.* STRYK *E. J. F. c. 5. §. 15. 16.*

§. 7. Ad naturalia primi generis refertur etiam (4.) *promiſſio jurata*, hinc feudum *juratum*, pro proprio, *injuratum*, improprio habetur (5.) ut *dominus actum feudalem auſpicetur*, juxta quod, feudum *datum*, proprium, *oblatum*, improprium erit. Sed hoc diſcrimen magis accidentale, quam naturale videtur, cum perinde feuda offerri, quam dari ſoleant, verum de hoc non valde litigandum.

§. 8. Secundi generis naturale eſt *rei immobilitas*, quare feudum *rei immobilis*, propriis, illud vero, quod *mobilia* aut *munera* reſpicit, impropriis accenſetur. Tertii generis naturale eſt *uſitatorum ſervitiorum præſtatio*, hinc feudum *regulari modo ſerviens*, ad propria, *francum* vero ac *ſervitiis inuſitatis affectum*, ad impropria refertur.

§. 9. Francum feudum eſt, in quo nulla ſervitia præſtantur, aliquando vero non omnia, ſed quædam ſolum ſervitia remiſſa ſunt, quo nonnulli referunt feuda, à ſervitiis equeſtribus immunia *Sattelfreye güter v.* RHET. *comm. Jur. feud. p. 83.* ſi inveſtitura ſervitiorum non fiat mentio, ideo illa non ſtatim remiſſa cenſentur, de quo tamen uſus amplius conſulendus. Feudum inuſitatum eſt, in quo ſervitia ſingularia præſtantur, quod, ex quorundam ſententia, *Seſslehn* dicitur *v.* STRYK *E. J. F. c. 4. §. 33.*

§. 10. Eo referri ſolent (1.) feudum Burgaticum (2.) aulicum (3.) cen-

(3.) censuale (4.) laudemiale sive emphyteuticum (5.) quaternatum *Taffellehn v.* ITTER *de F. I. c. 3. §. 27.* (6.) Gardiæ (7.) Gastaldiæ *I. f. 2. 10.* (8.) Advocatiæ *v.* STRUV. *S. J. F. c. 4. §. 20.* (9.) aperibile & ejus generis alia *v.* STRYK *d. c. 4. §. 34. seqq.* In genere circa ea notandum, quod nonnulla præsupponant antiquum Reipublicæ statum, adeoque hodie vix amplius occurrant: Præterea dubium non est, quin ejus generis alia constitui queant, sed hodiernæ Politicæ rationes, ejusmodi concessiones feudales non adeo admittunt.

§. 11. Quarti generis naturale est *successio masculorum, qui à primo acquirente, legitima nativitate, descendunt,* ex quo feudum *ex pacto & providentia,* proprium, *hæreditarium* vero, *alienabile,* ac *omni successione carens,* improprium audit. Primo sibi invicem opponuntur feudum *ex pacto & providentia*, ac *hæreditarium.* In illo succeditur ex pacto primi acquirentis, cui tamen, jure Saxonico, pactum proprium sive simultanea investitura sæpe adjungi debet. Hinc successor facta antecessoris, cui successionem non debet, regulariter non præstat *v. II. f. 45. Const. Saxon. 47. p. 2.*

§. 12. Feudum hæreditarium varie supponitur, vel ratione *successionis allodialis & liberæ alienationis*, vel *successionis allodialis tantum,* vel *personarum succedentium.* Sæpe tamen non liquet, an & quale feudum hæreditarium adsit, nec infrequens est, ut sine causa aliquod asseratur *v.* H. PISTOR *l. 2. qu. 1. 3.* STRUV. *S. J. F. c. 4. §. 12. 13.* STRYK *E. J. F. c. 4. §. 50.* In Saxonia illud feudum, nisi fallor, plerumque dicitur hæreditarium, in quo fœminæ succedunt, quodque sine consensu domini potest alienari. In cæteris, ac in specie, simultanea investitura, alia feuda imitatur.

§. 13. Deinde etiam feudum *ex pacto & providentia*, opponitur feudo *alienabili*, quod, sine domini & simultanee investitorum consensu, alienari potest, qualia feuda in Lusatia Superiori occurrere dicuntur *v.* STRYK *E. J. F. c. 4. qu. 53. edit. noviss.* STRUV. *S. J. F. c. 10. §. 1. n. 5.* MARTIN *ad O. P. S. tit. 40. §. 1. n. 3.* Denique opponitur illud *feudo, in quo nulla successio obtinet.* Tale est (1.) feudum habitationis (2.) Soldatæ *II. f. 10.* (3.) Cameræ & (4.) Cavenæ *v.* STRYK. *E. J. F. c. 4. §. 54. seqq.*

§. 14. Ex his adeo liquet, quo sensu, species feudi proprii & improprii

proprii constitui possint. Ex eodem fundamento etiam feuda mixta asserere licet, nam si e. gr. feudum juratum & francum sit, tum illo respectu proprium, hoc, improprium est. Ita feudum sæpe fœminas admittit, & tamen, quoad cætera, ac, in specie simultaneam investituram, feuda propria imitatur. Atque ejusmodi feuda mixta, in vita civili, non infrequentia videntur.

§. 15. Ab *accidentalibus* v. STRYK. *E. J. F. c. 3. §. 7.* feudum distinguitur (1.) ab *ætate*, in *antiquum*, quod per successionem, in aliquem devolvitur, & *novum* quod quis à domino, de novo accipit *I. f. 8. §. 1.* Aliquando feudum antiquum, fit novum, si agnati in hoc consentiant *v. II. f. 45.* ac, vice versa, novum, jure antiqui conceditur, ex quo diversitas, quoad successionem, resultat *v.* STRUV. *S. J. F. c. 3. §. 2.* STRYK *E. J. F. c. 3. §. 14. 15.* Sed in Saxonia, ubi à simultanea investitura successio dependet, ista observatio non habet usum.

§. 16. Quando de successione controvertitur, ac neuter litigantium est in possessione, tum, feudum in dubio antiquum præsumi, quidam volunt, sed cum antiquum & novum, ad feudi accidentia spectet, hinc neutrum præsumere licet, sed præsumtio ex aliis fundamentis repetenda erit *v. II. f. 11. 15.* STRYK. *E. J. F. c. 3. §. 21. 22. edit. noviss.* In Saxonia de præsumtione antiquitatis aut novitatis vix quæritur, cum non inde, sed à simultanea investitura, successio dependeat. Imo videtur tota illa sollicitudo pertinere ad ea tempora, quibus investiturarum literæ, de feudis non fuerunt confectæ.

§. 17. Ab *Objecto* feudum distinguitur (2.) in *seculare*, quod in rebus secularibus, & *ecclesiasticum*, quod in ecclesiasticis consistit. Hoc *Krumstäbisch lehn* dici, ac de eo tradi solet, quod fœminæ in eodem etiam succedant, ideo forte, quod multa feuda ecclesiastica, sint oblata *v.* KULPIS *ad Monzamb. p. 2. c. 3. §. 6. p. 25.* quæ tamen ratio assertionem non probat, cum feuda oblata, ex consvetis feudorum juribus, æstimanda sint *v.* STRUV. *S. J. F. c. 3. §. 4.* Feudo ecclesiastico quidam accensent *das Pfarrlehn*, si quis cum jure Patronatus sit investitus *v.* STRYK *E. J. F. c. 3. §. 24.* quæ suppositio non semper obtinet *v.* EYBEN. *elect. jur. feud. c. 2. §. 1.*

§. 18. Ab *adjuncto* distinguitur (3.) in *nobile*, circa quod eximia quædam jura, ut jurisdictio, jus Patronatus, venandi, immuniras ab oneribus

Digitized by Google

ribus & similia, occurunt, & *ignobile*, in quo jura illa deficiunt. Ex *persona concedente*, vel *conditione possessoris*, aut *effectu v.* HUNN. *de feud. c. 6. p. 66.* STRUV. *S. J. F. c. 3. §. 5.* nobilitas & ignobilitas feudi non est æstimanda. Hinc feudum nobile potest concedi etiam ab eo, qui jus nobilitandi vel non habet, vel non exercet, quemadmodum ille, qui nobilitate personali non gaudet, id quoque possidere potest & solet.

§. 19. Feudum nobile est vel *tale in specie*, vel *regale*, hoc, in Germania, est vel *mediatum*, cujus generis sunt Comitatus, Baronatus, Commendæ similiaque, quæ Statibus imperii subsunt, & *immediatum*, quod ex libertate civili, sive Superioritate territoriali æstimatur, de quo in Jure Publico agendum. Ad conditionem & dignitatem possessoris, non est respiciendum, nec placita juris Longobardici, per omnia, huc quadrant *conf.* STRUV. *d. c. 3. §. 6. seqq.* HUNN. *de feud. c. 6.* BITSCH *in comm. ad J. F. l. 2. tit. 10. p. 271. seqq.* STRYK. *E. J. F. c. 3. §. 33.*

§. 20. Ab *obligatione*, feudum distinguitur (4.) in *ligium*, quando Vasallus soli domino, Vasallagio & subjectione obstringitur, & *non ligium*, quando aliis quoque obligatur *v.* EYBEN. *elect. jur. feud. c. 3. §. 8.* STRYK *d. c. 3. §. 41.* Hoc sensu divisio illa omnino admitti potest. Quodsi vero per Vasallum ligium, eum intelligere velis, qui nulli alii homini, ulla ratione, sit obstrictus, tum facile liquet, quod talis existere nequeat.

§. 21. Denique à *loco* distingvi solet (5.) in feudum in *curte*, quod in rebus ad Domini curiam pertinentibus, & *extra curtem*, quod in aliis consistit *I. f. §. fin.* licet alii aliter hanc divisionem explicent, *v.* STRUV. *S. J. F. c. 4. §. 18. n 5.* STRYK. *E. J. F. c. 3. §. 46. 47.* cujus disceptationis nullus videtur esse usus. Dubium etiam non est, quin alio adhuc sensu Feudum dividi queat, v. gr. in *generale*, & *singulare*, prout vel plura, vel singularia jura conceduntur; in *divisibile* & *indivisibile*, & si quæ aliæ ejus generis divisiones occurrunt.

§. 22. Usum præsentis doctrinæ quod attinet, varias feudi qualitates considerasse, inutile censeri non debet, cum ad pleniorem ejus cognitionem pertineat, etsi, omnes consectari minutias, operæ non sit pretium. Partitiones vero, quæ ex circumstantiis illis conficiuntur,

Digitized by Google

ſpectant ſaltem ad commodiorem diſciplinam, adeoque habent ſolum uſum ſcholaſticum, non forenſem, nam in foro, de juribus ipſis, non eorum claſſibus ſolent eſſe ſolliciti.

§. 23. Illud etiam obſervandum, quod ex circumſtantiis feudi, quæ peculiare aliquod jus non arguunt, quales ſuo modo ſunt objectum *v. §. 17.* & locus *§. 21.* diviſiones neceſſario non ſint conſtituendæ. Denique notandum, quod qualitates feudi *naturales* & *accidentales*, in quibusdam caſibus, ſollicite diſtinguere non ſit opus, hinc, ſine utilitate quandoque litigatur, utrum v. gr. feudum oblatum, emtum aut præſcriptum, quoad acquirendi modum, ſit proprium vel improprium? Illud tamen merito exigitur, ut quis, in hac tractatione, ſibi conſtet, adeoque, quando de naturalibus feudi agere ſibi propoſuit, accidentalia haud immiſceat, hæc enim non ferenda confuſio eſt.

§. 24. Si calculum recte ſubducamus, diſtinctio *naturalium* & *accidentalium*, uti lubrica, ita plane non eſt neceſſaria: quid enim refert ſcire, utrum v. gr. gratuita datio ad naturalia, an accidentalia feudi pertineat? Exinde conſequitur, quod nec diviſionis feudi, in *proprium* & *improprium*, quatenus fundamento illo nititur, ulla ſit vel neceſſitas vel utilitas, cum nec ab illa, aliqua juris diverſitas vel effectus dependeat: Nam e. gr. diſcrimen, quo aliud feudum maſculinum, aliud fœmininum dicitur, reale quidem & merito obſervandum eſt, ſed quidnam illi accedit, vel huic decedit, ſi illud proprium, hoc improprium inſuper dicatur?

§. 25. Satius igitur erit, circa feuda ſaltem *eſſentialia* & *accidentalia* diſtinguere, ac tam ab illis, quam his, quatenus alicujus momenti eſſe videntur, diviſiones ſigillatim repetere, hoc vel in genere, vel quoad quasdam ſpecies addito, quod ea, quæ feudum plerumque comitantur, quocunque etiam nomine veniant, in dubio præſumantur. Sic variis tricis & vitilitigiis, quæ vel circa *doctrinam*, vel *docendi modum* alias occurrunt, ſuperſedere licebit: *add.* JUS FEUD. GERMAN. *c. ſ.*

CAPUT

CAPUT III.

DE PERSONIS FEUDUM CONSTITUENTIBUS.

SUMMARIA.

Circa feudi conſtitutionem, caſus dationis & oblationis debet diſtingvi §. 1.
Regula generalis quoad perſonas feudum concedentes §. 2.
Status imperii feuda concedunt in Territoriis ſuis §. 3.
Non vero Cæſar aut Papa §. 4.
Homines etiam privati & plebeji feuda concedere poſſunt §. 5.
Modo liberam rerum habeant adminiſtrationem §. 6.
Eſt tamen privato conceſſio rarior §. 7.
Feuda acquirere poſſunt etiam ſtatus imperii §. 8.
Fœminæ aliique ad ſervitia inhabiles §. 9.
Minores, furioſi, prodigi, filiifam. §. 10.
Et ruſtici §. 11.
Ad feuda ruſtica referuntur Churmedica §. 12.
Bona ab oneribus militaribus libera, jurisdictio inferior ac munus Sculteti §. 13.
Quidam feuda acquirere prohibentur §. 14.
Oblatio feudorum ratione Imperantium & privatorum ſpectari poteſt §. 15.
Bona avita & oneribus ſubjecta in feudum offerri poſſunt §. 16.
In potentiorem aut extra Rempublicam quatenus oblatio fieri queat §. 17.
Dominium directum & utile feudi etiam ſuo modo offerri poteſt §. 18.
Perſonarum feudalium denominationes §. 19.

§. 1.

FEudi conſtitutio, eſt ſpecies alienationis, hinc, quinam illam peragere queant, ex generalibus alienationis principiis, fere judicandum eſt. Iſti rei intelligendæ, duo caſus generales ſeparari debent, vel enim (1.) feudum *datur* vel (2.) *offertur*. In illo occurrunt *concedentes* & *acquirentes*, in hoc, *illi quibus offertur*, & *qui offerunt*. Illi concedentibus, hi acquirentibus ſunt ſimiles, eſt tamen etiam aliqua inter eos diſparitas, nam oblatum facilius acceptari, quam concedi, & conceſſum acquiri, quam res in feudum offerri poteſt.

§. 2. Circa *concedentes* generalis eſt regula, quod ille, qui habet liberam rerum ſuarum adminiſtrationem, res ſuas alii vel immediate, vel mediate, per procuratorem, conſenſu neceſſario inſtructum, poſſit in feudum concedere. Ex hac regula judicari poteſt, quousque Status extranei v. gr. Papa, aut, in Germania, Cæſar feuda concedere queant.

Sed

Sed prior disquisitio est extra ambitum Jurisprudentiæ germanicæ, posterior vero ad Jus publicum pertinet, adeoque hic præsupponitur.

§. 3. Hoc loco ad Territoria Germaniæ saltem respiciendum, ubi quidem Status seculares, tam de rebus patrimonialibus, quam publicis, feuda concedunt, vel aperta denuo conferunt, aut munera etiam, sub nexu feudali, tribuunt, quod ultimum tamen parum usitatum est; Statuum provincialium consensus, raro forsitan ad illa requiritur. Status ecclesiastici, vel, sede vacante, Capitula itidem feuda conferunt, si res fuerit infeudari solita *v.* STRUV. *S. J. F. c. 5. §. 9. n. 5. seqq.* RHET. *comm. jur. feud. l. 1. tit. 1. p. 53.*

§. 4. Consensu Cæsaris, Status imperii, in concedendis feudis, non indigent, STRUV. *d. l. n. 10.* neque ipse Cæsar, in eorum territoriis, feuda dare potest *v.* STRYK *E. J. F. c. 5. §. 11.* quod utrumque, ex acquisita Superioritate Territoriali, fluit. Pontifici, ex prætenso Vicedeatu, illimitatum jus in bona ecclesiastica competit *v.* STRUV. *d. l. n. 8.* sed illo negato *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 1. c. 7.* hoc etiam corruit. De cætero diversa Vasallorum genera, jure longobardico tradita *v.* BITSCH. *ad jus feud. l. 2. tit. 10.* ad Germaniam contorte applicantur *v.* ITTER. *de F. I. c. 3. §. 2.*

§. 5. Etiam homines privati, & in specie municipes & rustici, feuda dare possunt, licet enim servitiorum militarium non sint capaces, attamen hæc ad feudum præcise non requiruntur. Porro licet dominus feudi in Vasallum, jure longobardico habeat jurisdictionem *II. f. 55. in fin.* hæc vero in privatum non cadat, ceu ex Statu Reipublicæ liquet, ac jure Romano quoque cavetur *l. 3. C. de jurisdict.* tamen nec hæc ad feudum est necessaria, sed, sine jurisdictione, hoc recto constituitur.

§. 6. Uti autem nihil refert, sive immediate, sive per procuratorem feudum detur, ita quoad privatos, generalia etiam alienationis principia sunt observanda, hinc impuberes, minores, furiosi, prodigi, fœminæ & liberi in potestate patria existentes, non aliter feuda concedere possunt, quam observatis iis, quæ circa alienationem alias requiruntur *v.* STRUV. *S. J. F. c. 5. §. 3. 4. 5.*

§. 7. Interim licet privati feuda dare possint, raro tamen solent, nam feudi constitutio, ad Reipublicæ rationes quodammodo pertinet, adeo-

Digitized by Google

adeoque iis, qui imperio aliquo vel dominio majori gaudent, fere propria eſt, neque adeo ab alienatione generaliter ſpectata, ad feudi conſtitutionem. inferre licet, ut ſententia Gryphiandri, eos, qui de Ruſticorum conceſſione feudali, ſolliciti ſunt, ridentis, ſuo modo admitti debeat *v.* RHET. *ad J. F. l. 1. tit. 1. p. 124.* STRUV. *S. J. F. c. 5. §. 3.*

§. 8. Circa *acquirentes*, generalis etiam obtinet regula, quod quivis, ad acquiſitionem feudi, cenſeatur eſſe habilis, donec inhabilitas probetur. In ſpecie igitur Status imperii, in alterius Status territorio, etiam ſub conditione ſubjectionis, feudum poteſt acquirere, quemadmodum dignior, quoque minus digni Vaſallus quandoque eſt, quibus caſibus, actus vaſallitici & ſubjectionis per procuratorem expediri ſolent *v.* CONRING. *de fin. imper. l. 2. c. 25. p. 622.* RHET. *ad J. F. l. 1. tit. 1. p. 127. n. 8. 9.* BURGOLD. *ad J. P. W. p. 1. D 20. §. 27.*

§. 9. Fœminæ etiam nec non cœci, ſurdi, muti ſimilesque feuda acquirere poſſunt, quibus caſibus, in dubio id actum videtur, ut ſervitia per ſubſtitutum præſtentur, ac hujus generis perſonæ, in ſubſidium quoque ſuccedant *v.* STRUV. *S. J. F. c. 5. §. 12.* Idem dicendum de Clericis vere talibus, id quod in Saxonia Electorali plane extra controverſiam eſt *v. Conſt. 28. p. 3.* Canonici & Equites religioſi, in terris Proteſtantium, ſine dubio feuda acquirere poſſunt, cum nomine tenus ſaltem ſint Clerici.

§. 10. Impuberes, minores, furioſi & prodigi eatenus feuda acquirunt, quatenus contrahere poſſunt. Filius per patrem, in cujus poteſtate eſt, feudum acquirere, ac ad ſervitia obſtringi poteſt, licet alii ſervitia in hoc caſu remiſſa cenſeant per *§. 9. J. de inutil. ſtipul. v.* STRUV. *d. c. 5. §. 13.* quæ tamen ſententia parum probabilis eſt. Minor ſine curatore ſuo ad ſervitia obligari nequit *arg. l 3. C. de in integr. reſtit.* licet hic etiam ex *l. 101. de V. O.* quidam aliter ſentiant *v.* STRUV. *d. §. 13.* His autem in caſibus, juramentum fidelitatis, in tempus habile differtur, ac ſervitia per ſubſtitutum præſtantur *II. f. 26. §. ſi minori.*

§. 11. Feudum filiofam. datum, non ad peculium caſtrenſe *vid. l. 1. C. de pecul. caſtr. l. 4. C. fam. erciſc.* Sed adventitium regulare pertinere videtur, niſi Princeps illud conceſſerit, tum enim Patri uſusfructus non competit *l. 7. C. de bon. quæ liber.* Ruſtici quoque feuda acquirere poſſunt, quod & in Saxonia obtinet, cum contraria ſanctio *Lehnr. c. 2.*

non obſervetur CARPZ. *p. 3. C. 28. D. 5.* Ad nobilia feuda etiam ruſticis adſpirare licet, ſola tamen eorum poſſeſſio nobilitatem perſonalem non involvit *add.* RHET. *comm. jur. feud. l. 1. tit. 1. n. 17. p. 130.*

§. 12. Sed tam opima feuda ruſticis raro obveniunt, verum hi, ruſticis & exiguis debent eſſe contenti, quorum conditio, juxta conſvetudines regionum, dubio procul diverſa eſt. Eo referri ſolent *feuda Churmedica*, quæ ita conceduntur, ut Vaſallus, præſtito juramento, ſingulis annis, certum canonem ſolvat, ac inſuper, Vaſallo mortuo, dominus ab hærede, optimum eqvum vel bovem, aut quandam rem inanimatam, pro inveſtitura, exigat.

§. 13. Eo etiam referuntur *Feuda ab oneribus militaribus libera*, cujus generis in Præfectura Saxonica Dölicienſi occurrere dicuntur. Aliquando etiam *jurisdictio inferior* vel *munus Sculteſii pagani*, ruſticis in feudum conceditur, quæ jura prædiis annexa ſunt, ac quandoque etiam in fœminas tranſeunt, quæ per Provaſallum, *einen Lehnträger*, eadem exercent. De cætero feuda ruſtica, oneribus conſvetis regulariter ſubſunt, præterea Vaſalli certa quædam ſervitia præſtare, ac e. gr. venatoribus Domini, cibum potumque quandoque exhibere, vel canem venatorium educare *v.* EKSTORM. *Chron. Walckenred. p. 169. 177.* aut eqvum, in domini uſum alere tenentur *v.* DN. FALCKNER. *diſſert. de eo quod juſt. eſt circ. ruſtic. in mater. feud. hab. Francof. 1693.*

§. 14. Aliquando leges, feudi acquiſitionem prohibent. Talis prohibitio occurrit (1.) quoad hæreticos & apoſtatas *c. fin. X. de hæret. l. 4. §. 3. l. 10. C. de hæret. l. 4. C. de apoſtat.* quæ eatenus injuſta cenſeri debet, quatenus, in pœnam delictorum religioſorum, id conſtitutum eſt, nam alias, ex rationibus politicis, diſſentientes in religione, à quibusdam rebus, recte excludi poſſunt (2.) bannitos (3.) excommunicatos *c. pen. X. de ſent. excomm. v.* SCHULTZ *Synopſ. feud. c. 5. n. 26.* ſed hoc tyrannidem papalem olet, *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 2. c. 19. §. 11.* nec inter Proteſtantes obtinet (4.) infames *v.* SCHULTZ *d. l.* cujus ſanctionis exiguus videtur eſſe uſus *conf.* JUS FEUD. GERM. *c. 6.*

§. 15. Circa oblationem feudorum *v. §. 1.* regulæ generales *§. 2. 8.* inculcatæ, præſupponi debent. De cætero illa ſpectari poteſt vel *ratione Cæſaris ac Statuum imperii*, quousque ſcilicet, inter eos, oblatio locum habeat, nec ne, vel *ratione privatorum*; ſed cum prioris generis

quæſtio-

quæſtiones ad Jus publicum ſpectent *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 3. §. 25. 28.* ideo ad privatos hic ſaltem reſpiciemus, ita quidem, ut offerentes & eos, quibus offertur, conjunctim in nonnullis exemplis conſideremus.

§. 16. Bona allodialia avita in feudum offerri poſſunt, ſi agnatis jus protimiſeos non competat, alioquin horum conſenſus eſt neceſſarius *v.* THOMAS. *diſſert. de feud. oblat. c. 2. §. 9.* Subditis bona ſua, oneribus ordinariis ſubjecta, Domino Territoriali offerre licet, huic enim integrum eſt, onera illa nonnullis remittere *v.* RHET. *C. J. F. l. 1. tit. 1. n. 33. p. 47.* imo onera illa etiam in rebus feudalibus, loco ſervitiorum, eſſe poſſunt. Si ſubditi ſibi invicem bona in feudum offerant, onera ordinaria manent *add.* RHET. *d. l. n. 37.* THOMAS. *d. l. §. 10.*

§. 17. Oblatio etiam in potentiorem fieri poteſt, modo bona non ſint litigioſa, adeoque, in præjudicium adverſarii, offerantur *vid.* THOMAS. *d. l. §. 20. 21.* Extraneo Principi ſubditus bona offerre non poſſe videtur, cum illa oblatio ſubjectioni, qua Domino ſuo obſtringitur, quodammodo obſit. Sed in privatum alterius Reipublicæ, oblatio fieri poſſe videtur, cum hæc juri Domini Territorialis haud noceat, niſi expreſſe hoc prohibitum ſit *add.* THOMAS. *d. l. §. 19.* Sed hujus generis quæſtiones, ad rarius contingentes pertinent.

§ 18. Dominium directum, dominus alii offerre poſſe videtur, quod tam de dominis privatis, quam Statibus imperii aſſerere licet *v.* THOMAS. *d. l. §. 12.* talis enim oblatio, non eſt alienatio, quæ domino directo non conceditur *v.* STRUV. *S. J. F. c. 13. §. 1.* ſed dominii directi multiplicatio, quæ Vaſallo regulariter non obeſt. Vice verſa autem Vaſallus feudum ſuum alii offerre nequit, cum hoc domino primo moleſtum ſit *v.* THOMAS. *d. l. §. 13. ſeqq.* Status tamen imperii, ob libertatem civilem, qua gaudent, feuda ſua Statibus aliis offerre poſſe videntur *add.* THOMAS. *d. l. §. 40.*

§. 19. De cætero altera perſonarum feudalium dicitur *Dominus*, tam ob jus in rem, quam perſonam, ut & *Senior I. f. 17. 18. in fin.* quod nomen cum priori videtur coincidere. Altera, *fidelis* audit, à fide domino promiſſa, *I. f. 10.* ut & *Clientulus*, quia dominum patronum agnoſcit *I. f. 13.* nec non *miles*, à ſervitiis militaribus regulariter præſtandis *I. f. 22.* & frequentiſſime *Vaſallus v.* STRUV. *S. J. F. c. 5. §. 12.*

germanice *Mann v.* STRYK. *E. J. F. c. 5. §. 32. §. 1. 2.* Nomina *Capitaneorum* & *Valvaſorum* diverſo reſpectu dominis & vaſallis conveniunt *II. f. 10.* nec Germaniæ recte applicantur *v. §. 4. h.* conf. JUS FEUD. GERM. *c. 7.*

CAPUT IV.
DE MATERIA FEUDI.

SUMMARIA.

Feudorum objectum ſunt jura & res corporales §. 1.
Jura ſunt vel publica vel privata §. 2.
Conceſſio jurium publicorum feudalis vel ratione ſtatuum imperii, vel ſubditorum territorialium ſpectatur §. 3.
Partes dominii & imperii ſubditis aliquando conceduntur §. 4.
Modus concedendi diverſus §. 5.
Conceſſionis illius utilitas, requiſita & ſenſus §. 6.
Feudum jurisdictionis §. 7.
Sylvæ §. 8.
Et regalium quid involvat §. 9.
In feudum etiam conceduntur omnis generis jura privata §. 10.
Cum rebus immobilibus §. 11.
Et mobilibus §. 12.
Quo inprimis pertinet feudum pecuniæ §. 13.
Circa quod tres caſus diſtingui ſolent §. 14.
Ad ejus conſtitutionem conſenſus domini directi etiam eſt neceſſarius §. 15.
Cautio non ad ejus perfectionem ſed ſecuritatem pertinet §. 16.
Majeſtatica qualitatis allodialis mutatio ad feudum pecuniæ fruſtra requiritur §. 17.
Feudi hujus indoles duratio & uſus §. 18.
Quoad feudi conſtitutionem privatam libera adminiſtratio requiritur §. 19.
Res extra commercium poſitæ & alienæ in feudum dari nequeunt §. 20.
Datio tamen rei alienæ valet ad effectum præſcriptionis & evictionis §. 21.
Hæc vero circa feudum gratuitum non præſtatur §. 22. 23. 24. 25.
Res alienari prohibitæ in feudum concedi non poſſunt §. 26.

§. 1.

IN feudum omnis generis *res incorporales* ſive *jura*, & *corporales*, ſub quibus etiam *facta* comprehenduntur, dari poſſunt. Quod tamen non ita intelligendum, quaſi feudum vel in rebus corporalibus vel incorporalibus ſeparatim conſiſtat, adeoque duæ diſtinctæ feudi ſpecies ſint, rerum ſcilicet corporalium & incorporalium, quæ vulgaris eſt docendi ratio *v.* STRUV. *S. J. F. c. 6.* Sed dicendum potius, quod res incorporalis & corporalis ſemper concurrat, ita quidem ut illa, ipſum feudum efficiat, hæc vero ejus objectum ſit.

§. 2. Non incommode autem jura, quæ cum ſuis objectis, in feu-

feudum dantur, diſcerni poſſunt in *Publica* & *Privata*. Illa ambitu *imperii civilis* & *dominii publici* continentur, quorum partes promiſcue, ſub *Regalium* nomine, adduci ſolent *v. II. f. 56.* Imperium civile, in Germania, ratione Totius Reipublicæ, *Majeſtas*, intuitu vero Territoriorum, *Superioritas Territorialis* audit, eique Dominium publicum accedit, quorum indoles in Jure publico explicatur *v.* SPECIM. JUR. PUBLIC. *l. 3. c. 4. 5. 6. 7. 8. 9.*

§. 3. Conceſſio jurium publicorum feudalis, vel ratione *Statuum imperii*, vel *ſubditorum territorialium* ſpectatur. Illi plerumque Territoria ſua, cum juribus annexis, ut feuda, poſſident, ubi quidem de conceſſionis illius requiſitis & effectu, varia diſputantur *v.* STRUV. *S. J. F. c. 6. §. 13. n. 2.* KULPIS *ad Monzamb. p. 2. c. 5. §. 27. p. 180.* quæ ad Jus publicum pertinent *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 7. l. 6. c. 2. §. 9. ſeqq. l. 7. c. 7. 8. 9.* His vero Domini Territoriales, quædam jura publica vel eorum exercitium, in feudum conferre ſolent, quæ præſentis ſunt conſiderationis.

§. 4. Aliquando igitur dominium publicum privatis conceditur, nam multa prædia vel feuda nobilia, ad Rempublicam videntur pertinuiſſe, maxime poſtquam illa Domino Territoriali fuerunt aperta. In ſpecie huc referri poſſunt jus foreſtale, aquaticum, molendini habendi, metallicum & ſimilia. Præterea etiam quædam imperii civilis partes, ut jurisdictio, jus patronatus, jus prohibendi promiſcuum dominii privati uſum, in feudum conceduntur ex quo ultimo furni, molendina ac cauponæ bannales fluunt *v.* STRUV. *c. 6. §. 7.*

§. 5. Illud nihil referre videtur, ſive exercitium illorum jurium ſaltem ſubditis concedi, ſive jura ipſa in eos transferri, illaque his propria fieri dicas, nam omni caſu certum eſt, quod jura conceſſa, quoad ſubditos, ſint dependentia, ac Superioritati Territoriali ſubjaceant. Vulgo dicunt, *ea ſolum Regalia, quorum uſus absque Majeſtate, aut Superioritate eſt, ſubditis poſſe concedi*, quod ita intelligendum; Regalia ſubditis conceſſa, non habere rationem jurium independentium, ſed dependentium *add.* STRUV. *S. J. F. c. 6. §. 13. n. 3.*

§. 6. An autem expediat Reipublicæ, partes imperii, ſubditis in patrimonium concedere, & annon ſatius ſit, perſonali adminiſtratione, eas exercere? alii expediant. Quorum vero conſenſu, conceſſio

Regalium fieri queat, id ex ſtatu cujusvis Territorii judicandum, regulariter illa ab arbitrio Domini Territorialis dependere videtur. De cætero circa conceſſionem illam, variæ quæſtiones voluntaris occurrunt, quæ ex genuinis interpretandi principiis decidendæ ſunt.

§. 7. Si quis cum jurisdictione inveſtiatur, eccleſiaſtica conceſſa non eſt, quia ſcilicet concedi non ſolet, non vero, qui ad jura epiſcopalia pertinet, ut vult CARPZ. *J. E. l. 1. D. 3.* Jurisdictio ſimpliciter conceſſa ſuperiorem ſive criminalem quoque comprehendit *v.* CARPZ. *p. 2. C. 40. D. 6. Proc. tit. 2. art. 1. n. 71.* licet diſſentiat STRUV. *S. J. F. c. 6. §. 18. n. 4.* & CARPZ. *diſp. feud. 4. §. 24.* nam nomen jurisdictionis, non ex jure Romano, ſed uſu præſenti, explicandum eſt. Conceſſio jurisdictionis in dubio privative ſive ſubordinate facta cenſetur STRUV. *d. l. n. 5.* CARPZ. *p. 1. C. 16. D. 29. C. 27. D. 11.*

§. 8. Feudum ſylvæ plenum uſum, ac regulariter etiam jus venandi includit *v.* STRYK *E. J. F. c. 8. §. 18.* licet STRUVIUS *S. J. F. c. 6. §. 11. n. 3.* diſſentiat, cujus tamen ratio ſaltem oſtendit, quod jus venandi ſeorſim poſſit concedi, non vero, quod ſub feudo ſylvæ non contineatur. Porro jus venandi conceſſum comprehendit etiam alimenta ferarum & jus frondium, nec dominus ſylvæ, immoderato uſu, ei obeſſe debet STRUV. *d. §. 11. n. 3. 4.* v. ſupr. *l. 8. c. 14. §. 22.*

§. 9. Si Regalia ſimpliciter in feudum concedantur, minora ſaltem conceſſa eſſe, dicunt *v.* STRYK. *E. J. F. c. 9. §. 26.* cujus doctrinæ exiguus vel nullus videtur eſſe uſus, nam diſcrimen majorum & minorum Regalium, eſt valde lubricum, præterea indefinita conceſſio, in ſubditos vix ſolet fieri, denique, ſi fiat, ex materia ſubſtrata, ceu conditione feudi, certiorem habebit interpretationem. Illud recte dici videtur, conceſſionem certorum Regalium, ad ſimilia regulariter non eſſe extendendam, ut &, Regalia privative cenſeri conceſſa *v.* STRYK. *d. c. 9. §. 27. ſeqq.* prius enim affectus concedentis, poſterius vero, effectus actus celebrati exigit *conf.* JUS FEUD. GERMAN. *c. 8.*

§. 10. Jura privata *v. §. 2.* ſunt, quæ ad Rempublicam non pertinent, qualia etiam videntur eſſe publica, poſtquam in privatos devenerunt. De cætero omnis generis jura privata, realia & perſonalia, ut dominium, ſervitus pignus creditum ſive nomen, in feudum concedi poſſunt, ſi eorum indolem ſaltem ſpectemus, ſed plerumque dominium conceditur, cui, acceſſionis loco, alia quandoque cohærent.

§. 11. Re-

§. 11. Reſpiciunt autem jura vel res *immobiles*, vel *mobiles*; Illæ iterum ſunt vel *præſentes*, quæ regulariter in feudum conceduntur *II. f. 1. in fin. v.* STRUV. *S. J. F. c. 6. §. 1. n.* vel *abſentes ac per actionem exigendæ*, hæ quidem etiam in feudum concedi poſſunt *v.* STRYK *E. J. F. c. 8. §. 21.* ſed vix eſt, ut hoc fiat. Mobiles vel *immobili rei cohærent*, quo caſu, cum hac, in feudum dari poſſunt *v.* STRUV. *d. c. 6. §. 12.* ſed nec hoc facile continget, hinc plerumque res, ad inſtruendum prædium feudale, neceſſariæ, ſunt mere allodiales, vel *ſeorſim ſpectantur.*

§. 12. Hoc ſenſu dupliciter ſupponi poſſunt, vel *in individuo*, vel *in genere.* Illo reſpectu, res mobiles, non adeo ſunt durabiles, hinc vix, ſub ea ratione, in feudum dantur, quodſi tamen id fiat, erit feudum improprium, ac tamdiu durabit, quamdiu res data exiſtet *v.* STRUV. *d. c. 6. §. 1.* Secundo autem reſpectu, perpetuo durant, dum in locum deficientis, ſemper alia ſurrogatur, hinc in rebus mobilibus, eo ſenſu ſpectatis, perinde ut in immobilibus, feudum conſiſtere poteſt.

§. 13. Interim iſta concedendi ratio, in omnibus rebus mobilibus, vix utiliter adhiberi poteſt, ſed fere ad pecuniam, cui in genere ſemper ſuus conſtat valor, quamque cum quavis alia re commutare licet, tantum pertinet, de quo adeo exemplo ſpecialius nonnulla dicenda ſunt. Feudum pecuniæ dici ſolet *Lehnſtam*, & eſt nihil aliud, quam *certa aliqua ſors, à cæteris bonis, jure feudi ſeparata.* Cenſetur illud conſvetudine germanica introductum *v.* STRYK *E. J. F. c. 4. §. 22. 23.* ſed videtur etiam juri longobardico non incognitum eſſe *II. f. 25. v.* STRUV. *S. J. F. c. 4. §. 2. n. 6.* cujus tamen diſceptationis nulla eſt utilitas.

§. 14. Poſſunt autem, circa feudum pecuniæ, tres caſus diſtingvi vel enim (1.) dominus feudi pecuniam penes ſe retinet, vel (2.) illa tertio conceditur vel (3.) libero uſui Vaſalli relinquitur *v.* STRUV. *d. §. 2.* primo & ſecundo caſu quin feudum in pecunia valide conſtitui poſſit, non dubitant, cum ſors, ratione Vaſalli, ſemper maneat ſalva, ſed de tertio res dubia videtur, cum, pecunia à Vaſallo conſumta, dominium directum exſpirare videatur: Verum hoc etiam in quantitate, generaliter ſpectata, poſſe ſubſiſtere, ex notatis *c. 1. §. 3.* intelligi poteſt.

§. 15. Omni igitur caſu, feudum in pecunia recte conſtituitur.

&

& ultimus quidem, cæteris eſt frequentior. Uti autem nihil refert, ſive pecunia detur, ſive offeratur, ita ad conſtituendum tale feudum, ſolus agnatorum conſenſus non ſufficit, ſed domini directi voluntas inſuper eſt neceſſaria, hinc in ſpecie etiam pecunia, ex venditione feudi redacta, vel ad ejus emtionem deſtinata, nondum eſt feudalis *vid. Conſt. Saxon. 30. p. 3.* STRUV. *S. J. F. c. 4. §. 4. 5. 6. 7.*

§. 16. Quidam ad feudum pecuniæ, etiam *cautionem* Vaſalli requirunt, qua dominus ratione pecuniæ, deficientibus ſucceſſoribus, in ipſum devolvendæ, ſecurus reddatur; ſed illi confundunt *perfectionem* feudi, & *ſecuritatem*, illa conſenſu habili, quo etiam dominus, ratione pecuniæ, jus conſequitur, conſtat, ſed hæc requirit cautionem, quæ tamen, ſalvo feudo, omitti poteſt, &, niſi fallor, plerumque omittitur.

§. 17. Non pauci etiam ad conſtitutionem feudi pecuniarii, requirunt *majeſtaticam qualitatis pecuniæ allodialis, in feudalem, commutationem*, ex quo porro inferunt, quod homines privati, tale feudum conſtituere nequeant *v.* CARPZ. *p. 3. C. 30. D. 2. 10. 11.* STRUV. *d. c. 4. §. 3.* D. MYLII *diſput. de feud. pecun. c. 3. §.* ſed hi confundunt *conſenſum domini directi*, cum *majeſtatica aliqua mutatione*, ille eſt neceſſarius, ſed hæc, ex ignorantia rerum moralium, aſſeritur, interim error hic, in foro innoxius eſt. Ex eo autem ſequitur, quod privati etiam feudum pecuniæ conſtituere queant, etſi, ut alibi, ita hic quoque, raro privatus domini directi locum ſubeat.

§. 18. Quæ alias de fide, ſervitiis, ſucceſſione & amiſſione feudi dicuntur, ac ſuo loco explicantur, illa etiam ad feudum pecuniæ pertinent. Non poteſt etiam pecunia feudalis, ſine domini directi conſenſu, in allodialem iterum converti *v.* BERLICH *Dec. 82. 83.* De cætero uſus feudi pecuniarii potiſſimum, circa ſucceſſionem, ſe exſerit, nam ſi uni ex hæredibus feudum adjudicetur, ea conditione, ut cæteris cohæredibus certam pecuniæ ſummam exſolvat, tum hæc in feudum quoque converti ſolet *v.* SCHULTZ. *Synopſ. Jur. feud. c. 8. n. 30.*

§. 19. Præterea, circa materiam feudi, obſervandum, quod aliquando jura & res ſingulares, aliquando vero eorum complexus in feudum dentur *v.* STRUV. *S. J. F. c. 6. §. 10.* STRYK *E. J. F. c. 8. §. 12. ſeqq. c. 10.*

c. 10. §. 1. Ex quò adeo conſtat, quousque natura jurium & rerum, feudi conſtitutionem admittat, nec ne. Quodſi autem hoc actu conſtituendum ſit, tum requiritur, ut conſtituturi jus aliquod circa rem ejusque liberam adminiſtrationem habeant, ſecundum notata *c. 3. §. 2. 8. 15.*

§. 20. Res igitur, quæ in commercio non eſt, in feudum dari nequit, in cujus tamen doctrinæ applicatione, præjudicia juris Romani nonnunquam eminent *v.* SCHRADER. *de feud. p. 3. c. 1. n. 2. 3.* STRUV. *S. J. F. c. 6. §. 3. ſeqq.* Quodſi vero res in commercio quidem ſit, ad aliquem tamen non ſpectet, tum nec ab eo in feudum dari poteſt, licet enim dominium directum in Vaſallum non transferatur *II. f. 8. §. fin.* utile tamen transferendum eſt, hoc vero præſtare nequit, qui nihil juris in re habet.

§. 21. Datio tamen rei alienæ eatenus valet, ut exinde præſcriptio ſequi poſſit, ac is, qui eam vel dedit, vel obtulit, re evicta, evictionem præſtare debeat, ſi ſcilicet titulo oneroſo feudi conſtitutio facta ſit *II. f. 8. 25.* ac conſveta evictionis præſtandæ requiſita adſint STRUV. *S. J. F. c. 6. §. 9. n. 2. 4. 5. 6.* ſi vero titulo lucrativo feudum conſtitutum, evictio regulariter non eſt præſtanda *l. 2. C. de evict.* licet damnum illatum merito reſarciri debeat *l. 18. §. fin. de donat.* conf. HERT. *de feud. oblat. p. 2. §. 7. p. 52. ſeqq.*

§. 22. Alii, quoad ultimum caſum, diſtingvunt inter feudum *datum*, & *oblatum*, in illo evictionem quoque præſtandam eſſe cenſent, non vero in hoc *v.* STRUV. *d. c. 6. §. 9. n. 3. 7.* Quidam autem in utroque evictionem præſtari debere putant, cum ſubſit donatio ſub modo, feudum enim conſtitui ob protectionem, fidem & ſervitia, in qua evictio præſtanda ſit *l. 1. C. de donat. quæ ſub mod. vid.* STRUV. *diſſert. de feud. oblat. c. 4. §. ult.* Dn. THOMAS. *diſſert. de feud. oblat. c. 2. §. 4. ſeqq.*

§. 23. Sed prior ſententia, quod in feudo gratuito, ſive dato ſive oblato, evictio non ſit præſtanda, verior eſt, nam regulæ inhærendum, quamdiu de exceptione non conſtat, hæc vero ex *l. 1. C. de donat. quæ ſub mod.* non probatur, exinde enim nihil aliud colligi poteſt, quam, inter *rem* & *modum* eſſe connexionem, adeo ut, hoc ceſſante, illa poſſit repeti, vel, illa ablata, hic non amplius ſit præſtandus, ex quo jus petendi evictionis præſtationem non ſequitur.

§. 24. Præterea obſervandum, quod modi adjecti non eadem ſemper ſit ratio, nam aliquando *adjicitur, ut ſemper præſtari debeat*, hoc caſu, re evicta, evictio merito præſtatur *l. 1. C. de jur. dot.* aliquando vero *modus in favorem ejus, qui rem præſtat, ſaltem adjicitur.* Hoc caſu, uti, re ablata, modus amplius exigi nequit, ita vice verſa jus non dat, quo alia res, ab invito, queat exigi, id enim non eſt actum.

§. 25. Atque ex hoc ſecundo genere eſt utique modus, qui, in gratuita feudi conceſſione, intervenit, nam qui feudum offert, domini fidem, protectionem & auxilia: qui dat, Vaſalli fidem & ſervitia habere intendit. Re igitur evicta, evictionis præſtatio non poteſt exigi, ob modum *præteritum*, quia hic, alia utilitate, jam eſt penſatus, neque ob *futurum*, quia amplius præſtari non debet, nec invito alteri, qui rem commodi ſui cauſa dedit vel obtulit, obtrudi poteſt *v.* Jus Feud. Germ. *c.* 7. *§.* 23. *ſeqq.*

§. 26. Denique licet quis dominium alicujus rei habeat, attamen in feudum illam dare nequit, ſi libertate alienandi deſtituatur *Il. f. 3.* Hinc res dotales, fideicommiſſæ ſubjectæ, quibusdam in locis, avitæ, ac in genere alienari prohibitæ, in feudum dari nequeunt *v.* Struv. *c.* 6. *§.* 8. Bona tamen communia, pro parte, ut alienari, ita in feudum etiam concedi poſſunt *v.* Stryk. *E. J. F. c.* 8. *qu.* 10. Sed horum jurium, cum privatos feudi dominos potiſſimum reſpiciant, in univerſum exiguus videtur eſſe uſus. De cætero quæſtiones voluntatis, quæ hic etiam occurrere poſſunt, ex conſvetis interpretandi principiis ſunt expediendæ *conf.* Jus Feud. German. *c.* 9.

CAPUT

CAPUT V.

DE FEUDI CONSTITUTIONE CONSENSUALI.

SUMMARIA.

Conſtitutio feudi conſenſualis requirit titulum §. 1.
Ex quo varii generis actiones deſcendunt §. 2.
Et modum ſive inveſtituram §. 3.
Pars inveſtituræ propriæ eſt contractus feudalis §. 4.
Et traditio §. 5. (§. 6.
Quibus accedunt partes naturales & accidentales
Inveſtituræ ſolennitas probatio §. 7.
Et effectus §. 8.
Ex inveſtitura abuſiva etiam jus reale oritur §. 9 10.
Circa feudi oblationem aliquando occurrit diſtinctus titulus & modus §. 11.
Aliquando ſolus ſaltem conſenſus expreſſus §. 12.
Vel tacitus adeſt §. 13.
Omnibus tamen caſibus feudum valide conſtituitur §. 14.

§. 1.

FEudi conſtitutio eſt vel *conſenſualis*, vel *legalis*, illa, *datione* vel *oblatione* abſolvitur, de qua utraque ſeparatim agendum eſt. Circa dationem occurrit *Titulus* & *Modus*. Titulus ſive promiſſio, eſt *actus, quo quis rem ſuam alteri in feudum ſe eſſe daturum, vere promittit.* Poterit illa promiſſio expediri vel actu inter vivos, oneroſo & gratuito, vel ultima voluntate *I. f. 25. v.* STRUV. *S. J. F. c. 7. §. 3.*

§. 2. Exinde oritur jus & actio perſonalis, negotio præcedenti conformis, cujus vi feudum promiſſum, à domino vel ejus hærede, exigi poteſt. Habet igitur locum, pro caſuum varietate, actio emti, condictio ex lege vel moribus, aut actio ex teſtamento. Sed illa vix per omnia Statui Germaniæ applicari poſſunt, nam uti promiſſio raro per ultimam voluntatem fieri videtur, ita coactio Domini forenſis, inuſitata eſt, cum plerumque ſit ſimul Dominus Territorialis.

§. 3. Promiſſionem ſequitur Modus, qui eſt *actus, quo jus reale ac præcipue dominium confertur.* In materia feudali, eſt *Inveſtitura*, quo nomine intelligitur, *actus, quo Dominus Vaſallum ad fidem & ſervitia, ſibi obſtringit, eidemque jus & rem feudalem ſolenniter confert I. f. 25. v.* STRUV. *S. J. F. c. 8. §. 1. 2.* Conſtat ergo inveſtitura, ſi in ſua perfectione ſpectetur, duabus partibus (1.) actu conſenſuali

Digitized by Google

finali reciproco (2.) rei traditione; Atque hæc dicitur *Inveſtitura propria*, ſi vero traditio deficiat, *abuſiva* audit *v. II. f. 2.* STRUV. *d. c. 8. §. 3 ſeqq.* ut adeo hæc, in illa contineatur.

§. 4. Inveſtituræ igitur propriæ, prima pars eſſentialis, eſt *inveſtitura abuſiva*, ſive *contractus feudalis*, licet alii illam, ad collationem juris, hunc vero, ad obligationem Vaſalli, referre malint *vid.* STRUV. *d. c. 8. §. 3. 4 5.* ſed ſine ſufficiente cauſa. Multo minus actus ille, ad principia juris Romani, Germanis, hac in parte, non probati, exigendus eſt, utrum ſcilicet ſit contractus nominatus, an innominatus, bonæ fidei, an ſtricti juris? nam hæc artem legulegam ſapiunt. Illud certum, quod contractus feudalis, à promiſſione feudi, plane differat.

§. 5. Secunda pars eſſentialis eſt *rei traditio*, quæ contractum feudalem comitari, ſequi & antecedere poteſt *II. f. 33.* STRUV. *d. c. 8. §. 2. n.* Eſt tamen hoc referendum ad caſus habiles, ubi ſcilicet de re in feudum danda agitur, nam ſi de munere quis inveſtiatur, traditio rei locum non habet, niſi forte uſum ſymboli intervenientis, vel præſentiam rei, quam munus reſpicit, pro traditione habere velis.

§. 6. Naturales inveſtituræ partes ſunt præſtatio juramenti *II. f. 3.* STRUV. *d. c. 8. §. 6.* & promiſſio ſervitiorum *II. f. 23. in fin.* His partes accidentales conventione arbitraria adjici poſſunt, de cujus valore, ex generalibus principiis, judicandum *v.* STRUV. *d. c. 8. §. 7.* De cætero inveſtitura, etiam per procuratorem, tam à parte domini, quam Vaſalli, regulariter fieri poteſt. *II. f. 3. §. 1. in fin.* & ſi mediate inveſtitura accipiatur, procurator in animam Vaſalli jurare ſolet *vid.* STRUV. *S. J. F. c. 8. §. 5. n. 5. §. 6. n. 5.* SCHULTZ *Synopſ. jur. feud. c. 9. n. 33. ſeqq.*

§. 7. Fit inveſtitura certis ritibus, qui uſu rectius quam præceptis diſcuntur. Jure Longobardico, pars ſolennitatis fuiſſe videtur interventus Parium Curiæ *II. f. 32. I. f. 26. in fin.* id quod tamen non ſatis liquidum, cujus diſquiſitionis hodie nullus eſt uſus. Forte etiam ea res, magis ad probationem, quam ſolennitatem pertinuit, cum, rudioribus Seculis, Scriptura non adeo fuerit in uſu. Hodie ſuper inveſtitura literæ, *Lehnbriefe* confici ſolent, quibus deficientibus, inveſtitura teſtibus vel jurejurando probari debet *v.* STRUV. *d. c. 8. §. 8. n. 45.* Sed raro illa probatione opus videtur.

§. 8.

§. 8. Ex inveſtitura propria, dubio procul, oritur jus reale, ob abuſivam vero, dominus obligatur ad rem tradendam *II. f. 7. §. 1. II. f. 26. §. ſi facta.* Poteſt etiam Vaſallus, propria autoritate, vacuam poſſeſſionem apprehendere *v.* STRUV. *d. c. 8. §. 9. n. 3. 4. 8. §. 10.* Jus vero reale exinde non nanciſci Vaſallum, communiter volunt, ideo potiſſimum, quod cum hæc res jure feudali non ſatis ſit deciſa, ex rationibus juris Romani illa expedienda ſit *v.* STRUV. *d. c. 8. §. 9.*

§. 9. Sed contraria ſententia FINCKELTH. *diſp. feud. 7. §. 3.* ITTER *de F. I. c. 9. §. 48.* verior eſt, nam niſi inveſtitura abuſiva jus reale produceret, nullus ejus eſſet effectus, cum jus perſonale, ex ſola promiſſione, Vaſallus jam habeat; accedit, quod inveſtitura ſimultanea, quæ & ipſa abuſiva eſt, jus reale producat; Hinc etiam feudum inveſtitura hac acquiri dicitur *II. f. 1. in fin. I. f. 14. II. f. 33. pr.* quod non de acquiſitione *inchoata*, ut diſſentientes volunt, ſed, ob rationes præſuppoſitas, de *plena* intelligendum eſt. Atque hanc ſententiam inprimis juri germanico conveniri oſtendit DN. SCHILT. *Jur. feud. alam. c. 4. §. 1. ſeqq. p. 59.*

§. 10. Ex quibus liquet, quod autoritate juris Romani, in hac quæſtione expedienda, non ſit opus, hinc etiam non obſtat, quod inveſtitura, non ſit traditio *II. f. 2. pr.* nam ſufficit, quod, ex rationibus juris feudalis, eundem illa habeat effectum. Neque etiam obligatio Domini *II. f. 7. §. 1. II. f. 26. §. ſi facta* jus reale negat, vel excludit. Ex his ſequitur, quod, ſi duo abuſive inveſtiti ſint, prior poſteriori præferatur, licet hic poſſeſſionem apprehenderit, quod STRUV. *d. §. 9. n. 5.* ex contraria hypotheſi negat *v.* FACHS *Conſ. apud H. Piſtor. l. 2. qu. 20. n. 26. 27.* Cæterum hactenus dicta pertinent ad feuda mediata, quis enim inveſtituræ Cæſareæ, quoad feuda immediata, ſit effectus, alibi exponitur *vid.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 7.*

§. 11. Quoad Oblationem *v. §. 1.* tres caſus ſunt diſtingvendi, nam (1.) *quis oblationem rei ſuæ expreſſe promittit, ac rem actu oblatam, à domino futuro, vellut feudum, recipit.* Hoc caſu dubium non eſt, quin feudum valide conſtituatur, cum *verus titulus* & *modus* adſit. De cætero promiſſio vel actu inter vivos, vel ultima voluntate fieri poteſt, eſt quibus domino vel hæredi jus acquiritur, ut à pro-

Digitized by Google

mittente vel ejus hærede promiſſi implementum exigere poſſit *vid.* STRUV. *S. J. F. c. 7. §. 10.*

§. 12. Deinde etiam (2.) *quis oblationem rei ſuæ expreſſe promittit, ac, ſine prævia actuali oblatione, ſe, de re ſua, inveſtiri curat.* Hoc caſu quoque conſtitutionem feudi admittunt, cum *verus* ſit *titulus*, & *ficta traditio v.* THOMAS. *de feud. oblat. c. 1. §. 52.* Sed non opus eſt fingere traditionem, hanc enim ad producendum dominium directum requiri, ex præjudicio ſaltem juris Romani, ac falſo dominii directi conceptu, aſſeritur, cum in rei veritate, ſolo conſenſu, omnis hæc res expediri queat.

§. 13. Denique (3.) *quis, ſine prævia promiſſione, & actuali oblatione, inveſtituram ab alio ſciens recipit.* Hoc caſu conſtitutionem feudi nonnulli quidem etiam admittunt *v.* STRUV. *d. c. 7. §. 10. n. 6.* alii vero ejus valorem negant, cum *titulus* & *traditio, ficta* ſint, fictio autem fictionis non detur. Huic difficultati expediendæ, quidem contendunt, titulum eſſe verum, licet tacitum, traditionem vero tantum fictam *v.* THOMAS. *de feud. oblat. c. 1. §. 53. ſeqq.*

§. 14. Sed non opus eſſe iſta ſollicitudine, ex *§. 12.* liquet. Omnia hic vero conſenſu valide expediuntur, fictionibus nec hic, nec alibi ſolida Jurisprudentia indiget. Jure tamen Saxonico oblatio non aliter fieri poſſe videtur, quam ſi Dominus rem oblatam, per annum & diem poſſeſſam, alteri in feudum concedat *Landr. l. 1. art. 34.* quod fortaſſis, ob jus retractus, ita ſancitum eſt *v. Landr. l. 3. art. 83. Weichc. art. 61.* ZOBEL *different. Jur. civ. & Saxon. p. 2. diff. 37.* ſed uti hoc, quoad collaterales, eſt ſublatum *p. 2. Conſt. 31.* ita nec illa ſanctio uſu ſervatur *v.* STRUV. *d. c. 7. §. 10. n. 9.* THOMAS. *de feud. oblat. c. 1. §. 59.* conf. JUS FEUD. GERM.

c. 10.

CAPUT

CAPUT VI.

DE SIMULTANEA INVESTITURA ET EXPECTANTIA.

SUMMARIA.

Jus ſuccedendi in feudum ſimultanea inveſtitura & expectantia conceditur §. 1.
Illius indoles & neceſſitas §. 2.
Jure Germanico, quoad agnatos collaterales & aſcendentes, ſimultanea inveſtitura etiam eſt neceſſaria §. 3. 4.
Perficitur conſenſu & actu inveſtiendi §. 5.
Dominus feudi in dando conſenſu non ſolet eſſe difficilis §. 6.
Effectus ſimultaneæ inveſtituræ §. 7.
Et uſus §. 8.
Expectantiæ indoles, moralitas & cauſa efficiens §. 9.
Promittitur ſub conditione aperturæ §. 10. 11.
Sive proxima ſive remota ſpes ſuccedendi adſit §. 12.
Ex promiſſione oritur jus perſonale & obligatio §. 13.
Ejus effectus §. 14.
Duratio & transmiſſio §. 15.
Prærogativa plurium expectantium ex conceſſionis diverſitate, ætate §. 16.
Poſſeſſione §. 17.
Expectantiæ generalitate & ſpecialitate judicari debet §. 18.
Obligatio domini tranſit in ſucceſſorem, qui hæreditario jure ſequitur non qui proprio §. 19.
Prior aſſertionis pars recte ſe habet §. 20. 21.
Sed poſterior dubia eſt ac à quibusdam rejicitur §. 22.
Verum illa locum habet in domino feudi privato, non autem Imperante §. 23.
Cujus ratio ex indole civitatis dependet §. 24.

§. 1.

Sicut feudum conſenſu conceditur, ita non infrequens eſt, ut eodem modo in alios jus conferatur, quo illud aliquando conſequi poſſunt. Fit hoc per *ſimultaneam inveſtituram, & Expectantiam*, de quibus adeo nunc merito agendum eſt. Simultanea inveſtitura non notat inveſtituram *contrariam*, quando, contra fidem datam, plures de eadem re inveſtiuntur *v. cap. præc. §. 10.* nec *communem*, qua pluribus, vel pro parte diviſa, vel indiviſa, res ſine mutua ſucceſſione, conceditur *v. I. f. 1. §. 2. I. f. 8. II. f. 12.*

§. 2. Sed eſt *actus, quo jus ſuccedendi alicui confertur;* An ſimultanee inveſtitus, aliquam feudi partem jure proprio teneat, aut, conſentiente Vaſallo, ſimul in poſſeſſione illius rei, in quam ſucceſſionem ſperat, ſit, ne *v. I. f. 3.* hactenus nihil refert. De cætero ſimul-

ſimultanea inveſtitura, quoad extraneos, dubio procul, omni jure eſt neceſſaria, ſiquidem illi ſuccedere velint, ſed, quoad eos, qui à primo acquirente, legitime deſcendunt, illa, jure longobardico, non requiritur, cum virtute ſangvinis ſuccedere poſſint.

§. 3. Verum jure germanico ultimi poſſeſſoris liberi, jure ſangvinis, quidem ſuccedunt, ſed agnati collaterales & aſcendentes, licet à primo acquirente deſcendant, vi ſangvinis ſuccedere nequeunt, ſed opus habent ſimultanea inveſtitura *vid. Jus feud. Saxon. c. 21. 32. H.* PISTOR. *l. 2. qu. 19. n. 41. ſeqq.* STRUV. *S. J. F. c. 9. §. 15.* Atque hæc ſanctio habet vim regulæ adeoque regulariter obſervanda eſt, cum ab initio omnis ſucceſſio feudalis, fuerit tantum pactitia *I. f. 1. §. 1. jus feud. alam. c. 43. 65.* Poſtea vero Longobardi ſucceſſionem ſangvinis admiſerunt, quæ ad eo rationem exceptionis habet *vid.* SCHILT. *diſſert. de ſimult. inveſt.* RHET. *comm. ad J. F. l. 1. tit. 1. n. 3. ſeqq. p. 84.* ITTER. *de F. J. c. 10.*

§. 4. Nonnulli quidem interpretes tantum juris germanici valorem credere non poſſunt, hinc malunt illud reſtringere, ne eo, velut ſtatutario, jus commune Longobardicum mutetur. Sed hi, eo ipſo, ſubleſtæ fidei principia ſatis produnt, etſi, ſecundum illa etiam, prolixe iis reſpondet PISTOR *d. qu. 19. n. 75. ſeqq.* Juxta hæc igitur Inveſtitura ſimultanea germanica, eſt *actus conſenſualis, quo tam extraneis, quam propinquis collateralibus & aſcendentibus, tam intuitu feudi novi, quam antiqui, certum ſuccedendi jus confertur.* Dicitur *geſamte hand*, & ambigue, *geding, anwartung.*

§. 5. Perficitur ſimultanea inveſtitura, conſenſu Vaſalli, ſimultanee inveſtiendi *vid. Reſcript. Torgav.* tit. *welcher geſtalt. §. iedoch* & inprimis Domini directi. Sicut autem ille ſimultaneam inveſtituram aliquando, ſub conditione mutuæ benevolentiæ, vel ſimilis operæ, iſti promittit, ita hic voluntatem, prævio fidelitatis juramento, ſolenni inveſtitura declarat *vid. H.* PISTOR *l. 2. qu. 20.* CARPZ. *p. 2. C. 48. D. 8.* quæ literis inveſtituræ principalibus inſeri ſolet *vid.* SCHULTZ *Synopſ. Jur. feud. c. 9. n. 89.* & locus etiam in hoc actu regulariter eſt procuratoribus.

§. 6.

Digitized by Google

§. 6. Dominum Feudi, ad conſentiendum, non poſſe cogi, ex generali æquitatis principio intelligitur *v.* CARPZ. *l. 6. Reſp. 74.* Neque tamen, in admittendis ſimultaneè inveſtitis, ille ſolet eſſe difficilis. In Saxonia, ex ſpeciali Mandato, de anno *1691. v.* JUS FEUD. GERMAN. *in append. n. 22.* intra annum ſimultanee inveſtiendos Domino præſentare licet, qui, à tempore præſentationis, intra annum, inveſtituram petere tenentur, quo elapſo non admittuntur, Vaſallo tamen alios præſentare integrum eſt *v.* D. MYLII *diſſert. de feud. pecun. c. 5. n. 52.*

§. 7. Ex inveſtitura ſimultanea, oritur jus irrevocabile, in hæredes habiles transmiſſibile, & reale, hinc inveſtiti non tatum ſuo ordine ſuccedunt, ſed & feudum, ſine ſuo conſenſu alienatum, à quovis poſſeſſore, ſi eos ſucceſſio tangat, vindicant *v.* H. PISTOR *l. 2. qu. 20. 21. 22. 23.* STRUV. *S. J. F. c. 9. aph. 16.* Illi vero effectus, qui poſſeſſionem præſupponunt, ut immunitas à ſatisdando *v.* CARPZ. *p. 1. C. 5. D. 12.* & domicilium, ex ſimultanea inveſtitura, non ſequuntur CARPZ. *p. 2. D. 179.* STRUV. *d. c. 9. §. 16.* nihilominus illa forum generale, quoad extraneos inveſtitos operatur, ſi Dominus feudi, ſit ſimul Dominus Territorialis *v.* CARPZ. *l. 6. Reſp. 115.* STRUV. *d. l.*

§. 8. Cum ſimultanea inveſtitura operetur jus reale, non recte inveſtituræ abuſivæ idem effectus negatur *v.* PISTOR. *d. qu. 20. n. 26.* de quo *cap. præc. §. 9.* dictum. De cætero ſimultanea inveſtitura, tam circa dationem, quam oblationem, occurrere poteſt, & facilius quidem circa hanc, quam illam, cum offerens hanc conditionem non difficulter impetrare queat. Imo poterit oblatio à duobus ea lege fieri, ut unus feudum, alter jus ſimultaneæ inveſtituræ obtineat *conf.* JUS FEUD. GERMAN. *c. 11.*

§. 9. Expectantia *v. Jus Feud. Saxon. c. 5. 57.* STRUV. *S. J. F. c. 7. §. 4. n. 1.* eſt *actus, quo dominus feudum, ſi ſibi apertum fuerit, ſe alii eſſe daturum, promittit.* Licitus eſt hic actus, quamvis Vaſalli mortem & bona reſpiciat, nam jus Romanum, quod ejusmodi pacta improbat, hac in parte non eſt receptum *v.* STRUV. *d. c. 7. §. 5. n. 3.* H. PISTOR. *l. 2. qu. 25. n. 2. ſeqq.* Abſolvitur autem conſenſu futuri domini directi & Vaſalli: Conſenſus poſſeſſoris inſuper non requiritur *II. f. 26. §. moribus* ex quo explicari debet *I. f. 27. v.* STRUV. *d. c. 7. §. 6.* CARPZ. *p. 2. C. 45. D. 1.*

§. 10. Poterit promissio fieri *ultima voluntate*, quod tamen in Germania rarò continget, & *actu inter vivos.* Dici etiam solet Investitura, quanquam nec propria, nec abusiva sit, scriptura verò, probationis gratia, accedit *v.* STRUV. *d. c.* 7. §. 4. PISTOR. *l.* 2. *qu.* 30. Semper autem, sub conditione aperturæ, promissio fieri debet, nam pura sibi ipsi contradicit, adeoque invalida est; Neque tamen verba captanda sunt, sed mens agentium præcipue attendi debet.

§. 11. Est autem conditio, sub qua expectantia conceditur, *generalis* vel *specialis*, ac utraque sic dicitur vel ratione *feudi*, vel *modi aperiendi.* Intelligendæ vero agentium voluntati, discrimen illud attendendum esse, facile liquet, de eo tamen non ex verbis tantum, sed & aliis circumstantiis judicari par est STRUV. *d. c.* 7. §. 5. *n.* 5. *seqq.* Quodsi restrictio non appareat, rationis est, ut conditionem generalem intelligamus.

§. 12. Expectantiæ plerumque impetrari solent, quando pauci successores superstant adeoque casus aperturæ mox speratur, nihil tamen vetat, quo minus, pluribus etiam successoribus superstitibus, illæ concedantur, id quod, circa expectantias generales, frequenter imo necessario contingit. Illud vero, quoad speciales, requiri solet, ut, tempore concessæ expectantiæ, omnes successores adsint, hinc si possessori post eam liberi nascantur, tum illa evanescere censetur, sed de hoc, ex modo concessionis, amplius judicandum *v.* STRUV. *d. c.* 7. §. 5. *n.* 10. PISTOR. *l.* 2. *qu.* 25. *n.* 15. *seqq.*

§. 13. Ex promissione perfecta, expectans consequitur *jus personale*, cujus vi tam ipse, quam ejus hæredes habiles, à domino & ut plurimum etiam, ab ejus successore, feudum apertum exigunt. Ei igitur in domino respondet *obligatio*, qua illud præstare tenetur, ad quod expectanti jus competit. Debet igitur dominus rem ipsam dare, nec solutione ejus quod interest liberatur, licet hoc velit CARPZ. *p.* 2. *C.* 45. *D.* 2. nam non tantum æquitas hoc exigit, sed & rationi juris civilis illud est consentaneum, cum obligatio dandi hic adsit *v.* STRUV. *d. c.* 7. §. 7. *n.* 1. præterea non satis liqueat, num in obligationibus faciendi, solum interesse jus civile exigat *v.* HUBER *in posit. ad I. de V. O. n.* 24.

§. 14. Quodsi dominus feudum apertum possideat, actione per-

Digitized by

personali invitus conveniri potest: Si possessio vacua sit, expectanti propria autoritate id occupare licet STRUV. *d. c. 7. §. 7. n. 5. 6.* nec opus videtur, ut facultas hæc specialiter ei sit concessa *v.* RHET. *Comm. Jur. Feud. p. 166. n. 14.* cum tacite promissione insit *v.* PISTOR. *l. 2. qu. 25. n. 26.* CARPZ. *p. 2. C. 45. D. 2. in fin.* Si tertius, sine consensu domini, feudum teneat, actionibus cessis, nempe interdicto adipiscendæ possessionis *v.* STRYK. *E. J. F. c. 12. §. 35.* & rei vindicatione, expectans rem persequitur PISTOR *d. qu. 25. n. 25.* STRUV. *d. c. 7. §. 7. n. 4.* Si vero feudum à domino alienatum sit, expectans illud vindicare nequit, sed tantum à domino interesse exigere potest *v.* STRUV. *d. §. 7. n. 7.* PISTOR *l. 2. qu. 28.*

§. 15. Jus expectantis personale quidem est, attamen, pendente conditione, revocari nequit *v.* CARPZ. *p. 2. C. 45. D. 2.* præterea in hæredes transmittitur, modo expectantia, morte domini, non interciderit, quod aliquando fieri potest: Requiruntur etiam hæredes habiles, quales regulariter non sunt fœminæ, nec expectantis parentes & collaterales. De cætero remotiores descendentes non in capita, sed Stirpes succedunt. *v.* STRUV. *d. c. 7. 8.*

§. 16. Inter plures expectantes de prærogativa quæritur *v.* PIST. *l. 2. qu. 29.* CARPZ. *p. 2. C. 45. D. 4.* STRUV. *d. c. 7. §. 7. n. 2. 3.* de qua breviter ita habendum: Expectans cum clausula *anteferri* omnibus potior est, licet antiquiores sint, aut possideant. Si plures clausula illa muniti sint, ille præferendus erit, qui voluntatem magis enixam pro se habet; formulis æqualibus, antiquiori prærogativa decernenda videtur *v.* PISTOR *d. qu. 29. n. 26. 31. seqq.* Iis vero, quibus feudo carendum est, dominus interesse præstare debet, si sint antiquiores, sed junioribus nihil præstandum, si expectantia, salvo aliorum jure, sit concessa, aut, deficiente hac clausula, illi antiquiorem expectantiam sciverint *v.* PISTOR *d. qu. 29. n. 3. 4. 5. 6.*

§. 17. Si sine clausula *anteferri*, pluribus expectantia concessa sit, ille potior est, qui prius possessionem nactus est, nam inde oritur jus reale *v.* PISTOR *d. l. n. 11. seqq.* cæteris, juxta doctrinam *§. 16.* interesse præstandum est. Si tamen possessor antiquiorem expectantiam sciverit, vel titulo lucrativo eam acquisierit, cum cæteri oneroso illam consecuti sint, tum eum cæteris non præferri censent

v. PISTOR, *d. l. n. 28.* sed utraque assertio non adeo verisimilis est.

§. 18. Si nullus possideat, expectantia specialis, præfertur generali, licet hæc sit antiquior, modo illa non sit impetrata, cum ultimus feudi possessor jam lethali morbo decumberet *Jus Feud. Saxon. c. 7.* PISTOR. *d. l. n. 7. seqq.* Sed hæc interpretatio mere positiva videtur. Denique si expectantiæ sint unius generis, antiquiori debetur prærogativa PISTOR. *d. l. n. 1. seqq.* His autem casibus, cæteris quoque interesse, juxta doctrinam *§. 16.* præstandum est.

§. 19. Ex declarato Expectantis jure, obligatio Domini simul intelligitur, de hujus tamen, in Successores, transmissione adhuc dispiciendum. Si illegitime expectantia sit obtenta, sicut ipse concedens eam revocare potest, ita nec Successor ad eam servandam obstringitur. Quoad legitimite impetratam expectantiam vero, duabus regulis obligationis transmissio, vulgo declarari solet (1.) qui jure hæreditario succedit, expectantiam servare debet (2.) qui vero jure proprio sequitur, ab illa obligatione regulariter est immunis *v.* STRUV. *d. c. 7. §. 9.*

§. 20. Illud observandum, quod hæc disquisitio incidat in locum communem, de obligatione Successoris, de quo actum in SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 5.* De cætero prior regula, dubio procul, verissima est, nam defunctus potuit & voluit successorem, ad facta sua præstanda, obligare; quæ ratio cum etiam ad Imperantes quadret, hinc idem jus, quoad eos, hactenus locum habebit *v.* RHET. *Comm. Jur. Feud. l. 1. tit. 3. n. 18. p. 188.* Jure quidem Saxonico successor ad servandam expectantiam non videtur obligatus *v. Lehnr. c. 59.* Sed id usu non servatur *v. Const. 45. p. 2.* PISTOR. *l. 2. qu. 26. n. 13.*

§ 21. Obligatur vero Successor, licet defunctus expectantiam sub conditione: *si mihi feudum aperietur*, concesserit, nam hæc locutio non *restrictionem*, sed solum *spem longioris vitæ* continet. Aliter se res habebit, si dictum sit: *si me vivo feudum apertum fuerit*, nam hæc loquendi ratio restrictionem involvere videtur *v.* STRUV. *d. c. 7. §. 9. n. 1. 2. 3.* PISTOR. *d. qu. 26. n. 2. seqq.* de quo tamen ex circumstantiis amplius judicandum erit. Sicut autem obligatio principalis in hæredes transmittitur, ita etiam accessoria, de præstando interesse, in eos transit, modo circumstantiæ, *§. 16.* notatæ, adsint.

§. 22.

§. 22. Posterioris regulæ ratio ea esse creditur, quod defunctus successori onus imponere nequeat, cum ei jus succedendi non det; De cætero variis exemplis, nempe Episcopi, ejus, qui ex pacto & providentia, aut in specie, ex pacto confraternitatis succedit *v.* STRUV. *d. c. 7. §. 9.* domini feudalis Superioris *v.* CARPZ. *p. 2. C. 45. D. 8.* fisci *v.* PISTOR. *l. 2. qu. 26. n. 22.* & Imperatoris *v.* RHET. *Comm. Jur. Rhet. l. 1. tit. 3. n. 24. p. 191.* regula illa illustratur. Sed uti exempla varie limitare, aut de quibusdam omnino dubitare solent, ita alii, eos, qui jure proprio succedunt, ad servandam expectantiam teneri, generaliter asserunt *v.* COLER *Dec. 93. n. 7.*

§. 23. Neutra sententia simpliciter admittenda, sed distingvendum potius est inter *privatum dominum feudi*, ac *Imperantem, qui corpori libero præest.* Si ille expectantiam concesserit, successor, qui jure proprio sequitur, eam servare non debet, est enim hoc factum, solius antecessoris, qui, ad id servandum, nec potuit nec voluit successorem obstringere. Hic vero si expectantium dederit, successor regulariter illam servare tenetur.

§. 24. Nam concessio illa non est actus solius Imperantis, sed & Reipublicæ *v.* GROT. *de J. B. P. l. 2. c. 14. §. 11. 12.* quæ cum immortalis sit, ac actum illum adhuc velit, hinc successor eum evertere nequit. Neque obstat, quod *jure proprio succedat*, nam hoc verum est ratione defuncti, non Reipublicæ, ab hac enim jus succedendi utique dependet, hinc successor facta antecessoris propria servare quidem non tenetur, ast, quæ Respublica voluit & adhuc vult, evertere non potest. Ex quibus adeo applicatio ad exempla facile fieri potest: In specie Status imperii germanici expectantias servare tenentur *v.* RHET. *comm. jur. feud. l. 1. tit. 3. n. 19. p. 189.* nam & Territoria Germaniæ quodammodo Respublicas liberas repræsentant *conf.* JUS FEUD. GERMAN. *c. 13.*

Digitized by Google

CAPUT VII.
DE PRÆSCRIPITONE FEUDI.

SUMMARIA.

Feudum etiam conſtituitur per præſcriptionem §. 1.
Ad eam requiritur poſſeſſio §. 2.
Ac ejus per 30. annos continuatio §. 3.
Quæ morte poſſeſſoris non interrumpitur §. 4.
Ac ſufficit etiam iis caſibus, quibus aliàs longius tempus requiritur §. 5.
Præſcriptio regalium dubia eſt §. 6.
Non male tamen aſſeritur §. 7.
Titulus §. 8.
Et bona fides quatenus requiratur §. 9.
Præſcriptio occurrit à parte domini §. 10.
Vaſalli §. 11. 12.
Et tertii §. 13.
Si feudum ut res allodialis alienetur, nulla præſcriptio locum habet §. 14.
Bene tamen ſi ut feudum transferatur §. 15.
Poteſt etiam dominium directum præſcribi, ac præſcribens feudum aliquando inveſtituram probare tenetur §. 16.
Præſcriptionis effectus §. 17.
Et ſpecies affines §. 18.

§. 1.

POſtea etiam de conſtitutione Feudi legali agendum eſt *v. c. §. 1.* Fit illa per præſcriptionem, hæc in genere eſt *actus, quo, mediante continua trigintæ annorum poſſeſſione, jus Feudi, in re habili, ſine ſpeciali domini & Vaſalli conſenſu, autoritate legum humanarum, conſtituitur vel tollitur.* Eſt illa vel *conſtitutiva*, quæ feudum conſtituit, vel *privativa*, quæ conſtitutum tollit; Illa hujus loci eſt, hæc vero, inter modos tollendi feudum, conſiderabitur.

§. 2. Ad illam, juxta legum feudalium præſcriptum, duo requiruntur (1.) *poſſeſſio*, quæ in eo conſiſtit, ut quis ea ſibi aſſerat; quæ ad dominum feudi vel Vaſallum requiruntur: Ut ſi quis, ex errore, de re allodiali, ſe inveſtiri curet, aut ſervitia exigat, vel ſine contradictione alteri offerat, nam actualis præſtatio præciſe non requiritur *II. f. 26. §. ſi quis v.* STRYK *E. J. F. c. 11. §. 10. 11. 12.* interveniens tamen dubio procul, poſſeſſionem, cæteris paribus, operatur. Si quis vero rem, ut plene propriam, vel oppignoratam teneat, eo non eſt poſſeſſio, præſcriptioni feudali apta *v.* STRYK *d. l. §. 4.* MYNSING. *Cent. 4. Obſ. 29.*

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. Deinde requiritur (2.) *poſſeſſionis per 30. annos continuatio II. f. 26. §. ſi quis* quod tempus etiam, in terris juris Saxonici, ſufficere creditur *v.* STRUV. *S. J. F. c. 8. §. 12. n. 3.* ſed ex falſa hypotheſi, quod jus Saxonicum, ex longobardico reſtringendum ſit *v.* SCHRADER *de feud. p. 5. c. 4. n. 18.* hinc dicendum potius, quod in illis triginta anni, annus & dies regulariter requirantur STRYK. *d. c. 11. §. 6.* Quodſi poſſeſſio interrumpatur, quod etiam per ſolam interpellationem extrajudicialem fieri poteſt *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1040.* fruſtra diſſentiente SCHRADERO *d. l. n. 20.* præſcriptio non currit.

§. 4. Morte tamen poſſeſſoris præſcriptio non interrumpitur, ſed hæres eam continuat, modo, ut nonnulli volunt, inveſtituram renovet, nam alias, acceſſione anteceſſoris uti nequit, ſed à ſua demum poſſeſſione, præſcriptionem inchoat *v.* STRYK. *E. J. F. c. 11. §. 5.* Enimvero ſicut interveniens inveſtitura poſſeſſionem, ſine dubio, confirmat, ita non ſatis liquet, an præciſe ſit neceſſaria, cum enim, ſine ea, præſcriptio poſſit inchoari, videtur etiam, absque illa, continuari poſſe, & neceſſitas inveſtituræ *I. f. 25. II. f. 24. pr.* inculcata, ad Feudi *acquiſitionem conſenſualem*, ac *acquiſiti conſervationem* ſpectat, nec adeo ad præſcriptionem trahenda videtur.

§. 5. Si jure Romano aut Canonico, longius quam 30. annorum tempus requiratur, e. gr. ad præſcriptionem rerum eccleſiaſticarum, tum illud quoque in præſcriptione feudali obſervandum eſſe putant, cum enim jure feudali nihil de hoc conſtitutum ſit, jus commune ſequendum eſſe cenſent *v.* STRUV. *S. J. F. c. 8. §. 12. n. 3.* MYNSING. *Cent. 4. Obſ. 29.* Sed putem rectius nos ſequi generalem juris feudalis, quam Romani aut Canonici variam ac nonnunquam lubricam definitionem, & forte hæc etiam aſſertio, ex hypotheſi illiquida, de jure feudali, ex cæteris juribus reſtringendo, fluit.

§. 6. Regalia, contra ſubditum, triginta annis, ſed contra Imperantem, immemoriali demum tempore præſcribi poſſe cenſentur, modo talia ſint, quæ ſubditis concedi ſoleant *c. 26. X. de V. S. v.* STRYK. *E. J. F. c. 11. §. 25. 26.* Sed cum præſcriptio, ex legibus humanis, vim ſuam habeat, videtur potius, contra Imperantem, plane neganda eſſe, nec oberit *R. J. 1548. §. 56. 59.* qui præſcriptionem immemorialem admittit, nam id verum eſt, quoad Status imperii in-

inter ſe ſpectatos, non ſubditos & Imperantes *v.* Dn. THOMAS. *diſſert. de præſcript. Regal. ad jur. ſubditor. non pertin. hab. Hal. 1696.*

§. 7. Fateor tamen, communem ſententiam æquitati valde videri conſentaneam, cum enim præſcriptio eo fine ſit introducta, ut per eam, velut tacitum pactum, jura quandoque mutentur, ac ipſe Imperans, contra ſubditos, ea utatur, ſane æquum eſt, ut idem jus illis quoque permittat; Licet igitur leges humanæ, propria virtute Imperantem non obſtringant, hac tamen in parte, eum ultro ſe iis ſubmiſiſſe, non improbabiliter dicitur, maximè ſi gravis cauſa non ſubſit, ob quam jura ſubditorum ſollicitanda ſint, *v. l. 2. c. 9. §. 40. 41.*

§. 8. Præterhæc, non requiritur regulariter (3.) *Titulus* i. e. vera & expreſſa conventio, nam, hac inter dominum & Vaſallum interveniente, non opus eſt præſcriptione, ſed hæc, ex nullo vel erroneo actu, habet originem. Quodſi quis rem alienam alteri in feudum det, tum ex titulo præſcriptio oritur, ſed illa non pertinet ad excitandum jus feudale, ſed dominum verum excludendum, adeoque non feudalis, ſed allodialis eſt *v.* STRYK *E. J. F. c. 11. §. 16.*

§. 9. Neque etiam, ad præſcriptionem feudalem, regulariter neceſſaria eſt (4.) *Bona fides*, nullibi enim eam leges feudales exigunt, nam textus *II. f. 87.* apocryphus eſt. Jure tamen Canonico bona fides requiri cenſetur *v.* STRYK. *E. J. F. c. 11. §. 9.* ſed ſententia illa, ex confuſione diverſarum Præſcriptionis ſpecierum, habet originem *v. l. 2. c. 9. §. 31.* nec jus Canonicum, in hujus generis præſcriptionibus, bonam fidem exigit *v.* THOMAS. *de feud. oblat. c. 1. §. 58.* Interim communis ſententia in foro ferè obtinet, ac bona fides, ex lapſu temporis, ut alibi, ita hic etiam præſumitur *v.* CARPZ. *1. Reſp. 84.*

§. 10. De cætero præſcriptio accidit (1.) à *parte domini*, nam ſi quis ea, quæ Vaſallus præſtare ſolet, ut ſervitia ejusque generis alia, ab aliquo, bona fide, exigat, & hic eadem præſtet, tum oritur præſcriptio, 30. annis, ſi nihil turbet, complenda, modo intuitu certæ rei, præſtationes illæ fiant *v.* SCHRADER. *de*

Digitized by Google

ae feud. p. 5. c. 4. n. 14. Non minus ſi quis rem allodialem, ex ignorantia, ab alio ignorante, velut feudum, recognoſcat, tum itidem dominium directum præſcriptione, alteri acquiri poteſt *v.* HERT. *de feud. oblat. p. 2. §. 32.* STRUV. *S. J. F. c. 7. §. 10. n. 12.*

§. 11. Deinde etiam præſcriptio locum habet (2.) à *parte Vaſalli*, nam ſi quis rem alterius allodialem hactenus forte, velut pignus, emphyteuſin aut rem locatam, poſſeſſam, mutata poſſeſſione, ut feudum deinceps bona fide teneat, præſcriptio inchoabitur, conſveto tempore complenda, ſi dominus eam non interruperit. Quod ſi quis rem allodialem, feudo ſuo conjungat, eoque nomine, inveſtituram, bona fide, accipiat, præſcriptioni tricennali itidem locus eſſe videtur, niſi forte ejusmodi rerum feudalium & allodialium conjunctio, ex rationibus politicis, fuerit prohibita.

§. 12. Quodſi venditor rei allodialis, in caſu præcedente, ſaltem fuerit bonæ fidei poſſeſſor, tum duplex præſcriptio locum habet, altera intuitu *domini veri*, quæ allodialis eſt, ac ad eum excludendum ſpectat; altera ratione *domini directi & Vaſalli*, quæ feudalis eſt, ac ad conſtituendum nexum feudalem pertinet *v.* RHET. *Comm. Jur. feud. l. 1. tit. 4. p. 224. n. 2.* Quodſi bonæ fidei poſſeſſor ipſe rem alteri in feudum det, ſola præſcriptio allodialis occurrit, de quo dictum *§. 8.*

§. 13. Denique etiam (3.) à *parte tertii*, præſcriptio obtinet, nam ſi quis de feudo deſerto inveſtiatur, contra verum Vaſallum, ſi forte ſuperſit, 30. annis illud præſcribere poteſt. Idem dicendum, ſi velut hæres feudum ſibi aſſerat, aut, conſenſu domini, apprehenſum alii vendat, nam tum, contra verum hæredem, 30. annis, illud præſcribi poſſe videtur, ac duobus hisce in caſibus, titulus pro hærede, aut pro emtore intervenit.

§. 14. Quodſi Vaſallus feudum, velut rem allodialem, alienet, nulla præſcripto contra dominum valet, ſed hic, quovis tempore, feudum vindicare poteſt, ſive emtor qualitatem rei ſciverit, ſive ignoraverit *II. f. 40. 55.* licet enim, poſteriori caſu, quidam præſcriptionem tricennalem admittant *v.* STRUV. *S. J. F. c. 13. §. 10. n. 4. 5.* attamen ſententia illa & generalitati dictorum textuum, & diſertis *II. f. 55.* verbis: *emtori bonæ fidei exemto actione:* repugnat. In Electoratu Saxoniæ,

xoniæ, ſimultanee inveſtiti, ſi adſint, feudum alienatum vindicant *p. 2. C. 48. 49.*

§. 15. Si Vaſallus feudum, ut feudum alienet, ac novus poſſeſſor ab ignorante domino, bona fide, inveſtituram accipiat, præſcriptio 30. annorum locum habere videtur, juxta regulam *II. f. 26. §. ſi quis*, inprimis cum nullum vel modicum domini ſubſit præjudicium, dum Vaſallus ſaltem mutatur *vid.* STRUV. *S. J. F. c. 15. §. 3. n. 10.* nec oberunt *II. f. 40. 55.* cum loquantur de alienatione feudi, in allodium mutandi, prout ex principio *II. f. 55.* clare liquet. Si agnati aut ſimultanee inveſtiti adſint, proximo etiam præſcriptio oberit, non vero remotioribus, utpote, illo exiſtente, agere nondum valentibus.

§. 16. Poteſt etiam tertius dominium directum præſcribere, ſi vel bona fide id ſibi, vero domino non reluctante, aſſerat vel à bonæ fidei poſſeſſore, aliquo titulo accipiat, nam tum præſcriptio, contra eum, qui præſens jus habet, currere omnino videtur *vid.* STRUV. *S. J. F. c. 15. §. 3. n. 11.* Ex dictis etiam intelligi poteſt, an is qui præſcriptione nititur, inveſtituram probare debeat? Solet hoc negari *v.* STRYK *E. J. F. c. 11. §. 14.* Sed cum præſcriptio aliquando, ex erronea inveſtitura, oriatur *v. §. 10. 11. 13. 15.* hæc utique nonnunquam probanda erit.

§. 17. Effectus præſcriptionis completæ, eſt plena juris feudalis acquiſitio, quod non tantum exceptione defendi, ſed actione aſſeri poteſt, nec opus videtur, ut effectum illum, ex lubricis juris Romani ſanctionibus, temperemus *v.* STRUV. *d. c. 15. §. 3. n. 7.* Feudum præſcriptum, pro *proprio* haberi ſolet *v.* STRUV. *c. 8. §. 12. n. 1.* STRYK. *E. J. F. c. 11. §. 15.* Si intuitu *acquiſitionis* id ſaltem aſſeratur, aſſertio ſine effectu eſt, ſed ſi ad effectum *ſucceſſionis ſervitiorum ſimiliumque jurium* illa doctrina referatur, tum bene ſe habet, etſi amplius diſpiciendum ſit, annon qualitas poſſeſſionis naturalia quædam mutaverit.

§. 18. Simultanea inveſtitura etiam per præſcriptionem acquiri poſſe videtur, ſi ex errore illa concedatur, licet ejusmodi caſus rariſſime forte contingat, quemadmodum univerſa præſcriptio hic non adeo frequens videtur. Ab hac autem præſcriptione conſtitutiva

differt

Digitized by Google

differt (1.) Privata (2.) præſcriptio delictorum feudalium (3.) allodialis, de qua §. 3. Talis etiam eſſe videtur præſcriptio ſervitutum feudalium, quæ adeo longo tempore complebitur, licet alii 30. annos requirant *v.* STRYK *E. J. F. c.* 10. §. 8. Hoc certum, quod illa præſcriptio tantum noceat Vaſallo, Domino autem & agnatis non obſit, quamdiu Vaſallus feudum tenet *conf.* JUS FEUD. GERM. *c.* 12.

CAPUT VIII.
DE JURE DOMINI DIRECTI.

SUMMARIA.

Domino feudi competit dominium directum §. 1.
Hujus effectus §. 2.
Ei reſpondet obligatio Vaſalli ad fidelitatem, honorem §. 3. 4.
Et ſervitia §. 5.
Horum varietas ratione obligationis §. 6.
Pro quantitate feudi ſervitia creſcunt & decreſcunt §. 7.
Cum epicriſi §. 8.
Servitiorum diſtinctio à fine §. 9.
Inhærent illa prædiis horumque pretium minuunt §. 10.
Servitiorum præſtandorum modus & ſumtus §. 11.
Obligatio plurium diverſa eſſe ſolet §. 12.
Diverſis dominis quomodo ſerviendum §. 13.
Contra propinquos proprios ac alterum aliquando dominum ſervitia præſtari debent §. 14.
Non offerri ſed requiri, nec ad alia extendi debent ſervitia §. 15.
Pro iis aliquando ſolvitur adoha, hujus natura & quantitas §. 16.
Ratio computandi §. 17. 18.
Aliquando ſervitia plane ceſſant §. 19.
Vaſallagium differt à ſubjectione §. 20.
Cum hac tamen nonnunquam concurrit §. 21.
Vaſalli ad tributa quandoque vocantur §. 22.

§. 1.

FEudo conſtituto, tam domino quam vaſallo jus aliquod competit, de quo nunc merito agendum eſt. Jus domini, quod tam ratione rei, quam perſonæ habet, *dominium directum* dici poteſt, licet alii reſtrictius illud ſupponant *v.* STRUV. *S. J. F. c.* 11. §. 1. 2. Ejus indoles uti breviter explicata eſt *c.* 1. §. 3. ita ejus effectus diſtinctius nunc conſiderari debet.

§. 2. Conſiſtit igitur dominium directum (1.) in *aliqua feudi proprietate*, hinc illud, ſine domini conſenſu, non poteſt alienari, renovatio quoque inveſtituræ quandoque eſt facienda: Poſſeſſio vero rei, domino fruſtra tribui videtur *v.* STRUV. *d. c.* 11. §. 1. quemadmodum

Digitized by Google

modum etiam facultas, feudum vel à Vaſallo, vel à tertio vindicandi, ei non recte aſſeritur, nam hæc non ex dominio directo, ſed conſolidato dependet (2.) in *receptione rei*, ob defectum ſucceſſorum, vel delictum (3.) in *exactione fidei & ſervitiorum* ſimiliumque præſtationum.

§. 3. Juri domini, in Vaſallo, reſpondet *obligatio*. Hujus virtute tenetur domino ad *fidelitatem*, quæ ſummatim in averſione damni, & procuratione utilitatis conſiſtit *II. f. 6.* de cætero, communi humanitatis vinculo, quo Vaſallus omnibus hominibus obſtringitur, arctior eſt, cum ſanctione pœnali ſit munita. Præterea Vaſallus obligatur ad *honorem* & *reverentiam* domino exhibendam. Utraque tamen obligatio non aliter locum habere videtur, quam ſi dominus præſcripta legum obſervet.

§. 4. Hinc, dominum, ob verum delictum, accuſare, aut teſtimonium, contra eum, dicere, obligationi Vaſalliticæ, naturali æſtimatione, non repugnat. Sed communiter largius obligatio illa accepta eſt, adeo ut Vaſallus actionem famoſam, contra dominium inſtituere, vel eum accuſare, aut, in ipſum, teſtimonium || in cauſa criminali, dicere nequeat *II. f. 22. 24. §. item ſi delator II. f. 33. §. ſimiliter v.* STRUV. *S. J. F. c. 11. §. 3.* niſi forte hoc, ad actus malitioſe ſuſceptos, reſtringendum eſt. Illud recte conſtitutum videtur, ne juramentum malitiæ à domino exigatur *II. f. 33. §. in quibus vid.* STRUV. *d. c. 11. §. 3.*

§. 5. Denique etiam Vaſallus ad *ſervitia* obligatur, quæ impenſis aut opera laborioſa conſtant, & quibus utilitas domini promovetur, ac damnum avertitur. Obligatio autem illa regulariter præſumitur, licet, in literis inveſtituræ, ſervitiorum non ſit facta mentio, aut feudum francum, domino apertum, ſine expreſſione ſervitiorum, alii denuo concedatur STRUV. *d. c. 11. §. 4.* de quo utroque tamen, juxta mores hodiernos, dubitandum videtur.

§. 6. Sicut autem aliquando ſervitia plane ſingularia & inuſitata promittuntur *v. II. f. 2. §. 2.* LANS. *contr. Britann. p. m. 408.* ita conſveta, ab *obligatione* diſtingvi ſolent in *determinata*, quæ conventione vel conſvetudine definiuntur & *indeterminata*, circa quæ ſpecialis definitio ceſſat. Primo caſu ea præſtat Vaſallus, de quibus

convem-

conventio vel consvetudo agit, adeoque uno, duobus vel tribus equis nonnunquam præsto esse debet. Secundo autem, exactio servitiorum, ab arbitrio Domini, æquitatem tamen merito observaturi, pendet *v.* STRUV. *d. c. 11. §. 5. n. 5. 6.*

§. 7. Si feudum naturali accessione augeatur, servitia indeterminata quoque crescunt *II. f. 54.* determinata vero in statu suo perdurant ex sententia STRUVII *d. c. 11. §. 5. n. 7.* licet alii eorum quoque augmentum asserant. Si facto domini vel Vasalli, feudum incrementa capiat, servitia quoque merito augentur, sicut vice versa, feudo per casum fortuitum, vel domini factum imminuto, decrescunt, si vero culpa Vasalli imminutio accidat, à servitiis consvetis ille non liberabitur.

§. 8. Hæc, juxta æquitatem ac antiquos mores, recte dici videntur, etsi forte amplius distingvendum sit, inter augmentum & decrementum servitiorum, quod *fit ipso jure*, & quod *conventione partium merito constitui debet*, non illud, sed hoc, facta feudi mutatione, asserendum erit, ex quo etiam diversæ sententiæ conciliari posse videntur. Hodie vero, ubi alius rerum feudalium est status, uti servitia indeterminata forsitan amplius plane non occurrunt, ita quoad determinata, feudo mutato, non facile mutatio fiet.

§. 9. A *fine* servitia distingvi possunt in *bellica* & *pacifica*, sub his continentur *judicaria*, dum Vasalli, litis componendæ gratia, in Curia Domini comparare tenentur *v. II. f. 24. §. illud tamen*, quæ hodie vix amplius occurrunt; & *honoraria*, quando domino requirenti, honoris causa, Vasalli adsunt. Splendidum ejusmodi honorarium pariter ac militare servitium olim occurrebat in *expeditione Romana v. II. f. 54.* STRUV. *S. J. F. c. 11. §. 5. n. 3. §. 7. n. 1.*

§. 10. De cætero servitia feudo velut inhærent, ac quemvis possessorem sequuntur, hinc etiam Vasallis, diversa feuda possidentibus, integrum non est, eadem, quoad feuda, mutare, licet de facto id forte quandoque fiat *vid.* KOHL *de servit. feudal. p. 4. n. 96. 97.* Non minus etiam servitia, feudi pretium imminuunt; sic quibusdam in locis, in æstimandis prædiis feudalibus, servitium unius equi mille florenis taxari, eaque summa pretio emtionis decedere solet *v.* SCHULTES *ad Coler. Decis. 82.*

§. 11. Regulariter Vaſallus, in propria perſona, ſervire debet *II. f. 55. §. firmiter* STRUV. *d. c. 11. §. 6.* quod hodie non obſervatur. Sumtus quoque ſervitiorum præſtandorum ſuppeditare tenetur *arg. II. f. 23. in fin. 52. 55. pr.* STRUV. *d. c. 11. §. 9.* Juxta hodiernam tamen conſvetudinem, dominus Vaſallo ſtipendia ſolvere ac damnum acceptum reſtituere, nec non captivum redimere debet *v. Jus feud. Saxon. c. 4.* CARPZ. *p. 3. C. 28. D. 18. n. 11.* SCHULTZ. *Synopſ. feud. c. 10. n. 44.* quæ tamen conſvetudo an univerſalis ſit, alii viderint.

§. 12. Si plures feudum indiviſum teneant, ſinguli in ſolidum, ratione ſervitiorum, ſunt obligati, uno tamen ea præſtante, reliqui quoque liberantur. Idem dicendum, ſi feudum indiviſibile ſine conſenſu domini, ſit diviſum, ſi vero vel natura feudi, vel domini conſenſus diviſionem permiſerint, ſinguli ſaltem pro rata tenentur *v. II. f. 77.* STRUV. *d. c. 11. §. 6. n. 6.* Sunt autem ſervitia à Vaſallis tantum præſtanda in bello juſto, non injuſto, interim juſtitia belli ſæpe inane nomen eſt, inter gentes bellicoſas.

§. 13. Si quis à duobus dominis feuda teneat, ac ambo ſervitia contra tertium exigant, Vaſallus antiquiori, aut, ſi de hoc non conſtet, primo requirenti, in propria perſona, alteri vero, per ſubſtitutum, ſervire tenetur; ſi vero, ætate dubia, ſimul ſervitia exigant, in arbitrio Vaſalli eſſe dicitur, utri immediate vel mediate ſervire velit PISTOR. *l. 2. qu. 47. n. 57.* quæ tota ſollicitudo hodie ſine uſu eſt. Si plures unius feudi ſint domini, ſingulis Vaſallus, pro rata, ſaltem regulariter obligatus videtur. Si de dominio litigent, nulli interim ſervit Vaſallus, niſi unus ſit poſſeſſione; Neque etiam ſervitia Vaſallitica aliis, per locationem, concedi poſſe cenſentur *v.* STRUV. *d. c. 11. §. 7. n. 2. ſeqq.*

§. 14. Debet quoque Vaſallus, contra patrem vel fratrem ſuum, domino aſſiſtere *II. f. 28. in fin.* STRUV. *c. 11. §. 8. n. 1.* ſi duo domini inter ſe bellum gerant, neutri operas ſuas præſtabit PISTOR. *l. 2. qu. 47. n. 30.* Sed vix hodie arbitrio Vaſalli id relinquetur. Contra dominum antiquiorem ſervire non debet Vaſallus *II. f. 28. in fin.* STRUV. *d. §. 8. n. 3.* quod tamen limitandum videtur, niſi bellum ejus ſit injuſtum. Contra Imperatorem quoque Vaſallus non militabit

tabit *II. f. 7. pr. ſſ. in fin.* Sed hæc ſanctio, ad ſtatum Germaniæ, non indiſtincte quadrat. Sunt etiam omnes hujus generis quæſtiones, fere tantum ſpeculativæ, in praxi, vi & rationibus utilitatis res plerumque expediri ſolet.

§. 15. Non tenetur Vaſallus, ſervitia offerre, ſed requiſitus ea præſtat *II. f. 26. §. licet.* niſi dominus in magno verſetur periculo, tum enim, ſub pœna amittendi feudi, ea ultro offerre debet STRUV. *d. c. 11. §. 9.* ſed addendum erit, modo dominus qua talis, ſit in periculo & opera Vaſalli ei prodeſſe queat. Alias Vaſallus dominum alere, debita ejus ſolvere, aut ex captivitate eum redimere non tenetur, ultro tamen factæ præſtationes, in ſervitia imputantur *arg. II. f. 40. ſſ. §. 1.* Ad vias etiam cuſtodiendas Vaſallus haud obligatus eſſe cenſetur *v.* STRUV. *d. c. 11. §. ſ. n. 13. 14. 15.*

§. 16. Pro ſervitiis neque dominus regulariter pecuniam exigere, neque Vaſallus ſolvere poteſt: Quodſi vero, domino conſentiente, ſervitia non præſtentur, Vaſallus ea redimere debet, quæ præſtatio *Adohæ* vel *hoſtenditiarum* nomine venit *I. f. 7. II. f. 40.* etſi, hac ultima appellatione, ipſa etiam ſervitia militaria ſignificentur *v.* STRUV. *d. c. 11. §. ſ. n. 4.* COCCEJ. *diſſert. de adoha c. 1.* Eſt autem adohæ diverſa quantitas *v. jus Saxon. feud. c. 4.* COCCEJ. *d. diſput. c. 2. §. 4.* SCHULTZ *Synopſ. jur. feud. c. 10. n. 40.* Jure Longobardico, dimidia pars reditus unius anni præſtari debet *II. f. ſſ. §. firmiter* licet, circa expeditionem Romanam, pro quantitate feudi, illa ſolvenda ſit *II. f. 54. add.* COCCEJ. *d. c. 2. §. ſ. 6.*

§. 17. Cum vero reditus prædiorum, non omnibus annis ſint æquales, hinc quæritur, quomodo dimidia pars reditus unius anni computari debeat? Et videtur computatio planiſſima eſſe, ſi ejus anni, quo ſervitia præſtanda fuerunt, redituum partem dimidiam intelligamus, id quod etiam diſerte aſſeritur *II. f. 40.* & licet textus hic, videatur eſſe mutatus per *II. f. ſſ. §. firmiter v.* COCCEJ. *d. diſput. c. 2. §. 7.* attamen *quantitas* ſaltem *adohæ*, non *ratio eam computandi*, mutata eſt.

§. 18. Ex ſententia Dn. COCCEJI *d. c. 2. §. 8.* reditus viginti annorum debent conjungi, hi uti totius feudi pretium continent, calculo, ſecundum uſuras quincunces, inito ita vigeſima pars reditum unius

Digitized by Google

unius anni, ac hujus ſemis, veram & accurate computatam adoham exhibet. Sed ut accurata ſit illa computatio, attamen domino non prodeſt; hic ſervitiis vel præſente pecunia indiget, ſed juxta illam computationem, diu nimis ei eſt expectandum, imo temporis diuturnitas omnem abolere poteſt præſtationem. Hodie, cum ſervitiorum præſtatio ſit valde reſtricta, raro etiam, de eorum redemtione, aliquid auditur.

§. 19. Aliquando ſervitia plane ceſſant (1.) in feudo franco (2.) ſi illa præſcripta ſint, dum Vaſallus, bona fide, ex communi ſententia, eadem negavit, ac dominus, intra 30. annos, non contradixit (3.) quoad bellum injuſtum *II. f. 28.* ſed hujus rei judicium Vaſallis raro relinquetur (4.) ſi dominus bannitus, (5.) excommunicatus *II. f. 28. c. 4. 5. C. 15. qu. 6. c. 59. X. de ſentent. excomm.* vel (6.) hæreticus ſit *c. 13. X. de hæret. v.* STRUV. *d. c. 11. §. 7. n. 7. 8.* ſed duplex poſterior ſanctio, papalis eſt, nec obſervari debet.

§. 20. Licet vero, antiquis temporibus, Vaſallagium ſubjectionis vicem forte ſubierit *v. c. 1. §. 10. 13.* attamen certum eſt, quod illud, à ſubjectione, diſtingui cœperit, ac Vaſallus, qua talis, non ſit ſubditus, adeo ut ne quidem aliquam jurisdictionem domino in Vaſallum, vi dominii directi, competere exiſtimem, licet aliis ita videatur *v.* STRUV. *d. c. 11. §. 2.* nam quod jure longobardico, domino jurisdictio tribuatur, id vel ex ſpeciali legis diſpoſitione *v. II. f. 5.* vel ſtatu Reipublicæ repetendum, quæ ratio hodie quoque non raro occurrit.

§. 21. Poſſunt tamen Vaſallagium & Subjectio concurrere, ac ſæpe etiam concurrunt. In Germania Status imperii, regulariter ſunt *Vaſalli* & *Socii*, non *ſubditi* Cæſaris vel Imperii, quædam tamen ſubjectionis reliquiæ adhuc ſuperſunt *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 7. c. 7. ſeqq.* Quod vero attinet Statuum imperii Vaſallos, ii, qui extra territorium ſunt, pro ſubditis haberi nequeunt, qui vero in eodem degunt, vel ſaltem bona poſſident, regulariter ſimul ſunt ſubditi *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 10.* hinc etiam homagium præſtare debent *v.* STRUV. *S. J. F. c. 8. §. 6. n. 9.* STRTK. *E. J. F. in append. n. 6. ſeqq.*

§. 22. Ex quibus facile intelligitur, num Vaſalli, ad contributio-

tiones ſint obligati? Status imperii collectas ſolvunt, non vi *nexus Vaſallitici*, multo minus, *ſubjectionis*, ſed vi *fœderis* & *inde venientis vinculi ſocialis v.* SPECIM. JUR. PUBLIC. *l. 2. c. 2. §. 24. ſeqq.* Quod vero Vaſallos mediatos concernit, ab iis, ut ſubditis, tributa exigi poſſent, ſed ſervitia Vaſallitica, eorum loco habentur STRUV. *S. J. F. c. 11. §. 5. n. 16.* Quia vero horum uſus valde eſt reſtrictus, hinc ad alias præſtationes, ut donativa, *præſentgeld v.* CARPZOV. *p. 2. C. 46. D. 35.* dotationem filiarum illuſtrium, ſimilesque *v.* STRYK *E. J. F. c. 18. §. 37. 38.* Vaſalli nonnunquam vocantur *conf.* JUS FEUD. GERM. *c. 14.*

CAPUT IX.
DE JURE VASALLI.

SUMMARIA.

Jus Vaſalli dominum & rem feudalem reſpicit §. 1.
Feudo promiſſo jus perſonale, conſtituto, dominium utile Vaſallo competit §. 2.
Hujus effectus quatenus ad proventus ſubterraneos extendatur §. 3.
Jus Vaſalli quoad theſaurum §. 4.
Et alias acceſſiones §. 5.
In emolumentis à feudo ſeparatis, plenum, in cohærentibus, utile dominium Vaſallus habet §. 6.
Gaudet ergo exceptionibus & actionibus domino competentibus non vero regulariter libertate feudum alienandi §. 7.
Circa fructus tamen libera eſt ejus diſpoſitio §. 8.
Sed non in præjudicium aliorum §. 9.
In ſpecie Vaſallus ſubfeudum conſtituere poteſt §. 10.
Applicatio hujus doctrinæ ad Status imperii §. 11.
Et feuda mediata, ſubfeudi indoles, requiſita §. 12.
Conſtitutio §. 13.
Duratio §. 14.
Et uſus hodiernus §. 15.

§. 1.

JUs Vaſalli vel *dominum*, vel *rem feudalem* reſpicit. Prius ad fidelitatem, quam Dominus Vaſallo debet, pertinet *v.* STRUV. *S. J. F. c. 2. §. 5.* STRYK *E. J. F. c. 13. §. 13. 14.* poſterius vero diverſum eſt *v. c. 1. §. 2. ſeqq.* Plerumque dominium utile intelligitur, cujus effectus ſpecialius jam erit conſiderandus.

§. 2. Quando feudum Vaſallo ſaltem promiſſum, tum ei com-

Digitized by Google

petit jus perſonale ad rem petendam *v. c. ſ. §. 1. 2.* ſi rem traditam alias evincat, dominus ad præſtandam evictionem tenetur *v. c. 4. §. 21. ſeqq.* ſi autem Vaſallus rem acceptam retineat, cum dominio utili, ei competit poſſeſſio civilis, quanquam alii naturalem malint dicere *v.* STRUV. *S. J. F. c. 12. §. 2.* cujus controverſiæ nulla utilitas. Vi juris ſui poteſt Vaſallus rem uſui habilem reddere, ac omnes fructus, naturales, induſtriales & civiles, inde percipere *II. f. 23. in fin.* STRUV. *d. c. 12. §. 3. 4.*

§. 3. Ex ratione juris Romani, etiam proventus ſubterraneos, ut metalla & mineralia, lucratur Vaſallus *arg. l. 9. §. 2. 3. l. 13. §. 5. de uſufr. l. 7. §. 13. 14. ſolut. matrim. l. 77. de V. S. l. 32. de jur. dot.* Sed cum horum dominium, ex veriori ſententia, Germanicæ Reipublicæ ſemper probata, ad Imperantem pertineat, ideo hodie proventus illos non accipit Vaſallus, niſi de Regalibus ſit inveſtitus. In Electoratu tamen Saxoniæ, vi conſvetudinis, etiam ſine ſpeciali inveſtitura, viliora metalla, ut plumbum & ferrum, Vaſallus lucrari cenſetur *v.* CARPZ. *p. 2. C. 53. D. 1. 23.* STRUV. *S. J. F. c. 6. §. 26. c. 12. §. 4.* Sed id non admittit DN. HORN *in Jurisprud. feud. c. 9. §. 16.*

§. 4. Circa theſaurum, in feudo inventum, ex rationibus juris Civilis, Vaſallum jure ſaltem inventoris, non domini uti, quidam putant, ſed verius eſt, quod illum, velut dominus acquirat *vid.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1013.* id quod etiam jure Saxonico Electorali obtinet *p. 2. Conſt. 53.* Quando vero theſaurus Regalibus accenſetur, quod juxta leges germanicas antiquas dicendum *v. Jus Saxon. provin. l. 1. art. 35.* HEIG. *p. 1. qu. 13.* Vaſallus eum non aliter acquirit, quam ſi cum hoc jure ſit inveſtitus *v.* STRUV. *d. c. 12. §. 5.*

§. 5. Præterea Vaſallus acquirit, quæ natura vel facto, prædio feudali adjiciuntur, ut alluviones, inſulæ, alvei deſerti, ſervitutes & ſimilia. Quodſi tamen Vaſallus, juxta certum modum, rem acceperit, acceſſiones illæ potius ſequuntur dominum feudi, ſed iſte concedendi modus, raro hodie occurret. Præterea ſi acceſſiones Regalibus annumerentur *v.* CARPZ. *p. 3. C. 31. D. 13.* ad Vaſallum, de regalibus illis non inveſtitum, itidem non ſpectabunt *v.* STRUV. *d. c. 12. §. 6.*

§. 6. In

§. 6. In emolumentis à feudo plane ſeparatis, ut fructibus & theſauro invento, Vaſallus plenum habet dominium, ſunt enim, poſt perceptionem, res mere allodiales, adeoque in hæredes etiam allodiales transmittuntur. In iis vero, quæ feudo ſemper cohærent, ut alluvione & ſervitutibus, habet ſaltem dominium aliudque jus utile, eæque acceſſiones tantum ad ſucceſſores feudales, &, his deficientibus, ad dominum feudi perveniunt.

§. 7. Juri Vaſalli reſpondet obligatio tam in domino, quam aliis hominibus, cujus vi rem feudalem ei relinquere, aut amiſſam reſtituere tenentur. Eo fine Vaſallus exceptionibus & actionibus, domino competentibus, utitur *II. f. 43.* Libertas autem feudum alienandi, Vaſallo regulariter non competit, ob jus domini & agnatorum vel ſimultanee inveſtitorum, res tamen allodiales, ex feudo perceptas aut percipiendas, quamdiu ejus jus illibatum eſt, recte alienat.

§. 8. Fructus igitur perceptos aliaque à feudo ſeparata emolumenta, Vaſallus, quovis contractu legitimo, alienare poteſt, modo alias liberam rerum ſuarum habeat adminiſtrationem. Idem etiam dicendum de fructibus futuris, quamdiu jus feudi, penes ipſum ejusque deſcendentes, exiſtit: Hinc poteſt fructus feudi locare, in uſumfructum concedere & oppignorare *v. II. f. 9. §. 1.* STRUV. *d. c. 12. §. 7.*

§. 9. Si autem, durante ejusmodi contractu, jus Vaſalli & filiorum, morte, vel alio legitimo modo, exſpiret, jus etiam contrahentium evaneſcit *l. 31. de pignor. l. 4. §. 3. de in diem addict.* nec hæredes allodiales ad intereſſe tenentur, niſi dolus interceſſerit, vel aliquid promiſſum ſit *v. l. 9. §. 1. locat.* Servitutem quoque Vaſallus imponere poteſt, ſed in ſui tantum & deſcendentium, non autem domini & ſimultanee inveſtitorum præjudicium *II. f. 8. pr.*

§. 10. In ſpecie rem feudalem, in ſubfeudum alii Vaſallus concedere poteſt, nam & hoc ſaltem fructus feudi afficit, ac Vaſallo ejusque deſcendentibus tantum obeſt *II. f. 3. §. 1.* STRUV. *d. c. 12. §. 9.* Et feudum quidem non regale, tam totum quam pro parte, alii concedi poteſt *II. f. 9. §. ſi vero*, ſed regale, totum dari nequit, quia ea continet, de quibus Cæſar ſolus inveſtire poteſt. Nec ejus pars quota,

quia feudum eſt indiviſibile, ſed tantum pars quanta, ſine juribus ſcilicet regalibus *vid.* STRUV. *d. c. 12. §. 10. n. 4. ſeqq.* STRTK. *E. J. F. c. 19. §. 25. 26.*

§. 11. Sed illæ rationes, ad ſtatum Germaniæ hodiernum, non adeo quadrare videntur; Interim verum eſt, quod immedietatem Territoriorum Status imperii non aliter mutare queant, quam conſenſu totius Imperii expreſſo vel tacito *v.* ITTER. *de feud. imper. c. 22. §. 5.* Bona autem in Territorio ſita, tam ſine, quam cum Regalibus, ſed ut juribus dependentibus, aliis in feudum concedunt, cumque Territoria Germaniæ, liberas respublicas æmulentur *v. c. 6. §. 24.* ideo feuda à Statibus conſtituta, pro ſubfeudis temporariis non recte habentur *v.* RHET. *comm. jur. feud. l. 1. tit. 1. n. 28. p. 77.* licet alii diſſentiant *v.* ITTER *d. c. 22. §. 8.*

§. 12. Intuitu feudorum mediatorum ſi ſubfeudum ſpectetur, tripliciter accipi poteſt, pro *actu, re & jure.* Ultimo ſenſu eſt *Exercitium dominii utilis, à Vaſallo, ſub conditione exhibendæ fidei, & plerumque præſtandorum ſervitiorum, ſubvaſallo conceſſum v.* STRUV. *d. c. 12. §. 10.* Ut illud valeat, tria requirunt (1.) ut ſine fraude (2.) alii æque habili (3.) iisdem conditionibus res concedatur *II. §. 3. §. 1. II. f. 9. pr. 34. §. 2.* STRUV. *d. c. 12. §. 11.* Sed re recte expenſa, primum ſaltem requiſitum videtur neceſſarium, explorandæ autem ejus veritati, tam aliæ circumſtantiæ, quam perſona, cui quid conceditur, nec non concedendi modus attendi debent, nam ex his etiam fraus quandoque argui poteſt.

§. 13. Conſtituitur ſubfeudum *titulo*, etiam oneroſo, & *modo* ſive *inveſtitura v.* STRUV. *d. c. 12. §. 11. n. 7. 8.* Videtur quoque præſcriptione conſtitui poſſe, ſi quis ſe ut Subvaſallum gerat, ac Vaſallus intra 30. annos non contradicat, tum enim ille jus, contra hunc, & ejus deſcendentes, valiturum, conſequitur; ſed raro talis caſus continget. Conſtituti autem ſubfeudi effectus eſt perceptio omnis utilitatis, ad Vaſallum alias pertinentis, & obligatio ad fidem, ſervitia & quicquid inſuper promiſſum eſt *v.* STRUV. *d. c. 12. §. 12.*

§. 14. Deſinit ſubfeudum (1.) refutatione (2.) lapſu temporis præſtituti (3.) felonia tam in Vaſallum, quam dominum directum commiſſa *II. f. 55. §. illud quoque* (4.) ſublato jure Vaſalli & filiorum,

nam

nam neque dominus, neque ſimultanee inveſtiti ſubfeudum ſervare tenentur *II. f. 9.* niſi expreſſe, tacite vel præſumtive in id conſenſerint, ut ſi res fuerit ſubinfeudari ſolita, vel ſimultanee inveſtiti hæreditatem, ſub ea conditione, acceperint *v.* STRUV. *d. c. 12. §. 13.* H. PISTOR *l. 2. qu. 44.*

§. 15. Subfeuda videntur præſupponere Statum Rerumpublicarum antiquum, de quo *c. 1. §. 10. ſeqq.* dictum, adeoque hodie, in Germania, rarioris eſſe uſus: Nam Status imperii ſæpe quidem, ſub nexu feudali, aliquid concedunt, ſed id pro ſubfeudo non debet haberi, prout *§. 11.* admonitum, licet ex communi, ut videtur, præjudicio, ſubfeudi nomen hic adhiberi ſoleat *v.* SCHWED. *Introd. ad J. P. Sect. 2, c. 5. §. 22.* Vaſalli autem mediati, raro utique ex rebus feudalibus, in ſubfeudum aliquid concedunt, licet conceſſio, ſub alio nexus genere, non ſit infrequens. Quodſi tamen v. gr. Status imperii Comitem Landſaſſium cum jure venandi inveſtiret, & hic jus ſuum Nobili cuidam, eodem modo concederet, tum verum occurreret ſubfeudum *conf.* JUS FEUD. GERMAN. *c. 15.*

CAPUT X.
DE ALIENATIONE FEUDI.

SUMMARIA.

Alienationis feudi diverſitas §. 1.
Neceſſaria Vaſallo permiſſa eſt, quo pertinet transactio §. 2. 3.
Sententia & compromiſſum §. 4.
Hoc etiam valet in cauſis mere feudalibus §. 5.
Ac modis illis tam totum feudum quam ejus partes alienari poſſunt §. 6.
Transactio & compromiſſum etiam in feudis immediatis locum habent §. 7.
Alienatio voluntaria Vaſallo regulariter non eſt permiſſa §. 8.
Hinc donatio, venditio, permutatio §. 9.
Emphyteuſis & oppignoratio, quoad ipſam feudi ſubſtantiam, ceſſant §. 10.
In hanc tamen non raro dominus conſentit §. 11.
Conſenſus dominici ſententia §. 12.
Et effectus §. 13.
Servitutes etiam aliaque juribus aliorum adverſa feudo imponere nequit Vaſallus §. 14.
Pœna illicitæ alienationis §. 15.
Quæ tamen aliquando ceſſat §. 16.
Conſenſus domini non nocet agnatis, horum vero conſenſus in alienationem, amiſſionis pœnam operatur §. 17.
In oppignorationem vero datus, ſolvendi neceſſitatem introducit §. 18.
Alienatio feudorum hæreditariorum, alienabilium & immediatorum §. 19.
Dominus directus jus ſuum etiam alienare nequit, de quo in Germania ex Statu Reipublicæ amplius judicandum §. 20.

Digitized by Google

§. 1.

ALienandi facultatem Vaſallo non competere *cap. præc. §. 7.* admonitum eſt, de quo explicatius nonnihil jam agi debet. Non intelligitur *alienatio in eventum mortis*, de qua ſuo loco dicendum, ſed *inter vivos*, hæc eſt vel *neceſſaria*, quæ ob alterius jus fieri debet, vel *voluntaria*, quam Vaſallus ultro ſuſcipit, atque hæc rurſus fit vel in ſucceſſores feudi, vel extraneum, illa, *refutatio*, hæc, *alienatio in ſpecie* dicitur.

§. 2. Alienatio neceſſaria Vaſallo permiſſa eſt, quia proprie loquendo res non alienatur, ſed ei, qui medius jus habet, relinquitur aut conceditur: Sub ea vero comprehenditur (1.) *Tranſactio*, quæ, ſine conſenſu domini, tam decidendi, quam alienandi cauſa, fieri poteſt *II. f. 26. §. ſi vaſallus de beneficio II. f. 43.* Salvo tamen tam domini, quam ſimultanee inveſtitorum jure: Si vero jus tranſigentis contra hos etiam efficax ſit, adeoque hi revera jus validum non habeant, tranſactionem fruſtra impugnabunt *v.* STRUV. *c. 12. §. 8. n. 5. ſeqq.*

§. 3. Non tantum autem domino jus ſalvum eſt, quoad *dominium directum*, quod novus Vaſallus agnoſcere debet, ſed & in caſu habili, quoad *utile*: Nam ſi, facta tranſactione, dominus docere velit, feudum ad neutrum tranſigentem pertinere, ſed potius, velut apertum, ad ſe rediiſſe, tum utique audiendus erit. Si autem dominus conſenſu vero feudum, ante tranſactionem, Vaſallo conceſſit, eam, quoad utile dominium, ratihabere tenetur, de quo caſu accipienda videtur ſententia STRUVII *d. c. 12. §. 8. n. 9.*

§. 4. Ad alienationem neceſſariam referri poteſt (2.) *ſententia judicis*, qua Vaſallo feudum adimitur, quæ tamen domino & ſimultanee inveſtitis itidem non nocet, niſi jus, contra illos etiam valiturum, præſupponat *v.* STRUV. *d. c. 12. §. 8. n. 5. ſeqq.* (3.) *Compromiſſum*, nam hoc eſt inſtar tranſactionis conditionatæ, hinc quo argumento licentia tranſactionis defenditur, eodem etiam compromiſſum defendi poteſt; Jus tamen domini & ſimultanee inveſtitorum, ſi quod ſubeſt, hoc quoque caſu ſalvum erit.

§. 5. Nihil autem intereſſe videtur, ſive controverſia reſpiciat Vaſal-

Vasallos, sive Vasallum & dominum, sive hos & extraneum *v.* STRUV. *S. J. F. c. 16. §. 8.* Alii tamen existimant, compromisso demum locum fore, si controversia, ex rationibus juris longobardici, spectet ad *judicem ordinarium*, non vero, si ad *feudalem*, cum hujus jurisdictio ita fundata sit *II. f. 55. §. 2. in fin.* ut compromisso nequeat excludi *v.* DN. STRYK. *dissert. de arbitr. feudal. c. 2. n. 10. seqq.* Verum hæc ratio etiam posset allegari pro judice ordinario, quare dicendum, jurisdictionem tum demum se exserere, si lis, amica compositione, sub qua etiam compromissum continetur, non tollatur.

§. 6. Sicut autem transactione, sententia & compromisso, totum feudum alienari potest, ita media illa etiam, quoad partes ejus & onera, locum habent, hinc in specie per ea servitutes feudo imponi posse videntur, quæ tamen domino & agnatis, si verum jus docere queant, itidem non oberunt, *II. f. 8. pr.* Si vero vel nullum jus habeant, vel, eorum nomine, actus illi susceptí sint, tum ipsis quoque gesta obstabunt *II. f. 43.* ex quo textu generalis doctrina non recte confici videtur *v.* STRUV. *d. c. 12. §. 8. n. 3.* STRYK. *E. J. F. c. 10. §. 7.*

§. 7. Transactio & compromissum etiam circa feuda imperii immediata, locum habere videntur, modo jus revera sit dubium ac sincere omnia peragantur *v.* SCHURF. *Cent. 2. Conf. 53.* STRYK. *dissert. de arbitr. feudal. c. 2. n. 11.* ITTER. *de feud. imper. c. 25. §. 22. 23.* Nec obstat (1.) *fundata judicis feudalis jurisdictio II. f. 55. §. 2.* nam hæc demum, cessante amicabili compositione, se exserit *v. §. 5.* nec (2.) *exemplum austregarum, quibus controversiæ feudales non subsunt*, nam ab his ad compromissum inferre non licet, cum judiciis imperii sint subordinatæ, adeoque pro judicio pure conventionali haberi nequeant.

§. 8. Ex speciebus alienationis voluntariæ Vasallo etiam permissa est Refutatio, de qua c. 19. dicendum erit. Sed alienatio in specie sic dicta ei interdicitur, ob jus domini & agnatorum *II. f. 52. ff.* STRUV. *c. 13. §. 1.* Quodsi autem horum consensus accedat, tum procul dubio alienatio valet, imo solus etiam domini consensus eam quodammodo sustinet. Nihil autem interest, sive expresse, sive tacite consentiant, ex sola vero scientia & silentio consensus tacitus

citus asseri nequit *v. l. 8. §. 15. quib. mod. hypoth. solv.* STRUV. *d. c. 13. §. 2.*

§. 9. Juxta hæc igitur Vasallus feudum donare vendere, permutare, in solutum, aut in dotem dare nequit *II. f. 9. §. 1.* si vero alienatio, ad fructuum emolumentum saltem pertineat, tum utique valet, quo sensu fœminæ feuda sua maritis in dotem dare videntur *II. f. 13. 17. add.* STRUV. *d. c. 13. §. 1.* Eodem modo dotalitium viduis in feudo constituitur, quod tamen sola licet Vasalli voluntate constitutum, ex consvetudine, ab omnibus feudi successoribus servandum de quo *c. 12.* plenius dicendum erit.

§. 10. In emphyteusin Vasallus quoque feudum dare non potest *II. f. 9. §. 1.* sed, emphyteusi in locis desertis constituta, feudum magis excolere ei dubio procul licet *v.* STRYK. *E. J. F. c. 19. §. 4.* Denique feudum oppignorare nequit, in fructibus vero feudi pignus consistit, quod tamen contra dominum, simultanee investitos & creditores feudales nullum habet effectum, sed solum erga debitorem & descendentes, nec non creditores allodiales efficax est. Ex his sequitur, quod hypotheca generalis, ut & legalis, feudi substantiam non afficiat, in fructibus vero, ac pretio emtionis utraque locum habet *v. Const. Saxon. 25. p. 2.* de quo *c. 13.* amplius agendum.

§. 11. Quodsi in oppignorationem dominus consentiat, tum pignus quoad creditores feudales etiam valet, ipse tamen debitor consensum impetrare debet, nisi hypotheca, sub conditione consensus impetrandi, sit constituta, quo casu creditoris impetratio quoque sufficit *v.* CARPZ. *p. 2. C. 23. D. 23.* STRUV. *d. c. 13. §. 7. n. 3.* quia tamen hoc juris positivi est, ideo leges provinciales cujusvis Territorii, de hoc amplius consulendæ erunt. Consensus judicis, v. gr. Præfecti, cui Vasallus subest, ad pignus feudale non sufficit, nisi etiam feudum ab eo recognoscatur *v.* CARPZ. *l. 4. Resp. 30.*

§. 12. Alias, circa consensum domini, variæ quæstiones voluntatis occurrunt. E. gr. An confirmatio contractus, cui oppignoratio inserta, consensum in hanc, involvat? quod negari solet, cum gravitas rei declarationem magis perspicuam exigat *v.* CARPZ. *l. 4. Resp. 29.* Porro, an consensus, ratione sortis datus, ad usuras quoque extendendus? quod affirmandum, quatenus usuræ ex contractu princi-

principali dependent, non vero, quatenus ex peculiari conventione debentur *v.* PISTOR. *l. 2. qu. 29.* Ex quibus vero contractibus uſuræ debeantur, id ex æquitate, non jure Romano, hac in parte, non recepto, judicandum.

§. 13. Effectus conſenſus dominici eſt neceſſitas ſolvendi, ſi feudum ad dominum redeat, licet clauſula: *Salvo jure* ei ſit addita, nam hæc reſpicit dominium directum, non utile, eique adjunctam ſolvendi obligationem. Agnati etiam & ſimultanee inveſtiti creditorem expungere nequeunt, quamdiu debitor vel ejus deſcendentes ſuperſunt, his vero deficientibus, pignus evaneſcit, niſi & ipſi agnati conſenſerint, vel, præter regulam, defuncto ſucceſſionem debeant *vid.* PISTOR. *l. 2. qu. 4.* STRUV. *d. c. 13. §. 14.*

§. 14. Denique Vaſallus ſervitutem neque realem neque perſonalem, contra dominum & inveſtitos valituram, feudo imponere poteſt *II. f. 8. pr.* STRUV. *d. c. 13. §. 8.* Breviter: nihil ei facere licet, quod aliorum juri obſit. Quia vero quævis alienatio, vel ad ſubſtantiam, vel fructus feudi referri poteſt, in dubio poſterius dicendum videtur: Illud etiam negandum forte non eſt, aliquando onus, ſola Vaſalli voluntate feudo impoſitum, ad ſucceſſores quoque extendi, ob defectum probationis, ex temporis diuturnitate evenientem.

§. 15. Quodſi Vaſallus, quoad ipſam feudi ſubſtantiam, vel ejus partem, alienationem ſuſcipiat, tum hæc in genere invalida eſt: Circa plenam autem, ex intentione Vaſalli, irrevocabilem ac traditione, nec non, ubi hæc in uſu, reſignatione judiciali confirmaram, inſuper hæc pœna obtinet, quod Vaſallus feudum amittat, illudque domino, quamdiu Vaſallus & deſcendentes adſunt, jure Longobardico *II. f. 24. in fin. 52. 55.* jure autem Electorali Saxonico *p. 2. C. 49.* ſimultanee inveſtitis ſtatim acquiratur, ac pretium ab emtore ſciente datum vel promiſſum, fiſco Domini Territorialis cedat *v.* STRUV. *d. c. 13. §. 9. 10. 11.* nulla obſtante præſcriptione *v. c. 7. §. 14. 15.*

§. 16. Aliquando autem pœna amiſſionis ceſſat (1.) ſi, ſub conditione impetrandi conſenſus dominici, alienatio facta (2.) ſi Vaſallum alienationis pœniteat (3.) ſi dominus pœnam remittat STRUV. *d. c. 13. §. 12.* Quod ultimum etiam, in Electoratu Saxoniæ, locum habere videtur, nam licet amiſſum feudum, illo jure, ad ſimultanee

inveſtitos pertineat, attamen non aliter ipſis jus validum acquiri videtur, quam ſi dominus veniam delicti non concedat, ut adeo ab hujus voluntate, illorum jus ſit ſuſpenſum, quod ex affectu Legislatoris & ſimul Domini feudalis, ſatis conſtare videtur *add. c. 19.*

§. 17. Quodſi alienatio, volente domino fiat, vel ex prævio ejus in oppignorationem conſenſu ſuſcipiatur *v.* STRYK. *E. J. F. c. 19. §. 14.* agnatis aut ſimultanee inveſtitis jus revocandi competit, de quo *cap. ſeqv.* dicendum. Si ſoli agnati & inveſtiti in alienationem conſentiant, tum illi quoque jure ſuccedendi privantur, niſi ſub ſpe & conditione accedentis conſenſus dominici, conſenſerint, nam hæc conſentiendi ratio & delictum excludit, & pœnam privationis impedit *v.* STRUV. *c. 13. §. 15.*

§. 18. Si ſimultanee inveſtiti in oppignorationem conſentiant, conſenſus ille nullius effectus eſſe cenſetur, adeo ut, feudo ad ipſos devoluto, ad ſolvendum debitum non obligentur, cum ad pignoris valorem, conſenſus domini requiratur STRUV. *d. c. 13. §. 15. c. 18. §. 22.* CARPZOV. *p. 2. C. 46. D. 8. 9. 10.* Sed uti facile conceſſerim, conſenſum agnatorum nihil operari, in præjudicium domini aut aliorum creditorum feudalium, ita, cur ipſos conſentientes obligare non debeat, nulla apparet ratio, hinc dicendum, quod ad debiti ſolutionem omnino obſtringantur, adeo, ut accedente domini conſenſu, feudum etiam diſtrahi queat, quæ ſententia *Deciſ. Sax. 67.* approbata eſt.

§. 19. Hactenus dicta pertinent ad feuda *mediata* & *propria*, & nihil refert, ſive fuerint data, ſive oblata *vid.* RHET. *comm. jur. feud. l. 1. tit. 1. n. 41. p. 49.* Quodſi vero feudum *hæreditarium* vel *alienabile* ſit, poſſeſſor pro lubitu illud alienare poteſt *v.* STRUV. *d. c. 13. §. 12.* Quod vero attinet feuda imperii *immediata*, de eorum alienatione ex legibus fundamentalibus judicandum. Juxta has vero Status imperii Territoria non aliter alienare poſſe videntur, quam cum conſenſu Imperii & propriorum quoque ſubditorum: Quoad fructus tamen liberius arbitrium Status ſibi aſſerere ſolent, hinc oppignorationes & venditiones ſub lege retractus, non ſunt infrequentes *v.* SPECIM. JUR. PUBLIC. *l. 4. c. 3. §. 20. ſeqq.*

§. 26. Domino quoque dominium directum alienare non licet, ob

ob ſuſceptam tamen alienationem pœna privationis locum non habet *v. II. f. 26. §. domino II. f. 47.* STRUV. *d. c. 13. §. 1. n. 3. 4. 5. §. 9. n. 14.* Quæ doctrina ad nudum feudi dominum reſtringenda videtur, hic enim, ob contractum cum Vaſallo initum, dominium alienare prohibetur. Si vero dominium directum, juribus Reipublicæ ſit innexum, ut circa Status Imperii, & Cæſarem contingit, tum ex Statu Civitatis & legibus fundamentalibus, de ejus alienatione judicari debet *add.* JUS FEUD. GERM. *c. 16.*

CAPUT XI.
DE REVOCATIONE FEUDI ALIENATI.

SUMMARIA.

Revocatio feudi fit aliquando ex jure retractus §. 1.
Hujus generaliter ſpectati variæ ſunt ſpecies §. 2.
Competit jus retractus agnatis & filiis §. 3.
Etiam in Electoratu Saxoniæ §. 4.
Quod diſcuſſis rationibus contrariis amplius confirmatur §. 5. 6.
Ejus transmiſſio, ſucceſſio & caſus §. 7.
Locum illud habet in alienationibus pecuniariis, pretio eodem aliisque impenſis ſolutis §. 8.
Excludunt illud conſenſus & præſcriptio §. 9.
Feudum alienatum ex jure ſangvinis vel ſimultanea inveſtitura aliquando revocatur §. 10.
Non tamen à liberis §. 11.
Quod nihilominus aliquo modo temperandum eſt §. 12.
Revocatio fit à quovis, & quidem diverſo tempore, pro caſuum diverſitate §. 13. 14.
Revocantes nihil ſolvunt, ab aliis tamen pretium poſſeſſor quandoque recipit §. 15. 16.
Actionis revocatoriæ indoles §. 16.
Ceſſat revocatio ob conſenſum §. 17.
Etiam, certo modo, tutorum §. 18.
Ex alienationis ſcientia, contractus ſubſcriptione, emtionis recuſatione §. 19.
Et hæreditatis aditione conſenſus ille colligi nequit, datus vero etiam poſteris nocet §. 20.
Ceſſat etiam revocatio ob qualitatem feudi §. 21.
Et præſcriptionem §. 22.
Quæ tamen remotioribus non ſtatim obeſt §. 23.
Nec omni caſui locum habet §. 24.

§. I.

SI feudum, in quo aliis conſtans ſuccedendi jus competit, alienetur, tum ab his, licet non eodem ſemper modo, revocari poteſt. Iſta revocatio fit vel ex *jure retractus*, vel *jure ſangvinis aut ſimultaneæ inveſtituræ*. Jus retractus eſt *facultas, legibus feudalibus introducta, qua proximi agnati aut ſimulta-*

multanee inveſtiti, feudum conſenſu domini venditum, ſoluto eodem pretio, intra annum, ſibi aſſerere, atque ita extraneo emtori præferri poſſint. Involvit igitur jus, venditionem impediendi, & conſummatam revocandi, illo reſpectu, *jus protimiſeos*, hoc, *retractus* audit.

§. 2. In genere jus retractus duplex eſt, *conventionale* & *legale*. Hoc locum habet (1.) ob dominium directum (2.) creditum (3.) vicinitatem (4) communionem, quæ duæ ſpecies, *jus congrui* dicuntur *v. l. 4. C. de locat. præd. civil.* FRITSCH. *de jur. congrui* (5.) ob conſangvinitatem *v.* STRUV. *S. J. Civ. exerc. 23. §. 50 ſeqq.* ſicut vero omnes illæ ſpecies ubique locum non habent, ita dubium non eſt, quin plures legibus introduci queant. Jus retractus feudale, vel ad ultimam ſpeciem referri, vel pro peculiari, intuitu ſimultaneæ inveſtiturorum, haberi poteſt.

§. 3. Competit jus retractus agnatis & ſimultanee inveſtitis ſecundum gradus prærogativam vel æqualitatem, ac exſerit ſe contra extraneum, remotiorem agnatum aut inveſtitum, imo etiam contra æqualem pro parte, nam hoc temperamentum conditio emtoris & retrahentis ſvadere videtur. *vid.* STRUV. *S. J. F. c. 13. §. 22. in fin.* Competit hoc jus etiam filiis *v.* PISTOR. *l. 2. qu. 13. n. 18. ſeqq.* licet Patri hæredes exiſtant, nam Pater, ſola hæreditatis datione, filios ad ſervandam feudi alienationem, obſtrinxiſſe cenſeri nequit *v.* STRUV. *S. J. Civ. exerc. 23. §. 56.*

§. 4. In Electoratu Saxoniæ, jus retractus filiis non competere cenſet CARPZ. *p. 2. C. 49. D. 4.* Sed contrarium verius eſt, nam *Reſcriptum Torgavienſe*, ad quod ille provocat, negat ſaltem filiis revocationem, ex jure ſangvinis, quæ fit ſine refuſione pretii. hoc enim colligitur ex *d. reſcript.* tit. *welcher geſtalt die agnaten §. dieweil* nec non ex ratione prohibitæ revocationis, quæ *§. und den ſtir augen* proponitur, quæque ad ſolam revocationem ex jure ſangvinis quadrat.

§ 5. Nec obeſt *§. was den die Söhne anlangt* junct. *§. ſetzen, ordnen und wollen*, nam in primo ſaltem refertur ſententia interpretum quorundam, exiſtimantium, filiis, jure longobardico, perinde ut agnatis, revocationem competere tam ex jure retractus, quam ſangvinis; quod autem utraque hæc ſententia in altero *§pho* rejiciatur,

ciatur, hoc asserit quidem CARPZOVIUS, sed non probat, hinc ex conjunctione cæterorum §§. probabilius est, revocationem ex jure sangvinis, filiis saltem negari, quæ etiam, ex veriori sententia, nec jure Longobardico, iis competit.

§. 6. Porro non obstat *§. dieweil aber dennoch*, nam in eo non dicitur, quod *naturali æquitati repugnet, si filius hunc vel illum Patris actum impugnet*, sed solum, quod ei contrarium sit, si *indistincte hoc filiis permittatur*. Neque illud cum effectu objici potest, quod *revocatio ex jure retractus, perinde lædat reverentiam patri debitam, quam revocatio ex jure sangvinis*, hoc enim minime concedendum, cum illo casu, debita paterna solvantur, non vero hoc. Ex eo autem, quod *filius, mediante patre, ad feudum perveniat*, hoc saltem sequitur, quod Pater revocationem ex jure retractus, filio adimere potuerit, non autem, quod ademerit.

§. 7. Circa jus retractus obtinet jus repræsentationis, nec non, agnato proximiore retrahere nolente, successio CARPZ. *p. 2. C. 49. D. 7.* quod sine causa negat PISTOR. *l. 2. qu. 12. n. 64. seqq.* Exerit se jus retractus, si feudum consensu domini vendatur, nam deficiente hoc, feudum statim ad dominum vel agnatos, sine refusione pretii, venit *v. c. 10. §. 15.* In feudo alienabili etiam juri retractus locus est *v.* STRUV. *S. J. F. c. 13. §. 22.* de cætero, quoad ejus exercitium, nihil refert, sive alienator vivat, sive mortuus sit.

§. 8. Retractui locus est in alienationibus, quæ interveniente pecunia fiunt, ut venditione & datione in solutum, non vero in donatione aut permutatione, nisi fraus subsit *v.* CARPZ. *p. 2. C. 49. D. 5.* nam in illis, agnatus idem præstare potest, quod extraneus, non in his, ibi ergo ad retractum merito admittitur, hic non *v.* RICHTER. *Dec. 138.* Debet igitur agnatus retracturus idem solvere, quod extraneus vel solvit, vel soluturus est CARPZ. *p. 2. C. 49. D. 3.* non minus etiam emtori necessarias & utiles impensas, in feudum bona fide factas, restituere tenetur.

§. 9. Qui in alienationem consenserunt, retractu non gaudent, ex sola tamen scientia & silentio, consensus inferri non debet, CARPZ. *p. 2. C. 49. D. 6.* si vero à tempore scientiæ, annus sit elapsus, juri retractus præscriptum est *II. f. 26. §. Titius* ac, ex veriori sententia, nihil

refert, ſive in extraneum, ſive remotiorem agnatum res alienata ſit PISTOR. *l. 2. qu. 12. n. 22.* quæ etiam, ac inprimis anni definitio, in Electoratu Saxoniæ locum habent *v. Deciſ. Saxon. 11.* CARPZ. *p. 2. C. 50. D. 1. ſeqq.* Qui venditionem ignorarunt, præſcriptione 30. annorum, à retractu excluduntur PISTOR. *d. qu. 12. n. 36.* ſed in Saxonia, annus & dies Saxonicus inſuper requiri videtur *v. c. 7. §. 3.*

§. 10. Revocatio ex jure ſangvinis & ſimultaneæ inveſtituræ eſt, *qua agnati & ſimultanee inveſtiti, quando ordo ſuccedendi eos tangit, feudum alienatum à quovis poſſeſſore, ſine præſtatione pretii, repetunt,* nam ſicut in feudum non alienatum ſuccederunt, ita, facta alienatione, illud à poſſeſſoribus vindicant. Agnatis igitur & ſimultanee inveſtitis, qui in alienationem non conſenſerunt, revocandi facultas competit ac locus etiam eſt juri repræſentationis.

§. 11. Liberis vero jus revocandi hoc non competit, licet enim à primo acquirente jus ſuccedendi habeant, quia tamen, mediante Patre, ad ſucceſſionem adſpirare debent, ideo, hujus facto, ſucceſſio illis interverti poteſt *arg. II. f. 45. v.* PISTOR. *l. 2. qu. 13.* STRUV. *S. J. F. c. 13. §. 16.* quæ ſententia, in Electoratu Saxoniæ, certa eſt *p. 2. C. 48. Reſcript. Torgav.* tit. *welcher geſtalt* adeo ut ne quidem impuberes feudum alienatum revocare queant *v.* CARPZ. *p. 2. C. 48. D. 9. 10. 12.*

§. 12. Non tamen indiſtincte factum Patris, liberis obeſſe videtur, nam alias proviſio primi acquirentis nihil ipſis prodeſſet, hinc alienatione plane voluntaria, vel teſtamento Pater feudum liberis auferre nequit *v.* STRUV. *S. J. F. c. 9. §. 12. n. 8.* Si vero (1.) alienatio ob æs alienum urgens ſit facta vel facienda, tum, ad fidem Patris liberandam, æquo animo liberis jactura illa digerenda eſt. Idem dicendum ſi (2.) Pater ob negligentiam *v.* PISTOR. *l. 2. qu. 8. n. 77. 78.* vel (3.) ob delictum, feudum amiſerit *II. f. 31.* nam hi caſus ſunt rariores, aut ſi (4.) jus liberorum ſit valde incertum, nam hoc etiam facto Patris tolli poteſt *v.* PISTOR *l. 2. qu. 7. n. 50. ſeqq.*

§. 13. Qui nudam habent expectantiam, feudum alienatum revocare nequeunt *v.* CARPZ. *p. 2. C. 48. D. 8.* nam jure reali deſtituuntur *v. c. 6. §. 14.* De cætero ii, quibus jus revocandi competit, feudum repetunt à poſſeſſore extraneo, agnato vel ſimultanee inveſtito remo-

remotiori, imo etiam, pro parte, ab æquali CARPZ. *p. 2. C. 48. D. 45.* Si feudum conſenſu Domini, ſit alienatum, non antea revocari poteſt, quam alienator, cum ſua poſteritate maſcula, defecerit, nam ante hunc defectum, agnati jus ſuccedendi non habent CARPZ. *p. 2. C. 48. D. 13.*

§. 14. Si vero, ſine conſenſu Domini, alienatio facta, tum feudum ſtatim revocatur, & quidem, juxta jus Longobardicum, à domino, poſt mortem alienatoris ejusque deſcendentium, agnatis illud reſtituturo, juxta jus Saxonicum Electorale autem, ab agnatis & ſimultanee inveſtitis *vid.* CARPZ. *p. 2. C. 48. D. 14.* add. *c. 10. §. 15.* ſi proximiores agnati feudum non revocent, ſequentes ad revocationem admittuntur, niſi forte illi, in gratiam poſſeſſoris, jure ſuo non utantur, tum enim remotiores antea revocare nequeunt, quam proximiores, cum ſua poſteritate, defecerint *vid.* STRUV. *S. J. F. c. 13. §. 17. n. 2.*

§. 15. De cætero nihil refert, quo modo feudum fuerit alienatum, quia revocatio, ſine pretii præſtatione, fit *II. f. 26. §. Titius.* Si vero poſſeſſor, pro feudo, aliquid ſolverit, ac alienatio conſenſu domini ſit facta, tum, eo ablato, ab hæredibus alienatoris allodialibus, id, quod præſtitit, repetit, ſive qualitatem rei ignoraverit, ſive ſciverit, nam ex ſcientia, remiſſio colligi nequit, cum caſus revocationis fuerit incertus, ac, agnatis ante alienatorem deficientibus, vel poſtea in alienationem conſentientibus, omnino potuerit ceſſare *arg. l. 3. §. 4. C. comm. de legat.* v. CARPZ. *p. 2. C. 49. D. 8. 9.*

§. 16. Idem obtinet, ſi, ſine domini conſenſu, feudum ſit venditum, ac emtor qualitatem rei ignoraverit, ſed ſi eam ſciverit, pretium fiſco cedit *II. f. 55.* quod etiam jure Saxonico obtinet v. STRUV. *d. c. 13. §. 9. n. 9. ſeqq. §. 11.* CARPZ. *p. 2. C. 49. D. 10.* Revocaturis agnatis competit *actio revocatoria*, quæ eſt ſpecies vel Rei vindicationis, vel hæreditatis petitionis, hinc quæ, quoad officium poſſeſſoris & actoris, ratione fructuum, damnorum ac impenſarum, in his actionibus conſtituta ſunt, ad illam etiam pertinent v. STRUV. *d. c. 13. §. 17. n. 4. 5.* Actor autem regulariter proximum jus ſuccedendi probare debet STRUV. *d. §. 17. n. 1. ſeqq.*

§. 17. Ceſſat jus revocandi (1.) ſi agnati in alienationem conſenti-

ſentiant, ad quod uti cogi nequeunt *v.* STRUV. *d. c. 13. §. 19. n. 3. 4.* STRYK. *E. J. F. c. 20. §. 16.* ita, repræſentata pecunia, non raro alliciuntur: Si proximiores tantum conſentiant, remotioribus quidem jus revocandi ſalvum eſt, ſed non antea ſe exerit, quam illi defecerint. Tutores & Curatores nomine pupillorum & minorum, jure communi, conſentire non poſſe cenſentur STRUV. *d. c. 13. §. 19. n. 5.*

§. 18. In Electoratu vero Saxoniæ, duobus agnatis majorennibus in alienationem conſentientibus, tutores remotiorum agnatorum impuberum itidem conſentire poſſunt. Si autem impuberes, cum majorennibus in eodem gradu exiſtant, illorum tutoribus non aliter conſentire licet, quam ſi ex his, minimum quatuor, ac inſuper duo minorum propinqui, nullam in feudum ſucceſſionem habentes conſentiant *Reſcript. Torgav. 1583.* tit. *welcher geſtalt die agnaten §. damit nun ſolcher* CARPZ. *p. 2. C. 48. D. 7.* Ex quibus facile intelligitur, quando tutores plane conſentire nequeant.

§. 19. Uti autem nihil refert, expreſſe an tacite agnati, in alienationem, conſentiant, ita conſenſus tacitus, non niſi ex habilibus circumſtantiis eſt aſſerendus. Ex ſola igitur agnatorum ſcientia & ſilentio ille non debet colligi *l. 8. §. 15. quib. mod. pign. ſolv.* Idem dicendum, ſi ut teſtes contractui ſubſcripſerint, aut rem vendendam emere noluerint, nam hoc quidem jus retractus, non vero revocationem ex jure ſangvinis, excludit *v.* PISTOR *l. 2. qu. 7.*

§. 20. Si agnati, alienatoris hæredes allodiales ſimul exiſtant, ex hæreditatis aditione, ratihabitio alienationis feudi non ſequitur, ſed, illa non obſtante, feudum repetere poſſunt, ut hæredes tamen allodiales, pretium emtori tenentur reſtituere *v. l. fin. C. de evict. Reſcript. Torgav. d. tit. §. es ſollen auch itzt.* PISTOR *l. 2. qu. 9.* CARPZ. *p. 2. C. 48. D. 3.* De cætero conſenſus datus non tantum conſentientibus, ſed & eorum poſteris obeſt. *Reſcript. Torgav. d. tit. §. ſetzen, ordnen und wollen* PISTOR *l. 2. qu. 7. n. 50. ſeqq.* nam horum jus fuit adhuc incertum, adeoque facto Patris tolli potuit *v. §. 12. n. 4.*

§. 21. Porro revocatio ceſſat (2.) ob qualitatem feudi, ſi nempe fuerit hæreditarium *vid.* PISTOR *l. 2. qu. 14.* Ex ſententia tamen CARPZOVII *p. 2. C. 48. D. 1.* nec non *de onerib. Vaſall. Decad. 1. poſit. 3. n. 23. ſeqq.* etiam in hoc ſimultanee inveſtitis jus revocandi compe-

Digitized by Google

competit, quæ res, ex diverſa feudi hæreditarii ſuppoſitione, concilianda videtur; nam ſi feudum ratione *modi ſuccedendi* ſit hæreditarium, tum ſimultanea inveſtitura, & inde veniens jus revocandi, circa illud, locum omnino habere non poteſt: Si vero feudum hæreditarium accipiatur pro *fœminino* & *alienabili*, cum ſimultanea inveſtitura, jus revocandi aſſerere licet.

§. 22. Denique revocatio ceſſat (3.) ob præſcriptionem, ſi agnati intra 30. annos alienationem non impugnent PISTOR. *l. 2. qu. 8.* STRUV. *S. J. F. c. 13. §. 18. n. 1. ſeqq.* In Saxonia tempori illi annus & dies Saxonicus accedere debet CARPZ. *p. 2. C. 50. D. 5.* Non autem currit præſcriptio ſtatim à tempore factæ, cum conſenſu domini, alienationis, ſed quando, alienatore & hæredibus deficientibus, ordo ſuccedendi agnatos tangit, nam antea jus revocandi iis non competit, adeoque agere non valentibus, non currit præſcriptio CARPZ. *p. 2. C. 50. D. 6.*

§. 23. Ex his ſequitur, quod, pluribus agnatis diverſi gradus exiſtentibus, præſcriptio, quæ proximiorem excluſit, cæteris non noceat, ſed contra ſingulos demum inchoari queat, quando ad ſucceſſionem illi vocantur PISTOR. *l. 2. qu. 8. n. 40. ſeqq.* Et hoc verum eſt, licet remotior, proximioris per præſcriptionem excluſi, hæres ſit, nam habet jus proprium, quo per aditionem hæreditatis, ſe haud abdicavit. Præſcriptio tamen contra Patrem impleta, deſcendentibus quoque obeſt PISTOR. *d. qu. 8. n. 72. 77. 78.*

§. 24. Quodſi feudum, ſine domini conſenſu, velut res allodialis, alienetur, nulla obtinet præſcriptio, ſed dominus, aut jure Saxonico agnati, ſemper illud vindicare poſſunt *v. c. 10. §. 15.* ſi tamen primo caſu, feudum à domino agnatis ſit reſtituendum, alienatore ſcilicet ejusque hæredibus deficientibus, ab eo tempore negligentibus præſcriptio obeſſe poterit. Si feudum, ut feudum ſaltem alienatum ſit, præſcriptio tricennalis locum habere videtur *v. c. 7. §. 15. conf.* JUS FEUD. GERMAN. *c. 17.*

CAPUT XII.

DE DEBITIS FEUDALIBUS.

SUMMARIA.

Principium ex quo debita feudalia judicanda §. 1.
Debitorum hæreditariorum & feudalium diſcrimen §. 2.
Circa feuda hæreditaria non adeo obſervandum eſt §. 3. 4.
Niſi eorum qualitas ſit reſtricta §. 5.
Debita feudalia ſunt conſenſualia & legalia, illa ſunt talia vel ex ſolo domini §. 6.
Vel agnatorum vel illius & horum conſenſu ſimul §. 7.
Debita legalia ſunt vel principalia vel ſubſidiaria §. 8.
Ad illa pertinet debitum in feudi utilitatem verſum, in ejus emtionem contractum §. 9.
Ac dotalitium §. 10.
Hujus requiſita §. 11.
Et quantitas §. 12.
Vidua vel dotalitium exigit vel illata repetit §. 13.
Dotalitium regulariter dotem abſorbet §. 14. 15.
Ejus effectus §. 16.
Et contraria §. 17.
Imperantes in conſtituendo dotalitio vulgaribus regulis non adſtringuntur §. 18.
Ad debita feudalia principalia etiam ſpectant dos, donatio propter nuptias §. 19.
Et bona paraphernalia, non alia viduis debita §. 20.
In hunc cenſum etiam referuntur onera ob juſtam cauſam feudis impoſita §. 21.
Feudo non ſufficiente, ex allodio illa præſtari debent §. 22.
Ad debita feudalia ſubſidiaria pertinet educatio & dotatio filiarum §. 23.
Alimenta filiis inhabilibus præſtanda, legitima §. 24.
Impenſæ funebres & debita ſimplici conſenſu probata §. 25.
Ratio obligationis ſubſidiariæ §. 26.
Debitum diſſolvendis aliis debitis feudalibus contractum, ſemper principale eſt §. 27.
Debitis feudalibus non eſt annumerandum regulariter, quod conſenſu, oppignoratione aut verſione feudo non eſt impoſitum §. 28.
Debita hæreditaria à debitore & ſucceſſoribus feudi novi ſolvi debent §. 29.
Liberi quoque ex feudo antiquo ea præſtare tenentur §. 30.
Non vero regulariter agnati §. 31.
Aliud tamen obtinet in feudis immediatis §. 32. 33.

§. 1.

INtelligendo juri Vaſalli, etiam neceſſaria eſt conſideratio debitorum, circa feudum occurrentium. Quousque autem Vaſallus debita contrahere, ac, ad eadem ſolvenda, ſucceſſores obſtringere queat, id omne tam ex ejus, quam domini, agnatorum, ſimultanee inveſtitorum vel etiam hæredum allodialium

lium jure, judicandum eſt, hinc quæ hic proponuntur, concluſiones fere tantum ſunt, ex juribus illis deductæ, quas tamen leges poſitivæ certius ſubinde determinant.

§. 2. Non ignotum diſcrimen eſt debitorum *hæreditariorum* & *feudalium*. Illa ſunt, *quæ ſine conſideratione feudi contrahuntur, nec à quovis feudi ſucceſſore, ſolvi debent.* Hæc vero, *quæ intuitu feudi fiunt, ac à quovis poſſeſſore vel minimum eo, qui in illa conſenſit, licet non eodem ſemper modo, præſtanda ſunt.* In ſenſu tamen latiori, priora etiam, feudalia debita dicuntur, quia, occaſione ſucceſſionis feudalis, de eorum exſolutione, quæri, ac hæc quandoque, ex fructibus feudi, fieri ſolet, quem ſenſum latiorem reſpicit rubrica hujus capitis.

§. 3. Quodſi feudum *mere hæreditarium & alienabile ſit v. c. 2. §. 12.* diſcrimen debitorum hæreditariorum & feudalium non adeo obſervandum eſt, cum ſucceſſores omnis generis debita, tam ex allodio, quam tali feudo hæreditario, ſolvere debeant, adeo ut hoc etiam omnino diſtrahi queat *vid.* STRUV. *S. J. F. c. 14. §. 2. n. 1.* Si tamen, vel ob feloniam, vel defectum ſucceſſorum, feudum tale ad dominum redeat, ad exſolutionem debitorum, hunc non aliter obligatum eſſe quidam putant, quam ſi hypotheca, etiam ſine domini conſenſu, in feudo fuerit conſtituta STRUV. *d. §. 2. n. 5.*

§. 4. Hanc ſententiam ſi admittas, dubio procul, ad debita hæreditaria, illa foret reſtringenda, nam, quoad feudalia, dominus ſemper tenebitur, cum in hæreditario feudo, non poſſit melior ejus eſſe conditio, quam in proprio vel regulari. Interim probabilius videtur, quod dominus etiam ſine hypotheca, ad exſolutionem debitorum hæreditariorum, obſtrictus ſit, nam recipit quidem feudum jure proprio, ſed ut hæreditarium, id eſt tale cujus intuitu Vaſallus debita libere contrahere potuit, hinc, illa receptione, obligationem Vaſalli perſonalem ſimul dominus admittit.

§. 5. Si feudum, tantum ratione *ſucceſſionis allodialis*, ſit hæreditarium *v. c. 2. §. 12.* ſucceſſores etiam indiſtincte, ad ſolvenda debita, tenentur. Feudum tamen alienari nequit, niſi ob debita feudalia, quæ etiam dominus ſaltem præſtare debet *conf.* STRUV. *d. c. 14. §. 2. n. 2. ſeqq.* Quodſi denique feudum, quoad *perſonas ſucce-*

dentes, hæreditarium ſit, ſed ſucceſſio feudalis in eodem locum habeat *v. d. c. 2. §. 12.* tum, quoad ſolvenda debita, idem obtinebit, quod in feudo regulari ſive proprio.

§. 6. Circa feuda igitur propria, diſcrimen debitorum debet attendi, cum ſucceſſores regulariter feudalia tantum ſolvere teneantur. Sunt autem hæc duplicis generis, *conſenſualia*, quæ eorum, quorum intereſt, conſenſu, & *legalia*, quæ, lege vel conſvetudine feudo imponuntur. Circa priora, diverſi caſus ſunt diſtingvendi, vel enim (1.) *ſolus dominus in feudi oppignorationem conſentit*, aut *immiſſionem peragit* vel *arreſtum concedit*. Hoc caſu, præter Vaſallum & deſcendentes, ſolus dominus tenetur *v.* CARPZ. *p. 2. C. 46. D. 4. de oner. Vaſall. decad. 5. poſit. 1. 2. 4.* STRUV. *S. J. F. c. 14. §. 21.*

§. 7. Quodſi autem (2.) *ſoli agnati conſentiant*, hypotheca nullius effectus eſſe cenſetur, STRUV. *d. l. §. 22.* ſed contrarium verius eſt, ac utique, ratione conſentientium ac creditorum allodialium, illa valet *v. c. 10. §. 18.* Denique ſi (3.) *oppignoratio conſenſu domini & agnatorum fiat*, procul dubio debitum, ab omnibus conſentientibus, eſt ſolvendum STRUV. *d. l. §. 23.* Jure tamen communi, ſaltem in ſubſidium, deficiente allodio, conſentientes cenſentur eſſe obligati *v.* STRUV. *d. c. 14. §. 24.* Sed uti de debitis mere conſenſualibus id eſt accipiendum, ita, jure Saxonico Electorali, plane ceſſat ac conſentientes principaliter obligantur *p. 2. C. 46.*

§. 8. Debita legalia, juri Longobardico plane videntur incognita, ſed legibus germanicis ac præcipue Saxonicis *p. 2. C. 25. 46.* juxta rationem æquitatis, illa ſunt introducta, ut à quovis poſſeſſore ſolvi debeant. Eſt tamen aliquod inter illa diſcrimen, quædam enim *principaliter* ex feudo ſolvenda ſunt, licet bona allodialia adſint, alia vero, his deficientibus, in *ſubſidium* demum præſtantur STRUV. *d. c. 14. §. 4. 5. 6.*

§. 9. Ad primam claſſem pertinet (1.) *debitum in feudi utilitatem verſum;* Qualia ſunt, quod in refectionem ædium impenſum, vel honorarium Advocati, in proceſſu feudali operas præſtantis & ſimilia *v.* CARPZ. *p. 2. C. 46. D. 26. 30. 31.* debet autem verſio à Creditore probari *v. l. 27. de R. C.* (2.) huc ſpectat *debitum in emtionem*

tionem feudi contractum, v. CARPZ. *d. C. 46. D. 27.* quod etiam à domino præſtandum videtur, cum emtio feudi conſequendi ei præbeat occaſionem, licet STRUVIUS *d. c. 14. §. 8.* de hoc dubitet.

§. 10. Inprimis huc refertur (3.) *Dotalitium*, quo nomine intelligitur *Uſusfructus vel Reditus feudi, Viduæ ob præſtitam, ac in feudi emolumentum verſam vel vertendam dotem, à quovis ſucceſſore feudali præſtandus.* Nititur hoc debitum etiam fundamento verſionis, ſed ita, ut ex ſolo illo deduci non debeat, verum ex ſanctione poſitiva ſimul repetendum ſit. Sicut autem Vidua tam à marito, quam ſucceſſoribus dotalitium exigere poteſt, ita juri ejus recte intelligendo, tres caſus ſunt diſtingvendi.

§. 11. Nam ſi *dotem revera intulerit*, dotalitium petere poteſt, modo illationem probet, ex quo, verſio præſumitur, donec ſucceſſores feudales contrarium oſtendant STRUV. *d. c. 14. §. 10.* Sola confeſſio mariti iis, qui jure proprio ſuccedunt, non obeſt, ſi vero à filiis vel hæredibus allodialibus Vidua quid petat, tum probandæ intentioni ſufficit CARPZ. *p. 2. C. 44. D. 9. 10.* Quodſi *dos, vivo marito ſit promiſſa*, vidua dotalitium recte etiam petit, modo illam cum uſuris revera inferat PISTOR. *l. 1. qu. 5.* CARPZ. *d. C. 44. D. 11. 13.* ſi vero *ne quidem promiſſio interceſſerit*, illud petere nequit, licet quantitatem aliquam, dotis nomine, inferre parata ſit STRUV. *d. c. 14. §. 10. Deciſ. Saxon. 55.*

§. 12. Quantitas dotalitii non ſatis expedita eſt, regulariter tamen, ad duplicatas uſuras, conſtitui ſolet, quo caſu hæredes viduæ, dotem etiam repetunt. Aliquando quadruplicatarum uſurarum reditus conceduntur, quo facto, dos, vidua mortua, repeti nequit, quod in Saxonia obtinere dicunt *vid.* CARPZOV. *p. 2. C. 42. D. 2. 3.* STRUV. *S. J. F. c. 14. §. 11.* STRYK *E. J. F. c. 21. §. 13. 14.* De cætero Viduæ vel certum aliquod prædium, in uſumfructum, conceditur, vel reditus à ſucceſſoribus feudalibus, præſtantur STRUV. *d. l. §. 9.*

§. 13. Eſt autem in arbitrio Viduæ, utrum illata repetere, an dotalitium exigere velit, ſucceſſores vero feudales invitæ hoc obtrudere nequeunt *Conſt. Saxon. 44. p. 2.* STRUV. *d. l. §. 15.* Atque illa electio ei quoque competit, licet, vivo marito, dotalitium ſit

conſtitutum. Altero vero electo, deinde ceſſat pœnitentia CARPZ. *p. 2. C. 44. D. 2. 3. 5.* Sicut autem dotalitium, vivo marito, conſtitutum & poſſeſſum, vidua, eo mortuo, retinere, vel vacuum propria autoritate occupare poteſt, ita conſtituendum actione exigit, quam condictionem ex moribus dicere licet *v. Conſt. Saxon. 33. p. 3.*

§. 14. Dos, jure Saxonico, manet eo caſu, penes ſucceſſores feudales, adeoque hæredes viduæ eam repetere nequeunt, niſi ita conventum ſit *Conſt. Saxon. 42. p. 2.* Sed id dubium eſt, an talis conventio, in præjudicium agnatorum, iniri queat? CARPZ. *p. 2. C. 42. D. 3. n. 9.* eam admittit, ſed in *tract. de oner. Vaſall. Decad. 4. poſit. 2. n. 44.* nullam & invalidam putat. Forte hoc ita conciliandum eſt, ut conventionem, de dote reddenda, validam dicamus, ſi ſaltem duplicatæ uſuræ, dotalitii nomine, præſtentur, invalidam vero ſi quadruplicatæ.

§. 15. Quodſi dominus & agnati, in talem conventionem, conſentiant, tum indiſtincte valet, quemadmodum etiam dotalitium illorum conſenſu conſtitutum, ſimpliciter ſubſiſtit, nec de illatione dotis quæritur, debitum enim dotalitii, eſt eo caſu conſenſuale, hinc alio fundamento indiget STRUV. *d. c. 14. §. 12.* SCHULTZ. *Synopſ. jur. feud. c. 8. n. 237. ſeqq.* Quodſi dotalitium, vivo marito, ſit conſtitutum, ac uxor, ante eum moriatur, hic dotem, jure Saxonico, conſequitur, eamque non ad ſucceſſores feudales; ſed hæredes allodiales, transmittit PISTOR. *l. 1. qu. 4. n. 27.* Si vero, mortuo marito, vidua, ante electionem quoc[illegible] moriatur, tum ejus hæredes dotem repetunt.

§. 16. In dotalitio accepto, Vidua habet uſumfructum, hinc etiam ad cautionem præſtandam, ac inventarium conficiendum tenetur, ac liberum ei eſt, vel fructus immediate percipere, vel aliis eos vendere, donare vel locare *v.* CARPZ. *p. 2. C. 42. D. 7. 8. 9.* Onera quoque tam ordinaria quam extraordinaria Vidua præſtare debet *v. l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. de uſufr. l. 7. de public. & vectig. l. 2. C. de ann. & tribut.* CARPZ. *p. 3. C. 16. D. ult.* STRUV. *S. J. F. c. 14. §. 9.* hinc forſitan etiam tributa ſecundum æs & libram ſolvenda *Vermögen-Steuer.* Aliquando, loco uſusfructus, vidua ſaltem percipit reditus, à feudi poſſeſſoribus ſolvendos *v. l. 38. de uſ. & uſufr. legat.*

§. 17.

§. 17. Si adulterium uxor committat, nec mariti remiſſio interveniat, dotalitium petere nequit *Conſt. Saxon. 21. p. 4.* Conſtitutum autem & obtentum dotalitium deſinit *morte* Viduæ *Landr. l. 1. art. 32.* SCHULTZ. *Synopſ. jur. feud. c. 8. n. 254. ſeqq.* nec non ejus *conſenſu*, ſi in alienationem aut oppignorationem conſentiat, quo tamen caſu aliud petere poteſt CARPZ. *p. 2. C. 42. D. 10.* Ob *ſcortationem* vero in viduitate commiſſam, vel *ſecundas nuptias*, aut *adulterium*, in novo conjugio perpetratum, dotalitium non deſinit SCHULTZ. *d. c. 8. n. 256. 257.* CARPZ. *d. C. 42. D. 6.* niſi aliud ſit conventum *v.* COCCEJ. *J. P. P. c. 28. §. 28.*

§. 18. Hactenus dicta pertinent ad feuda mediata. Liberi autem Imperantes, ut & Status imperii germanici, in conſtituendis dotalitiis, majori gaudent poteſtate, nec iis adeo leges poſitivæ regulariter ſunt applicandæ: Hinc quæ de dotis illatione & verſione, vel de dotalitii quantitate dicuntur, ea rigide hic exigere non licet, niſi ita conventum ſit *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 4. §. 52. ſeqq.* licet alii ſecurius regulas vulgares ſequantur, vel etiam, ſucceſſores feudorum immediatorum, hæc onera agnoſcere non teneri, exiſtiment *v.* ITTER. *de F. I. c. 18. §. 11.*

§. 19. Debitis feudalibus annumeratur (4.) *Dos* uxoris ac, juxta conſvetudinem quarundam regionum, *ejus augmentum v.* MEV. *p. 2. D. 224. 228. n. 4. p. 5. 62. p. 7. D. 129.* STRYK. *E. J. F. c. 21. §. 17. 18.* nam ſi Vidua illata repetere malit, hæc, loco dotalitii, ſucceſſores feudales præſtare debent, ſi illatio probetur CARPZ. *de oner. Vaſall. Decad. 3. poſit. 2.* Cum dote etiam petitur (5.) *Donatio propter nuptias*, modo promiſſa, ac dos inſuper illata, ac in feudi utilitatem verſa ſit; Oblata dote & donatione propter nuptias, onus dotalitii conſtituendi declinare poſſe cenſentur ſucceſſores feudales *v.* CARPZ. *p. 2. C. 44. D. 7.* quod de dotalitio duplicatarum uſurarum videtur intelligendum.

§. 20. Huc pertinent (6.) *Bona paraphernalia*, quæ ex feudo etiam reſtitui debent, ſi illatio & verſio probetur CARPZ. *de oner. Vaſall. Decad. 4. poſit. 4.* Non idem juris eſt in *Morgengaba, pecunia habitationis & comeſtibilibus*, quæ agnati ex feudo non præſtant licet maritus promiſerit CARPZ. *d. Decad. 4. poſ. 6. l. 6. Reſp. 60.*

Por-

Portio etiam *ſtatutaria* ex feudo non ſolvitur, licet enim eam quoque Vidua nobilis petere poſſit CARPZ. *p. 2. C. 44. D. 8.* attamen hoc, intuitu hæredum allodialium, vel etiam Vaſalli filiorum, intelligendum eſt.

§. 21. Referuntur quoque in hunc cenſum (7.) *onera juſtam ob cauſam feudis impoſita*, nam hæc, ob publicam utilitatem, omnes ſucceſſores agnoſcere tenentur CARPZ. *de oner. Vaſall. decad. 4. poſ. 10.* Hæc debita principaliter ex feudo ſolvenda ſunt, quod de eo caſu intelligendum, quo allodium & feudum diverſis cedit hæredibus, nam ſi ipſe debitor feudum poſſideat, vel allodium & feudum ad eosdem devolvatur, tum perinde eſt, ex hoc, an illo eadem præſtentur.

§. 22. Si feudum, ſolvendis illis debitis, non ſufficiat, ratione reſidui hæredes allodiales tenentur, ſunt enim debita ejus, cui ſuccedunt, peculiaris autem illorum qualitas, neceſſitatem ſolvendi non tollit, ſed differt, ac ſolutionis ordinem determinat. Imo debitor hæredibus allodialibus principaliter hæc debita imponere poteſt CARPZ. *de oner. Vaſall. decad. 1. poſ. ult.* Quo tamen caſu integrum quoque eſt Creditoribus, debita hæc à ſucceſſoribus feudalibus exigere, ex allodio, quod ſolverunt, repetituris.

§. 23. Ad debita feudalia ſubſidiaria *v.* §. *8.* ſpectat (1.) *educatio & dotatio filiarum*, nam hæc, deficiente allodio, ex feudo præſtari debet CARPZ. *de oner. Vaſall. decad. 3. poſ. 3. 4. n. 27. ſeqq.* Quodſi filiabus non à Patre, ſed aliunde, opes quædam ſuppetant, tum ſi non adeo magnæ ſint, dotatio nihilominus, arbitrio judicis, ex feudo præſtanda eſt CARPZ. *d. poſit. 4.* ut & *Deciſ. 173. 174.* Quantitas autem dotis conſvetudine, conventione vel arbitrio domini directi definitur, nec opus eſt conſenſu agnatorum CARPZ. *d. l. poſit. 5. p. 2. C. 46. D. 18. 19.* STRUV. *S. J. F. c. 14. §. 17.* Si filiæ cœlibes moriantur, earum hæredes dotem exigere nequeunt, cum ſit debitum conditionale, niſi certa quantitas ſimpliciter ipſis promiſſa, ac inde uſuræ etiam forte ſolutæ ſint *v.* CARPZ. *p. 2. C. 46. D. 20. ſeqq. de oner. Vaſall. d. poſit. 5.*

§. 24. Referuntur huc (2.) *alimenta filiis, ad ſucceſſionem feudalem inhabilibus, præſtanda v. l. f. 6. §. 2.* CARPZ. *p. 2. C. 46. D. 28.*

STRUV.

Digitized by Google

STRUV. *d. c. 14. §. 18.* nec non (3.) *legitima*, quam tamen liberi, ad feudi ſucceſſionem inidonei, eo demum caſu exigere poſſunt, quo maxima bonorum pars, in emtionem feudi, fuit impenſa, præterea liberi, obtenta legitima, alimenta & dotem petere nequeunt STRUV. *d. l. §. 19.* CARPZ. *de oner. Vaſall. decad. 3. poſ. 6. 7.*

§. 25. Solent etiam in hunc cenſum referri (4.) *Impenſæ in funus defuncti Vaſalli erogatæ* STRUV. *d. c. 14. §. 20.* quod tamen haud admittit CARPZ. *p. 2. C. 46. D. 36.* eas nihilominus impenſas, quæ in filiarum, ante matrimonium mortuarum, adeoque dote privatarum, funus factæ ſunt, in hanc claſſem referens *d. l. D. 23.* ſed alibi has quoque ille expungit *de oner. Vaſall. decad. 3. poſ. 5. n. 33. ſeqq. add.* ZIEGLER. *Deciſ. 6.* Denique (5.) *omnia debita in quæ, ſine oppignoratione, ſucceſſores feudales, conſenſerunt* CARPZ. *p. 2. C. 46. D. 10.* STRUV. *d. c. 14. §. 22. n. 2. Deciſ. Saxon. 67.* v. ſupra §. 7.

§. 26. Ratio autem, quare debita hæc, in ſubſidium ſaltem ex feudo præſtari debeant, eſt, quod neque oppignoratione, neque verſione illud afficiant, & tamen aliqua æquitas præſtationem exigere videatur STRUV. *d. c. 14. §. 24.* Sed conſvetudinis ac legis poſitivæ hic magna vis eſt, hinc non dubitandum, quin & plura hujus generis debita introducere, & ſubſidiaria, in principalia mutare queat. Sic in Pomerania & Marchia Brandenburgica dos ex feudo præſtanda eſſe dicitur, licet hæreditas ſatis opima adſit *v.* MEV. *p. 3. D. 363.* STRYK. *E. J. F. c. 21. §. 24.*

§. 27. Quodſi, ad diſſolvenda debita vel principalia, vel ſubſidiaria, æs alienum contractum ſit, hoc quoque ex feudo præſtandum eſt, & quidem, prout communiter volunt, vel principaliter, vel in ſubſidium, pro diverſitate debitorum præcedentium, niſi quod debitum, ob dotem filiarum, contractum, principaliter ſolvendum cenſeant, utut ipſa dos, ad debita ſubſidiaria, pertineat STRUV. *d. c. 14. §. 25.* CARPZ. *p. 2. C. 46. D. 13. 16.* Sed verius videtur, quod hujusmodi debita ſemper principaliter, ex feudo, præſtari debeant, licet enim ſubſidiario ſucceſſerint, attamen hoc, pro illo tempore, ex feudo ſolvi debuit, ac habuit adeo rationem debiti principalis, quæ qualitas in ſurrogatum tranſiit.

§. 28. Debitis feudalibus non annumeratur (1.) debitum, ob

pecuniam Principi, in Comitiis provincialibus promiſſam, *præſentgeld* CARPZ. *p. 2. C. 46. D. 35. de oner. Vaſall. decad. 4. poſit. 8. 9. 10. Deciſ. Saxon. 32.* aut (2.) ad colligendos fructus STRUV. *d. c. 14. §. 16.* vel (3.) ad præſtanda ſervitia contractum CARPZ. *p. 2. C. 46. D. 34.* licet, quibusdam in locis, contrarium, quoad hoc, obſervetur STRYK *E. J. F. c. 21. qu. 28.* In genere ſi debitum conſenſu, oppignoratione vel verſione feudo non ſit impoſitum, pro hæreditario illud habendum eſt, donec contrarium probetur.

§. 29. Debita hæreditaria quod attinet, dubio procul ipſe debitor, ex fructibus feudi ea ſolvere tenetur, modo hoc debita feudalia non impediant. Idem dicendum de ſucceſſoribus, qui beneficio debitoris, ad feudum perveniunt, ſed qui proprio jure ſuccedunt, debita illa ſolvere non tenentur. De hoc ut diſtinctius conſtet, feuda *nova* & *antiqua* ſeparari debent, in illis cum regulariter tantum liberi, & quidem proviſione Patris, ſuccedant, hinc neceſſitas ſolvendi iis incumbit: Quodſi agnatis ſucceſſio quoque tribuatur, tum idem, jure longobardico, quoad eos dicendum, ſed jure Saxonico, quo virtute ſimultaneæ inveſtituræ ſuccedunt, obligatio illa ceſſat CARPZ. *p. 2. C. 46. D. 4.* STRUV. *d. c. 14. §. 28.*

§. 30. Circa feudum antiquum, ex veriori ſententia, diſtingvendum inter filios & agnatos. Illi debita Patris ſolvere debent, quia etiam quodammodo, Patris beneficio, ad illud perveniunt *II. f. 45.* quod in Saxonia extra dubium eſt, *Reſcript. Torgav.* tit. *welcher geſtalt die agnaten §. da ein vater* STRUV. *d. c. 14. §. 30.* adeo ut feudum, accedente agnatorum & domini, vel hujus tantum conſenſu, etiam diſtrahi queat d. tit. §. *wir behalten uns aber.* Ultra vires tamen feudi filius non tenetur, cujus ratio non præciſe ex confectione inventarii *v.* STRUV. *d. §. 30. n. 4.* Sed inde potius repetenda eſt, quod hodie aditio hæreditatis, ad æs alienum, vires patrimonii excedens, non obliget.

§. 31. Agnati autem & ſimultanee inveſtiti debita hæreditaria ſolvere non tenentur *II. f. 45.* niſi conſvetudine aliud ſit introductum, quod de Marchia Brandenburgica aſſeri ſolet *v.* STRUV. *S. J. F. c. 14. §. 29. n. 4.* Poſita autem ejusmodi conſvetudine, ſi hæredes allodiales adſint, ſucceſſores feudales non in ſolidum, ſed ſaltem

pro

pro rata, habita ſcilicet allodii & feudi ratione, vel forte tantum in ſubſidium, ad debita ſolvenda, erunt obligati *v.* STRUV. *d. l. §. 28. n. 2.* Quodſi agnati ſint etiam debitoris hæredes allodiales, tum debita hæreditaria ſolvere debent, ſed non ut agnati ex feudo, verum ut hæredes, ex allodio, niſi hoc, ſub conditione ex feudo ſolvendi, iis ſit relictum, illique eam adeundo probaverint *v.* STRUV. *d. l. §. 28. n. 3. §. 29. n. 2.*

§. 32. Sed hactenus dicta pertinent ad feuda mediata. In immediatis imperii feudis, agnatos, ad ſolvenda debita hæreditaria, etiam non obſtringi, multi quidem volunt *v.* ITTER. *de feud. imper. c. 18. §. 3. ſeqq.* Sed contrarium verius eſt *v.* STRUV. *d. c. 14. §. 29. n. 5.* nam Territoria Germaniæ, liberas quodammodo repræſentant Respublicas, hinc quando Dominus Territorialis, juxta leges fundamentales, debita contrahit, tota Respublica id feciſſe cenſetur, cujus adeo factum ſucceſſor evertere non debet: Cujus rationis efficaciam diſſentiens ITTERUS *d. c. 18. §. 10.* quoad Territoria eccleſiaſtica agnovit, ſed, ob paritatem ſtatus, illa in omnibus valere debet.

§. 33. Nec obſtat, quod *ſucceſſor defuncto ſucceſſionem non debeat*, nam inde ſaltem ſequitur, quod facta ejus propria ſervare non teneatur, non vero, quod facta etiam Reipublicæ evertere poſſit. Apparet quoque ex dictis diſcrimen feudorum *mediatorum* & *immediatorum*, ibi homo ſingularis, his respublica contrahit, hinc ſucceſſor illius facta non, hujus vero præſtare debet, cum illi nihil, huic vero ſucceſſionem debeat *v. c. 6. §. 24.* Ex quo ſatis liquet, quare, ut quidem videtur ITTERO *d. l. §. 5.* conſvetas juris feudalis regulas hic ſequi non liceat. *conf.* JUS FEUD. GERM. *c. 18.*

CAPUT XIII.

DE PIGNORE FEUDALI TACITO.

SUMMARIA.

Pignus tacitum circa feuda, eſt feudale & allodiale §. 1.
Illud legibus præcipue Saxonicis introductum §. 2.
Tale competit uxori ratione dotis §. 3.
Et dotalitii ex quorundam ſententia §. 4.
Sed in hoc potius uſusfructus obtinet §. 5.
Quoad bona paraphernalia pignus dubium eſt §. 6.
Nec illud recte tribuitur filiabus ratione dotationis §. 7.
Aut legitimæ vel filiis inhabilibus ratione alimentorum §. 8.
Pignus, quod pupillis ac univerſitatibus ſacris tribuitur, non tam legale quam conventionale eſt §. 9.
Hinc locum non habet ſi adminiſtrator à domino feudi non confirmetur §. 10.
Pignus allodiale habet locum in fructibus feudi §. 11.
Et pretio ex feudi venditione redacto §. 12.

§. 1.

QUm bona feudalia, perinde ut allodialia, imperio civili ſubſint, facile liquet, in iis non tantum conventione, ſed & lege pignus conſtitui poſſe. Hoc autem ut recte intelligatur, diſtingvendum eſt inter pignus *feudale*, & *allodiale:* Illud eſt, *quod ipſam feudi ſubſtantiam afficit, ac contra omnes ſucceſſores & creditores feudales effectum habet.* Hoc vero *in fructibus feudi aliisque emolumentis conſtituitur, ac contra debitorem eosque, qui ejus beneficio ſuccedunt, nec non creditores allodiales, efficax ſaltem eſt.* In ſenſu tamen latiori etiam feudale dicitur, ac utrumque contra extraneos dubio procul valet, quod hic, velut indubium, præſupponitur.

§. 2. Pignus feudale nec juri Romano, utpote feuda ignoranti, nec Longobardico eſt cognitum, ſed legibus germanicis ac præcipue Saxonicis introductum, ad quas poſteriores hic præcipue reſpiciemus *v.* CARPZ. *de oner. Vaſall. decad. 3. poſit. 1.* Ex ſententia quorundam, pignus tacitum comitatur omnia feudalia debita, quæ ex lege ſunt *v.* STRUV. *S. J. F. c. 14. §. 27. n. 2.* STRYK *E. J. F. c. 21. §. 21. 22.* verum licet hæc omnes feudi ſucceſſores obligent, pignus tamen conco-

concomitans quod, quoad creditores feudales, effectum habeat, probari nequit *v.* CARPZ. *p. 2. C. 46. D. 33.*

§. 3. Tantum igitur, circa certa quædam debita, pignus tacitum occurrit. Eo pertinet (1.) *dos mulieris, revera illata, ac in feudi utilitatem versa Const. Saxon. 25. p. 2. O. P. S. tit. 45. §. 11.* CARPZ. *de oner. Vasall. decad. 3. pos. 2.* Requiritur tamen, *ut mulier ex allodialio suum consequi nequeat*, quod ad casum concursus pertinere, ac favore creditorum feudalium introductum videtur; extra illum uxor suum ex feudo consequitur, ac hæredes allodiales hoc onus detrectare possunt *v. c. 12. §. 19.* Ratione donationis propter nuptias tacita hypotheca mulieri non competit CARPZ. *p. 2. C. 24. D. 6. C. 25. D. 2.* multo minus ratione morgengabæ, comestibilium & pecuniæ habitationis, cum ne quidem debita feudalia sint *v. c. 12. §. 20.*

§. 4. Ratione dotalitii, tacitam hypothecam uxori denegat CARPZOV. *de oner. Vasall. decad. 3. posit. 2. n. 39. p. 2. C. 44. D. 13.* Alibi tamen jus retentionis *p. 2. C. 25. D. 8.* imo tacitam hypothecam ei tribuit *p. 1. C. 28. D. 93.* Alii distingvunt inter *dotalitium ante credita feudalia constitutum*, quo casu tacitum pignus admittunt, ac *post illa constituendum*, hoc casu rursus interest, an *dotalitium cum dote sit præstandum*, an vero *hanc absorbeat*, illo casu hypothecam negant, hoc asserunt *v.* STRYK *E. J. F. c. 21. §. 25.* MEV. *p. 1. D. 173.*

§. 5. Sed verius videtur, quod tacita hypotheca, ratione dotalitii, plane locum non habeat. Interim in jam constituto mulier præfertur non jure pignoris, sed ususfructus vel reditus *v. l. 38. de usufr. legat.* ob quod dotalitium, à cæteris bonis, est velut separatum. Quodsi autem creditores feudales hypothecarii, ante dotalitii constitutionem, jam adsint, tum in eorum præjudicium, uxor dotalitium plane petere nequit, sed dote sua contenta esse debet *Const. Saxon. 25. p. 2.* verb. *Sie auch zuvor. O. P. S. tit. 43. §. 5. in fin.* Imo probabile videtur, quod ne quidem in præjudicium creditorum feudalium simplicium, illud exigere queat.

§. 6. Ex rationibus juris Saxonici, tacita hypotheca mulieri etiam asseri potest (2.) ratione *bonorum paraphernalium*, nam sibut maritus res dotales vi dominii, ita paraphernales, jure ususfructus sibi

aſſerit, quare, in iis repetendis, idem jus merito fœminæ competere debet, hinc etiam ei tribuitur jus retentionis, donec ſuum fuerit conſecuta *p. 2. C. 25.* aut ratione jurium fœmineorum, *weiblichen Gerechtigkeit*, ei ſatisfactum *p. 3. C. 33.* Alibi tamen, quoad ſolam dotem, pignus tacitum uxori concedi videtur *d. p. 2. C. 25. O. P. S. tit. 45. §. 12.* hinc etiam quoad paraphernalia illud negat CARPZ. *de oner. Vaſall. decad. 4. poſit. 4. n. 21. ſeqq.*

§. 7. Ex doctrina CARPZOVII *de oner. Vaſall. decad. 3. poſ. 3.* tacita hypotheca competit (3.) *filiabus ratione dotationis* per *O. P. S. tit. 45. §. 13.* Sed quod filiæ fratris ſui cteditoribus præferantur, juxta ſanctionem *d. tit. 45. §. 13.* id non tam ex tacito pignore, quam potius dolo fratris, in præjudicium ſororum, feudum oppignorantis, dependet, hinc etiam alii ſimplices creditores feudales Patris, creditoribus filii hypothecariis præferuntur RAUCHBAR *l. 1. qu. 38. n. 47.* ZIEGLER *Deciſ. 25.* licet hoc nolit admittere CARPZ. *p. 2. C. 46. D. 33. Deciſ. 73.* Illud certum, quod in concurſu creditorum paternorum, bonis non ſufficientibus, filiæ nec dotem petere poſſint, nec hypothecam tacitam habeant CARPZ. *de oner. Vaſall. decad. 3. poſ. 3. n. 19.*

§. 8. Ex eodem fundamento, tacita hypotheca filiabus tribuitur (4.) ratione *legitimæ*, nec non filiis inhabilibus (5.) ratione *alimentorum*, pro quo ultimo etiam allegatur *l. 2. §. 1. de alim. legat. v.* CARPZ. *de oner. Vaſall. decad. 3. poſ. 6. 10.* Sed uti jus Romanum fruſtra forſitan ad feuda applicatur, cum hypotheca tacita ſpecialem legis feudalis diſpoſitionem requirere videatur, ita jure Saxonico, itidem prærogativa harum perſonarum, non tam ex tacito pignore, quam dolo poſſeſſoris feudalis, dependere videtur.

§. 9. Non minus etiam (6.) pupillis, minoribus, Eccleſiis, Scholis & Hoſpitalibus, *in bonis adminiſtratorum feudalibus*, tacitum pignus tribuitur. *O. P. S. tit. 45. §. 14.* CARPZ. *d. decad. 3. poſit. 9.* Verum hoc pignus non *legale*, ſed potius *expreſſum*, aut ſaltem *conventionale* eſt, nam ex confirmatione adminiſtratoris, quam dominus feudi facit, conſenſus in oppignorationem colligitur, hinc etiam tale pignus, contra adminiſtratorem, ejus deſcendentes & dominum feudi, non vero contra ſimultanee inveſtitos valet *d. tit. 45. §. 14.* adeoque

que ſimile eſt ei de quo *c. 12. §. 6.* Alius quoque hujus obſervationis eſt uſus, quem *cap. ſeqq. §. 10.* indicabimus.

§. 10. Exinde ſequitur, quod, ſi adminiſtrator vel omnino non, vel à Magiſtratu, qui non eſt dominus feudi, v. gr. à Præfecto, confirmetur hypotheca nulla adſit, quod contra BERLICHIUM fruſtra negat CARPZ. *d. decad. 3. poſit. 9. n. 26.* licet ejus ſententiam probet MARTIN. *ad O. P. S. tit. 45. §. 14. n. 11. 12.* nam *favor illarum perſonarum, qui etiam in caſu ceſſantis confirmationis locum habeat*, gratis allegatur, ille enim Legislatorem ſaltem permovit, ad *conſenſum, ex confirmatione adminiſtratoris, eliciendum*, non vero ad *pignus immediate conſtituendum.*

§. 11. Pignus allodiale habet locum (1.) in *fructibus feudi*, ac juxta diſpoſitionem legum Romanarum, aliarumque allodialium, merito aſſeritur, nam ſi alicui pignus generale, tacitum vel expreſſum, competat, illud ad fructus feudi recte extenditur *v. Conſt. Sax. 25. p. 2.* CARPZ. *d. C. 25. D. 3.* Verum tamen hoc eſt ſaltem ratione debitoris ejusque deſcendentium, ac creditorum allodialium; nam ſi feudum, ad dominum directum vel ſimultanee inveſtitos, perveniat, aut, debitore illud poſſidente, creditoribus feudalibus hypothecariis vel ſimplicibus, jus, quoad fructus, ſit quæſitum, tum hi reliquo debitoris patrimonio allodiali non poſſunt annumerari.

§. 12. Præterea etiam, jure Saxonico, pignus allodiale locum invenit (2.) *in pretio emtionis, quod ex venditione feudi, domini agnatorumque conſenſu, facta, redactum eſt*, nam, dimiſſis creditoribus feudalibus, quod ſupereſt, allodialibus cedit, obſervato inter eos pignoris jure *d. C. 25. p. 2. O. P. S. tit. 45. §. 9. 10.* Videbatur quidem proprietas pecuniæ reſiduæ, domino feudi, & Vaſallis ſervanda, & creditoribus allodialibus ſaltem uſusfructus concedendus eſſe, ſed plenius, interpretatione authentica, his proſpectum eſt *conf.* JUS FEUD. GERMAN. *c. 19.*

CAPUT

CAPUT XIV.
DE CONCURSU CREDITORUM FEUDALIUM.

SUMMARIA.

Concurſus creditorum feudalium, vel intuitu creditorum allodialium, vel feudalium inter ſe, juxta quatuor caſus expendi poteſt §. 1.
Debitor ipſe tam creditoribus allodialibus quam feudalibus ex feudo ſolvere tenetur §. 2.
Creditores allodiales & feudales quomodo ſuum conſequantur §. 3.
Creditores hypothecarii præferuntur ſimplicibus §. 4.
Modo hypotheca ſit valida §. 5.
Debitum tamen contributionum hypothecariis præfertur §. 6.
Non vero debitum dotis & legitimæ filiabus præſtandæ §. 7.
Debitum ex conſenſu creditorum in feudi utilitatem verſum hypothecario potius eſt §. 8.
Inter hypothecarios obſervatur prioritas temporis §. 9.
Uxor tamen ratione dotis antiquioribus tacitis præfertur, ſed vix hujus rei occurrit exemplum §. 10. 11.
Qui ſub pignore in feudi utilitatem credidit, nullam ideo habet prærogativam §. 12.
Creditores ſimplices ſibi ſunt æquales §. 13.
Sors & uſuræ eadem claſſe cenſentur §. 14.
Applicatio hactenus dictorum ad ſucceſſores à debitore cauſam habentes §. 15.
Ad agnatos & ſimultanee inveſtitos §. 16.
Et dominum feudi §. 17.

§. 1.

MAteriam hanc tradidit CARPZ. *de oner. Vaſall. decad.* 5. qui etiam *poſit. 5. n. 3.* admonet, eam, quod ſibi quidem conſtet, à nemine hactenus eſſe traditam. Eſt illa quodammodo lubrica, ei vero breviter delineandæ, concurſus creditorum feudalium, vel intuitu *creditorum allodialium*, vel *feudalium inter ſe*, ſpectari poteſt, ac forte, rei huic intelligendæ, non incongrue quatuor caſus diſtingvuntur, vel enim (1.) debitor ipſe, vel (2.) qui ab eo ſucceſſionem habent, vel (3.) agnati aut ſimultanee inveſtiti, vel denique (4.) dominus directus feudum poſſident.

§. 2. Primo caſu, iterum diverſos caſus ſeparare licet, nam ſi (1.) tantum *creditores allodiales* adſint, tum non tantum ex allodio, ſed & fructibus feudi ſuum petere poſſunt, ac eo quidem ordine, qui

inter

inter creditores allodiales alias locum habet, de quo *l. 10. c. 7.* actum. Quodſi autem (2.) tantum *creditores feudales* concurrant, tum ex allodio debita exigere ipſis licet, ſed ſine prærogativa, quæ intuitu feudi iis competit, nam hæc ad allodium non erit extendenda; ſi vero nonnullis etiam ratione allodii peculiare jus ſit quæſitum, eo quoque gaudebunt. Integrum quoque illis eſt, debita ex feudo petere, & quidem, pro illorum diverſitate, vel ſtatim, vel in ſubſidium *v.* CARPZ. *d. decad. 5. poſit. 3.*

§. 3. Quodſi denique (3.) *creditores allodiales & feudales* concurrant, bona ſeparari debent, vel potius ipſo jure jam ſunt ſeparata, ac allodialibus ex allodio, feudalibus vero ex feudo, eſt ſatisfaciendum. Si, dimiſſis creditoribus feudalibus, ex feudo adhuc aliquid ſuperſit, hoc allodialibus, obſervata ipſorum prærogativa, cedit, & quidem, pro caſuum diverſitate, vel quoad proprietatem, vel fructus. Si, vice verſa, dimiſſis allodialibus, ex allodio aliquid ſuperſit, hoc feudales ſibi quoque aſſerere poſſunt, ſed ſine prærogativa, quam in feudo habent, hæc enim ſpecialis eſt, nec ad bona diverſi generis extendenda videtur.

§. 4. Creditores feudales videntur duplicis generis eſſe, *hypothecarii & ſimplices*, hinc eorum prærogativa aut æqualitas tribus regulis comprehendi poteſt (1.) *hypothecarii præferuntur ſimplicibus* ob jus reale *v.* CARPZ. *d. decad. 5. poſit. 5. n. 12. ſeqq.* & nihil refert, ſive pignus expreſſum, ſive tacitum ſit, ſola domini, an ſimul agnatorum voluntate conſtitutum, ſive ex conſenſu ſpeciali, ſive immiſſione aut arreſto legitimo dependeat, nam his omnibus mediis pignus recte conſtituuntur.

§. 5. Si autem hypotheca ſit imperfecta & invalida, tum nullam prærogativam tribuere poteſt. Hinc ſi ſoli agnati in oppignorationem conſentiant, inde neque æqualitas, quoad alios hypothecarios, neque prærogativa, quoad ſimplices, oritur, utut, ratione conſentientium, conſenſus ille non careat effectu *v. c. 10. §. 18.* Eo etiam pertinet hypotheca Vaſalli, in præjudicium dotis, ſororibus præſtandæ, conſtituta, quæ his non obeſt *v. c. 13. §. 7. 8.* Ex quo ſequitur, quod ſorores, etiam fratris viduæ, ratione illatorum, hoc caſu præferantur *v.* COLER. *Dec. 277.* RAUCHBAR *l. 1. qu. 38. n. 47.* CARPZ. *p. 2. C. 46. D. 33. n. 13.*

§. 6. Licet vero hypotheca valida sit, à regula tamen excipitur *debitum contributionum, justa ex causa, feudis impositarum*, cum enim hoc, in allodialibus, hypothecariis debitis præferri soleat *vid.* CARPZ. *4. Resp. 77.* THOMAS. *in not. ad Strauch dissert. 28. th. 19. p. 430.* ob paritatem rationis, idem, quoad pignus feudale, dicendum videtur. Ex sententia CARPZOV. *de oner. Vasall. decad. 3. posit. 8.* excipitur etiam *debitum dotis & legitimæ, filiabus præstandæ*, quod omnibus Patris creditoribus feudalibus hypothecariis præferatur.

§. 7. Sed uti CARPZ. *d. decad. 3. posit. 3. n. 19. seqq. p. 2. C. 46. D. 17.* sibi ipsi, hac in parte, contradicit, dum filiabus jus exigendi dotem omnino negat, si feudum aliis creditoribus non sufficiat *v. c. 13. §. 7. in fin.* ita solidam rationem, pro illa sententia, non affert, nam *dos aut legitima, est quidem debitum legis*, sed ratione *Patris*, qui adeo directe id liberis intercipere nequit, non vero ratione *Creditorum*, nam leges constituunt illud debitum in bonis Patris, non autem alienis, hinc si Pater omnia debeat, ex bonis alienis, filiæ nihil petere possunt.

§. 8. Porro ex doctrina CARPZ. *decad. 5. posit. 8. p. 2. C. 25. D. 1.* à regula excipitur, *qui ad conservationem feudi & in utilitatem creditorum, aliquid credidit*, qui etiam hypothecariis potior sit. Quamvis versionem hic non sufficere, ipse doceat *d. decad. 5. posit. 5. 8. n. 22.* præterea rationes, pro illa assertione, allatæ non satis videantur concludere; si tamen eam, ad casum specialem, quo existente Creditorum concursu, ex horum consensu, in feudi utilitatem aliquid creditum sit *v. d. posit. 8. n. 24. 25. p. 1. C. 28. D. 38.* referas, admitti eadem poterit. Nescio an alia sit exceptio in *expensis judicialibus*, quibus hic etiam prærogativa forsitan debetur *v. l. 10. c. 7. §. 8.*

§. 9. Quoad creditores hypothecarios, obtinet vulgaris regula (2.) *qui prior tempore, potior jure*, nam pignus, in suo genere, ejusdem est effectus, sive in re allodiali, sive feudali constituatur. Nihil autem refert, sive expressum aut tacitum, consensu, immissione vel arresto habili constitutum sit *v.* CARPZ. *d. decad. 5. posit. 1. 2. 4. 6.* Nihil porro interesse putem, sive solo domini, sive etiam agnatorum consen-

conſenſu conſtituatur, hinc illud, huic erit præferendum, ſi temporis prærogativa nitatur: Solus vero agnatorum conſenſus pignus efficax, ac alia, ex tempore, ſuperaturum non producit *v. §. 5.*

§. 10. A regula illa, jure Saxonico excipitur *Uxor, quæ ratione dotis, hypothecariis antiquioribus tacitis, præfertur p. 2. C. 25. O. P. S. tit. 45. §. 11.* CARPZ. *d. decad. 5. poſit. 7.* Sed vix hujus rei exemplum occurrit. Nam filiabus, ratione dotis & legitimæ, tacitum pignus vix tribui poteſt *v. c. 13. §. 7. 8.* præterea his etiam uxor, in caſu habili, non præfertur *v. §. 5. in fin. h.* pignus vero pupillorum, non eſt tacitum, ſed potius conventionale & expreſſum, ceu *c. 13. §. 9.* oſtendi, hinc hypotheca mulieris eo non erit potior.

§. 11. Quodſi etiam diverſorum poſſeſſorum viduæ, in repetenda dote concurrant, ex ætate tantum earum jus erit æſtimandum, cum, unaquaque prælationis privilegium ſibi afferente, res exitum habere nequeat. Denique pignus, quod in fructibus feudi, vel reſiduo emtionis pretio locum habet, feudale non eſt, hinc ei omnes creditores feudales præferuntur. Domino feudi, ratione laudemiorum, tacitum pignus tribui ſolet *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 53.* hoc ſi admittas, tum aderit exemplum pignoris taciti, cui mulier præferri queat. Illud obſervandum, quod, licet uxori ratione paraphernalium, tacitum pignus probabiliter aſſeri queat *v. c. 13. §. 6.* tamen jure prælationis illa ſimul non gaudeat *arg. O. P. S. tit. 43. §. 3.*

§. 12. Si quis in utilitatem feudi crediderit, illudque ſibi oppignorari curaverit, quæri poteſt an ille quoque, juxta præſcriptum juris Romani *l. 5. 6. qui potior in pign.* antiquioribus hypothecariis præferendus ſit? Sed non putem, ſpecialem illam ſanctionem, ad feudalia poſſe extendi, verum generali potius regulæ, quæ inter hypothecarios obtinet, eſſe inhærendum, niſi conſtans fori uſus romanam illam diſpoſitionem confirmaverit.

§. 13. Quoad creditores ſimplices, tenenda regula (3.) *quod ſibi ſint æquales, adeoque, feudo omnibus non ſufficiente, ſinguli, pro rata, aliquid perdant,* cum enim inter creditores, perſonali ſaltem jure gaudentes, prioritas alias non obſervetur, idem, quoad credires feudales, dicendum videtur. CARPZOVIUS *d. decad. 5. poſit. 9.*

p. 2. C. 46. D. 33. n. 12. prioritatem quidem hic etiam attendendam esse censet, cum *jus reale quodammodo habeant*, verum hæc ratio non satis certa est *v. c. 13. §. 2.* ipsa tamen assertio ab æquitate non abludit, nam inter debita etiam personalia, merito prioritas temporis observanda esset, cum debitor obæratus, aliis valide se obstringere non posse videatur; sed æquitas, illa, autoritate legis positivæ hactenus destituitur.

§. 14. Illud observandum, quod creditores in ea classe, qua sortem consequuntur, etiam usuras accipiant, hoc enim indoles debiti accessorii exigere, adeoque pro regula valere videtur. In Saxonia illud quoque observatur *v. Decis. Saxon. 10.* CARPZ. *d. decad. 5. posit. 10.* Si in diversis feudis Vasallus peculiares habeat creditores, bona separata sunt, adeoque singulis ex feudo, cujus intuitu contraxerunt, satisfaciendum est; Si ex altero quid remaneat, id, quatenus allodiale est, altera creditorum classis sibi asserere potest.

§. 15. Secundo casu, quando scilicet feudum possident, qui à debitore successionem habent *v. §. 1.* distingvendum est, utrum *feudum & allodium sit penes eosdem*, ut si Vasallus tantum filios reliquerit, an *penes diversos, vel in totum vel pro parte*, si filii & filiæ simul adsint. Primo casu, hactenus dicta simpliciter locum habent, id tamen singulare est quod novus possessor, in præjudicium creditorum paternorum, debita contrahere nequeat *v. c. 13. §. 7.* Secundo casu, dicta etiam locum inveniunt, nisi quod debita hæreditaria, non statim ex fructibus feudi, nec debita feudalia principalia, statim ex allodio peti queant.

§. 16. Tertio casu, quo feudum ad simultanee investitos devolvitur, necessitas solvendi debita hæreditaria, in agnatis vel coinvestitis, qua talibus, plane cessat, qui è contrario debita feudalia principalia, ad allodium, ab aliis possessum, remittere nequeunt, sed illa, juxta creditorum prærogativam, solvere tenentur. Ad illa tamen debita, quæ solo domini consensu, quale etiam est debitum pupillare, vel immissione aut arresto, feudo imposita sunt, solvenda non obligantur *v.* CARPZ. *d. decad. 5. posit. 2. 4.*

§. 17. Eadem fere est ratio casus quarti, quo dominus directus feudum consequitur, nam uti hic debita hæreditaria non solvit, ita debi-

debita feudalia principalia, in hæredes allodiales, rejicere nequit, ſed illa, juxta ordinem antea declaratum, præſtare tenetur, debitum tamen, in quod ſoli agnati conſenſerunt, non ſolvi, utut, quoad ipſos conſentientes, illud non omni deſtituatur effectu, prout hinc inde jam admonitum *conf.* JUS FEUD. GERMAN. *c.* 20.

CAPUT XV.
DE SUCCESSIONE FEUDALI LEGITIMA LIBERORUM.

SUMMARIA.

Succeſſio feudalis eſt legitima & teſtamentaria §. 1.
Illius requiſita §. 2.
Succedunt in feudis, qui à primo acquirente deſcendunt & legitime ſunt nati §. 3. 4.
Liberi ex inceſtuoſo matrimonio nati diſpenſatione Imperantis ad ſucceſſionem habiles reddi poſſunt §. 5. 6.
Ad ſucceſſorem feudalem etiam requiritur ut ſervitia militaria præſtare queat, ac à tali deſcendat §. 7.
Excluduntur ergo filiæ cum ſua progenie §. 8.
Fœminæ tamen aliquando vel in ſubſidium vel æqualiter admittuntur §. 9. 10.
Succeſſio feudalis conſervandis familiis eſt idonea §. 11.
Ab ea etiam regulariter excluduntur Clerici §. 12.
Et animi vel corporis defectu laborantes §. 13.
In feudis aliquando obtinet jus primogenituræ §. 14.
Et majoratus §. 15.
Plerumque autem in feudis mediatis locum habet ſucceſſio pluralis §. 16.
Succedunt proximiores, admiſſis tamen aliquando vi repræſentationes remotioribus §. 17.
Feuda vel indiviſa relinquuntur vel dividuntur §. 18.
Succeſſores inveſtituram renovare tenentur §. 19.
Aliquando liberi à feudis excluduntur §. 20.

§. 1.

POſtquam jus Vaſalli quoad feudum, ac in ſpecie facultas alienandi inter vivos, nec non debita contrahendi, pro inſtituti ratione, ſunt explicata, de translatione feudi, quæ poſt ejus mortem fit, non immerito agitur. Eſt illa eique conjuncta Succeſſio, vel *legitima*, quæ ex præſcripto legum, vel *teſtamen-*

ſtamentarius, quæ ex voluntate defuncti dependet. Illa in feudis præcipue locum habet, adeoque primo loco merito conſideratur.

§. 2. In genere, juxta præſcriptum legum feudalium, in feudo ſuccedunt, qui (1.) à primo acquirente (2.) per legitimam nativitatem deſcendunt, (3.) ad ſervitia militaria immediate præſtanda, ſunt habiles, & (4.) à talibus, ſi ſint remotioris gradus, originem habent. Sicut vero ad ſucceſſionem feudalem habiles, aliquando ob *pactum* vel *delictum* excluduntur, ita è contrario inhabiles, ob *qualitatem feudi*, vel *ſpecialem conventionem* admittuntur *v.* STRUV. *S. J. E. c. 9. §. 1.*

§. 3. Succedunt ergo in feudo, *qui à primo acquirente deſcendunt*, hinc excluduntur (1.) liberi adoptivi *II. f. 26. §. adoptivus* (2.) in feudo novo parentes *II. f. 50.* (3.) fratres & reliqui collaterales *II. f. 1. §. 2.* pacto tamen habili iis jus ſuccedendi poſſe tribui, dubium non eſt. Requiritur vero ſecundo *ut legitime nati ſint;* Tales ſunt, qui ex legitimo matrimonio habent originem; liberi naturales, per ſubſequens matrimonium legitimati STRUV. *d. c. 9. §. 3. n. 12.* PISTOR. *l. 2. qu. 41.* qui matrimonio illegitimo, ſed erroneo *v. l. 57. §. 1. de R. N.* STRUV. *d. l. n. 14.* aut à deſponſatis ſunt procreati STRUV. *d. l. n. 13.* STRYK. *E. J. F. c. 15. qu. 37.* Sed hoc ultimum generaliter defendi nequit, in Saxonia tamen obtinet, ſi publica fuerint ſponſalia *Deciſ. Saxon. 49.*

§. 4. Vi hujus requiſiti, à ſucceſſione feudali excluduntur (1.) ſpurii (2.) naturales *II. f. 26. §. naturales* (3.) liberi inceſtuoſi aut adulterini (4.) legitimati per reſcriptum Principis, ſi tamen Dominus Territorialis, qui legitimationem peregit, ſit etiam dominus feudi, tum in feudo novo legitimati admittuntur, ſi vero dominium directum, penes alium, aut feudum antiquum ſit, tum, niſi conſenſus domini directi & agnatorum accedat, legitimatio nullius eſt effectus STRUV. *d. c. 9. §. 3. n. 8. ſeqq.*

§. 5. Quod in ſpecie attinet liberos, inceſtuoſo matrimonio, v. gr. ex ſororis filia, prognatos, diſpenſatione Domini Territorialis, ad ſucceſſionem habiles reddi poſſe videntur, licet *matrimonium jure divino prohibitum* ſupponas, nam hæc prohibitio ſaltem reſpicit *vinculum matrimoniale* & *concubitum*, ſed *jus ſuccedendi* à legibus huma-

Digitized by Google

humanis dependet, hinc diſpenſatione Superioris matrimonium, quoad hoc, legitimum, adeoque civiliter juſtum effici poſſe videtur, quod hic ſufficit.

§. 6. Neque obſtat *jus agnatorum diſſentientium*, nam hoc recte negatur, cum enim leges feudales ad ſucceſſorem ſaltem requirant, ut ex legitimo matrimonio deſcendat, non vero, ut illud, ante nativitatem, ſit legitimum, hinc quamdiu ſpes matrimonii ſupereſt, agnati jus purum & certum non habent, ſed ſolum ſpem ſuccedendi, ſub conditione deficientis matrimonii ſuſpenſam, hoc igitur ſecuto, illa evaneſcit, perinde ac ſi liberi naturales per ſubſequens matrimonium legitimentur. Ex quo etiam liberorum ex inceſtuoſo matrimonio natorum, ac per reſcriptum Principis legitimatorum diſparitas apparet, nam quoad eos, matrimonium occurrit, quoad hos, deficit, ibi ergo nullum, hic verum jus agnatorum adeſt.

§. 7. Tertio requiritur ad ſucceſſorem feudalem, ut *ad ſervitia militaria, immediate præſtanda, ſit aptus*, ac, ſi ſit remotioris gradus, quarto, *à tali habeat originem*, hinc tantum filii, ab iisque deſcendentes mares, in feudo regulariter ſuccedunt. Licet vero hodie alius plane feudorum ſit ſtatus, ac ſervitia immediate amplius non præſtentur, attamen ſucceſſio, mutata licet ejus ratione, remanſit.

§. 8. Vi hujus requiſiti excluduntur à feudo (1.) filiæ *I. f. 1. §. 3. I. f. 8. II. f. 36. v.* STRUV. *S. J. F. c. 9. §. 8. n. 1.* (2.) earum deſcendentes, licet maſculini ſexus ſint *II. f. 11.* nam jus primi acquirentis, ob matris incapacitatem, in hos derivari nequit. Aliquando tamen filiæ, cum ſua progenie, ſuccedunt, ob *qualitatem feudi*, ſi nempe fuerit francum, cenſuale, hæreditarium vel pigneratitium, quo caſu etiam cum filiis æqualiter admittuntur STRUV. *d. c. 9. §. 8. n. 2. 3. 4.* vel ob *ſpeciale pactum*, quando primus acquirens, jus ſuccedendi filiabus etiam comparavit, vel fœmina feudum primo acquiſivit, vel ſucceſſio ex poſtfacto iis tribuitur *II. f. 11. 30. 50.* STRUV. *d. l. n. 5.* PISTOR. *l. 2. qu. 34.*

§. 9. Succeſſio tamen fœminarum hoc caſu, cenſetur eſſe ſubſidiaria, quæ deficientibus maſculis, etiam remotioris gradus, demum

mum locum habeat *II. f. 30.* verb. *deficientibus filiis* adeo ut inter deſcendentes fœminæ, ad quam fuit devolutum, prærogativa ſexus quoque obſervari debeat *v.* STRUV. *d. c. 9. §. 8. n. 5.* CARPZ. *p. 3. C. 28. D. 13.* PISTOR. *l. 2. qu. 35.* Hoc autem poſito, fœmina per marem excluſa, nihilominus admittitur, ſi alius ſucceſſionis caſus eveniat, ac mares deficiant STRUV. *d. l. n. 6. 7.*

§. 10. Si fœmina, ob defectum marium, ſemel admiſſa ſit, per marem, poſtea conceptum & natum, expungi nequit, nam, tempore ſucceſſionis, verum jus habuit, quod ei auferri non debet STRUV. *d. l. n. 8.* Si duæ filiæ in feudo ſuccedant, ac altera filium, altera filiam relinquat, ille ſolus feudum conſequitur *II. f. 5. §. ſimiliter* Idem eſt ſi ex duobus filiis, feudum fœmineum poſſidentibus, alter filium, alter filiam genuerit, nam, iis mortuis, ſolus filius admittitur *II. f. 17.* STRUV. *d. l. n. 9.* Poteſt tamen fœminis plenius jus ſuccedendi, pacto lege vel conſvetudine conciliari, quo caſu, cum maribus æqualiter ſuccedunt STRUV. *d. l. n. 11. ſeqq.* STRYK. *E. J. F. c. 15. qu. 12.*

§. 11. Ex his liquet, quod, utut, feuda, eum ob finem, ab initio non videantur introducta, quo bona penes familiam aliquam maneant, adeoque earum integritas & ſplendor conſervetur, tamen illud commodum, ex ſucceſſione ſervitiis militaribus attemperata, ultro fuerit ſecutum, ob quam cauſam poſtea plures res allodiales ultroneâ oblatione, in feudales videntur converſæ *v. c. 1. §. 15.* quemadmodum etiam, ob eam, ſucceſſio hodie conſervatur, licet ejus ratio primaria hodie fere ceſſet *v. §. 7. h.*

§. 12. Vi requiſitorum adductorum, à ſucceſſione feudali, excluduntur (3.) Clerici, licet exiſtente ſucceſſionis caſu, ſtatum mutare velint, nam jus aliis jam eſt quæſitum *II. f. 30.* STRUV. *S. J. F. c. 9. §. 9.* Equites Johannitici & Teutonici, feudorum capaces ſunt, cum juxta primam inſtitutionem ſimul ſint milites. Idem dicendum videtur de Canonicis Proteſtantibus, qui nomine tenus ſaltem ſunt Clerici. In Saxonia Electorali omnes Clerici regulariter in feudo ſuccedere poſſunt. *Conſt. Saxon. 28. p. 3.*

§. 13. Denique etiam à feudis arcentur (4.) qui animi corporisque defectu laborant, ut furioſi, ſurdi, muti, cœci & claudi *I. f. 6.*

II. f.

Digitized by

II. f. 36. & nihil intereſt, ſive defectus ille naturalis ſit, ſive ex accidenti ſupervenerit; ſi tamen, feudo jam obtento, accidat, poſſeſſor eodem non excutitur STRUV. *d. c. 9. §. 10.* Rationi etiam eſt conſentaneum, ne, ob quemvis leviorem defectum, aliquis inhabilis pronuncietur, maxime cum primaria ratio ob quam perſonæ ejusmodi fuerunt excluſæ, hodie ceſſet. Illud in genere nihil refert, ſive liberi in poteſtate exiſtant, ſive ſint emancipati, nam emancipatio hodie non tollit agnationem, imo agnatio ſucceſſioni feudali eſt accidentalis, nec præciſe ad eam requiritur.

§. 14. Modum ſuccedendi quod attinet, diſtingvendum eſt, utrum *jus primogenituræ*, an *ſucceſſio pluralis* locum habeat. Illo caſu primogenitus ejusque deſcendentes, juxta lineæ & nativitatis prærogativam, ſaltem admittuntur, reliqui appanagio debent eſſe contenti. Illa ſucceſſio obtinet, jure Longobardico in feudis regalibus *II. f. 55. §. 1.* Sed in Germania, multa ejusmodi feuda diviſioni & ſucceſſioni plurali ſubjacent, in Electoratibus tamen *A. B. tit. 7. 24.* ac aliis quibusdam Territoriis jus primogenituræ obtinet, de quo in jure publico agitur *vid.* RHET. *comm. jur. feud. l. 1. tit. 8. n. 5. ſeqq. p. 309.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 4.*

§. 15. In feudis individuis, locus etiam eſſe poteſt Juri Majoratus, vi cujus Senior familiæ feudum conſequitur *v.* RHET. *comm. jur. feud. l. 1. tit. 8. n. 11. p. 310.* Aliquando majoratus juri primogenituræ eſt conjunctus, quo caſu non Senior totius familiæ, ſed potioris lineæ ſuccedit *v.* STRYK. *E. J. F. c. 15. qu. 32.* hinc v. gr. filius ſecundogenitus præfertur primogeniti, ante Patrem mortui, filio, ſi modo, quod plerumque eſt, hunc ætate vincat. In tali ergo Majoratu nativitatis prærogativa quidem attenditur, quoad totam aliquam lineam, non vero quoad perſonas in ea contentas, ſed in his ætatis habetur ratio. De cætero majoratus in Germania non eſt uſitatus.

§. 16. In feudis mediatis jus primogenituræ & majoratus locum non habet regulariter, ſed potius ſucceſſio pluralis, & diviſio, tam de jure Longobardico *II. f. 55. §. 1.* quam germanico. Poſſe tamen aliud pactis conſtitui, dubium non eſt, hinc inter Nobiles quandoque receptum, ut Senior familiæ feudum conſequatur, quod ambula-

bulatorium feudum, *umgehend lehn* dici ſolet *v.* STRUV. *d. c. 9. §. 5. n. 5.* CARPZ. *p. 3. C. 29. D. 10.* Sed, extra hoſce caſus ſpeciales, plures ſuccedunt, hinc, quoad liberos, tres caſus ſunt diſtingvendi, vel enim exiſtunt (1.) ſoli filii vel (2.) filii &, ex defunctis filiis, nepotes, vel (3.) ſoli nepotes aliique remotioris gradus.

§. 17. Primo caſu filii cæteros deſcendentes excludunt, ac in capita ſuccedunt *I. f. 1. 8.* Secundo, nepotes, jure repræſentationis, in portionem ſtirpis ſuæ, admittuntur *I. f. 8.* Tertio, nepotes, ſi nemo ex iis deficiat, remotiores excludunt, ac, ſi ex diverſis filiis nati ſint, in ſtirpes ſuccedunt *I. f. 8. junct. Nov. 118. c. 1.* ſi vero ex nepotibus aliquis defecerit, ejus deſcendentes, ſi adſint, partem illius, jure repræſentationis accipiunt, quæ ſuccedendi ratio, in cæteris deſcendentibus, in infinitum obtinet CARPZ. *p. 3. C. 29. D. 15.* SCHULTZ *Synopſ. jur. feud. c. 8. n. 33. 35.* STRUV. *d. c. 9. §. 5.*

§. 18. Plures ſucceſſores, prout viſum fuerit, vel feudum indiviſum retinere, vel uni, ſub conditione pecuniæ cæteris ſolvendæ, ac ſæpe in feudalem ſortem convertendæ *v. c. 4. §. 18.* adjudicare, vel inter ſe dividere poſſunt *II. f. 50. 55. §. 1.* STRUV. *d. c. 9. §. 5. n. 4.* idque vel ultronea conventione, vel autoritate judicis, vel interventu ſortis. In Saxonia, ſi duo ſucceſſores adſint, major dividit, & minor eligit SCHULTZ. *Synopſ. jur. feud. c. 8. n. 30. 31.* Conſenſus domini ad diviſionem non requiritur, cum qualitas feudi diviſibilis eum jam contineat, STRUV. *d. c. 9. §. 5. n. 6.* nimia tamen feudorum diviſio quandoque prohiberi ſolet *v.* RHET. *comm. jur. feud. l. 1. tit. 8. n. 4. p. 309.*

§. 19. Sive autem liberi bona indiviſa retineant, ſive inter ſe dividant, omnes inveſtituram à Domino petere & impetrare debent *II. f. 26. §. omnes* niſi illius conſenſu Provaſallus ſit conſtitutus, qui ſolus inveſtituræ ſolennia peragit. Quodſi uni feudum adjudicetur, ille ſolus inveſtituram petit *II. f. 26. §. omnes* ac reliqui nihilominus ſuccedere poſſunt, ſi ordo eos tangat *II. f. 50.* ſed in Saxonia, conſervando juri, opus eſt ſimultanea inveſtitura *v.* STRUV. *d. c. 9. §. 5. n. 7.* de qua re in loco proprio amplius dicendum erit.

§. 20. Aliquando liberi in feudo non ſuccedunt, licet requiſita feudalia habeant, nimirum (1.) ob feloniam, quam vel Pater, vel liberi

beri commiſerunt *II. f. 31.* (2.) ob pactum, quo, inito matrimonio, à ſucceſſione ſunt excluſi *II. f. 29.* ſi vero pactum illud ſaltem reſpiciat allodialia, ſucceſſio feudalis ſalva eſt *II. f. 26. §. filii v.* STRUV. *d. c. 9. §. 5. n. 8. ſeqq.* Cæterum hodie privatis matrimonium, eo pacto, vix inire licebit, niſi diſpenſatio Domini Territorialis acceſſerit *conf.* JUS FEUD. GERM. *c. 21.*

CAPUT XVI.

DE SUCCESSIONE FEUDALI LEGITIMA PARENTUM ET COLLATERALIUM.

SUMMARIA.

In feudo novo acquirentis parentes & collaterales regulariter non ſuccedunt §. 1.
Bene autem in antiquo vi ſanguinis vel ſimultaneæ inveſtituræ §. 2.
Hæc fit vel æqualiter, vel juri ſanguinis attemperatur §. 3.
Parentes regulariter liberis non ſolent ſuccedere §. 4.
Fit tamen illud aliquando ob refutationem filio factam §. 5.
Quo caſu etiam defuncti fratrem excludit §. 6.
Alii caſus quibus aſcendentes ſuccedunt §. 7.
Ex collateralibus primo ſuccedunt fratres §. 8.
Et prædefunctorum quorundam liberi jure repræſentationis §. 9.
Defuncti patrueles excludunt patruos §. 10.
Remotiores agnati admittuntur ſecundum prærogativam linearum & graduum §. 11.
Primo attenditur lineæ propinquitas §. 12.
Quæ ſuccedendi ratio æquitate nititur §. 13.
Inter plures lineæ proximioris prærogativa gradus obſervanda eſt §. 14.
Deficiente linea paterna, inter remotiores etiam proximitas attendi debet §. 15.
Quod contra diſſentientes amplius confirmatur §. 16.
Succeſſionis linealis principium generale ejusque applicatio §. 17.
Deficiente linea, ſucceſſio ex gradus proximitate definienda eſt §. 18.
Succeſſio linealis fruſtra à nonnullis rejicitur §. 19.
In computanda proximitate obſervatur jus civile §. 20.
Monita nonnulla generalia quoad ſucceſſionem feudalem §. 21.

§. I.

IN feudo novo neque acquirentis Parentes, neque collaterales regulariter ſuccedunt, cum illi ſolum ejusque deſcendentibus feudum concedatur *II. f. 50. I. f. 1. §. 2. II. f. 18.* Sicut vero, expreſſo pacto, ſucceſſio ipſis poteſt conciliari, ita aliquando tacito conſenſu, vel peculiari inveſtiendi modo, idem

fieri ſolet: Ut ſi feudum novum jure antiqui, vel ob merita paterna concedatur, aut frater, ex communibus bonis, feudum comparet *v.* STRUV. *S. J. F. c. 9. §. 3. n. 4.* STRTK. *E. J. F. c. 16. §. 8. 9.* Sed in Saxonia, illa non ſufficiunt, verum opus eſt ſimultanea inveſtitura.

§. 2. In feudo autem antiquo, ſucceſſio parentum & Collateralium locum habere poteſt, nam licet hunc titulum, ratione ultimi poſſeſſoris, gerant, attamen omnes, intuitu primi acquirentis, ſunt deſcendentes. De cætero requiſita *c. 15. §. 2.* tradita, hic etiam debent præſupponi, præterea obſervandum, quod perſonæ illæ, jure Longobardico, *vi ſangvinis*, ſed germanico, *virtute ſimultaneæ inveſtituræ* ſuccedant, de quo *c. 6.* actum, neque tamen ſangvinis communio ideo negligenda eſt, cum ei ſimultanea inveſtitura attemperari ſoleat.

§. 3. Intelligendæ igitur harum perſonarum ſucceſſioni, videndum, utrum *ſimultanea inveſtitura ſimpliciter facta*, an *ordini ſangvinis attemperata ſit.* Illo caſu agnati omnes, inveſtitura ſimultanea donati, ſine conſideratione proximitatis, ſuccedunt in capita, niſi plures ita conjuncti ſint, ut unius perſonæ vice fungantur. Hoc vero, juxta ſangvinis ordinem, tam feudalibus, quam, his deficientibus, allodialibus legibus conſtitutum, admittuntur. In dubio autem inveſtitura ſimpliciter, non juxta prærogativam ſangvinis, *nach rechter Sipp-Zahl* facta cenſetur STRUV. *d. c. 9. §. 16. n. 5. ſeqq.* licet alii contrarium aſſerant *v.* COLER. *Deciſ. 52.* quæ ſententia, ab uſu præſentis temporis, non videtur abludere.

§. 4. Cum igitur ſimultanea inveſtitura juri ſangvinis ſæpe attemperetur, explicandum eſt, quomodo tam ex præſcripto juris feudalis longobardici, quam, hoc deficiente, juris allodialis germanici & Romani, vi agnationis ſuccedatur. Quod igitur Parentes attinet, regulariter caſus non occurrit, quo illi filiis vel nepotibus ſuccedant, cum feudum prius perveniat ad parentes, quam liberos, adeoque hi, ab illis regulariter id accipiant. Tantum igitur ſucceſſio Parentum, circa feudum antiquum, locum habet, quando illi, jure ſuo non uſi, feudum ad liberos devenire patiuntur, ac hi, ſine liberis decedunt.

§. 5.

Digitized by Google

§. 5. Sic ſi Pater feudum filio refutet, accepta, ubi opus, ſimultanea inveſtitura, ac filius, ſine liberis, moriatur, ad Patrem feudum revertitur, qui etiam defuncti fratrem, juxta ſangvinis ordinem, ſimultanee inveſtitum, ac Patri alias, ex *Nov. 118. c. 2.* æqualem, excludit, ob lineæ rectæ, præ collaterali, prærogativam, ut nonnulli volunt *v.* STRUV. *S. J. F. c. 9. §. 3. n. 3.* STRYK. *E. J. F. c. 16. qu. 6.*

§. 6. Sed hæc ratio vix hic applicari poteſt, nam quæ de prærogativa linearum dicuntur *II. f. 50.* illa pertinent ad diverſas lineas collaterales, quarum varietas, ex ſtirpe peculiari, intelligitur, ſed Pater cum filiis ſuis, conſtituit tantum unam lineam, quæ, diverſo ſaltem reſpectu, recta & collateralis dicitur. Quare prærogativa Patris, inde potius repetenda, quod per eum filius jus ſuccedendi conſequatur, aut quod Pater ſaltem in gratiam filii defuncti, feudo ſe abdicaverit, adeoque, hoc deficiente, illud ſolus recipiat, quæ ſententia, jure Saxonico, certa videtur *Landr. l. 2. c. 27.*

§. 7. Si avus, conſentiente filio, feudum nepoti concedat, & hic ſine liberis moriatur, pater aut avus, uter adhuc in vivis eſt, ſuccedere poteſt, qui etiam defuncti fratres, ob rationem modo datam, excludit. Si vero avus & pater adhuc vivant, illum huic præferendum putem, quia feudum ſemel poſſedit, ac, deficiente nepote, ad ſe potius, quam filium reverti voluit. Si quis fratris filio feudum conceſſerit, hoc ſine liberis mortuo, ejus Pater ſuccedit, qui defuncti fratres, ſive filios ſuos, itidem excludere videtur, cum ſaltem, ratione filii defuncti, jure ſuo, quo filios in ſuccedendo antecedit, ſe abdicaverit *v.* STRUV. *d. c. 9. §. 3. n. 3.*

§. 8. Quoad ſucceſſionem collateralium præſupponendum, quod illa regulariter ſaltem ad agnatos pertineat, cognati autem, utpote à fœminis deſcendentes, ab ea excludantur *II. f. 11.* In feudo tamen fœmineo cognati quoque ſuccedunt, ſed obſervata ſexus maſculini & agnationis prærogativa, niſi æqualitas diſerte placuerit. Primo igitur in feudo ſuccedunt, defuncti fratres germani & conſangvinei, uterinis excluſis: Si vero feudum fœmineum ſit, uterini cum germanis idem jus habent ac conſangvineos, in caſu habili excludunt *v.* STRUV. *d. c. 9. §. 6. n. 1. 2.*

§. 9. Si fratres ſoli ſint, in capita ſuccedunt, ſi vero nonnullo-

§. 13. Ratio autem prærogativæ linealis, ex communi mortalium affectu, quo bona ſua prius in deſcendentes, quam collaterales devolvi cupiunt, dependet: Nam (1.) in caſu allato, defuncti pater feudum poſſedit, hic autem vult, ut, ſe mortuo, illud prius perveniat ad ſuos deſcendentes (qui defuncti collaterales ſunt in propinquiori linea) quam fratrem (defuncti patruum & agnatum remotioris lineæ) cum igitur, poſt ejus mortem, ad unum filium pervenerit, ideo hoc, ſine liberis, mortuo, ad cæteros filios & deſcendentes devolvi prius debet, quam ad fratrem perveniat, ex quo æquitas ſucceſſionis linealis elucet.

§. 14. Si autem (2.) *in proximiore linea plures exiſtant, gradu potiores præferuntur.* E. gr. Defunctus relinquit fratris filium ab una, & alterius fratris nepotem, ab altera parte, ille hunc excludit, cum enim uterque cum defuncto in eadem linea, quæ ab ejus patre habet originem, exiſtat, adeoque inde prærogativa deduci nequeat, hinc ex gradus propinquitate res decidenda. Qua occaſione notandum, quod, in caſu allato, linearum ſpecialium, quas defuncti fratres, cum ſua progenie, formant, nulla habeatur ratio, cum defunctum non comprehendant, quod tamen verum eſt in ſucceſſione plurali, nam ſi jus primogenituræ locum habeat, tum, ad inveniendam ætatis prærogativam, ſpeciales ſucceſſurorum lineæ, quoque attendi debent.

§. 15. Si proximior ſive paterna linea deficiat, inter remotiores etiam proximitas eſt obſervanda. E. gr. defunctus relinquit patrui filium, qui ei in quarto, vel nepotem, qui in quinto gradu eſt, ab una, & patruum magnum, qui ei itidem in quarto gradu conjungitur, ab altera parte; Illi hunc excludunt, quia defuncto ſunt in linea proximiore, quæ ejus avum habet autorem, hic vero in remotiore, quæ à proavo dependet, cum igitur eadem hic ſubſit ratio, quam §. 13. dedimus, ideo idem merito jus locum habere debet *v.* STRYK *E. J. F. c. 16. qu.* 17.

§. 16. Quidam exiſtimant, inter remotiores lineas, proximitatem non attendendam, ſed, ex prærogativa gradus, unice ſucceſſionis jus judicandum eſſe ob *II. f.* 50. verba: *ſed omnibus ex hac* (proxima) *linea deficientibus, omnes aliæ lineæ æqualiter vocantur vid.*

STRUV.

STRUV. *d. c. 9. §. 7. n. 4. 5. 7.* Verum vocabulum: *æqualiter*, hic idem eſt ac: *ſimiliter*, ut ſenſus ſit; *deficiente linea proxima, omnes aliæ ſimiliter*, id eſt, obſervata earum proximitate, *vocantur.* Sic *I. f. 26. pr. in fin.* vocabulum *pariter*, pro *conjunctim* vel *ſimul*, probabiliter accipitur.

§. 17. Tota igitur ſucceſſio linealis hac certa & perſpicua regula comprehenditur: *Ex collateralibus primo ſuccedunt, qui defuncto per ejus patrem conjunguntur, his deficientibus, qui per avum, ſi nec ex hac linea aliqui ſuperſint, qui per proavum, & ita porro. In ſingulis autem lineis, juxta prærogativam gradus ſucceditur, nulla habita linearum ſpecialium, quæ defunctum non comprehendunt, ratione, niſi jus primogenituræ obtineat.* In ejus igitur, ad caſus ſpeciales, applicatione, ſtirps quæ defunctum & ſucceſſuros comprehendat, inquiri, ac ex ejus diverſitate, prærogativa lineæ judicari debet. Si jus primogenituræ obtineat, inter ipſos etiam, qui ſuccedere cupiant, ſtirpis & linearum ſpecialium ratio habenda eſt.

§. 18. Si duo fratres feudum acquirant, illudque ad unius poſteros deinde perveniat, quæritur an, his deficientibus, alterius fratris poſteri, qui ſuperſunt, ſimul ſint admittendi, ſine graduum conſideratione? Ita putat STRUV. *S. J. F. c. 9. §. 7. n. 8.* ſed verius eſt, quod juxta graduum prærogativam ſuccedere debeant, nam duorum fratrum poſteri hic communem lineam non conſtituunt, cum illorum pater feudum non habuerit, adeoque ſtirps communis deficiat, hinc, ceſſante linea, ad gradus neceſſario eſt recurrendum *II. f. 50. add.* Dn. LINCK. *deciſ. Jenenſ. Dec. 137.*

§. 19. Nonnulli ſucceſſionem linealem plane rejiciunt *vid.* STRUV. *S. J. F. c. 9. §. 7. n. 3. 6.* ITTER. *de F. I. c. 15. §. 11.* In ſpecie Dn. SCHILT. *in Comment. ad II. f. 50.* eam quoque oppugnat, cui tamen ſe oppoſuit Dn. TEXTOR *in diſſert. de ſucceſſ. lineal. Francofurt. 1698. edita* cui iterum SCHILTER *in mantiſſa ad d. comment.* reſpondit. Sed ſucceſſio linealis ſatis fundata eſt, hinc ſententiam diſſentientium, vel à veritate abire, vel in logomachiam deſinere, plane arbitror, uſu tamen ſucceſſionem linealem ubique ſervari, nolim aſſerere *v.* DISSERT. *de Succeſſ. in Germ. Territor. hab. Lipſ. 1707. §. 49. ſeqq.*

§. 20.

§. 20. De cætero ſucceſſio feudalis in infinitum obtinet, ſive legibus ad certum aliquem gradum non eſt reſtricta *v.* SCHULTZ *Synopſ. Jur. feud. c. 8. n. 155.* STRYK *E. J. F. c. 16. qu. 19. 20.* In inveſtiganda autem proximitate, computatio juris civilis, non Canonici obſervatur, STRUV. *d. c. 9. §. 7. n. 9.* quia, ut vulgaris eſt perſvaſio, hoc ſaltem ab uno latere collaterales computat, adeoque ſingulorum proximitatem accurate non oſtendit, quod tamen in ſucceſſionibus, ubi unusquisque commodo ſuo ſtudet, eſt neceſſarium: Sed certior eſt ratio, ſi dicas, computationem juris Canonici ideo in ſucceſſionibus non obſervari, quia collaterales inter ſe plane non computat, ſed eorum, à communi ſtipite, deſcenſum ſaltem ſignat, de quo *l. 6. c. 3.* actum.

§. 21. Liberi in feudo ſuccedentes, hæreditatem allodialem ſimul adire tenentur, ſed agnatis feudum & allodium ſeparare licet *II. f. 45. Conſt. Saxon. 47. p. 2.* STRUV. *d. c. 9. §. 11.* quousque autem ſucceſſores feudales, ad debita anteceſſoris ſolvenda, in genere teneantur *c. 12. 13. 14.* expoſitum eſt. Conjuges & fiſcus in feudo non ſuccedunt, ſed, deficientibus agnatis, ad dominum directum illud redit, hujus tamen jus excluditur, ſi extranei in ſimultaneam inveſtituram ſint recepti, vel feudum, domini conſenſu, in fœmineum mutetur. Inter Status imperii, etiam pacta confraternitatis dominum quandoque excludunt, quæ ſunt *conventiones, inter duas pluresve familias illuſtres, conſenſu habili eo fine initæ, ut, una familia extincta, ſuperſtes in Territorium vacuum ſuccedat,* de quibus in Jure Publico agitur *v.* ITTER. *de F. J. c. 17.* conf.

JUS FEUD. GERMAN.

c. 22.

CAPUT XVII.

DE TESTAMENTO ET TUTELA FEUDALI.

SUMMARIA.

Teſtamenta etiam circa feuda quandoque occurrunt §. 1.
In feudo hæreditario ſat libera eſt teſtandi facultas §. 2. 3.
Ut & in oppignorato, non autem pigneratitio §. 4.
Porro in feudo ſub lege retractus vendito, non autem prædio ſub eadem lege in feudum dato; monitum generale quoad feuda impropria §. 5.
De rebus allodialibus in feudo occurrentibus Vaſallus valide teſtatur §. 6.
In feudo novo valet teſtamentum quoad liberos §. 7.
Non vero regulariter ratione domini aut ſimultanee inveſtitorum §. 8.
Teſtamentum in horum favorem factum nullius eſt effectus §. 9.
In feudo antiquo in præjudicium agnatorum Vaſallus regulariter teſtari nequit §. 10.
Quoad liberos variant interpretes §. 11.
Sed temperamento opus eſt §. 12.
Valet igitur teſtamentum paternum quoad fructus §. 13.
Non feudi ſubſtantiam §. 14.
Licet domini conſenſus ac ingratitudo filii interveniat §. 15.
Filius ab allodio excluſus debita paterna in ſubſidium ex feudo ſolvit §. 16.
Conſenſu accedente filius à feudo excludi poteſt §. 17.
Applicatio dictorum ad feuda immediata §. 18.
Conſectaria ex differentia feudi & allodii deducta §. 19.
Facultas teſtandi quoad dominium directum regulariter ceſſat §. 20.
Tutela feudalis ex legibus allodialibus fere judicanda §. 21.
Præcipue quoad feuda mediata §. 22.
Poſſeſſor feudi liberis, non collateralibus tutorem dare poteſt §. 23.
Ceſſante tutela teſtamentaria, ſequitur legitima §. 24. 25.
Et hac deficiente, dativa §. 26.
Delationem ſequitur acceptatio, adminiſtratio exteraque tutelæ capita ex loco proprio ſupponenda §. 27.

§. 1.

QUOD jus aliis quæſitum, regulariter teſtamentum, circa feudum, invalidum eſt *l. f. 8.* Sed cum non omnium feudorum eadem ſit natura, præterea illi, quorum intereſt, in ultimam voluntatem conſentire poſſint, aut etiam ob delictum, jus competens quandoque amittant, denique quorundam ſucceſſio ab arbitrio poſſeſſoris quodammodo dependeat, hinc teſtamenta, in feudis, omnino etiam locum quandoque inveniunt. In genere igitur inter feuda *impropria* & *propria* diſtingvendum eſt.

§. 2. Si

§. 2. Si feudum hæreditarium & alienabile ſit, libere de eodem poſſeſſor teſtari, liberos aliosque propinquos excludere, ac, ſine domini conſenſu, in extraneum illud transferre poteſt, modo legitima iis ſalva ſit, qui ejus petendæ jus habent, aut ob juſtas cauſas exhæredati ſint, nam alias teſtamentum, velut inofficioſum, impugnatur. Si vero feudum non ſit alienabile, tum teſtamentum ſaltem valet inter propinquos, ſed ſi extraneus inſtituendus ſit, domini conſenſus requiritur.

§. 3. Tenentur autem agnati ſervare ultimam voluntatem quoad feudum, licet in allodio ſimul non ſint inſtituti, etſi nonnulli hoc exigant *v.* STRUV. *c. 9. §. 12. n. 2. 3.* nam accipiunt feudum beneficio ultimi poſſeſſoris. Ex eadem ratione, poſſeſſor feudum inæqualiter, inter ſucceſſores, dividere, aut quosdam plane excludere poteſt, modo non ſit inofficioſum, ac domini conſenſus accedat, ſi extraneus inſtituatur. Jure Saxonico, in præjudicium ſimultanee inveſtitorum, nec in feudo hæreditario, teſtamentum valere tradunt CARPZ. *p. 2. C. 47. D. fin.* STRUV. *S. J. F. c. 9. §. 12. n. 4.* quæ ſententia, pro diverſa feudi hæreditarii ſuppoſitione *v. c. 11. §. 21.* admitti & rejici poteſt.

§. 4. Si feudum regulare, alicui oppignoratum & traditum ſit, teſtamento in alium illud transferri poteſt, nam jus pignoris, natura ſua, alienabile eſt, modo fraus nulla ſubſit, aliquando etiam conſtitui ſolet, ne ſine conſenſu domini directi feudum oppignoratum alienetur *v.* CARPZ. *l. 5. Reſp. 36.* Aliud eſt in feudo pigneratitio, quod creditor, in ſecuritatem crediti, ſub nexu feudali, accipit hoc enim nec teſtamento, nec alia ratione alienari poteſt, nexu feudali alienationem impediente *v.* STRYK. *E. J. F. c. 14. §. 14.* v. ſupr. *c. 2. §. 6.*

§. 5. Feudum proprium, ſub pacto retractus venditum, feudo oppignorato, ſed prædium, ſub eodem pacto, in feudum datum, pigneratitio ſimile eſt, hinc illud alienari poteſt, hoc non. Sed omnia exempla feudorum impropriorum referre, non opus eſt, cum non adeo frequentia ſint, præterea facultas teſtandi, ex eo ſemper æſtimanda ſit, num feudum, quoad *libertatem alienandi*, à conſveta feudorum natura abeat, nec ne. Sic in feudo franco teſtamentum non

Digitized by Google

valet, cum remiſſio ſervitiorum, facultatem alienandi non inferat STRTK. *d. c. 14. §. 13.*

§. 6. Circa feuda propria ſive regularia, caſus nonnulli, qui quoad ea occurrunt, nec tamen ad illa pertinent, ſeparari debent. Nam de *fructibus jam perceptis*, nec non de *ſtantibus ultimi anni*, ut & de *meliorationibus feudi*, quatenus illi & hæ, hæredes allodiales ſequuntur, porro de *inventario propria pecunia comparato*, denique de *pecunia ex feudo legitime & ſimpliciter vendito, redacta* Vaſallus dubio procul teſtari poteſt, ſunt enim res revera allodiales *vid.* STRTK. *d. c. 14. qu. 10. 11. 12.*

§. 7. Ipſum vero feudum quod attinet, diſtingvendum eſt, inter *novum* & *antiquum*. In illo poſſeſſor, inter liberos, teſtari, eos inæqualiter inſtituere, aut quosdam plane excludere poteſt, modo excluſio non ſit inofficioſa; Neque ad hæc requiritur conſenſus domini, aut ut liberi in allodio inſtituantur, nam feudum novum, liberorum intuitu, eſt inſtar allodii, hinc de eodem, perinde ac de hæreditate, Vaſallus teſtatur. Si vero extraneus ſit inſtituendus, teſtamentum non aliter valet, quam domini conſenſu accedente: Si liberi ſint ſimultanee inveſtiti, teſtamentum, in horum præjudicium, plane non valet.

§. 8. Deficientibus liberis, feudum novum ad dominum revertitur, cui teſtamentum fruſtra opponitur. Aliquando vel agnati, vel extranei ſimultanee inveſtiuntur, quibus adeo teſtamentum etiam non obſtat, niſi ſub conditione ſervandi illud, in allodio ſint inſtituti, hique aditione conditionem probent. Illud in genere certum eſt, quod poſſeſſor, tam in feudo novo, quam antiquo, eos, qui jure proprio ſuccedunt, in teſtamento inſtituere poſſit, ſed inſtitutionis illius nullus eſt effectus.

§. 9. Equidem, ex inſtitutione illa, inſtitutos remedium ex *l. f. n. C. de edict. D. Hadrian. tollend.* conſequi, nonnulli exiſtimant *v.* SCHRAD. *de feud. p. 7. c. 2. n. 18.* ſed ſententia illa fundamento deſtitui videtur, nam remedium illud oritur ex *juris evidentia*, quam teſtamentum, nullo vitio viſibili laborans, operatur, adeoque præſupponit teſtatorem, qui de re libere potuit diſponere, nam hic ſua diſpoſitione, urgentem ejusmodi præſumtionem, pro inſtituto, exci-

excitare potuit. Sed illa ad precariam velut Vaſalli, de re aliena quodammodo teſtantis, ordinationem applicari nequeunt.

§. 10. In feudo antiquo, uti dubio procul valet teſtamentum, ſi ii, quorum intereſt, conſentiant, ita ſepoſito hoc conſenſu, *agnati ac ſimultanee inveſtiti*, à *filiis* ſeparandi ſunt. Illi in teſtamento neque excludi, neque gravari poſſunt, licet dominus conſentiat, nam jus quæſitum iis auferri nequit: Si vero in allodio, ea conditione inſtituantur, illique adeundo conſentiant, ultimam voluntatem, etiam quoad feudum, obſervare debent, ſed ſi non placeat conditio, ſolum feudum jure ſuo vindicare poterunt *II. f. 45.* Quodſi etiam agnati, ad ſolvenda debita hæreditaria, alicubi obſtringantur, *v. c. 12. §. 31.* teſtamentum, quoad fructus, valebit.

§. 11. Circa liberos non eadem omnium eſt ſententia; Quidam illos pari jure, cum agnatis gaudere, adeoque teſtamentum paternum, contra eos, non valere cenſent. Alii contra exiſtimant, quod, cum allodium à feudo ipſis ſeparare non liceat, filii ultimam Patris voluntatem, quoad feudum, ſervare teneantur, ſi vero Pater ab allodio eos excludat, quod tum, neglecto teſtamento feudali, feudum jure proprio vindicare queant *v.* STRUV. *S. J. F. c. 9. §. 12. n. 5. ſeqq.* STRYK *E. J. F. c. 14. qu. 5.*

§. 12. Sed neutra ſententia admitti debet; patri facultas teſtandi neque ſimpliciter neganda neque concedenda, ſed illa certo potius modo circumſcribenda eſt: Nimirum fundamenti loco ſupponendum, quod filius feudum antiquum, ſuo modo, à primo acquirente, & à patre habeat, hinc etiam hujus debita hæreditaria ſolvere tenetur *II. f. 45.* quod in Saxonia confirmatum *p. 2. C. 47. v. c. 12. §. 30.* licet jure Saxonico antiquo filius hoc onus declinare poſſe videatur *Landr. l. 2, c. 21.* CARPZ. *p. 2. C. 47. D. 4.* COLER *Deciſ. 79.* etſi alii ſanctionem illam rationi & juri Longobardico artemperandam eſſe cenſeant *v.* PISTOR. *l. 2. qu. 2.* STRUV. *S. J. F. c. 14. §. 30. n. 2.*

§. 13. Exinde ſequitur (1.) *quod teſtamentum paternum, intuitu fructuum, ſit validum*, hinc Vaſallus uxori uſumfructum feudi, usque ad filii majorennitatem, concedere teſtamento poteſt: Imo videtur, in longius tempus, uſusfructus extendi poſſe, licet etiam nulla

bona allodialia adſint, modo teſtamentum non ſit inofficioſum. Quodſi autem ab allodio, quod adeſt, filius excludatur, tum teſtamentum eousque ſaltem valere videtur, quousque ad debita hæreditaria, ex feudo ſolvenda, hoc caſu, filius eſt obſtrictus, nam juxta hanc obligationem, valor teſtamenti, in dubio, judicandus videtur.

§. 14. Sed (2.) *quoad ipſam feudi proprietatem, teſtamentum filiis non nocet*, hinc Pater eos neque excludere, neque inæqualiter inſtituere poteſt, nam alias proviſio primi acquirentis ipſis plane non prodeſſet. Nec obeſt, *quod ob debita patris feudum diſtrahi queat*, nam hoc admiſſum eſt, ne creditores lædantur, cum facta nequeant fieri infecta, inde vero non ſequitur, quod re integra, Pater feudum liberis auferre queat *v. c. 11. §. 12.*

§. 15. Teſtamentum filiis non obeſſe, licet dominus in id conſentiat, facile intelligitur. Si vero filius ingratitudinem, quæ exhæredationem jure Romano meretur, commiſerit, v. gr. patrem verberaverit, tum, accedente domini conſenſu, eum à feudo poſſe excludi, aliqui cenſent *v.* STRYK. *E. J. F. c. 14. qu. 7.* Sed cum domini conſenſus jus quæſitum auferre nequeat, neque filius ob ſolam ingratitudinem, quæ in feloniam non incidit, ex rationibus juris feudalis, eodem privetur, ideo contraria ſententia verior videtur.

§. 16. Quodſi adeo Pater liberos tam ab allodio, quam feudo excludat, teſtamentum, quoad hoc, ipſo jure nullum eſt, de valore vero ejus, quoad illud, juxta præſcriptum juris Romani, judicandum erit. Quodſi exhæredatio conſiſtat, filium tamen, ad debita paterna, ex feudo in ſubſidium ſolvenda, teneri putem, licet alii diſſentiant *v.* STRUV. *S. J. F. c. 14. §. 30. n. 7.* nam, obligationem filii juſta exhæredatione tolli, nulla ratione aſſeri poteſt.

§. 17. Si filius, ſub ea conditione, in allodio, inſtituatur, quo excluſionem à feudo, ratam habeat, hæc, accedente conſenſu, valebit. Si vero conditio non placeat, tum poterit feudum ſuo jure vindicare, ac teſtamentum ratione allodii, à quo, deficiente conditione, excluſus eſt, juxta jus Romanum, impugnare. Quodſi adeo, in illum eventum, nulla facta ſit exhæredatio, teſtamentum erit ipſo jure nullum, ſi vero ea intervenerit, cum cauſæ habilis expreſſione, tum querelæ inofficioſi teſtamenti locus erit.

§. 18. Ha-

§. 18. Hactenus dicta etiam ad Feuda imperii immediata pertinere videntur, hinc pater de ipsa proprietate, in præjudicium liberorum, testari, ac e. gr. jus primogenituræ introducere non poterit *v.* DISSERT. *de succeſſ. in Germ. Territor. hab. Lipſ. 1707. §. 39.* Sed ratione fructuum ultima voluntas valebit, etsi & hic res civiliter æstimanda videatur, ne media dignitati conservandæ necessaria, filiis subtrahantur. Cum agnati, ad æs alienum solvendum, obligentur *v. c. 12. §. 32. 33.* videtur etiam quoad eos, testamentum in fructibus valere; Sed forte testamentum non est actio Reipublicæ, hinc nec successorem agnatum obligabit.

§. 19. Ex dictis liquet, quod *allodium*, & *feudum* inprimis *antiquum*, plane differant, inde sequitur (1.) quod bona feudalia antiqua filiis, in legitimam imputari nequeant, (2.) quod sub fideicommisso non comprehendantur *v.* STRYK. *E. J. F. c. 14. §. 18. 20.* (3.) quod testamentum, intuitu allodii, valere, ac, ratione feudi, nullum esse queat BERLICH. *p. 1. Decis. 49.* Quodsi quis sciens feudum, quod alienare non poterat, alicui legaverit, hæredes allodiales ejus æstimationem præstare tenentur *arg. §. 4. J. de legat. l. 39. §. 7. de legat. 1. l. 67. §. 8. de legat. 2.* nec opus est, ut testator diserte hoc exprimat *v.* STRUV. *d. c. 9. §. 12. n. 6.* nam sola scientia voluntatem satis ostendit.

§. 20. De dominio directo, dominus testari posse censetur, cum illud, beneficio Vasalli, non habeat *v.* STRYK. *E. J. F. c. 14. §. 19.* Sed malim facultatem testandi domino negare, cum alienatio in genere ei non sit concessa *v. c. 10. §. 20.* nam in hoc contractu, perinde ut in societate, ad personas respicitur; Nec obest ratio sententiæ contrariæ, nam uti aliquando, à beneficio Vasalli, dominium directum dependere potest, si per oblationem feudum constituatur, ita in genere, non ex *causa movente*, sed *contractu secuto*, jus tam Vasalli, quam domini judicari debet. Ad Status imperii hæc ita simpliciter applicari non debent, cum, in iis, alii respectus concurrant *v. c. 10. §. 20. conf.* JUS FEUD. GERMAN. *c. 23.*

§. 21. Sæpe contingit, ut successio feudalis, in Impuberem vel Minorem, tutore aut Curatore indigentem cadat, hinc non immerito de Tutela vel Cura feudali, nunc aliqua dicenda sunt. In legibus

bus feudalibus parum vel nihil hac de re cautum, hinc ex legibus allodialibus, ac præcipue jure romano pleraque desumuntur, ac ad feuda applicantur. Quo autem applicatio recte fiat, inter feuda *immediata* & *mediata* distingvi debet.

§. 22. Ad illa leges privatæ non ita simpliciter, ut à multis fieri solet, applicari debent, de quo in Jure Publico agitur *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 6.* Sed his leges illæ, ac præcipue romanæ, recte applicantur, nam Vasalli mediati, sunt simul subditi adeoque legibus illis subjecti, præterea leges romanæ, in omnem usum sunt probabiliter receptæ, denique multa, quæ, quoad tutelam, jure romano constituta sunt, ex æquitatis principiis resultant, adeoque de eorum valore eo minus dubitari debet.

§. 23. Pater liberis suis tutorem vel Curatorem feudalem constituere pro lubitu potest, modo habilis sit, nec agnati hoc impedire possunt, cum eorum juri nullum fiat præjudicium *v.* SCHRAD. *de feud. p. 10. Sect. 19. n. 6. seqq.* STRYK. *E. J. F. c. 7. qu. 11. 12.* Sed agnatis impuberibus vel minoribus, possessor tutorem constituere nequit, nam neque in eos habet patriam potestatem, neque ipsis aliquid dat, cum proprio jure in feudum succedant, hinc deficit medium, quo eos, ad assumendum tutorem permovere queat *v. l. 4. de testam. tutel.* Quodsi tamen Magistratus tutorem datum confirmare velit, tum eum admittendum putem.

§. 24. Cessante provisione testamentaria, lege vocantur ad tutelam proximi successores feudales, adeoque agnati & simultanee investiti majores, cognatis regulariter exclusis. In feudis mediatis, de quibus hic agitur, plures successores sibi æquales, ex sanctione juris Romani, simul ad tutelam admittuntur *§. fin. I. de cap. deminut.* Sed jure Saxonico solus Senior tutelam subit *Landr. l. 3. art. 23.* CARPZ. *p. 2. C. 11. D. 11. n. 1.* Probabiliter tamen successores feudales, à pupili matre & avia, excludi à tutela possunt *v.* STRYK. *E. J. F. c. 7. qu. 15. seqq.*

§. 25. Si Successor, pubes quidem, sed tamen minor adhuc sit, tum itidem proximi successores, sunt ejus curatores legitimi, quia ipsis per testamentum, successio feudalis intercipi nequit *v.* STRYK. *d. c. 7. qu. 27.* Deficientibus agnatis, dominum feudi tutelam impube-

puberis Vaſalli ſubire debere, quidam exiſtimant, exemplo Patronorum romanorum, qui, ob ſpem ſuccedendi, libertorum impuberum tutores eſſe debeant *v.* SCHRADER *de feud. p. 10. ſect. 19. n. 71.* STRYK. *E. J. F. c. 7. qu. 21.* Sed uti illa ad Status imperii, qui domini feudales & Territoriales ſimul ſunt, applicari nequeunt, ita in genere comparatio Patronorum & dominorum feudalium, inprimis quoad jus ſuccedendi, nullo nititur fundamento.

§. 26. Potius igitur, agnatis deficientibus, magiſtratus competens tutorem conſtituit, de quo, ex ſtatu Territoriorum judicandum. Plerumque diſtingvendum erit inter Vaſallos *Schriffi-* & *Amtſaſſios*, illis Cancellaria vel Curia Provincialis, his Præfecti tutores conſtituent. Ex jure Longobardico docere ſolent, quod non *judex ordinarius*, ſed *dominus feudi*, & ſi horum plures ſint, non *ſuperior*, ſed *proximus* & *immediatus* tutorem dare debeat SCHRADER *d. l. n. 83. ſeqq.* Sed hæc ad emblemata artis legulejæ pertinent, nec in Germania uſum habent, de quo in *cap. fin.* in genere dicendum erit.

§. 27. Delatam tutelam tutor acceptare tenetur, niſi juſtam excuſandi cauſam habeat, hanc vero coram domino feudi, vel, ſi ipſe tutor eſſe debeat, coram Paribus Curiæ proponendam eſſe contendunt SCHRADER *d. l. n. 96.* quod itidem præjudicium legulejum olet, ac nullius uſus eſt. Acceptationem tutelæ perficit confectio inventarii & confirmatio judicialis: Poſtea ſequitur adminiſtrandi neceſſitas, cum conſvetis effectibus, habet etiam, in bonis feudalibus, jure Saxonico, locum hypotheca *v. c. 13. §. 9. 10.* Denique tutela aut cura feudalis, conſvetis modis, finitur, quæ omnia, ex loco proprio *v. l. 6. c. 15. ſeqq.* hic ſupponuntur *conf.* JUS FEUD. GERMAN. *c. 24.*

Digitized by Google

CAPUT XVIII.
DE RENOVATIONE INVESTITURÆ.

SUMMARIA.

Renovationis inveſtituræ natura §. 1.
Et origo §. 2.
Fieri illa debet mortuo domino §. 3. 4.
Et Vaſallo §. 5.
Vel feudo alia ratione translato §. 6.
Eſt etiam renovatio neceſſaria in feudis exiguis & quoad ſimultanee inveſtitos §. 7.
Aliquando renovandæ inveſtituræ neceſſitas ceſſat §. 8.
Renovationis peragendæ modus §. 9.
Tempus §. 10.
Locus & perſona §. 11.
Pœna omiſſæ inveſtituræ §. 12. 13.
Ad hanc concedendam dominus obligatur §. 14.
Inveſtituræ renovationem laudemium comitari ſolet §. 15.
Quibus caſibus illud ſolvendum §. 16.
Ejus intuitu datur domino actio cum hypotheca tacita §. 17.
Renovationis inveſtituræ effectus §. 18.
Applicatio dictorum ad feuda imperii §. 19.

§. 1.

COnſervando juri Vaſalli & ſimultanee inveſtitorum, opus quandoque eſt renovatione inveſtituræ, quæ, cum circa ſucceſſionem contingat, huic loco merito reſervatur. Eſt autem *actus, quo, mutato domino vel vaſallo, feudum ac jus ſimultaneæ inveſtituræ, de novo conceditur, vel potius confirmatur*; ſeu breviter, eſt *inveſtituræ principalis & ſimultaneæ repetitio.*

§. 2. Originem habet ex prima feudorum indole, cum enim illa ab initio certis perſonis, & fere ſaltem precatio concederentur *I. f. 1. §. 1.* ideo vel à novo domino inveſtitura erat impetranda, vel novus Vaſallus eam petere debebat. Licet vero ſucceſſu temporis feuda transmiſſibilia & irrevocabilia fuerint facta, aut etiam quædam ab initio ſtatim eo modo conſtituta, ritus tamen renovandæ inveſtituræ manſit, ut tamen alius ejus nunc ſit effectus, quam olim fuit, præcipua autem ejus adhibendæ ratio eſt, quo de ſtatu bonorum feudalium, Dominus certior reddatur *add.* STRUV. *S. J. F. c. 10. §. 1. n. 1. 2.*

§. 3. Mor-

Digitized by Google

§. 3. Mortuo domino, inveſtitura renovanda eſt, ac ſi plures ille relinquat hæredes, qui dominium directum commune habeant, ab omnibus conjunctim inveſtitura impetratur iisdemque unicum præſtatur juramentum. Si vero uni dominium directum adjudicetur, ille ſolus inveſtituram concedit, quemadmodum ſinguli eo munere, pro rata funguntur, ſi, facta diviſione, peculiares quisque ſortiatur Vaſallus *v. II. f. 40. 55. §. 1. in fin.* CARPZ. *p. 2. C. 45. D. 29.*

§. 4. Si ex dominis, inter quos dominium directum erat commune, unus moriatur, relictis liberis, in dominium illud ſuccedentibus, pro horum portione, inveſtitura renovari debet, ſi vero liberi deficiant, renovatione non eſt opus. Aliquando negotium peragendæ inveſtituræ Seniori Domino conceditur, quo caſu, quamdiu hic vivit, inveſtitura, à parte dominorum, non renovatur STRUV. *d. c. 10. §. 2. n. 1. 2.* Mortuo Epiſcopo, ac ſucceſſore intra annum & diem non ſuffecto, inveſtitura à Capitulo eſt petenda CARPZOV. *p. 2. C. 45. D. 22.* dominio directo alienato, vel, cum commune hactenus fuiſſet, diviſo, inveſtituræ renovatio eſt neceſſaria STRUV. *d. l. n. 4. 5.*

§. 5. Mortuo Vaſallo, caſus renovandæ inveſtituræ itidem exiſtit; ſi plures ſint hæredes, omnes jurare debent, ſive feudum paternum dividant, ſive indiviſum retineant. Si unus ex iis, ſine liberis, moriatur, ſuperſtites in caſu primo factæ ſcilicet diviſionis, inveſtituram renovare tenentur, altero autem, quo indiviſum manſit feudum, renovatio non creditur neceſſaria: Si vero defunctus reliquerit liberos, ſucceſſionis feudalis capaces, utroque caſu inveſtitura renovanda eſt STRUV. *d. c. 10. §. 3. n. 1. 2.*

§. 6. Feudo in ſucceſſorem feudalem, ſive ob alienationem ſive feloniam prioris poſſeſſoris, devoluto, inveſtitura renovatur, ſi vero ad extraneum, illud tranſeat, de novo illa conceditur STRUV. *d. §. 3. n. 4. 8.* Si plures filii de feudo indiviſo inveſtiti ſint, facta diviſione, non quidem jurare, attamen inveſtituram denuo petere debent, niſi, in eventum diviſionis, jam ſint inveſtiti STRUV. *d. §. 3. n. 5.* Declinandis renovandæ inveſtituræ moleſtiis, Vaſallorum & Domini conſenſu, Provaſallus, *Lehnträger*, aliquando conſtituitur *v.* ITTER *de F. J. c. 9. §. 18.* qui nomine communi inveſtitur, nec.

Digitized by Google

eo vivo, inveſtitura renovatur, licet mutatio, à parte Vaſallorum, accidat STRUV. *d. §. 3. n. 2. 3.*

§. 7. Quoad feuda exigua & ruſtica, renovatio inveſtituræ itidem cenſetur eſſe neceſſaria ut tamen ejus neglectus, pœna privationis non puniatur CARPZ. *p. 2. C. 45. D. 21.* Præterea etiam ſimultanee inveſtiti renovare inveſtituram tenentur, quoties caſus principalis inveſtituræ renovandæ exiſtit. In ſpecie igitur renovatione opus, ſi feudum hactenus indiviſum dividatur, vel uni adjudicetur *v. p. 2. C. 45.* CARPZ. *ad d. Conſt.* RAUCHB. *l. 2. qu. 21.* STRUV. *d. c. 10. §. 1. n. 3. §. 3. n. 6. 7.*

§. 8. Aliquando renovandi neceſſitas ceſſat, quoad ſimultanee inveſtitos, ut in Luſatia Superiori STRUV. *d. §. 1. n. 5.* quod ex eo forte eſt, quod, ſine horum conſenſu, feuda ibi queant alienari *v. c. 2. §. 13.* In Marchia Brandenburgica olim renovatio ſaltem fieri debuit mutato domino, ſed poſtea 1683. ad omnes caſus conſvetos renovandi neceſſitas fuit extenſa STRYK. *E. J. F. c. 17. qu. 11.* Si ſimultanee inveſtitus, in locis diſſitis degat, inveſtituram renovare non tenetur CARPZOV. *p. 2. C. 45. D. 20. in fin.* Hoc certius eſt, quod expectantes, à renovandi neceſſitate ſint immunes, neque enim unquam ſunt inveſtiti, neque jus reale habent *v.* CARPZ. *d. C. 45. D. 10.*

§ 9. Modus renovandæ inveſtituræ, uſu optime addiſcitur: Solet Vaſallus literis petere inveſtituram *v. Sächſ. Lehnr. c. 22.* quod dicitur *Lehnmuthen*, in cujus fidem Vaſallo, breve teſtatum *ein muhtzettel*, dari ſolet, quo deficiente, aliis probationibus, ſi opus, factam petitionem Vaſallus oſtendere debet STRUV. *d. c. 10. §. 4.* Poſtea, in certo termino inveſtitura, præſtito juramento vel nuda fidei promiſſione, peragitur, ac novæ literæ conficiuntur *v.* SCHULTZ *Synopſ. jur. feud. c. 9 n. 83.* Nonnullis in locis, inveſtitura literis non petitur, ſed, ad perſonalem Vaſalli inſtantiam, ſuſcipitur *v.* DN. HORN *Jurispr. feud. Longobard. Teuton. in append. 1. n. 3.*

§. 10. Si inter literas inveſtituræ, aliqua occurrat diſcrepantia, antiquiores in dubio præferuntur, majori enim cum cura literæ primum cenſentur eſſe conceptæ, quam poſtea deſcriptæ *v.* CARPZ. *p. 2. C. 45. D. 31.* STRUV. *d. c. 10. §. 6.* Petenda eſt inveſtitura intra annum

annum & diem *II. f. 24. I. f. 22. Sächſ. Lehnr. c. 25.* quod tempus, poſt acquiſitam ſcientiam, currit CARPZ. *p. 2. C. 45. D. 20.* nec poterit illud dominus, in præjudicium Vaſalli, coarctare. Poſt petitionem, inveſtitura vel ſtatim ſequitur, vel aliquando differtur, nonnunquam Vaſallus ipſe dilationem petit, quo fine aliquod inſtrumentum, *indultſchein*, ei dare ſolet *v.* STRUV. *d. c. 10. §. 7.* STRYK. *E. J. F. c. 17. qu. 12. 14.* SCHILTER. *Inſt. jur. feud. c. 11. §. 7.*

§. 11. Ubi inveſtitura petenda & impetranda ſit, id ex ſtatu cujusvis Territorii judicandum eſt, regulariter in Cancellaria hoc negotium peragitur. Si Dominus extra Territorium degat, eum Vaſallus ſequi non tenetur, niſi ſit in vicinia *v.* STRYK. *E. J. F. c. 17. qu. 22.* Sed hoc, intuitu Germaniæ, hodie vix aliquem uſum habet. Poteſt etiam inveſtitura impetrari, ac juramentum præſtari per procuratorem *II. f. 3. §. 1.* verb. *ſed utrum.* Sed in Saxonia procurator non admittitur, niſi Vaſallo juſte impedito *v. Mandat. Joh. Georg. IV. de anno 1691. §. und anfänglich.*

§. 12. Quodſi Vaſallus, intra tempus præſtitutum, dolo vel magna negligentia inveſtituram non petat, feudo privatur *II. f. 24.* cujus pœnæ incommodum etiam ſentiunt liberi *II. f. 31.* hinc dominus feudum caducum, quamdiu Vaſallus & ejus deſcendentes vivunt, ſibi aſſerere poteſt, iis extinctis, ad agnatos demum perventurum STRUV. *d. c. 10. §. 8.* Ceſſante autem dolo, ceſſat etiam pœna, ut ſi inveſtituræ petitio omiſſa, ob abſentiam vel impubertatem domini, quæ tamen cauſæ in Germania vix locum habent, aut ſi dominium directum fuit litigioſum: ſi dominus intra tempus definitum moriatur, ab hujus morte, annus & dies computatur *v.* STRUV. *d. c. 10. §. 9.*

§. 13. Aliquando etiam, à parte Vaſalli, juſta excuſandi cauſa occurrit; ſi abſens, impubes vel minor fuerit, vel caſum renovandæ inveſtituræ ignoraverit, aut fontica quadam cauſa ſit impeditus, cui rei explorandæ, quandoque defertur juramentum purgatorium STRUV. *d. §. 9.* Nonnunquam etiam, ob conditionem feudi, pœna privationis ceſſat *v. §. 7. h.* Quandoque culpa expreſſe vel tacite, e. gr. conſulta inveſtitura, vel ſervitiorum exactione, remittitur, quæ remiſſio æquitati eſt conſentanea STRUV. *d. §. 9. n. 3. §. 10.*

cum, ob mutatam feudorum conditionem, rigor ille vix recte obſervetur.

§. 14. Ad inveſtituram vero tempeſtive petitam, renovandam, dominus, ex prima inveſtitura, obligatur, quo fine etiam actionem contra ipſum concedunt interpretes, in cujus tamen denominatione, non plane conſentiunt *v.* CARPZ. *p. 2. C. 45. D. 23.* STRUV. *d. c. 10. §. 11.* Sed uti de nomine actionis otioſa hodie eſt ſollicitudo, ita non apparet, cui bona inveſtitura per actionem ſit extorquenda, cum ejus omiſſio Vaſallo non noceat, ſed ille, facta ejus petitione, extra periculum amiſſionis ſit conſtitutus.

§. 15. Inveſtituræ renovationem comitari ſolet laudemii ſolutio, quod jure romano introductum, germanica vero conſvetudine, ad feuda, præcipue minora, extenſum cenſetur *v.* STRUV. *S. J. F. c. 10. §. 12.* ſed forte hoc inſtitutum mere germanicum eſt, & contraria ſententia, ex ſolenni præjudicio, dependet, circa quod tamen nemini nunc litem movebo. Quantitas laudemii ſpecialibus legibus definiri ſolet. In Saxonia, vigeſima vel aliquando decima pars pretii ſolvi debet *v.* CARPZ. *p. 2. C. 39. D. 12. l. 1. Reſp. 90.* In Marchia Brandenburgica, pro quovis equo feudali, viginti quinque imperiales ſolvuntur STRYK. *E. J. F. c. 17. qu. 28.* Si conſvetudines diſcrepent, conſvetudo rei ſitæ attendi debet STRUV. *d. §. 12.*

§. 16. Regulariter autem laudemium ſolvendum eſt, quando feudum in extraneum transfertur, non vero, ſi vel dominus mutatur, vel in prima inveſtitura comprehenſi ſequuntur. In genere etiam conſvetudo ſtrictæ interpretationis eſſe cenſetur, eamque, ſi dubia ſit, dominus probare debet, quod quidem per libros eo fine confectos, *amts* vel *erbbücher* ſive *erbregiſter* fieri poteſt, ſi nihil ſit, quod eorum fidem elevet *v.* CARPZ. *l. 1. Reſp. 61. 62.* Aliquando etiam domino, vel Vaſallo, ordinaria ſucceſſio ne mutato, laudemium ſolvendum eſt *v.* STRUV. *d. c. 10. §. 13. ſeqq.* STRYK. *E. J. F. c. 17. qu. 29. ſeqq.*

§. 17. Ad exigendum laudemium domino actio perſonalis tribuitur, quæ tamen, cum lege introducta ſit, ſine ſpeciali facto obligatorio, etiam contra tertium poſſeſſorem inſtitui poteſt. Tribuunt etiam domino tacitum pignus CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 53.* imo ſpeciale jus

Digitized by Google

jus prælationis, quia domino competat dominium directum STRUV. *d. c. 10. §. 17.* Sed hæc prælatio merito negatur CARPZ. *d. D. 53.* nam neque nudum dominium directum, effectum illum operatur, neque id ad laudemium pertinet.

§. 18. Effectum renovatæ inveſtituræ quod attinet, ab initio, cum feuda nondum eſſent transmiſſibilia, renovatio illa, *nova & vera collatio* utique fuit: At poſtquam illa ita dari cœperunt, ut in hæredes certo jure transmitterentur, illa nihil aliud eſt, quam *nuda confirmatio juris legitima ſucceſſione quæſiti*, ſive *conditio conſervando juri neceſſaria*, id quod etiam experientia ſatis confirmat, cum Vaſalli feudo perinde utantur ante, quam poſt renovatam inveſtituram. *conf.* JUS FEUD. GERM. *c. 25.*

§. 19. Hactenus dicta, ad feuda mediata ſpectant. Solent tamen ea feudis imperii immediatis quoque applicari, quatenus leges fundamentales aliud non conſtituerunt, de quo caute judicandum, nec ſemper, eo fine, ſpecialis ſanctio contraria requirenda eſt, cum libertas Statuum imperii, generali lege ſubnixa, vulgares regulas feudales quandoque excludat. De cætero illa applicatio in Jure publico inſtituitur, ac inter alia, hoc in ſpecie oſtenditur, quod Cæſarea inveſtitura Statibus imperii jus non det, ſed jam competens velut agnoſcat & confirmet *v.* SPECIM. JUR. PUBLIC. *l. 4. c. 7.*

CAPUT

CAPUT XIX.
DE AMISSIONE FEUDI.

SUMMARIA.

Modorum tollendi feudum generalis partitio §. 1.
Modi conſenſualis variæ ſunt ſpecies §. 2.
Eo pertinet refutatio tam Vaſalli §. 3. 4. 5.
Quam domini §. 6.
Rei interitus, lapſus temporis, defectus conditionis §. 7.
Et ſucceſſorum §. 8.
Nec non clericatus aſſumtio §. 9.
Modus tollendi legalis eſt præſcriptio, quæ locum habet ratione domini §. 10.
Vaſalli §. 11.
Et tertii §. 12.
Talis modus eſt etiam felonia, quæ reſpicit dominum ac in omittendo §. 13.
Et committendo conſiſtit §. 14. 15. 16.
Vel concernit extraneum, ac admittuntur quoque cauſæ non expreſſæ §. 17. 18.
In quibus tamen dijudicandis cauſas exhæredationis ſequi non licet §. 19.
Felonia tollit feudum & jus ſuccedendi in illud §. 20.
Feudum amitti videtur à tempore delicti commiſſi §. 21.
Quod alii ſaltem in caſu illicitæ alienationis admittunt, in cæteris poſt rem judicatam illud amitti cenſentes §. 22.
Sed benignior eſt ſententia, quæ in genere feudum cum fructibus demum poſt rem judicatam amitti contendit §. 23.
Feudum amiſſum modo domino, modo aliis ſucceſſoribus acquiritur §. 24.
Aliquando felonia remittitur §. 25.
Quousque dominus hoc facere queat; aliquando etiam præſcribitur §. 26. 27. 28.
Feudo amiſſo omnes fructus percepti manent penes Vaſallum vel ejus hæredes allodiales §. 29.
Fructus poſt tempus amiſſionis percepti aut pendentes modo ſucceſſoribus feudalibus, modo hæredibus allodialibus acquiruntur §. 30. 31. 32.
Quod etiam pro caſuum diverſitate, in fructibus civilibus obſervatur §. 33. 34.
Aliquando tempus acquiſitionis aliter ſtatutis determinatur, cum epicriſi de æqua fructuum diſtributione §. 35.
Quoad meliorationes voluntarias Vaſallo vel ejus hæredibus eſt ſatisfaciendum §. 36.
Ac præſtatur aliquando æſtimatio ruderum §. 37.
Impenſarum vel meliorationum; aliquando etiam nihil exigi poteſt §. 38.
Dominus ob feloniam dominium directum quoque amittit, cum applicatione dictorum ad feuda imperii §. 39.

§. 1.

MOdi tollendi feudum quo rectius, quam vulgo fieri ſolet *v.* HUNN. *diſput. feud. 14.* CARPZ. *diſp. feud. 9. §. 1.* in ordinem redigantur, obſervandum eſt, quod dupliciter ſpectari queant, vel ratione *effectus*, vel *originis*. Illo reſpectu tres ſpecies generales occurrunt *Rei interitus*, quo omne jus interit, *Conſolidatio*,

Digitized by Google

lidatio, quo jus diviſum conjungitur, ac feudum in allodium mutatur, & *Translatio*, quæ jus feudi, diverſo reſpectu dat & aufert. Hôc autem, omnes modi ſunt vel *naturales*, qui à conſenſu eorum quorum intereſt, vel *legales*, qui à lege poſitiva vim ſuam ſortiuntur.

§. 2. Hanc poſteriorem diviſionem jam reſpiciemus. *Conſenſus* deprehenditur (1.) in remiſſione expreſſa, ſive refutatione (2.) rei interitu (3.) lapſu temporis (4.) ceſſatione conditionis (5.) defectu ſucceſſorum (6.) aſſumtione Clericatus & ſimilibus. *Diſpoſitio poſitiva* occurrit (1.) in præſcriptione & (2.) circa feloniam. De cætero pleraque hæc jura videntur eſſe rarioris uſus adeoque brevitati, quantum indoles materiæ admittit, ſtudebimus.

§. 3. *Refutatio* generalius ſpectata, à parte *Vaſalli*, & *domini* occurrere poteſt. Ille jure ſuo ſe abdicat vel ratione *extranei aut remotioris agnati*, vel ratione *proximi ſucceſſoris*, vel *domini directi*. Primo caſu vera eſt alienatio, quæ regulariter non valet, de quo *c.* 10. actum *v.* STRUV. *S. J. F. c.* 12. §. 14. Secundo, quoad feudum novum, refutatio regulariter ſaltem liberis, quoad antiquum vero, tam his, quam agnatis fieri poteſt, ad hanc autem refutationem domini conſenſus non requiritur, refutans vero, jus ſuccedendi regulariter ſibi reſervat *II. f.* 14. 49.

§. 4. Tertio caſu, ſi feudum fuerit novum, & nulli adſint ſimultanee inveſtiti, feudum refutatione in allodium mutatur, ac liberæ domini diſpoſitioni ſubjicitur, licet Vaſallus liberos habeat, his enim Pater ſucceſſionem intercipere poteſt, cum ab eo, velut primo acquirente, illa unice dependeat. Si autem feudum fuerit antiquum, agnati & ſimultanee inveſtiti, refutante ejusque liberis deficientibus, illud à domino repetunt, ſi in refutationem non conſenſerint, liberi vero factum patris mortui impugnare nequeunt, modo refutatio, ob urgentem aliquam cauſam, fuerit facta, nam alias eodem cum agnatis jure gaudebunt *v. c.* 11. §. 11. 12.

§. 5. Poteſt feudum domino refutari, licet hic non conſentiat, *II. f.* 38. modo in tempeſtive refutatio non fiat, domino v. gr. in bellum ituro *v.* STRYK *E. J. F. c.* 22. §. 12. ſed hujus limitationis hodie nullus eſt uſus. Facta refutatione, Vaſallus ad fidelitatem quidem non amplius obligatus eſſe dicitur, ut tamen dominum, in memoriam priſtinæ con-

ditionis offendere non debeat *II. f. 38.* STRYK. *d. l.* §. *13.* Sed videndum potius, an, juxta caſus habiles, refutans jus ſuccedendi amittat, nec ne, illo caſu, ex lege humanitatis & gratitudinis, domino ſaltem obſtringitur, hoc autem obligatio Vaſallitica manet.

§. 6. Non minus etiam Dominus Vaſallo jus ſuum remittere poteſt, quo caſu plenum hic conſequitur dominium, ac ab oneribus feudalibus liberatur. Si tamen agnati aut ſimultanee inveſtiti adſint, iis jus ſuccedendi erit ſalvum, niſi eodem ſe abdicaverint. Alia quæſtio eſt an dominus feudi, idemque Territorialis, eo effectu, jus ſuum remittere queat, ut bona feudalia ordinariis tributis deinde ſubjiciantur? in affirmativam inclinat Dn. STRYK. *E. J. F. c. 19. qu. 21. c. 22. qu. 14.* Dubium non eſt, quin, ex utilitate Territoriorum, feuda reformari queant, ſed iſta reformatio, juxta leges fundamentales, erit ſuſcipienda.

§. 7. Feudum etiam extingvi *rei interitu*, nec non *lapſu temporis*, manifeſtum eſt *v.* STRUV. *S. J. F. c. 15.* §. *4. 6.* Non minus etiam illud tollitur *defectu conditionis*, ſub qua datum erat, hinc feudum donatum, ob ſupervenientiam liberorum, revocari poterit, licet alii hoc negent, cum ſit donatio ob cauſam, merita ſcilicet præterita & ſervitia futura *v.* STRYK. *E. J. F. c. 22. §. 15.* Sed merita non ſemper adſunt, ſervitia vero reſpiciunt utilitatem domini, adeoque facultatem revocandi non excludunt *v. c. 4. §. 24. 25.* Illud facile liquet, caſum illum in Germania non facile eſſe extiturum.

§. 8. *Succeſſoribus deficientibus*, feudum revertitur ad dominum, ac in allodium mutatur, ſed plerumque hoc, datis expectantiis, impeditur. Si Dominus nullos relinquat ſucceſſores, dominium directum, Vaſallo quidam tribuunt, ſalva tamen agnatis ſucceſſione STRUV. *c. 15. §. 3. n. 3.* alii vero fiſco illud acquiri cenſent STRYK *E. J. F. c. 22. §. 7.* Forte prior ſententia, in feudis oblatis, poſterior in datis, locum habet. In Germania, ubi dominium directum regulariter juri Territoriali eſt annexum, ſucceſſor domini non facile deficiet.

§. 9. Denique *aſſumtio Clericatus* etiam voluntariam feudi abdicationem involvit, cum illud vitæ genus, cum inſtituto feudali conſiſtere nequeat *II. f. 30. 21. 26. §. qui Clericus.* Iſtam tamen ſanctionem, ad omnes, qui Clerici dicuntur, non poſſe applicari, ac in Electoratu Saxoniæ in genere ceſſare *c. 15. §. 12.* jam admonitum. Hi modi omnes,

ac

ac ejus generis forſitan alii, ex conſenſu vim ſortiuntur, præterea, autoritate legis poſitivæ, feudum aliquando tollitur.

§. 10. Eo pertinet *præſcriptio privativa v.c. 7. §. 1.* quæ ratione *domini, vaſalli* & *tertii* intervenire poteſt. Quodſi adeo Dominus bona fide plenum dominium ſibi aſſerat, dum vel feudum poſſidet, vel vaſallum ſaltem pro colono habet, ac per 30. annos poſſeſſionem non interruptam continuet, utile dominium directo conjungitur, ac feudum, in allodium mutatur. Nocet tamen illa præſcriptio Vaſallo & liberis ſaltem, *v.* STRUV. *c. 15. §. 3. n. 4.* quibus deficientibus, contra ſingulos agnatos aut ſimultanee inveſtitos, qui agere poſſunt, illa itidem compleri debet.

§. 11. E contrario ſi Vaſallus bona fide plenum dominium, per 30. annos, ſibi arroget, domini jus extinguitur, agnatis tamen quibus nulla præſcriptio hactenus fuit oppoſita, jus ſuccedendi manet ſalvum. Si Vaſallus ſervitia ſolum negaverit, ac, in illa libertate, 30. annos perſtiterit, feudum ſaltem fit francum, niſi forte negatio ſervitiorum, ex plena libertatis aſſertione, fuerit facta STRUV. *d. c. 15. §. 3. n. 5.* Si defuncti Vaſalli ſucceſſor plenum dominium ſibi aſſerat, ad exemplum aliûs poſſeſſoris, itidem 30. annis, plene rem præſcribere poteſt, licet STRUVIUS *d. l. n. 6.* ei non actionem, ſed exceptionem ſaltem tribuat.

§. 12. Quodſi poſſeſſor ignorans feudum, ut allodium, in ignorantem transferat, hic 30. annis præſcriptionem complere poteſt *vid.* STRUV. *d. l. n. 10.* Et occurrit hoc caſu titulus, qui in præcedentibus non adeſt. Nocet tamen præſcriptio ſolum iis, qui agere poterant, illis vero, qui ob aliorum prærogativam, jus actuale nondum habent, quamdiu præcedentium jus durat, illa non obeſt *add. c. 7. §. 14.* Cæterum jure Saxonico, omnibus illis caſibus, conſvetum præſcriptionis Saxonicæ tempus obſervari debet.

§. 13. Autoritate legis poſitivæ denique amittitur feudum, ob *feloniam*, quod nomen germanicum eſt, ac notat varia delicta, quæ vel in *dominum*, vel *extraneum* committuntur *v.* STRUV. *S. J. F. c. 15. §. 8.* Ad primam genus pertinet (1.) ſi Vaſallus requiſitus ſervitia neget *I. f. 21. II. f. 24. 55. §. 1.* aut, imminente magno periculo, eadem ultro non præſtet *II. f. 26. §. licet* (2.) ſi dominum in periculo deſeruerit *I. f. 21. II. f. 24. §. 2. v.* STRYK *E. J. F. c. 23. qu. 36. ſeqq.* (3.) ſi imminens damnum non

indicet vel impediat *II.f.7.24.§.2.* (4.) captivum dominum non liberaverit *II.f.24.§.item* (5.) ſi domino juſtitiam facere noluerit *II.f.24.§. illud tamen v.* BITSCH. *comm. h.* (6.) ſi filium delinquentem non ſtiterit *II.f.55.§.2.* (7.) inveſtituram non petierit *II.f.24.* aut (8.) jurare noluerit *II.f.24.§.1.*

§. 14. Hæc exempla conſiſtunt in *omittendo*, alia vero in *committendo*, quo pertinet (9.) ſi Vaſallus dominum occidat, vulneret aut gravi injuria afficiat *II.f.24.§. porro* (10.) cum inimicis domini amicitiam colat *II.f.57. v.* STRYK. *E.J.F.c.23.§.8.* STRUV. *c.15.§.9. n.3.* (11.) credentiam revelaverit *I.f.17.* (12.) ſi dominum accuſet, vel famoſa actione conveniat, aut in cauſa criminali contra eum teſtetur *II.f.24.§. item ſi II.f.33.§. ſimiliter*, licet dominus vere deliquerit STRUV. *c.11.§.3. n.3.4.* STRYK *d.l. qu.10.* quod tamen dubium v. ſupr. *c.8.§.4. add.* CARPZ. *p.1. C.29. D.27.*

§. 15. Ulterius ſi (13.) Vaſallus doloſe negaverit, prædium eſſe feudale *II.f.26.§. vaſallus* (14.) ſi dominum cucurbitaverit *I.f.5. v.* STRYK *d.l. qu.14.15. Rhet. comm. ad jus feud. l.1. tit.5.* Quodſi Vaſallus, adulteriem commiſſurus, per errorem incidat in domini uxorem, pœna privationis ceſſare videtur, nam adulterium quidem ſubeſt, ſed non ſimul animus injuriandi dominum. Concubitus cum domini vidua, amiſſionem feudi non operatur *I.f.21.* nec aliud dicendum, licet, intra annum luctus, fuerit perpetratus, etſi alii diſſentiant *vid.* STRUV. *d.c.15.§.9. n.9.*

§. 16. Porro huc pertinet (15.) ſi Vaſallus cum domini ſorore, quæ in ejus domo eſt, aut cum ejus filia, nuru vel nepte ex filio, concubuerit *I.f.5.* (16.) ſi feudum doloſe alienet, ac alienationem traditione penitus conſummet *II.f.55.* STRUV. *c.13.§.9.* (17.) ſi illud valde corrumpat aut deterius reddat *arg. II.f.27.§.7.* quo caſu Vaſallus etiam ad damnum reſarciendum obſtringitur STRUV. *c.15.§.5.9.* CARPZ. *p.3. C.31. D.8.*

§. 17. Ad ſecundum feloniæ genus ſpectat (1.) occiſio fratris proprii *II.f.37.24. I.f.5.* (2.) proditio Convaſalli *II.f.37.* (3.) ſævitia erga ſubditos *II.f.27.§.7.* STRUV. *c.15.§.10.* Atque hæ ſpecies fere expreſſæ ſunt, ob paritatem tamen rationis, aliæ cauſæ, æque graves quoque admittuntur *II.f.24.§. ſed quia.* applicatio tamen non ubique ſatis

expe-

expedita videtur; Id quidem dubium non eſt, quin unius cauſæ omnia exempla ſint admittenda, hinc concubitus cum ſponſa domini, privationem feudi operatur STRUV. *d. c. 15. §. 9. n. 9.* eſt enim exemplum feloniæ *§. 15. n. 14.* notatæ.

§. 18. Sed in cauſis ſeparatis, res non ſemper liquida ſatis eſt. Ob crimen læſæ Majeſtatis quidem feudum erit auferendum STRUV. *d. l. §. 10. n. 4.* hoc enim ſcopus pœnæ, iſti crimini præſtitutæ, exigit. Verum an ob ſtuprum, cum matre domini commiſſum, aut ob inceſtum, adulterium & homicidium, pœna privationis etiam locum habeat, ceu nonnulli volunt *v.* STRUV. *d. c. 15. §. 9. n. 9. §. 10.* id non ſatis liquet, maxime cum ob homicidium, in domini fratrem perpetratum, Vaſallus feudo non privetur *II. f. 37.*

§. 19. Neque in dijudicandis feloniæ ſpeciebus, ſequi licebit ſanctionem juris Romani, cauſas exhæredationis determinantem, etſi ita videri poterat ex *II. f. 24. §. prædictis.* Nam ibi ſolum aſſeritur, quod ſanctio pœnalis longobardica, cum jure Romano ingratitudinem puniente, in generali ſcopo, conveniat, non vero, quod cauſæ in hoc enumeratæ, feudi privationem mereantur *v.* STRYK *E. J. F. c. 23. qu. 42.* Interim incertitudo, quæ hic ſubeſt, parum obeſſe videtur, cum hæc jura ſint rarioris uſus.

§. 20. Ob cauſas memoratas feudum amittitur, ſive feudum fuerit datum, ſive oblatum, ſive Vaſallus, ſive ſubvaſallus feloniam commiſerit *II. f. 55. §. 2.* Delictum patris, feudum poſſidentis, nocet etiam filio *II. f. 31.* ſi vero pater jus ſuccedendi, per feloniam, ſaltem amiſerit, nepos avo ſuccedit STRUV. *d. c. 15. §. 14.* Denique dubium non eſt, quin etiam ſimultanee inveſtiti & expectantes, ob feloniam, quatenus in eos illa cadit, jus ſuum amittant *v.* STRUV. *c. 13. §. 15.*

§. 21. Non antea tamen Vaſallo delinquenti feudum auferri poteſt, quam legitime fuerit delicti convictus & condemnatus; Ubi quæritur, num ſententia ſit, *privatoria*, an *declaratoria*, ſive, num *à tempore ſententiæ*, an *commiſſi delicti*, *ipſo jure* Vaſallus feudo privetur? Rigidior ſententia, quæ poſterius aſſerit, non videtur improbabilis, cum delictum ſit cauſa meritoria, adeoque eo poſito, effectus etiam adeſſe debeat, ſententia vero judicialis, non ſit terminus, à quo feudum amittatur, ſed ſaltem pœnæ ad factum applicatio.

§. 22. Alii unico illo caſu, quo feudum illicite alienatur, illud ipſo jure, à tempore perpetrati delicti, amitti, in cæteris vero caſibus poſt rem judicatam, id demum perire cenſent, ut tamen nihilominus à tempore delicti commiſſi, fructus præſtandi ſint *v.* STRUV. *c. 15. §. 11.* Cum vero ita, quoad fructus, res eodem recidat, ſive ipſo jure, ſive per ſententiam, feudum amitti dicas, hinc effectum diſcriminis, alii in eo conſtituunt, quod illo caſu, dominus feloniam remittere in præjudicium agnatorum non poſſit, bene vero hoc, quamdiu res judicata nondum intervenerit, ſed & hoc diſcrimen dubium videtur, de quo mox.

§. 23. Mihi jam placet ſententia mitiſſima, quod Vaſallus demum a tempore rei judicata, rem cum fructibus amittat, nam pœnæ in dubio potius ſunt molliendæ, quam aſperandæ *v. l. 42. de pœn.* nec concedendum eſt, quod, commiſſo delicto, ſtatim adſit obligatio ad pœnam, de hac enim non tantum ex delicto, ſed & præcipue, ex utilitate publica, judicandum, ſicut vero hæc non ſemper exigit, ut pœna imponatur, ita in dubio hæc non antea effectum habere cenſenda eſt, quam per ſententiam fuit impoſita.

§. 24. Feudum novum felonia amiſſum, deficientibus ſimultanee inveſtitis, irrevocabiliter domino acquiritur. Antiquum vero, ob cauſas, quæ dominum non reſpiciunt, amiſſum, ad ſimultaneæ inveſtitos, excluſis delinquentis liberis, devolvitur, ſi vero cauſæ dominum reſpiciant, hic feudum accipit, delinquente ejusque liberis maſculis deficientibus, ad ſimultanee inveſtitos transferendum *II. f. 31. 37.* STRUV. *c. 15. §. 14. 15.* Sed in Electoratu Saxoniæ, felonia, dominum haud reſpiciens, liberis, in feudo antiquo, non nocet, *p. 3. C. 27. v.* SCHULTZ *Synopſ. jur. feud. c. 11. n. 71.* Præterea feudum illicite alienatum, ſtatim ſimultanee inveſtitis acquiritur *p. 2. C. 48.*

§. 25. Felonia aliquando remittitur expreſſe *II. f. 31.* vel tacite. Hoc fieri cenſetur, ſi vel vaſallus, vel dominus, ante revocationem, ſit mortuus, licet dominus feloniam ignoraverit, cum actiones, ad meram vindictam tendentes, natura ſua, in hæredes non tranſeant STRUV. *c. 15. §. 12.* Sed hoc ultimum, dubium eſt, cum tacita remiſſio, ſcientiam omnino videatur præſupponere, nec natura actionis vindicativæ tam abrupte urgeri queat, ſed potius recte, ex principiis conſenſus

ſenſus taciti, explicanda ſit; ſcientia tamen Collegii, cui res feudales commiſſæ ſunt, ſufficere videtur.

§. 26. Si feudum amiſſum, ad dominum reverti debeat, tum felonia indiſtincte ab hoc remitti poteſt; ſi vero in agnatos devolvendum ſit, quidam intereſſe putant, num *ipſo jure, in caſu ſcilicet illicitæ alienationis, id ſit amiſſum*, an per *ſententiam, in cæteris nempe caſibus, auferri debeat*, illo caſu, dominus feloniam remittere nequit, bene vero hoc, niſi per rem judicatam, feudum jam ſit ablatum, vel dominus, gratiam ſe non eſſe facturum, dixerit *v.* STRUV. *d. c. 15. §. 12, n. 9. ſeqq.* Dn. HORN *Jurispr. feud. exerc. 17. §. 46.*

§. 27. Cæterum ſicut, nullo caſu, feudum ipſo jure amitti videtur *v. §. 23.* ita, admiſſa licet illa amittendi ratione, nihil, quoad facultatem remittendi, intereſſe putamus, ſive ipſo jure, ſive per ſententiam feudum ſit auferendum, nam utraque privandi ratio, non abſolute, ſed ſub conditione: *niſi dominus remiſerit delictum*, ſancita videtur, hoc enim vel ex vulgari parœmia, qua pœnæ molliendæ aſſe dicuntur, probabile eſt, præterea pœna privationis, favore domini, originarie introducta eſſe, adeoque ejus arbitrium ſemper præſupponere videtur.

§. 28. Quare dominus omni caſu feloniam remittere poteſt, niſi contrarium dixerit, nam ex tali declaratione, agnati certum jus conſequuntur. Atque illa remittendi facultas etiam locum habere videtur, licet per rem judicatam feudum ſit ablatum; imputent enim ſibi agnati, quod, ante exploratam domini ſententiam, litem moverint. Niſi forte contrarium dicendum ob autoritatem rei judicatæ, quam dominus feudi, ſi ſimul Imperans ſit, convellere non debet, privatus autem non poteſt. Illud verbo adjiciendum, feloniam etiam triginta annis præſcribi *arg. II. f. 26. §. ſi quis v.* STRUV. *c. 15. §. 12, n. 8.* excepta illicita alienatione *v. c. 7. §. 14.*

§. 29. Quando feudum felonia, vel ſucceſſorum defectu extinctum eſt, de *fructibus* & *meliorationibus* quæri ſolet, quæ quæſtio inprimis etiam locum habet, ſi, poſſeſſore ſine habilibus hæredibus defuncto, agnati ab allodialibus hæredibus, feudum petant, de quo adeo nunc generaliter dicendum erit. Circa fructus hæ fere regulæ obſervandæ (1.) omnes fructus, qui ante amiſſum feudum, percepti ſunt, aut quorum dies ceſſit, manent penes poſſeſſorem vel ejus hæredes allo-

Digitized by Google

allodiales, cum enim à feudo ſeparati ſint, dubio procul ſunt res mere allodiales *v.* H. PISTOR. *l. 1. qu. 24. n. 38.* SCHULTZ *S. J. F. c. 8. n. 272.*

§. 30. Quodſi (2.) Vaſallus delicto feudum amittat, omnes poſt tempus amiſſionis *v. §. 23.* percepti aut percipiendi fructus, iis reſtituendi ſunt, ad quos feudum devolvitur. Si vero (3.) morte Vaſalli feudum aperiatur, jure Longobardico, fructus pendentes, naturales & induſtriales, cedunt ſucceſſoribus feudalibus, ſi Vaſallus ante primum Martii, mortuus ſit, ſi autem poſt illum deceſſerit, manent penes hæredes allodiales *II. f. 28. v. H.* PISTOR *l. 1. qu. 24. n. 40. ſeqq.* debent tamen, primo caſu, ſucceſſores feudales, impenſas in fructus factas, hæredibus allodialibus reſtituere PISTOR. *d. l. n. 72.*

§. 31. Sed jure Saxonico (4.) omnes fructus naturales ſequuntur ſucceſſores feudales *Landr. l. 2. art. 58. Conſt. 32. p. 3.* PISTOR. *d. l. n. 84. ſeqq.* CARPZ. *p. 3. C. 32. D. 23.* Fructus vero (5.) induſtriales agrorum & hortorum, manent penes hæredes allodiales, ſi poſt peractum laborem vel culturam, Vaſallus deceſſerit *d. art. 58.* & *Conſt. 32.* PISTOR. *d. l. n. 37.* CARPZ. *d. l. D. 5.* Vindemia (6.) cedit hæredibus allodialibus, ſi Vaſallus poſt diem Urbani, ſive 25. Maji, mortuus ſit, quia tum maximus labor, *die Hacke*, eſt peractus *d. art. 58.* PISTOR *d. l. n. 93.* CARPZ. *p. 3. C. 32. D. 8.* Licet vero ultimi laboris, *der Ruhr*, qui menſe Julio fieri ſolet, in Thuringia rationem haberi dicat COLER. *de proceſſ. execut. p. 2. c. 3. n. 303.* attamen illa ſententia applauſum non invenit *v.* RICHTER *Deciſ. 56. n. 5. 6.* COLER *p. 2. Deciſ. 286. n. 106.*

§. 32. In cæteris fructibus induſtrialibus (7.) etiam in foro Saxonico, obſervatur jus longobardicum, hinc ſi vaſallus poſt primum Martii moriatur, hæredes allodiales, per integrum annum, cereviſiam in feudo coquere & vendere poſſunt CARPZ. *p. 3. C. 32. D. 9.* Si (8.) fructus ſingulis trienniis percipi ſoleant, ut ſunt pisces, qui ex ſtagnis, poſt tres annos, extrahuntur, tum, ex ratione juris longobardici, adjudicantur hæredibus allodialibus, ſi poſt temporis illius dimidium Vaſallus ſit mortuus, ſi vero ante illud deceſſerit, ſucceſſoribus feudalibus *v.* RICHTER *Deciſ. 56. n. 8.* PISTOR. *d. qu. 24. n. 69. ſeqq.*

§. 33. Fructus civiles (9.) qui in locum naturalium & induſtrialium ſurrogantur, ut penſiones, horum jure cenſentur, adeoque juxta diver-

diverſitatem temporis antea notatam, vel hæredes allodiales, vel feudales ſequuntur *v.* PISTOR *l. 1. qu. 25.* Si vero per ſe ſubſiſtant, ut cenſus & decimæ, tum (10.) manent penes hæredes allodiales, ſi vaſallus, poſt diem cedentem, deceſſerit, ſunt enim inſtar fructuum jam perceptorum *v.* CARPZ. *p. 3. C. 32. D. 19.*

§. 34. Atque hoc jure Saxonico etiam locum habet, ſi (11.) poſt obitum vaſalli, intra, aut paulo poſt triginta dies, tempus ſolutionis cedat *d. C. 32. p. 3.* CARPZ. *d. l. D. 20. 21.* PISTOR. *l. 1. qu. 24. n. 95.* quod tamen COLERO *p. 2, Deciſ. 286. n. 129.* diſplicet. Quodſi autem Vaſallus (12.) ante diem cedentem moriatur (obſervato tamen, in foro Saxonico, temperamento jam allato) tum nonnulli, in adjudicandis fructibus civilibus, ad primum Martii reſpiciendum eſſe putant, alii, juxta proportionem temporis, eorum diviſionem fieri volunt *v.* PISTOR. *d. qu. 24. n. 61.* STRUV. *c. 15. §. 16. n. 7.* ſed jure Saxonico ſequuntur hæredes feudales CARPZ. *p. 3. C. 16. D. 6.* ſunt enim inſtar fructuum naturalium *v. §. 31. n. 4.*

§. 35. His fere regulis nititur acquiſitio fructuum, dubium tamen non eſt, quin aliæ etiam occurrere queant; In Marchia Brandenburgica, dies Margarethæ, loco primi Martii obſervari dicitur STRYK. *E. J. F. c. 15. §. 14.* Aliquando etiam dubia eſt juris applicatio, ob incertam fructuum indolem. Omni iſti incertitudini mederi poſſet æquiſſima ſanctio, ſi fructus pendentes, pro rata temporis. Inter hæredes feudales & allodiales dividerentur *v.* PISTOR. *l. 1. qu. 24. n. 68.* illique his impenſas, juxta proportionem fructuum acceptorum, reſtituerent.

§. 36. Meliorationes quod attinet, ſi quid naturaliter feudo accedat, veluti per alluvionem, id ſequitur ſucceſſores feudales: Si vero Vaſallus, in perpetuam rei utilitatem, aliquid impenderit, eo nomine ipſi vel ejus hæredibus eſt ſatisfaciendum, ſive culpa, ſive ſine culpa, feudum amiſſum ſit *v.* STRUV. *c. 15. §. 17.* Neque compenſationem fructuum cum impenſis, admittere tenetur Vaſallus, illos enim vi dominii ex re propria percepit, has vero ex re, nunc aliena, repetit.

§. 37. Quomodo autem Vaſallo vel hæredibus ſit ſatisfaciendum, id omne fere, ex æquitate dependet, cujus veſtigium eſt in *II. f. 28. §. ſi vaſallus v.* PISTOR. *l. 2. qu. 42.* Quodſi adeo ſucceſſor feudi,

meliorationibus non indigeat, debet ſaltem pati, quo Vaſallus illas tollat, vel æſtimationem ruderum præſtare: Si vero cum ratione negare nequeat, quin meliorationes ſint neceſſariæ & utiles, tum diſtingvendum utrum *meliorationes ſuperent pretium impenſarum*, an vice verſa *impenſæ illis ſint majores.*

§. 38. Primo caſu *pretium impenſarum* præſtatur, nam ſufficit, ſi Vaſallus vel hæredes, ſerventur indemnes; ſecundo autem *pretium meliorationum*, plus enim non profuit Vaſallus ac imputet imprudentiæ ſuæ, quod magnis ſumtibus exiguam paraverit utilitatem. Jure Saxonico ædificia, in feudo exſtructa, ſine refuſione pretii, ſequuntur ſucceſſores feudi CARPZ. *p. 3. C. 31. D. 1. 2.* quod etiam de molendinis pneumaticis dicendum *Deciſ. Saxon. 53.* Cæterarum meliorationum æſtimatio præſtatur non tam ob præſcriptum juris longobardici *v.* CARPZ. *d. l. D. 3.* PISTOR *l. 2. qu. 42. n. 39.* quam æquitatis, ac habent, eo nomine, hæredes retentionem & actionem PISTOR. *d. l. n. 30. ſeqq. add.* LYNCK. *Deciſ. Jenenſ. Deciſ. 360.*

§. 39. Quæ de amiſſione feudi hactenus dicta ſunt, illa etiam ad feuda imperii immediata applicantur, quatenus horum ſtatus applicationem illam admittit *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 8.* Domino feloniam committente, dominium directum Vaſallo acquiritur *II. f. 26. §. domino II. 47.* STRUV. *c. 13. §. 9. in fin. c. 15. §. 18.* facta tamen hac conſolidatione, jus ſuccedendi agnatis erit ſalvum. De cætero hæc ſanctio, ad nudos dominos directos, tantum quadrat, ſed ad Cæſarem & Status imperii germanici, quibus præter dominium directum, aliquod imperium in Vaſallos competit, illa applicari nequit *conf.* JUS FEUD. GERMAN. *c. 26.*

CAPUT XX.
DE JUDICE FEUDALI.

SUMMARIA.

Jure Longobardico inter vaſallos dominus feudi judex competens eſt §. 1.

Inter Dominum & vaſallum, Pares Curiæ aut judex ordinarius judicant §. 2.

Appellatur ad dominum feudi ſuperiorem vel judicem ordinarium §. 3.

Sed Longobardica illa ad præſentem Germaniæ Statum non quadrant §. 4.

In Germania de controverſiis feudorum immediatorum regalium judicat judicium aulicum §. 5.

Non

Non regalium etiam judicium camerale §. 6.
Controverſiæ Cæſaris & Statuum ad Comitia pertinent §. 7.
Applicatio juris longobardici hic eſt fruſtranea & inutilis §. 8.
Quoad feuda mediata, intelligendæ judicis competentiæ tres caſus ſunt diſtingvendi §. 9.
Vaſalli in omnis generis litibus domino territoriali ſubſunt §. 10.
Etiam ſimultanee inveſtiti extranei §. 11.
Nec obeſt domino privilegium de non evocando aut ſplendida Vaſalli conditio §. 12.
Quoad Vaſallos territoriales ceſſat diſtinctio judicis feudalis & ordinarii §. 13.
Peculiari tamen ſenſu illa aliquando occurrit §. 14.
Ceſſat etiam judicium parium §. 15.
Dominus feudi privatus nullam regulariter habet jurisdictionem §. 16.
Ut & dominus extraneus §. 17.
Quoad appellationem cauſæ feudales nihil etiam ſingulare habent §. 18.
Quæ de reconventione ex jure longobardico traduntur, exigui hodie ſunt uſus §. 19.

§. 1.

DE foro competente, in genere *l. 8. c. 11.* actum, judex vero rerum eccleſiaſticarum *l. 9. c. 3.* exhibitus eſt. Cumque rerum feudalium peculiare forum vulgo quoque aſſeratur, ideo de Judice feudali, nunc etiam quædam dicenda erunt. Solet ille ejusque competentia, ex jure longobardico, hunc in modum, repræſentari: Si inter Vaſallos lis ſit, dominus feudi judex eſt, qui, quoad feudum regale, ſolus, quoad non regale, adhibitis Paribus Curiæ, judicat ac litem dirimit *v. I. f. 18. II. f. 15. in fin. II. f. 55. in fin.* STRUV. *S. J. F. c. 16. §. 4. 5.*

§. 2. Si vero inter dominum & vaſallum, vel vaſallos quidem lis ſit, ut tamen domini interſit, tum Pares Curiæ judicant *II. f. 16. 39. §. ſi inter. 55. in fin.* STRUV. *d. l. §. 6.* Quodſi autem cauſa non ſit feudalis, ut ſit propter feudum promiſſum, vel de fructibus aut debitis, ſimilibusque rebus litigetur, Judex ordinarius judicat, ad quem etiam ſpectat cognitio, ſi cauſa quidem feudalis ſit, ſed judex feudalis deficiat, dum vel ſuſpectus eſt, vel pares Curiæ non adſunt *v. II. f. 15. 16. 20. 34. §. ſi autem* STRUV. *d. c. 16. §. 7.*

§. 3. A paribus Curiæ vel domino feudi, appellatur ad dominum ſuperiorem, & ſi plures, ſibi invicem ſubordinati, adſint, gradatim appellatio fieri debet, quæ adeo appellandi ratio, tantum, in ſubfeudis locum habet. Quodſi judices Superiores ſibi ſint æquales, prævention locus eſt. Si vero dominus directus ſuperior non adſit,

ad judicem ordinarium, cujus jurisdictioni judex feudalis inferior ſubeſt, appellatio dirigitur *l. f. 22. in fin.* STRUV. *d. l. §. 9.*

§. 4. Sed illa ad Statum Reipublicæ præſentem non quadrant, ut omnino eorum ad Germaniam applicatio, ad artis legulejæ emblemata, referri debeat, cum enim judices inferiores, ab Imperante jurisdictionem habeant, manifeſtum eſt, quod eorum competentia, ex ſtatu cujusvis Territorii, non legibus peregrinis, judicari debeat. Ex quo etiam ſequitur, quod, ſi judicia feudalia germanica, in nonnullis forte cum longobardicis conveniant, tamen horum ratio non ex legibus longobardicis, ſed inſtitutis propriis, dependeat.

§. 5. Quodſi adeo, ſepoſito vulgari præjudicio, de competentia judicis feudalis, in Germania judicandum ſit, diſtingvendum eſt inter feuda *imperialia* & *territorialia*, ſive *immediata* & *mediata*. Illa iterum ſunt vel *regalia*, vel *non regalia*, qualia Nobiles immediati poſſident. Hoc poſito, ſi de feudo immediato regali, lis ſit, cognitio pertinet ad Judicium aulicum, non Cameram Imperii, modo cauſa, revera feudalis ſit, hoc eſt, reſpiciat (1.) perſonas feudales (2.) qualitas feudalis ab his non negetur ac (3.) oriatur ex jure feudali, num rem ipſam vel poſſeſſionem concernat, nihil intereſt *v.* EYBEN. *diſput. de cauſis feudal. ſect. 3 §. 7. ſeqq. ſect. 4. §. 2. 13. 14. ſeqq.* STRUV. *S. J. F. c. 16. §. 4.* SCHWED. *J. P. p. ſp. Sect. 1. c. 9. §. 10. 16.*

§. 6. Si vero controverſia ſit de feudo non regali, tam Camera, quam Judicium aulicum, judicare poteſt, habentque adeo judicia illa concurrentem jurisdictionem ac prævention, inter illa, locus eſt. *v.* SCHWED. *d. l. §. 18.* Idem obtinet, ſi circa feudum regale quidem litigetur, ſed cauſa non ſit feudalis, nam hujus cognitionem ſibi etiam Camera aſſerere poteſt. Sæpe tamen non ſatis manifeſta eſt cauſæ qualitas, hinc, eo nomine, Judicia imperii non raro diſſident *v.* EYBEN. *de cauſ. feud. ſect. 4. §. 20.*

§. 7. Si inter Cæſarem & Statum imperii, controverſia feudalis oriatur, tum Paribus Curiæ eam ſubmittendam eſſe cenſent, quod etiam effato Imperatoris Sigismundi confirmari ſolet *v.* SCHWED. *d. c. 9. §. 9.* ITTER. *de feud. imper. c. 25. §. 17.* Sed uti hoc temporum illorum jurisprudentiam ſapit, ita item ejusmodi, ad Comitia pertinere, Germaniæ ſtatus ſatis probare videtur, de quo, in Jure publico

blico, amplius agendum eſt *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 7. c. 1. 4. 5.* id ſaltem breviter hic oſtendi debet, quod ad Jurisdictionem Imperii publicam, ſanctiones juris longobardici fruſtra & inutiliter applicentur.

§. 8. Nam quis credat, ex *l. f. 18.* recte probari jurisdictionem judicii aulici? Judicium Parium in Germania ceſſat. Judicium aulicum non poteſt dici feudale, nec Camerale, Ordinarium, cum utriusque judicii eadem ſit jurisdictio, modo cauſas feudorum regalium excipias. Appellatio, inter illa judicia, locum non habet; Denique ſi aliqua in parte judicia germaniæ, cum longobardicis conveniant, ratio tamen non ex legibus peregrinis, ſed propriis dependet.

§. 9. Feuda territorialia ſive mediata quod attinet, ob multitudinem Territoriorum germanicorum, competentiam judicis feudalis, exacte quidem & ſpecialiter definire non licet. Quia tamen Superioritas Territorialis, omnibus Statibus competit, hinc, ſi juxta eam, competentia illa generaliter delineanda ſit, tres caſus diſtingvendi videntur, vel enim (1.) dominus territorialis, eſt dominus feudi, vel (2.) ſubditus vel (3.) Status imperii extraneus ejus vices ſuſtinet.

§. 10. Primo caſu, qui in Germania ordinarius eſt, omnes Vaſalli, qui in Territorio degunt, ſimul ſubditi ſunt, adeoque Dominum Territorialem, tam in cauſis feudalibus, quam cæteris, judicem agnoſcere debent. Idem dicendum de iis, qui in Territorio ſaltem feuda poſſident, licet alibi degant, nam hi etiam omnis generis actionibus, coram domino feudi conveniri poſſunt *v.* CARPZ. *l. 6. Reſp. 115.* Quæ omnia ex Superioritate Territoriali fluunt *vid.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 10.*

§. 11. In Electoratu Saxoniæ, etiam ſimultanee inveſtiti extranei, quibusvis actionibus, coram domino feudi conveniri poſſunt, neque hoc nititur ſola conſvetudine, ut vult CARPZ. *Pr. tit. 3. art. 6. n. 30. ſeqq.* STRUV. *in Obſ. feud. ad c. 16. Obſ. 5.* Sed ex Superioritate Territoriali itidem profluit, adeoque in aliis etiam Territoriis locum habere poteſt. Illud tamen manifeſtum, quod, jactura ſimultaneæ inveſtituræ, forum hoc declinari queat.

§. 12. Ob ſolum privilegium de non evocando, Vaſalli foren-

ſes forum domini feudalis declinare nequeunt, nam ejusmodi privilegia Superioritatem Territorialem, quoad res in Territorio ſitas reſtringere nequeunt *v.* CARPZ. *l. 2. Reſp. 29. p. 1. D. 31.* MEV. *p. 2. D. 4.* STRUV. *in Obſ. feudal. ad c. 16. Obſ. 4.* Conditio etiam Vaſalli, quod ſit Status imperii, vim Superioritatis Territorialis non excludit. Ex eadem ratione nudi expectantes, qui juris ſui jacturam ſubire nollent, ad forum Domini feudalis trahi poſſent, ſed, ob juris illius incertitudinem, id fieri non ſolet.

§. 13. Ex dictis liquet, quod, ſi Vaſalli Territoriales intuitu domini territorialis & feudalis ſpectentur, inter judicem *feudalem & ordinarium* diſtingvi nequeat, cum illi, in omnes cauſas, competat jurisdictio. Non minus etiam ceſſat diſtinctio illa longobardica, ratione judicum, à domino Territoriali conſtitutorum, nam Vaſalli ſunt vel *Schrifft*- vel *Amtſaſſii*, illo caſu in Cancellariis vel Curiis Provincialibus, hoc vero, coram Præfecto conveniuntur, tam in cauſis feudalibus, quam allodialibus *v.* SCHULTZ *S. J. F. c. fin. n. 48.*

§. 14. Solent tamen Cancellariæ, circa executionem in bona feudalia, plus poteſtatis habere, quam Curiæ provinciales ac Præfecti, dum illæ, in ipſam feudi ſubſtantiam, iſtæ vero & hi, tantum in fructus executionem facere poſſunt *v.* PISTOR. *l. 1. qu. 15. n. 71. ſeqq.* de quo, ſuo loco, amplius dicendum erit. Exinde fit, ut illis aliquando nomen *judicis feudalis* tribuatur, illæque his, velut *judici ordinario*, opponantur. Sed illa oppoſitio, ſenſu juris longobardici neutiquam eſt intelligenda, verum ejus ſententia eo redit: inter judices, qui tam in cauſis feudalibus, quam allodialibus judicant, eam eſſe differentiam, quod quidam & jurisdictionem & dominium directum, alii illam tantum habeant.

§. 15. Quodſi inter dominum & Vaſallum controverſia ſit, coram judiciis conſvetis illa tractari ſolet, nec habet locum Judicium Pariuin, nec aliud extraneum, quamdiu illa, de adminiſtratione juſtitiæ, non ſunt ſuſpecta. Et nihil refert, ſive cauſa ſit feudalis, ſive allodialis. Hinc ſi e. gr. prædii alicujus poſſeſſor, ſine maſculis hæredibus, decedat, ac dominus illud, velut feudum apertum ſibi aſſerat, defuncti vero cognati id, tanquam rem allodialem, vindicent, domi-

Digitized by Google

dominus ipſe, per judicia ſua, litem dirimere poteſt, licet alii, cum cauſa non ſit feudalis, nec adeo judicium parium locum habeat, Cæſareæ commiſſioni eandem ſubjiciant *v.* EYBEN. *de cauſ. feudal. ſect. 4. §. 19.*

§. 16. Secundum caſum quod attinet, *v. §. 9.* putem, nec dominum feudi privatum, nec ejus Vaſallos, ſi forte plures habeat, aliquam habere jurisdictionem, adeoque eorum lites, in ordinariis judiciis, à Domino Territoriali conſtitutis, eſſe terminandas. Si vero hic aliquam jurisdictionem, iis ultro concederet, tum ſimilitudo aliqua, cum Statu & jure longobardico, exiſteret, ac judex feudalis, ordinario poſſet opponi. Verum ſicut raro contingit, ut privatus domini feudalis vices ſuſtineat, ita rarius adhuc fiet, ut ei & Vaſallis aliqua jurisdictio concedatur.

§. 17. Tertio caſu *v. §. 9.* itidem putem, dominum Territorialem, ad jurisdictionem aliquam domino feudi & Vaſallis concedendam, haud eſſe obſtrictum; hinc ſi dominus directus, contra Vaſallos agere, vel hi inter ſe litigare velint, ordinarius judex, à Domino Territoriali conſtitutus, erit adeundus: Si vero Vaſallis contra dominum, agendum ſit, ad judicia Imperii, vel etiam Domini propria, lis erit remittenda. Imo domini Territorialis Jurisdictio, erga dominum feudi in cauſis feudum concernentibus, efficax videtur. Quodſi autem dominus territorialis ultro aliquam jurisdictionem perſonis feudalibus concederet, tum perinde, ut in caſu præcedente, peculiaris judex feudalis occurreret.

§. 18. Atque juxta hos tres caſus, etiam de appellatione judicari poterit. Cum enim, in primo caſu, quoad primam inſtantiam, judex peculiaris feudalis non adſit, hinc nihil etiam ſingulare, quoad ſecundum inſtantiam, occurrit, ſed in cauſis feudalibus, v. gr. à Præfecto ad Curiam Provincialem vel Cancellariam appellatur, de quo ex ſtatu cujusvis Territorii amplius judicandum. Si Dominus Territorialis privilegium de non appellando, non habeat, ab eo, ad judicium aulicum, vel Cameram imperii appellari poterit *v.* STRYK. *E. J. F. c. 25. qu. 28.* Secundo & tertio caſu, aliquando ſed rariſſime, à judice feudali, ad judicem ordinarium appellabitur.

§. 19. De reconventione vulgo docere ſolent, quod coram judi-

judice feudali inſtitui nequeat, niſi cauſa etiam ſit feudalis, quemadmodum vice verſa, coram judice ordinario, illa, in cauſa feudali, locum non habeat *v.* STRYK. *E. J. F. c. 25. qu. 16.* Sed hujus etiam doctrinæ, in Germania, exiguum eſſe uſum, ex dictis facile apparet. Nam in judicio aulico, etiam in cauſa allodiali, reconventio inſtitui poteſt, ſi modo ipſius cauſæ indoles eam admittat: In Camera vero imperiali, quoad feuda regalia, illa locum habet: In judiciis denique Territorialibus, illa rariſſime alicujus uſus eſt. Illud etiam ex dictis manifeſtum eſt, intuitu Territoriorum germanicorum cauſas feudales *v. §. 5. 6.* à cæteris ſollicite non eſſe diſtingvendas *conf.* JUS FEUD. GERMAN. *c. 28. §. 8. ſeqq.*

LIBER

Digitized by Google

LIBER DUODECIMUS.

CAPUT I.

DE JUDICIO SIVE PROCESSU IN GENERE.

SUMMARIA.

Transitus ad jus processuale §. 1.
In Statu civili per judicia jus asserendum est §. 2.
In delineando processu leges provinciales potius quam summorum imperii tribunalium respiciendæ sunt §. 3.
Asserti hujus ratio §. 4.
Judicii varia acceptio ejusque quoad rem præsentem definitio §. 5.
Quædam judicii divisiones non sunt magni usus §. 6.
Alias illud distinguitur in ordinarium & extraordinarium §. 7.
Seculare & ecclesiasticum, petitorium & possessorium §. 8.
Civile & criminale §. 9.
Circa judicium considerari debent personæ, materia, modus pro cedendi & exitus §. 10.
Inter personas principales occurrit judex §. 11.
Actor §. 12.
Et reus §. 13. 14.
Judici olim aderant assessores, domestici & Cancellarii §. 15.
Actuarii officium, requisita §. 16.
Et constitutio §. 17.
Apparitores & viatores judici quoque operam præstant §. 18.
Partibus inserviunt advocati, horum indoles varietas §. 19.
Constitutio §. 20.
Requisita, patrocinandi necessitas §. 21. 22.
Officium ejusque neglecti pœna §. 23.
Advocatis debetur salarium §. 24.
Procurator judicialis differt ab advocato §. 25.
Constituitur mandato §. 26.
Cujus locum aliquando supplet cautio rati §. 27.
Gesta procuratoris falsi quatenus rati habere queant §. 28.
Personæ procuratorem constituentes §. 29.
Quibus hoc munus deferatur §. 30.
Quænam causæ procuratorem admittant §. 31.
Procuratoris officium §. 32.
Et duratio §. 33. 34.
Syndicorum constitutio sæpe juris incerti est §. 35.
Curatorum, quæ mulieribus dantur, necessitas; constitutio & potestas non satis liquida est §. 36. 37.
Materia judiciorum sunt omnis generis controversiæ §. 38.
Ordo plurium causarum concurrentium §. 39.
Modus procedendi & exitus judiciorum generaliter delineatus §. 40.

Digitized by Google

§. 1.



Us Conſtitutum, decem libris hactenus traditum eſt, eo ordine, qui maximè naturalis fuit viſus. Progrediendum nunc eſt ad alterum Jurisprudentiæ Caput generaliſſimum, in quo, *ratio jus competens, contra invitos, ſibi aſſerendi*, explicari debet *v. l. 2. c. 1. §. 2.* Eſt etiam hoc jus dubio procul, *conſtitutum*, quia tamen defenſionem & aſſertionem aliorum jurium reſpicit, ideo hactenus juri conſtituto opponitur, ac, ſtilo forenſi, proceſſuale dicitur.

§. 2. Illud igitur, ex indole Societatis Civilis, facile liquet, arbitrium juris aſſerendi, extra caſum neceſſitatis, non competere privatis, ſed per Imperantem ab eoque conſtitutos judices, jura eſſe vindicanda, id quod, ex communi principio, etiam Romani agnoverunt *l. 1. 2. C. quand. lic. unic. ſine jud. ſe vind.* Non minus etiam illud liquet, efficax auxilium ab Imperante ſubditis eſſe impertiendum, nam aliàs, ſi vindicta privata in crimen ipſis imputetur, nec valide tamen iis per Magiſtratus ſuccurratur, gravi eos affici injuria manifeſtum eſt.

§. 3. De cætero legum ad judicia & proceſſum pertinentium, magna eſt prolixitas, varietas & nonnunquam incertitudo & obſcuritas, ut exacta hujus rei explicatio hic inſtitui nequeat, ſed ſumma capita breviter ſaltem delibanda ſint. Illud autem rationi videtur conſentaneum, ut in delineando proceſſu, potius ad leges provinciales certi alicujus Territorii, quam ſummorum Imperii Tribunalium, Cameralis ſcilicet & Aulici, reſpiciamus.

§. 4. Nam uti horum leges, in Territoriis Statuum, neceſſariò non ſunt obſervandæ, licet id ex præjudicio, ex *§. fin. I. de Satisd.* hauſto, aſſeri ſoleat *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 7. c. 4. §. 35.* ita in exemplo unius Territorii, magis intelligi poteſt, quid in aliis obtineat; Eſſentialia enim, quæ æquitas exigit, ubique locum habent, ſanctiones verò poſitivæ exemplum præbent eorum, quæ circa proceſſum conſtitui ſolent, ac in illarum locum facile quivis, ex uſu Territorii ſui, alias ſurrogare poteſt. Præcipue igitur reſpiciemus ad jus Saxonicum Electorale. De cætero, multa, quæ ad rationem Judiciorum pertinent,

ut

Digitized by Google

ut alibi, ita etiam in Germania, mutanda esse, si quidem justitiæ administratio efficax esse debeat, quotidiana loquitur experientia, sed hujus rei arbitrium ad alios pertinet.

§. 5. In Statu igitur civili, per Judicia, jus suum persequi debent privati. Judicii nomen varia significat *v. l. 2. §. fin. l. 12. §. 2. l. 13. de judic. l. 34. de usur. l. fin. §. 1. de inoff. testam. l. 1. 2. si quis caut. in judic. sist.* Hoc loco accipi potest, vel pro *consessu personarum jurisdictione instructarum ac causas controversas expedientium*, vel pro *ipsa causæ controversæ discussione*, hoc sensu dicitur *legitima causæ controversæ tractatio, à litigantibus, coram judice competente, eo fine instituta, quo hic, sua sententia, litem definiat, eamque exequatur.* Hoc respectu *Judicium*, etiam dicitur *Processus*, nam, hisce nominibus eandem rem notari, manifestum est.

§. 6. Solet judicium variè dividi, sed omnium divisionum hodie non est aliqua utilitas. Ab *objecto* dividitur in *publicum* & *privatum l. 1. de judic. publ. l. 3. §. fin. de prævar. pr. I. de publ. jud.* nam ratione originis omne judicium est publicum. Hodie nullius usus videtur hæc divisio. A *Subjecto* judicium est *duplex* vel *simplex l. 13. 14. de judic. l. 10. fin. reg. l. 2. §. 3. fam. ercisc.* Rursus ab *objecto* est vel *reale*, vel *personale*, vel *mixtum §. 1. 20. I. de action.* ut & vel *universale*, vel *generale*, vel *singulare l. 18. §. fin. l. 19. seqq. de hæred. petit. l. 1. de R. V. l. 38. pro soc.* A fine discernitur in *præparatorium* & *principale l. 1. 3. §. 3. ad exhib.* Harum etiam divisionum exiguus videtur usus, cum circumstantiæ illæ, jus non adeo varient.

§. 7. Utilior, ex hypothesi processus usitati, est divisio, qua judicium, à *modo procedendi*, distingvitur, in *Ordinarium* quod juxta consvetas leges processuales peragitur, & *Extraordinarium*, in quo de simplici & plano, juxta æquitatem, saltem proceditur *clement. sæpe 2. de V. S.* CARPZ. *Pr. tit. 1. art. 1.* Regulariter causæ tractandæ sunt processu ordinario, quædam vero summario expediuntur, quarum numerus non est certus *v.* CARPZ. *d. l.* MARTIN *ad O. P. S. tit. 1. n. 13.* eas etiam ordinario modo actorem volentem peragere posse, quidam censent *v.* CARPZ. *d. l. n. 37.* LAUTERB. *C. J. de judic.* quod tamen alii, reo dissentiente, negant MARTIN *d. l. n. 14.* DN. BERG. *in resolut. ad* LAUTERB. *de judic. conf.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1496.*

allodiales, cum enim à feudo ſeparati ſint, dubio procul ſunt res mere allodiales *v.* H. PISTOR. *l. 1. qu. 24. n. 38.* SCHULTZ *S. J. F. c. 8. n. 272.*

§. 30. Quodſi (2.) Vaſallus delicto feudum amittat, omnes poſt tempus amiſſionis *v. §. 23.* percepti aut percipiendi fructus, iis reſtituendi ſunt, ad quos feudum devolvitur. Si vero (3.) morte Vaſalli feudum aperiatur, jure Longobardico, fructus pendentes, naturales & induſtriales, cedunt ſucceſſoribus feudalibus, ſi Vaſallus ante primum Martii, mortuus ſit, ſi autem poſt illum deceſſerit, manent penes hæredes allodiales *II. f. 28. v. H.* PISTOR *l. 1. qu. 24. n. 40. ſeqq.* debent tamen, primo caſu, ſucceſſores feudales, impenſas in fructus factas, hæredibus allodialibus reſtituere PISTOR. *d. l. n. 72.*

§. 31. Sed jure Saxonico (4.) omnes fructus naturales ſequuntur ſucceſſores feudales *Landr. l. 2. art. 58. Conſt. 32. p. 3.* PISTOR. *d. l. n. 84. ſeqq.* CARPZ. *p. 3. C. 32. D. 23.* Fructus vero (5.) induſtriales agrorum & hortorum, manent penes hæredes allodiales, ſi poſt peractum laborem vel culturam, Vaſallus deceſſerit *d. art. 58.* & *Conſt. 32.* PISTOR. *d. l. n. 37.* CARPZ. *d. l. D. 5.* Vindemia (6.) cedit hæredibus allodialibus, ſi Vaſallus poſt diem Urbani, ſive 25. Maji, mortuus ſit, quia tum maximus labor, *die Hacke*, eſt peractus *d. art. 58.* PISTOR *d. l. n. 93.* CARPZ. *p. 3. C. 32. D. 8.* Licet vero ultimi laboris, *der Ruhr*, qui menſe Julio fieri ſolet, in Thuringia rationem haberi dicat COLER. *de proceſſ. execut. p. 2. c. 3. n. 303.* attamen illa ſententia applauſum non invenit *v.* RICHTER *Deciſ. 56. n. 5. 6.* COLER *p. 2. Deciſ. 286. n. 106.*

§. 32. In cæteris fructibus induſtrialibus (7.) etiam in foro Saxonico, obſervatur jus longobardicum, hinc ſi vaſallus poſt primum Martii moriatur, hæredes allodiales, per integrum annum, cereviſiam in feudo coquere & vendere poſſunt CARPZ. *p. 3. C. 32. D. 9.* Si (8.) fructus ſingulis trienniis percipi ſoleant, ut ſunt pisces, qui ex ſtagnis, poſt tres annos, extrahuntur, tum, ex ratione juris longobardici, adjudicantur hæredibus allodialibus, ſi poſt temporis illius dimidium Vaſallus ſit mortuus, ſi vero ante illud deceſſerit, ſucceſſoribus feudalibus *v.* RICHTER *Deciſ. 56. n. 8.* PISTOR. *d. qu. 24. n. 69. ſeqq.*

§. 33. Fructus civiles (9.) qui in locum naturalium & induſtrialium ſurrogantur, ut penſiones, horum jure cenſentur, adeoque juxta diver-

diverſitatem temporis antea notatam, vel hæredes allodiales, vel feudales ſequuntur *v.* PISTOR *l. 1. qu. 25.* Si vero per ſe ſubſiſtant, ut cenſus & decimæ, tum (10.) manent penes hæredes allodiales, ſi vaſallus, poſt diem cedentem, deceſſerit, ſunt enim inſtar fructuum jam perceptorum *v.* CARPZ. *p. 3. C. 32. D. 19.*

§. 34. Atque hoc jure Saxonico etiam locum habet, ſi (11.) poſt obitum vaſalli, intra, aut paulo poſt triginta dies, tempus ſolutionis cedat *d. C. 32. p. 3.* CARPZ. *d. l. D. 20. 21.* PISTOR. *l. 1. qu. 24. n. 95.* quod tamen COLERO *p. 2. Deciſ. 286. n. 129.* diſplicet. Quodſi autem Vaſallus (12.) ante diem cedentem moriatur (obſervato tamen, in foro Saxonico, temperamento jam allato) tum nonnulli, in adjudicandis fructibus civilibus, ad primum Martii reſpiciendum eſſe putant, alii, juxta proportionem temporis, eorum diviſionem fieri volunt *v.* PISTOR. *d. qu. 24. n. 61.* STRUV. *c. 15. §. 16. n. 7.* ſed jure Saxonico ſequuntur hæredes feudales CARPZ. *p. 3. C. 16. D. 6.* ſunt enim inſtar fructuum naturalium *v. §. 31. n. 4.*

§. 35. His fere regulis nititur acquiſitio fructuum, dubium tamen non eſt, quin aliæ etiam occurrere queant; In Marchia Brandenburgica, dies Margarethæ, loco primi Martii obſervari dicitur STRYK. *E. J. F. c. 15. §. 14.* Aliquando etiam dubia eſt juris applicatio, ob incertam fructuum indolem. Omni iſti incertitudini mederi poſſet æquiſſima ſanctio, ſi fructus pendentes, pro rata temporis. Inter hæredes feudales & allodiales dividerentur *v.* PISTOR. *l. 1. qu. 24. n. 68.* illique his impenſas, juxta proportionem fructuum acceptorum, reſtituerent.

§. 36. Meliorationes quod attinet, ſi quid naturaliter feudo accedat, veluti per alluvionem, id ſequitur ſucceſſores feudales: Si vero Vaſallus, in perpetuam rei utilitatem, aliquid impenderit, eo nomine ipſi vel ejus hæredibus eſt ſatisfaciendum, ſive culpa, ſive ſine culpa, feudum amiſſum ſit *v.* STRUV. *c. 15. §. 17.* Neque compenſationem fructuum cum impenſis, admittere tenetur Vaſallus, illos enim vi dominii ex re propria percepit, has vero ex re, nunc aliena, repetit.

§. 37. Quomodo autem Vaſallo vel hæredibus ſit ſatisfaciendum, id omne fere, ex æquitate dependet, cujus veſtigium eſt in *II. f. 28. §. ſi vaſallus v.* PISTOR. *l. 2. qu. 42.* Quodſi adeo ſucceſſor feudi,

meliorationibus non indigeat, debet ſaltem pati, quo Vaſallus illas tollat, vel æſtimationem ruderum præſtare: Si vero cum ratione negare nequeat, quin meliorationes ſint neceſſariæ & utiles, tum diſtingvendum utrum *meliorationes ſuperent pretium impenſarum*, an vice verſa *impenſæ illis ſint majores.*

§. 38. Primo caſu *pretium impenſarum* præſtatur, nam ſufficit, ſi Vaſallus vel hæredes, ſerventur indemnes; ſecundo autem *pretium meliorationum*, plus enim non profuit Vaſallus ac imputet imprudentiæ ſuæ, quod magnis ſumtibus exiguam paraverit utilitatem. Jure Saxonico ædificia, in feudo exſtructa, ſine refuſione pretii, ſequuntur ſucceſſores feudi CARPZ. *p. 3. C. 31. D. 1. 2.* quod etiam de molendinis pneumaticis dicendum *Deciſ. Saxon. 53.* Cæterarum meliorationum æſtimatio præſtatur non tam ob præſcriptum juris longobardici *v.* CARPZ. *d. l. D. 3.* PISTOR *l. 2. qu. 42. n. 39.* quam æquitatis, ac habent, eo nomine, hæredes retentionem & actionem PISTOR. *d. l. n. 30. ſeqq. add.* LYNCK. *Deciſ. Jenenſ. Deciſ. 360.*

§. 39. Quæ de amiſſione feudi hactenus dicta ſunt, illa etiam ad feuda imperii immediata applicantur, quatenus horum ſtatus applicationem illam admittit *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 8.* Domino feloniam committente, dominium directum Vaſallo acquiritur *II. f. 26. §. domino II. 47.* STRUV. *c. 13. §. 9. in fin. c. 15. §. 18.* facta tamen hac conſolidatione, jus ſuccedendi agnatis erit ſalvum. De cætero hæc ſanctio, ad nudos dominos directos, tantum quadrat, ſed ad Cæſarem & Status imperii germanici, quibus præter dominium directum, aliquod imperium in Vaſallos competit, illa applicari nequit *conf.* JUS FEUD. GERMAN. *c. 26.*

CAPUT XX.
DE JUDICE FEUDALI.

SUMMARIA.

Jure Longobardico inter vaſallos dominus feudi judex competens eſt §. 1.

Inter Dominum & vaſallum, Pares Curiæ aut judex ordinarius judicant §. 2.

Appellatur ad dominum feudi ſuperiorem vel judicem ordinarium §. 3.

Sed Longobardica illa ad præſentem Germaniæ Statum non quadrant §. 4.

In Germania de controverſiis feudorum immediatorum regalium judicat judicium aulicum §. 5.

Non

Non regalium etiam judicium camerale §. 6.
Controverſiæ Cæſaris & Statuum ad Comitia pertinent §. 7.
Applicatio juris longobardici hic eſt fruſtranea & inutilis §. 8.
Quoad feuda mediata, intelligendæ judicis competentiæ tres caſus ſunt diſtingvendi §. 9.
Vaſalli in omnis generis litibus domino territoriali ſubſunt §. 10.
Etiam ſimultanee inveſtiti extranei §. 11.
Nec obeſt domino privilegium de non evocando aut ſplendida Vaſalli conditio §. 12.
Quoad Vaſallos territoriales ceſſat diſtinctio judicis feudalis & ordinarii §. 13.
Peculiari tamen ſenſu illa aliquando occurrit §. 14.
Ceſſat etiam judicium parium §. 15.
Dominus feudi privatus nullam regulariter habet jurisdictionem §. 16.
Ut & dominus extraneus §. 17.
Quoad appellationem cauſæ feudales nihil etiam ſingulare habent §. 18.
Quæ de reconventione ex jure longobardico traduntur, exigui hodie ſunt uſus §. 19.

§. 1.

DE foro competente, in genere *l. 8. c. 11.* actum, judex vero rerum eccleſiaſticarum *l. 9. c. 3.* exhibitus eſt. Cumque rerum feudalium peculiare forum vulgo quoque aſſeratur, ideo de Judice feudali, nunc etiam quædam dicenda erunt. Solet ille ejusque competentia, ex jure longobardico, hunc in modum, repræſentari: Si inter Vaſallos lis ſit, dominus feudi judex eſt, qui, quoad feudum regale, ſolus, quoad non regale, adhibitis Paribus Curiæ, judicat ac litem dirimit *v. I. f. 18. II. f. 15. in fin. II. f. 55. in fin.* STRUV. *S. J. F. c. 16. §. 4. 5.*

§. 2. Si vero inter dominum & vaſallum, vel vaſallos quidem lis ſit, ut tamen domini interſit, tum Pares Curiæ judicant *II. f. 16. 39. §. ſi inter. 55. in fin.* STRUV. *d. l. §. 6.* Quodſi autem cauſa non ſit feudalis, ut ſit propter feudum promiſſum, vel de fructibus aut debitis, ſimilibusque rebus litigetur, Judex ordinarius judicat, ad quem etiam ſpectat cognitio, ſi cauſa quidem feudalis ſit, ſed judex feudalis deficiat, dum vel ſuſpectus eſt, vel pares Curiæ non adſunt *v. II. f. 15. 16. 20. 34. §. ſi autem* STRUV. *d. c. 16. §. 7.*

§. 3. A paribus Curiæ vel domino feudi, appellatur ad dominum ſuperiorem, & ſi plures, ſibi invicem ſubordinati, adſint, gradatim appellatio fieri debet, quæ adeo appellandi ratio, tantum, in ſubfeudis locum habet. Quodſi judices Superiores ſibi ſint æquales, præventioni locus eſt. Si vero dominus directus ſuperior non adſit,

Digitized by Google

ad judicem ordinarium, cujus jurisdictioni judex feudalis inferior subest, appellatio dirigitur *l. f. 22. in fin.* STRUV. *d. l. §. 9.*

§. 4. Sed illa ad Statum Reipublicæ præsentem non quadrant, ut omnino eorum ad Germaniam applicatio, ad artis legulejæ emblemata, referri debeat, cum enim judices inferiores, ab Imperante jurisdictionem habeant, manifestum est, quod eorum competentia, ex statu cujusvis Territorii, non legibus peregrinis, judicari debeat. Ex quo etiam sequitur, quod, si judicia feudalia germanica, in nonnullis forte cum longobardicis conveniant, tamen horum ratio non ex legibus longobardicis, sed institutis propriis, dependeat.

§. 5. Quodsi adeo, sepositio vulgari præjudicio, de competentia judicis feudalis, in Germania judicandum sit, distingvendum est inter feuda *imperialia* & *territorialia*, sive *immediata* & *mediata*. Illa iterum sunt vel *regalia*, vel *non regalia*, qualia Nobiles immediati possident. Hoc posito, si de feudo immediato regali, lis sit, cognitio pertinet ad Judicium aulicum, non Cameram Imperii, modo causa, revera feudalis sit, hoc est, respiciat (1.) personas feudales (2.) qualitas feudalis ab his non negetur ac (3.) oriatur ex jure feudali, num rem ipsam vel possessionem concernat, nihil interest *v.* EYBEN. *disput. de causis feudal. sect. 3 §. 7. seqq. sect. 4. §. 2. 13. 14. seqq.* STRUV. *S. J. F. c. 16. §. 4.* SCHWED. *J. P. p. sp. Sect. 1. c. 9. §. 10. 16.*

§. 6. Si vero controversia sit de feudo non regali, tam Camera, quam Judicium aulicum, judicare potest, habentque adeo judicia illa concurrentem jurisdictionem ac præventioni, inter illa, locus est. *v.* SCHWED. *d. l. §. 18.* Idem obtinet, si circa feudum regale quidem litigetur, sed causa non sit feudalis, nam hujus cognitionem sibi etiam Camera asserere potest. Sæpe tamen non satis manifesta est causæ qualitas, hinc, eo nomine, Judicia imperii non raro dissident *v.* EYBEN. *de cauſ. feud. sect. 4. §. 20.*

§. 7. Si inter Cæsarem & Statum imperii, controversia feudalis oriatur, tum Paribus Curiæ eam submittendam esse censent, quod etiam effato Imperatoris Sigismundi confirmari solet *v.* SCHWED. *d. c. 9. §. 9.* ITTER. *de feud. imper. c. 25. §. 17.* Sed uti hoc temporum illorum jurisprudentiam sapit, ita item ejusmodi, ad Comitia pertinere, Germaniæ status satis probare videtur, de quo, in Jure publico

blico, amplius agendum est *v.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 7. c. 1. 4. 5.* id saltem breviter hic ostendi debet, quod ad Jurisdictionem Imperii publicam, sanctiones juris longobardici frustra & inutiliter applicentur.

§. 8. Nam quis credat, ex *I. f. 18.* recte probari jurisdictionem judicii aulici? Judicium Parium in Germania cessat. Judicium aulicum non potest dici feudale, nec Camerale, Ordinarium, cum utriusque judicii eadem sit jurisdictio, modo causas feudorum regalium excipias. Appellatio, inter illa judicia, locum non habet; Denique si aliqua in parte judicia germaniæ, cum longobardicis conveniant, ratio tamen non ex legibus peregrinis, sed propriis dependet.

§. 9. Feuda territorialia sive mediata quod attinet, ob multitudinem Territoriorum germanicorum, competentiam judicis feudalis, exacte quidem & specialiter definire non licet. Quia tamen Superioritas Territorialis, omnibus Statibus competit, hinc, si juxta eam, competentia illa generaliter delineanda sit, tres casus distinguendi videntur, vel enim (1.) dominus territorialis, est dominus feudi, vel (2.) subditus vel (3.) Status imperii extraneus ejus vices sustinet.

§. 10. Primo casu, qui in Germania ordinarius est, omnes Vasalli, qui in Territorio degunt, simul subditi sunt, adeoque Dominum Territorialem, tam in causis feudalibus, quam cæteris, judicem agnoscere debent. Idem dicendum de iis, qui in Territorio saltem feuda possident, licet alibi degant, nam hi etiam omnis generis actionibus, coram domino feudi conveniri possunt *v.* CARPZ. *l. 6. Resp. 115.* Quæ omnia ex Superioritate Territoriali fluunt *vid.* SPECIM. JUR. PUBL. *l. 4. c. 10.*

§. 11. In Electoratu Saxoniæ, etiam simultanee investiti extranei, quibusvis actionibus, coram domino feudi conveniri possunt, neque hoc nititur sola consvetudine, ut vult CARPZ. *Pr. tit. 3. art. 6. n. 30. seqq.* STRUV. *in Obs. feud. ad c. 16. Obs. 5.* Sed ex Superioritate Territoriali itidem profluit, adeoque in aliis etiam Territoriis locum habere potest. Illud tamen manifestum, quod, jactura simultaneæ investituræ, forum hoc declinari queat.

§. 12. Ob solum privilegium de non evocando, Vasalli forenses

ſes forum domini feudalis declinare nequeunt, nam ejusmodi privilegia Superioritatem Territorialem, quoad res in Territorio ſitas reſtringere nequeunt *v.* CARPZ. *l. 2. Reſp. 29. p. 1. D. 31.* MEV. *p. 2. D. 4.* STRUV. *in Obſ. feudal. ad c. 16. Obſ. 4.* Conditio etiam Vaſalli, quod ſit Status imperii, vim Superioritatis Territorialis non excludit. Ex eadem ratione nudi expectantes, qui juris ſui jacturam ſubire nollent, ad forum Domini feudalis trahi poſſent, ſed, ob juris illius incertitudinem, id fieri non ſolet.

§. 13. Ex dictis liquet, quod, ſi Vaſalli Territoriales intuitu domini territorialis & feudalis ſpectentur, inter judicem *feudalem* & *ordinarium* diſtingvi nequeat, cum illi, in omnes cauſas, competat jurisdictio. Non minus etiam ceſſat diſtinctio illa longobardica, ratione judicum, à domino Territoriali conſtitutorum, nam Vaſalli ſunt vel *Schriffi* - vel *Amtſaſſii*, illo caſu in Cancellariis vel Curiis Provincialibus, hoc vero, coram Præfecto conveniuntur, tam in cauſis feudalibus, quam allodialibus *v.* SCHULTZ *S. J. F. c. fin. n. 48.*

§. 14. Solent tamen Cancellariæ, circa executionem in bona feudalia, plus poteſtatis habere, quam Curiæ provinciales ac Præfecti, dum illæ, in ipſam feudi ſubſtantiam, iſtæ vero & hi, tantum in fructus executionem facere poſſunt *v.* PISTOR. *l. 1. qu. 15. n. 71. ſeqq.* de quo, ſuo loco, amplius dicendum erit. Exinde fit, ut illis aliquando nomen *judicis feudalis* tribuatur, illæque his, velut *judici ordinario*, opponantur. Sed illa oppoſitio, ſenſu juris longobardici neutiquam eſt intelligenda, verum ejus ſententia eo redit: inter judices, qui tam in cauſis feudalibus, quam allodialibus judicant, eam eſſe differentiam, quod quidam & jurisdictionem & dominium directum, alii illam tantum habeant.

§. 15. Quodſi inter dominum & Vaſallum controverſia ſit, coram judiciis conſvetis illa tractari ſolet, nec habet locum Judicium Pariuin, nec aliud extraneum, quamdiu illa, de adminiſtratione juſtitiæ, non ſunt ſuſpecta. Et nihil refert, ſive cauſa ſit feudalis, ſive allodialis. Hinc ſi e. gr. prædii alicujus poſſeſſor, ſine maſculis hæredibus, decedat, ac dominus illud, velut feudum apertum ſibi aſſerat, defuncti vero cognati id, tanquam rem allodialem, vindicent, domi-

Digitized by Google

dominus ipſe, per judicia ſua, litem dirimere poteſt, licet alii, cum cauſa non ſit feudalis, nec adeo judicium parium locum habeat, Cæſareæ commiſſioni eandem ſubjiciant *v.* EYBEN. *de cauſ. feudal. ſect. 4. §. 19.*

§. 16. Secundum caſum quod attinet, *v. §. 9.* putem, nec dominum feudi privatum, nec ejus Vaſallos, ſi forte plures habeat, aliquam habere jurisdictionem, adeoque eorum lites, in ordinariis judiciis, à Domino Territoriali conſtitutis, eſſe terminandas. Si vero hic aliquam jurisdictionem, iis ultro concederet, tum ſimilitudo aliqua, cum Statu & jure longobardico, exiſteret, ac judex feudalis, ordinario poſſet opponi. Verum ſicut raro contingit, ut privatus domini feudalis vices ſuſtineat, ita rarius adhuc fiet, ut ei & Vaſallis aliqua jurisdictio concedatur.

§. 17. Tertio caſu *v. §. 9.* itidem putem, dominum Territorialem, ad jurisdictionem aliquam domino feudi & Vaſallis concedendam, haud eſſe obſtrictum; hinc ſi dominus directus, contra Vaſallos agere, vel hi inter ſe litigare velint, ordinarius judex, à Domino Territoriali conſtitutus, erit adeundus: Si vero Vaſallis contra dominum, agendum ſit, ad judicia Imperii, vel etiam Domini propria, lis erit remittenda. Imo domini Territorialis Jurisdictio, erga dominum feudi in cauſis feudum concernentibus, efficax videtur. Quodſi autem dominus territorialis ultro aliquam jurisdictionem perſonis feudalibus concederet, tum perinde, ut in caſu præcedente, peculiaris judex feudalis occurreret.

§. 18. Atque juxta hos tres caſus, etiam de appellatione judicari poterit. Cum enim, in primo caſu, quoad primam inſtantiam, judex peculiaris feudalis non adſit, hinc nihil etiam ſingulare, quoad ſecundum inſtantiam, occurrit, ſed in cauſis feudalibus, v. gr. à Præfecto ad Curiam Provincialem vel Cancellariam appellatur, de quo ex ſtatu cujusvis Territorii amplius judicandum. Si Dominus Territorialis privilegium de non appellando, non habeat, ab eo, ad judicium aulicum, vel Cameram imperii appellari poterit *v.* STRYK. *E. J. F. c. 25. qu. 28.* Secundo & tertio caſu, aliquando ſed rariſſime, à judice feudali, ad judicem ordinarium appellabitur.

§. 19. De reconventione vulgo docere ſolent, quod coram judi-

judice feudali inſtitui nequeat, niſi cauſa etiam ſit feudalis, quemadmodum vice verſa, coram judice ordinario, illa, in cauſa feudali, locum non habeat *v.* STRYK. *E. J. F. c. 25. qu. 16.* Sed hujus etiam doctrinæ, in Germania, exiguum eſſe uſum, ex dictis facile apparet. Nam in judicio aulico, etiam in cauſa allodiali, reconventio inſtitui poteſt, ſi modo ipſius cauſæ indoles eam admittat: In Camera vero imperiali, quoad feuda regalia, illa locum habet: In judiciis denique Territorialibus, illa rariſſime alicujus uſus eſt. Illud etiam ex dictis manifeſtum eſt, intuitu Territoriorum germanicorum cauſas feudales *v. §. 5. 6.* à cæteris ſollicite non eſſe diſtingvendas *conf.* JUS FEUD. GERMAN. *c. 28. §. 8. ſeqq.*

LIBER

Digitized by Google

LIBER DUODECIMUS.

CAPUT I.

DE JUDICIO SIVE PROCESSU IN GENERE.

SUMMARIA.

Transitus ad jus processuale §. 1.
In Statu civili per judicia jus asserendum est §. 2.
In delineando processu leges provinciales potius quam summorum imperii tribunalium respiciendæ sunt §. 3.
Asserti hujus ratio §. 4.
Judicii varia acceptio ejusque quoad rem præsentem definitio §. 5.
Quædam judicii divisiones non sunt magni usus §. 6.
Alias illud distinguitur in ordinarium & extraordinarium §. 7.
Seculare & ecclesiasticum, petitorium & possessorium §. 8.
Civile & criminale §. 9.
Circa judicium considerari debent personæ, materia, modus procedendi & exitus §. 10.
Inter personas principales occurrit judex §. 11.
Actor §. 12.
Et reus §. 13. 14.
Judici olim aderant assessores, domestici & Cancellarii §. 15.
Actuarii officium, requisita §. 16.
Et constitutio §. 17.
Apparitores & viatores judici quoque operam præstant §. 18.
Partibus inserviunt advocati, horum indoles varietas §. 19.
Constitutio §. 20.
Requisita, patrocinandi necessitas §. 21. 22.
Officium ejusque neglecti pœna §. 23.
Advocatis debetur salarium §. 24.
Procurator judicialis differt ab advocato §. 25.
Constituitur mandato §. 26.
Cujus locum aliquando supplet cautio rati §. 27.
Gesta procuratoris falsi quatenus rati habere queant §. 28.
Personæ procuratorem constituentes §. 29.
Quibus hoc munus deferatur §. 30.
Quænam causæ procuratorem admittant §. 31.
Procuratoris officium §. 32.
Et duratio §. 33. 34.
Syndicorum constitutio sæpe juris incerti est §. 35.
Curatorum, quæ mulieribus dantur, necessitas; constitutio & potestas non satis liquida est §. 36. 37.
Materia judiciorum sunt omnis generis controversiæ §. 38.
Ordo plurium causarum concurrentium §. 39.
Modus procedendi & exitus judiciorum generaliter delineatus §. 40.

Digitized by Google

ut alibi, ita etiam in Germania, mutanda esse, si quidem justitiæ administratio efficax esse debeat, quotidiana loquitur experientia, sed hujus rei arbitrium ad alios pertinet.

§. 5. In Statu igitur civili, per Judicia, jus suum persequi debent privati. Judicii nomen varia significat *v. l. 2. §. fin. l. 12. §. 2. l. 13. de judic. l. 34. de usur. l. fin. §. 1. de inoff. testam. l. 1. 2. si quis caut. in judic. sist.* Hoc loco accipi potest, vel pro *consessu personarum jurisdictione instructarum ac causas controversas expedientium*, vel pro *ipsa causæ controversæ discussione*, hoc sensu dicitur *legitima causæ controversæ tractatio, à litigantibus, coram judice competente, eo fine instituta, quo hic, sua sententia, litem definiat, eamque exequatur.* Hoc respectu *Judicium*, etiam dicitur *Processus*, nam, hisce nominibus eandem rem notari, manifestum est.

§. 6. Solet judicium variè dividi, sed omnium divisionum hodie non est aliqua utilitas. Ab *objecto* dividitur in *publicum* & *privatum l. 1. de judic. publ. l. 3. §. fin. de prævar. pr. I. de publ. jud.* nam ratione originis omne judicium est publicum. Hodie nullius usus videtur hæc divisio. A *Subjecto* judicium est *duplex* vel *simplex l. 13. 14. de judic. l. 10. fin. reg. l. 2. §. 3. fam. ercisc.* Rursus ab *objecto* est vel *reale*, vel *personale*, vel *mixtum §. 1. 20. I. de action.* ut & vel *universale*, vel *generale*, vel *singulare l. 18. §. fin. l. 19. seqq. de hæred. petit. l. 1. de R. V. l. 38. pro soc.* A fine discernitur in *præparatorium* & *principale l. 1. 3. §. 3. ad exhib.* Harum etiam divisionum exiguus videtur usus, cum circumstantiæ illæ, jus non adeo varient.

§. 7. Utilior, ex hypothesi processus usitati, est divisio, qua judicium, à *modo procedendi*, distingvitur, in *Ordinarium* quod juxta consvetas leges processuales peragitur, & *Extraordinarium*, in quo de simplici & plano, juxta æquitatem, saltem proceditur *clement. sæpe 2. de V. S.* CARPZ. *Pr. tit. 1. art. 1.* Regulariter causæ tractandæ sunt processu ordinario, quædam vero summario expediuntur, quarum numerus non est certus *v.* CARPZ. *d. l.* MARTIN *ad O. P. S. tit. 1. n. 13.* eas etiam ordinario modo actorem volentem peragere posse, quidam censent *v.* CARPZ. *d. l. n. 37.* LAUTERB. *C. J. de judic.* quod tamen alii, reo dissentiente, negant MARTIN *d. l. n. 14.* DN. BERG. *in resolut. ad* LAUTERB. *de judic. conf.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1496.*

§. 8. In hunc censum etiam referenda divisio, qua judicium, in *Seculare* & *Ecclesiasticum* discernitur, nam hæ species & jurisdictione, & sæpe, procedendi modo, differunt; Ratione autem originis nulla inter eas est differentia, licet vulgo hanc præcipue adstruant *v.* CARPZ. *Pr. tit. 1. art. 2.* Recte etiam judicium distingvitur in *petitorium*, in quo principaliter de re, ejusque jure, ac *possessorium* in quo tantum de possessione agitur *l. 14. §. fin. de except. rei judic.* CARPZ. *d. tit. 1. art. 5.* nam hæ etiam species modo procedendi differunt.

§. 9. Divisio judicii, in *Civile* & *criminale* merito etiam observatur, cum hæ species & modo procedendi, & jurisdictionis diversitate, differre soleant. Jure Romano judicium *Civile* est, quod ad privatum actoris, *criminale* verò, quod ad publicum interesse pertinet *§. 10. I. de injur. l. 25. §. fin. de SCt. Sylan. l. 9. §. 5. de public. & vectig.* Sed jure germanico, ac præcipue Saxonico, *civile* est, quod ad causas, corpus non affligentes, pertinet, *criminale* autem, in quo causæ quæ corpus affligunt, disceptantur *v.* CARPZ. *Pr. crim. qu. 102. n. 27. seqq.* ex quo causarum discrimine, fere etiam diversitas jurisdictionis superioris & inferioris dependet *v.* CARPZ. *d. tr. qu. 109. Proc. tit. 2. art. 1. §. 4. 5. add.* LAUTERB. *C. J. de judic.*

§. 10. Circa judicium in genere quatuor spectari debent (1.) *personæ*, tam *principales*, sine quibus judicium esse nequit, nempe Judex, actor & reus, quam *minus principales*, quæ commoditatis causa accedunt, vel *Judici*, ut Assessores, Actuarii, apparitores & viatores, vel *partibus*, ut Advocati, Procuratores, Syndici, Curatores litis (2.) *materia* (3.) *modus procedendi* ac (4.) *exitus* de quibus breviter dicendum erit.

§. 11. In judice considerari potest habilitas, constitutio, officium & potestas, quæ jurisdictionis & competentiæ nomine venit, sed illa omnia jam occupata sunt *l. 8. c. 10. 11. l. 9. c. 3. l. 3. l. 11. c. 20.* adeoque hic præsupponuntur. Specialius vero, ex Statu cujusvis Territorii, discendum est, cui judicio singuli subditi subsint. Sic e. gr. ex doctrina CARPZOVII *Proc. tit. 2. art. 2.* in Electoratu Saxoniæ, Elector immediate jurisdictionem exercet, in Senatu aulico & appellationum judicio supremo, nec non in Curiis provincialibus Lipsiensi & Wittenbergensi, in Præfecturis & Consistoriis Ecclesiasticis. Mediati vero ju-

judices ordinarii ſunt Nobiles, iique vel Schrifft-vel Amtſaſſii,& magiſtratus municipales.

§. 12. Actor eſt, qui ad judicem provocat *l. 62. de judic.* & agere poſſunt omnes, quibus integra ratio eſt, nec ſpecialiter prohibentur. Minores igitur ſine curatoribus, agere nequeunt *l. 1. 2. C. qui legit. perſ. ſtand. l. 3. C. de autor. tut. l. 4. C. ſi adverſ. rem jud. l. 14. C. de procur. l. 4. C. de autor. præſt.* niſi ſit cauſa momentaneæ poſſeſſionis *l. fin. C. qui legit. perſ. ſtand.* aut ſpiritualis, ut volunt ex *c. fin. de judic. in 6.* Minoribus, in quibusdam Germaniæ locis, hodie comparantur fœminæ CARPZ. *p. 1. C. 1. D. 30.* Regulariter autem nemo invitus agere compellitur *l. un. C. ut nem. invit. l. fin. C. de uſur. pupill.* aliquando tamen agendum eſt, niſi quis damnum incurrere velit *l. 25. §. 30. de A. E. V. l. 75. § fin. de legat. 1. l. 8. §. 3. de opt. legat. l. 2. pr. §. 7. de L. Rhod. de jact. l. 5. §. 12. commod. l. 5. C. de ingen. manum.*

§. 13. Reus eſt, qui ad judicium provocatur *l. 62. de jud. l. 13. §. 2. 3. C. eod. l. fin. pr. in fin. §. 3. C. de bon. quæ liber. l. 5. 6. C. de edend. l. 3. de jurejur.* Conveniri omnes poſſunt, qui aliquid debent, non tamen omnes in judicio comparere ac ſe defendere queunt. Tales ſunt pupilli, minores, prodigi & hodie fœminæ, qui ſine tutoribus & curatoribus, legitimam ſtandi perſonam non habent *v. l. 1. 2. C. qui legit. perſon. l. 6. C. quom. & quand. jud. l. 4. C. de autor. præſt. l. 54. de re jud.* niſi in cauſis matrimonialibus & criminalibus CARPZ. *de jur. fœm. ſingul. dec. 9. poſ. 2. 5. v. Deciſ. Saxon. 59.*

§. 14. Magiſtratus temporarii, cum aliquo imperio, conveniri nequeunt *l. 48. de judic.* quod hodie nullus uſus videtur. Filiifam. ratione rerum caſtrenſium & adventitiarum irregularium, actionibus realibus conveniuntur *v. l. 4. §. 1. de caſtr. pec. l. 8. pr. in fin. C. de bon. quæ lib.* ſed ratione peculii profectitii & adventitii regularis, pater ſuſcipit actiones reales *l. 8. §. 3. C. de bon. quæ liber.* Perſonalibus actionibus ſemper quidem conveniri poſſunt filiifam. *l. 39. de O. & A. l. 57. de judic.* Sed ſi nihil proprii habeant, nec pater in contractus conſenſerint, aut hi, in ejus utilitatem ceſſerint, tum nulla eſt executio. His autem poſitis, actio rectius in patrem inſtituitur *v. §. fin. I. de acquiſ. per arrogat. conf.* LAUTERBACH. *C. J. de judic. lit. S.*

§. 15. Judici olim aderant Aſſeſſores, conſilii ſuggerendi cauſa *v. l. 1. de offic. adſeſſ. l. 7. 13. 14. C. de adſeſſor. Nov. 60. c. 2. l. 9. §. 3. quod met. cauſ. l. 38. de minor. l. 97. de A. O. H.* Hodie vero aſſeſſores judicandi munere, perinde ut judex, pollent. Habebant etiam olim judices, *domeſticos*, qui ad cuſtodiam & protectionem eorum erant deſtinati *l. 8. C. de adſeſſor. conſ. t. t. C. de domeſt. & protect.* nec non *cancellarios* qui à ſecretis Magiſtratuum erant, ac ſcribendis & expediendis judicum epiſtolis edictisve operam dabant *v. l. 3. 5. 8. C. de adſeſſor.*; *v.* DONELL. *comm. jur. civ. l. 18. c. 2.* PERETZ *ad C. de adſeſſor.* STRUV. *S. J. C. exerc. 4. §. 46. 47.* Sed hi miniſtri, vel ſaltem eorum nomina hodie ceſſant.

§. 16. Actuarii curam gerere debent eorum, quæ in judiciis fiunt, hinc eorum officium, his fere capitibus, ſummatim conſtat, ut geſta proponant, conſignent, acta cuſtodiant, ac ea, quæ ad eruendam facti veritatem pertinent, conficiant, quæ nunc exequi inſtitutum non permittit. In Electoratu Saxoniæ Actuarius debet eſſe Notarius, minimum in cauſis criminalibus, aut Notarius ei eſt adjungendus *O. P. S. tit. 2. Deciſ. Saxon. 38.* Ex obſervantia ipſe etiam judex, vel Officialis, actuarii munere fungi poteſt PHILIPP. *ad O. P. S. tit. 2. conſid. 3. add. Deciſ. Saxon. 39. 45.*

§. 17. Debet actuarius conſtitui in præſentia ſubditorum, ita ut Notarius, adhibitis duobus teſtibus, ab actuario exigat juramentum, inſtrumento deſuper confecto, quod libris judicialibus præmitti ſolet. Quibusdam tamen in civitatibus, actuarii non in præſentia ſubditorum, ſed coram Senatu ſaltem jurant. Neglecto juramento, actus geſti ſunt nulli niſi Actuarius ex poſtfacto, jurejurando omnia confirmet CARPZ. *l. 2. Reſp. 14. Deciſ. 201. n. 35.* Sed cum hæc pœna afficiat litigantes, qui nihil peccarunt, ideo ſatius forſitan eſſet, geſtis valorem relinquere, ſi aliàs nihil eorum fidem elevet, ac conſtituentis negligentiam alio modo coercere.

§. 18. De apparitorum & viatorum conſtitutione ac officio quædam dicere, non attinet, cum ex generalibus principiis ac uſu judiciorum, facile illa intelligi queant. Inter eos etiam eſt Carnifex, qui tamen vel ut *miniſter judicii*, vel ut *membrum ſocietatis civilis* ſpectari poteſt, illo reſpectu tantum huc pertinet, hoc autem, de ejus Statu

&

& juribus, fere ex regulis opificiorum aut monopoliorum, judicandum eſt. Ob ſordidum, vile & quodammodo abominabile vitæ genus, ejus converſationem alii homines averſantur, qui affectus fere quoad omnes Status, valde diſtinctos, inter homines, occurrere ſolet. Vilem illam conditionem, vulgus interpretatur infamiam *v. can. 18. 28. 29. C. 23. qu. 5.* CARPZ. *Pr. Crim. qv. 137. n. 52. ſeqq.*

§. 19. Partibus accedunt Advocati, *qui in juribus deducendis operam præſtant v. l. 1. §. 4. de poſtul. l. 6. §. 1. C. eod. l. 1. 2. 4. 8. 11. §. 1. l. 14. C. de advoc. 1.* Sunt vel *privati*, qui ſine prævia conſtitutione publica, clientibus operam exhibent, vel *publici*, qui publica autoritate, intuitu certi judicii, conſtituti, deſiderantibus patrocinium præſtant, ac iterum ratione *objecti*, in *privatos*, qui hominum privatorum, & *publicos*, qui publicas ac præcipuè fiſci cauſas tractant *t. t. C. de advocat. fiſc.* diſpeſci poſſunt. Præterea à *fine*, diſtingvuntur in *Ordinarios*, qui munere poſtulandi plene funguntur, & *Extraordinarios* ſive *Supernumerarios*, qui in ſubſidium, cum ſpe ſuccedendi, cæteris ſurrogantur *v. l. 13. C. de advocat. 1.*

§. 20. Conſtitutio publica, ex legibus cujusvis judicii, ſpecialius intelligenda eſt *v. l. 11. §. 1. C. de advocat. 1. Ord. Cam. p. 1. tit. 18.* Inter ipſos autem advocatos ſive publicos, ſive privatos, & Clientes, intercedit *mandatum*, quo ſibi mutuo, ad officia præſtanda, obligantur *v. l. 2. C. de poſtul.* Uti autem, quoad advocatos privatos, negotium hoc, libera voluntate, utrinque peragitur, ita ex publice conſtitutis, litigantes aliquos eligere, ac electi, ſub pœna arbitraria, hoc munus ſubire tenentur *v. l. 1. §. 4. de poſtul. l. 7. C. eod. l. 14. §. 1. C. de judic. l. 9. §. 5. de uſſic. proconſ. Ord. cam. p. 1. tit. 19. 25.*

§. 21. Ad advocatum requiritur juris peritia *l. 2. C. de poſt.* quæ mediis nonnullis explorari ſolet *l. 11. §. 1. C. de advoc. 1. v.* CARPZ. *p. 1. C. 1. D. 18.* Dn. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 3. enunc. 9. 10.* hac inſtructus cenſetur habilis, donec probetur contrarium *v. l. 5. 8. C. de poſtul.* LAUTERB. *C. J. de poſtul. lit. S.* de cætero in omnibus cauſis alienis *l. 6. §. 1. C. de poſt.* publicis & privatis *l. 14. C. de advoc. 1.* civilibus & criminalibus *l. 2. C. de exhib. reor. Ord. Crim. art. 88.* CARPZ. *p. 3. qu. 115. n. 88.* advocati patrocinium præſtare poſſunt,

§. 22. Cauſam tamen famoſi latronis ſuſcipere non debent, ex non-

nonnullorum ſententia *v.* HILLIG. *ad* DONELL. *l. 18. c. 3. lit. R.* CARPZ. *p. 1. qv. 23. n. 3.* nec cauſam, quam ſciunt injuſtam *l. 14. §. 1. C. de judic.* LAUTERB. *d. l. lit. O.* Sed cum nunquam totius alicujus cauſæ injuſtitia adeo ſit evidens, ut in ſenſus velut incurrat, hinc putem advocatum nihil peccare, ſi injuſtæ etiam cauſæ patrocinetur, modo jura non pervertat, ſed, prout ſunt, proponat *add.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 78.*

§. 23. Officium advocati, tam ex communibus ſocialitatis præceptis, quam in ſpecie, ex contractu inito, dependet. Summatim illud in eo conſiſtit, ut jura Clientis ſui fideliter, erudite & diligenter deducat *v. l. 13. §. 9. l. 14. §. 1. C. de judic.* ac erga alios candide & modeſte ſe gerat *v. l. 6. §. 1. C. de poſt. v.* BRUNNEM. *J. E. l. 1. c. 6. membr. 1. §. 20.* Negligentes officium varie puniri ſolent. *v.* CARPZ. *Pr. tit. 5. art 7.* Dn. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 3. enunc. 15. ſeqq.* Inprimis à prævaricatione, advocatus abſtinere debet *v. l. 4. §. 4. de his qui not. infam. l. 1. §. 1. l. 3. §. 2. de prævar. l. 212. de V. S. l. 38. §. 9. de pœn.* ſi contra fecerint, & clientibus ad damni reſtitutionem tenentur, ac inſuper arbitrarie puniuntur *v. l. 1. C. de advoc. 1.* CARPZ. *1. Dec. 91. l. 3. Reſp. 3.* RICHTER *p. 1. Dec. 85.* LAUTERB. *C. J. de poſt. lit. O.*

§. 24. E contrario Cliens, ex contractu, honorarium Advocato ſolvere tenetur *l. 13. §. 9. C. de jud.* licet expreſſe nihil promiſſum ſit *l. 1. §. 10. de extraord. cognit.* nec advocatus vicerit *v. l. 10. §. 1. de N. G. l. 6. §. 7. de offic. præſ. v.* CARPZ. *3. Reſp. 1. p. 2. Dec. 136. p. 1. C. 1. D. 34.* quantitas conventione partium vel arbitrio judicis definitur, ut tamen ſumma centum aureorum non excedatur *l. 1. §. 10. 12. de extraord. cognit.* quod hodie in arduis cauſis non obſervari dicunt *v.* FINCKELLTH. *Obſ. 98. n. 49.* ſed illa ſanctio plane non valere videtur cum fuerit temperamentum L. Cinciæ, nunquam à nobis receptæ *v.* D. ECKII *diſſert. de quota lit. §. 4. 5. add.* Dn. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 3. enunc. 13.* De cætero advocatus actione *l. 1. pr. §. 10. 12. de extraord. cognit.* & actore retentione *v. l. 25. in fin. de procur.* ſibi proſpicere poteſt *v.* CARPZ. *p. 2. C. 25. D. 23.* FINCKELTH. *Obſ. 98.* LAUTERB. *C. J. de poſt. lit. E.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 79. 80.*

§. 25. De Procuratoribus in genere actum eſt *l. 4. c. 10.* hic de judicialibus aliqua dicenda ſunt. Procurator judicialis eſt, *qui litem alie-*

alienam, mandatu domini administrat, sive litis curam gerit, ex quo ejus & advocati differentia apparet; ad procuratorem pertinet cura litis, qualem ipse Cliens exercere solet, sed advocatus jura deducit *v.* EKHOLT *ad ff. de postul. §. 1.* Quæ differentia etiam satis manifesta est, in iis Judiciis, in quibus peculiares Procuratores sunt constituti, ubi verò hi deficiunt, utrumque munus, in eadem persona, concurrere solet, hinc, insuper habito illo discrimine, nomina procuratorum & advocatorum sæpe synonymicè accipiuntur *v. O. P. S. tit. 3.*

§. 26. Constituuntur procuratores mandato *l. 1. 42. pr. de procur.* vel ratihabitione *l. 66. eod. l. 60. de R. J. l. fin. C. ad SCt. Maced.* etiam consensu tacito *l. 1. §. fin. de procur. l. 52. §. fin. de O. & A. clem. 1. de procur. l. 6. §. 2. l. 18. mand.* si res saltem inter mandantem & mandatarium spectetur, sed ut procurator in judicio valide agat, non tantum expressum mandatum, sed & instrumentum eo nomine legitime confectum requiritur *l. 65. de procurat.* hinc nec charta blanca sufficit CARPZ. *p. 1. C. 1. D. 28.* quomodo autem tale instrumentum sive mandatum recte conficiatur, id ex usu judiciorum discendum *v.* Dn. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 7. enunc. 18. seqq.* nec fortassis negandum, quin ille aliquando, ultra æquitatis præscriptum, sit scrupulosus.

§. 27. Si aliquod mandati requisitum deficiat, cautio rati defectum supplet *l. 1. C. de procur. l. 26. de minor. l. 66. §. 1. ad SCt. Trebell. v.* CARPZ. *Pr. tit. 5. art. 6. n. 57. seqq.* Quædam personæ, sine omni mandato, cum cautione rati, admittuntur *l. 35. 40. §. fin. de procur. l. 12. 21. C. eod. v.* LAUTERB. *C. J. de procur. lit. C.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 7. enunc. 5. seqq.* quod tamen tum demum procedere existimant, si dominus expresse mandare vel ratihabere queat, hinc pro pupillo cautio rati non admittitur LAUTERB. *d. l. n. 7.* Dn. BERG. *in resolut. ad* LAUTERB. *d. l. qv. 1. n. 3.* Dn. RIVIN. *d. l. enunc. 14.* Sed cautio rati, hic magis autoritate legis, quam ex consensu præsumto, introducta videtur, ut forte propria consentiendi facultas, tam stricte non sit exigenda.

§. 28. Qui mandatum non habet, nec ab hac lege exceptus est, *falsus* procurator dicitur, ac à judicio repellitur *l. 1. C. de procur. l. 40. §. 4. ff. eod.* CARPZ. *p. 1. C. 1. D. 26.* ejusque gesta sunt nulla *l. 27. ff.*

Digitized by Google

l. 24. C. de procur. ratihabitio tamen domini ante ſententiam ſuperveniens, illa confirmat *l. 56. de judic.* poſt eam vero dominus in ſuum ſaltem præjudicium *l. 3. §. 1. rem rat. hab.* non adverſarii ratihabere poſſe cenſetur *arg. l. 11. de R. J. l. 9. C. de N. G.* LAUTERB. *d. l. in fin.* Sed hoc ultimum ſolida ratione niti non videtur, per ſententiam enim adverſario jus non quæritur, ſed potius geſta falſi procuratoris ſunt in ſuſpenſo, donec vel probentur, vel improbentur, uter ergo ex litigantibus alterum prævenerit, is ex facto ſuo jus conſecutus cenſeri debet.

§. 29. Procuratores nomine proprio conſtituunt, qui uſu rationis ac rerum ſuarum adminiſtratione gaudent; Qui vero alieno nomine illos conſtituere cupiunt, conſenſum domini habere debent *v.* LAUTERB. *C. J. de procur. lit. S.* Tutores conſtituunt actores *l. 11. C. de procur. l. 24. de adminiſtr. & peric. tutor. l. un. C. de actor. à tutor. conſt.* qui tamen à procuratoribus ſolo nomine differunt, ut de tali diſcrimine non valde laborandum videatur *v.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 88.* Procuratores poſt litem conteſtatam, alium ſubſtituere poſſunt *l. 11. 23. C. de procur.* Sed hodie poteſtas ſubſtituendi iis mandato concedenda eſt *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 7. enunc. 51. ſeqq.*

§. 30. Regulariter cuivis munus procuratoris deferri poteſt *l. 43. §. 1. de procur. v.* LAUTERB. *C. J. d. t. l. P.* Sed, intuitu procuratorum judicialium, generalis illa doctrina nullius vel exigui uſus eſt, vel enim *certi procuratores in judiciis ſunt conſtituti*, tum cæteri omnes licet aliàs habiles, excluduntur, vel *nulli conſtituti ſunt*, tum advocatis tantum hoc munus committitur, qui etiam mandatariorum nomine plerumque veniunt.

§. 31. Dantur procuratores ad cauſas civiles etiam famoſas *l. 1. an per al. cauſ. appell. l. 6. §. 2. de his qui not. infam. l. 42. §. 1. de procur.* Sed in criminalibus, quæ ad relegationem extendi poſſunt, neque ratione Rei, neque Actoris, procurator admittitur *l. pen. §. 1. de publ. judic. l. 1. an per al. cauſ. appell.* niſi ob cauſas incidentes *l. 13. C. de adult. l. 3. C. de accuſat. l. 33. §. 2. de procur. l. 10. pen. §. 1. de publ. judic. l. 18. de appell.* CARPZ. *p. 3. qv. 105.* Hodie ratione accuſatoris procurator indiſtincte admittitur *Ord. Crim. art. 12.* ratione Rei autem, quando pœna ad corporis afflictionem non extenditur CARPZ.

p. 3.

p. 3. qu. 105. qu. 95. n. 50. add. Landr. l. 2. art. 16. l. 3. art. 45. p. 4. Conſt. 42. In cauſis majoris momenti ſpeciale mandatum requiritur *v. l. 40. pr. de procur.. l. 25. §. 1. l. 26. de minor. v.* LAUTERB. *C. J. de procur. lit. O.* CARPZ. *Pr. tit. 5. art. 2.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 7. enunc. 42. ſeqq.* In cauſis matrimonialibus, jure Saxonico, procurator non admittitur. CARPZ. *J. E. l. 3. D. 31.*

§. 32. Procurator terminos mandati diligenter obſervare debet *l. 5. mand. v. l. 56. 62. de procur.* quod extra eos geſtum eſt, ratione domini, eſt nullum *l. 10. C. de procur. v. l. 86. de ſolut.* Negligentiam quidem dominus non mandavit, dum tamen homini negligenti negotia ſua commiſit, in eam cenſetur conſenſiſſe, hinc procuratoris negligentia nocet domino, ratione adverſarii, qui exinde jus conſequitur *l. 10. C. de procur.* CARPZ. *p. 1. C. 1. D. 22. 23.* damni tamen reſtitutionem dominus à procuratore actione mandati exigit *l. 11. 13. 21. C. mand. v.* LAUTERB. *C. J. de procur. lit. E.* Sed cum ſatis durum ſit, & domino negligentiam procuratoris imputare, ac eam gravi nimis diſpendio multare, hinc melior eſt illorum judiciorum uſus, quæ, ſalvo jure domini, negligentiam mandatarii ſaltem puniunt *v.* MEV. *p. 5. D. 207. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 91.*

§. 33. Finitur poteſtas procuratoris judicialis, mutuo diſſenſu *§. fin. I. quib. mod. obl. toll.* nec conſenſu adverſarii *v. l. 25. de procur. c. 13. X. eod.* LAUTERB. *C. J. de procur. lit. J.* hodie opus eſſe arbitror. Unius etiam revocatione, quovis tempore, illam tolli putem modo procuratori, ratione operæ præſtitæ, ſatisfiat, ac res per alium commode expediri poſſit; His recte ſe habentibus, de aliis revocationis cauſis *v. l. 8. §. fin. l. 17. ſeqq. de procur.* non laborandum erit, nam negotium hoc, ex affectu hominum, fere dependet, eo mutato, non conſultum eſt, invitos in contractu retineri.

§. 34. Morte procuratoris, re licet non amplius integra, munus hoc exſpirat, quod ex natura hujus negotii fluit *v. R. J. 1654. §. 100.* ſed, mortuo domino, illud continuatur, non quidem hodie, ob litem conteſtatam *v. l. 15. ff. l. 23. C. de procur.* ſed mandatum in hæredes extenſum, hinc reaſſumtione opus non eſt *R. J. 1654. §. 99. v.* MARTIN. *ad O. P. S. tit. 17.* quod tamen ad primum terminum reſtringi, quoad ſequentes vero, nova legitimatio à mandatario exigi ſolet *v.* DN. RIVIN.

Digitized by Google

ad O. P. S. tit. 7. enunc. 28. Si defunctus ipſe litem tractaverit, reaſſumtio ſimpliciter neceſſaria exiſtimatur *v.* DN. BERG. *in reſol. ad* LAUTERB. *de procur. p. 92.* Juxta æquitatem, continuandæ liti, non videtur neceſſarium, ut hæredes expreſſe mandent, vel reaſſumant, ſed ſaltem, ne liti renuncient, cum ex aditione, animus continuandi ſatis colligatur *v. l. 34. de judic. add.* HUBER. *in præl. ad ff. de re judic. n. 40. 41.*

§. 35. Syndicus, intuitu judiciorum, eſt, *cui poteſtas, omnes Univerſitatis lites in judicio tractandi eſt conceſſa v. l. 1. §. 1. l. 6. §. 1. quod cuj. univerſ. nom. l. 18. §. 13. de muner. & honor.* SCHILT. *ad ff. exerc. 10. §. 59. 60.* de quo, pro inſtituti ratione, actum *l. 8. c. 2. §. 13. ſeqq.* Ejus conſtitutio & legitimatio quodammodo incerta eſt, ac ex uſu judiciorum fere dependet. Sic in inſtrumento Syndicatus verba: *Vor uns, und unſere Nachkommen,* neceſſaria eſſe cenſentur: Si magiſtratus oppidanus cum Tribunis plebis, nomine Civium, Syndicum conſtituat, ſingulorum ſubſcriptio, haut neceſſaria creditur: Si cives contra Senatum agant, non ſufficit, a collegiis opificum ſigilla eſſe appoſita, ſed ab omnibus civibus & incolis, vel majore eorum parte. Syndicatus inſtrumentum eſt ſubſcribendum *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 7. enunc. 30. ſeqq.*

§. 36. In Saxonia ac fortaſſis etiam alibi, mulieres curatoribus indigent, de quibus dictum *l. 6. c. 19.* Eorum vero uſus ad actus judiciales præcipue quoque extenditur, ut tamen eorum neceſſitas, conſtitutio & poteſtas, non per omnia ſit ſatis liquida, cui illuſtrando pauca referam. Curatorem litis, conſtituit Judex domicilii, rei ſitæ vel litis pendentis *Deciſ. Saxon. 59.* Maritus pro uxore ſua, tripliciter comparere in judicio poteſt, ut curator cum curatorio, ut defenſor cum cautione rati, & ut actor, cum mandato. Uxor etiam in judicio litem mandare marito non poteſt, niſi curatorem ad hoc habeat CARPZ. *p. 1. C. 1. D. 32.*

§. 37. Curatores ſoli poſſunt actores conſtituere, quo caſu hæredum, in mandato, non eſt facienda mentio. Aliquando autem fœminarum ſubſcriptio accedere debet actorio, ſi mater ſit tutrix liberorum, aut actus expediendus, qui ſpeciale mandatum requirit *v.* CARPZ. *Pr. tit. 5. art. 3. n. 96.* quo caſu clauſula: *pro ſe ſuisque hære-*

hæredibus, in actoriis exprimi debet *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 7. enunc. 25. tit. 8. enunc. 27.* Defuncto curatore, non admittitur actor, absque novi Curatoris actorio, etiamſi ab ipſa muliere ſimul fuerit conſtitutus. Illud contrariis ſententiis diſceptatur, an maritus cum uxore, in judicio præſente, litem, quoad paſſus præjudiciales, expedire queat, ſi curator ei non ſit conſtitutus, vel actorium non exhibeat? Item an tanquam legitimus adminiſtrator, *als Ehevoigt*, nomina uxoris, ſine ulteriori legitimatione, in judicio exigere & ſolutionem recipere poſſit? *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 8.*

§. 38. Materia judiciorum *v. §. 10.* ſunt omnis generis cauſæ controverſæ, civiles & criminales, ſeculares & eccleſiaſticæ, allodiales & feudales, petitoriæ & poſſeſſoriæ, præjudiciales & principales. Qua vero actione, in caſibus evenientibus, experiendum ſit, id ex univerſa Jurisprudentia intelligendum eſt; Omnia autem remedia forenſia in tabula velut repræſentare vix licet, certe talis repræſentatio plus difficultatis, quam utilitatis habere videtur, quoad objectum ſpeciale, illa facilius fieri poteſt, quod exemplo actionum feudalium oſtenſum in JUR. FEUD. GERMAN. *c. 27.*

§. 39. Inter plures actiones concurrentes, ordo obſervari debet, hinc actio præjudicialis, & civili *l. 25. C. de ord. cognit.* & criminali præmittenda *l. 1. 3. 6. 7. C. eod.* in cauſa tamen civili, quæſtio præjudicialis aliquando incidenter tractatur *l. 25. C. eod.* Actio civilis & criminalis, ſi uni contra unum competant, pro lubitu actoris, vel ſimul, vel ſucceſſive proponi poſſunt, niſi forte illa ſit præjudicialis, tum enim prius inſtituenda *l. 37. de judic. l. 5. §. 1. de vi publ. l. 7. C. eod. l. 1. C. de appellat. l. 26. C. ad L. J. de adult.* ſi vero duobus reciproce actiones illæ competant, tum criminalis prius tractanda eſſe cenſetur *l. fin. C. de Ord. cognit. add. Deciſ. Saxon. 88.* niſi forte per modum exceptionis civili objiciatur, quo caſu utramque ſimul tractare licet *l. pen. C. eod.* Denique poſſeſſorium, ex regulis prudentiæ, præmittendum eſt petitorio *l. 24. de R. V.* hinc etiam ab imprudenter inſtituto, ad illud datur regreſſus *l. 18. §. 1. de vi & vi arm.*

§. 40. Modus procedendi *v. §. 10.* conſtat ex variis actibus, quos partes & judex, vel ex præſcripto juris naturalis, vel poſitivi, ſuſcipere tenentur. Poſſunt autem, niſi fallor, ad tres partes generales, omnes

revocari (1.) cauſæ controverſæ propoſitionem (2.) diſcuſſionem & (3.) deciſionem, quæ pro diverſitate proceſſus criminalis & civilis, ac hujus, vel ordinarii vel ſummarii, in varias formas ſpeciales, ſe componunt. Tandem ſequitur exitus judiciorum *d. §. 10.* nempe exceptio rei judicatæ, vel executio, quam, pro diverſitate proceſſus, diverſam eſſe, facile intelligitur. De utroque, modo ſcilicet procedendi, & exitu, ſpecialius nonnihil in ſequentibus agendum erit.

CAPUT II.
DE LIBELLO.

SUMMARIA.

In proceſſu civili ordinario offertur libellus ſupplex & actionis §. 1.
Hujus varietas §. 2.
Conſtat libellus exordio & propoſitione §. 3.
In hac referri ſolet jus generale quod tamen rectius omittitur, & factum aut jus ſpeciale §. 4.
Expreſſio cauſæ remotæ & nominis actionis, an ſit utilis aut neceſſaria §. 5.
Hodiè nomen actionis non eſt exprimendum §. 6.
In libello etiam requiritur petitio indoli proceſſus conveniens §. 7.
Clauſulæ libellis adjici ſolitæ cum epicriſi §. 8.
Libelli ineptitudo non temere admittenda §. 9.
Libellum faciunt ineptum obſcuritas & incertitudo, hinc libellus generalis, cauſa petendi deſtitutus & alternativus admitti non ſolet §. 10. 11.
Libellus in actione hypothecaria rectius alternative quam pure concipitur §. 12.
Eliſa ratione dubitandi §. 13.
Inter cauſas ineptitudinis eſt etiam contradictio & cumulatio actionum non compatibilium §. 14. 15.
Libelli mutatio quatenus permiſſa §. 16.
Calumniatorum delictum & obligatio §. 17.

§. 1.

MOdus procedendi, juxta diverſitatem judicii *civilis* & *criminalis*, merito expendendus eſt, cumque illud iterum ſit vel *ordinarium* vel *extraordinarium*, ac prius, uſu judiciorum ita volente, regulæ inſtar ſit, hinc ejus partes primo conſiderabimus. Proceſſum igitur orditur actor, offerendo libellum *ſupplicem*, quo à judice juſtitiæ adminiſtrationem petit, & *actionis*, qui eſt *ſcriptura, qua actor jus ſuum judici proponit, ac à reo reſponſionem & ſatisfactionem exigit v. l. 1. pr. §. 1. ff. l. 3. C. de edend.* Poterit etiam libellus ſupplex libello actionis inſeri, de quo uſus judiciorum eſt conſulendus.

§. 2.

§. 2. Solet libellus variè dividi (1.) in conventionalem & Reconventionalem (2.) civilem & criminalem (3.) primæ & ſecundæ inſtantiæ. Sed harum diviſionum, hodie minimùm, nullus vel exiguus eſt uſus, cum circumſtantiæ illæ jus non mutent. Magis igitur commemorari debet diviſio (4.) in articulatum & ſimplicem *v. O. C. p. 3. tit. 12. §. 8.* quorum ille in Camera *R. J. 1654. §. 34. 64.* & Saxonia non admittitur CARPZ. *p. 1. C. 2. D. 1. 2.* (5.) in ſolennem & minus ſolennem *Clem. 2. de judic. clem. ſæpe de V. S. v.* LAUTERB. *C. J. de edend.*

§. 3. Sicut autem acturus, ante omnia, de actionis veritate, indole & probatione debet eſſe ſollicitus, id quod ex accurata juris & facti cognitione dependet, ita actionis libellus legaliter & prudenter formandus eſt, ne ſcopo ſuo excidat. Sunt autem libelli duæ partes neceſſariæ (1.) *exordium* quod nomen judicii actoris & rei continet, nam conſtare debet, quis, contra quem & coram quo agere velit. Hoc etiam exordio libellus ad judicem dirigitur, cui quoque, non ut olim actori *v. auth.* offeratur *C. de lit. conteſt.* ille offertur (2.) *propoſitio.*

§. 4. Hæc, ad modum Syllogiſmi, tribus propoſitionibus ſpecialibus conſtat. *Major* exhibet jus, ſed rectius hæc plane omittitur, cum jus ipſum ſatis certum ſit, adeoque commemorari non debeat, quodſi vero jus ſingulare nec adeo notum occurrat, ut ſi quis ex ſtatuto agere velit, tum meritò illud adducitur. *Minor* continet facti narrationem perſpicuam *R. J. 1654. §. 34.* hinc, in actionibus perſonalibus, cauſa remota, nempe certus aliquis contractus vel delictum, exprimi debet, ne aliàs intentio ſit nimis vaga *v. c. fin. X. de lit. conteſt.* in realibus contra, cauſa proxima, dominium v. gr. exprimenda, quia per hanc actoris intentio ſatis determinatur ac certa redditur.

§. 5. Utile tamen putant, ut in actionibus realibus etiam cauſa remota, titulus ſcilicet acquiſiti juris, adjiciatur, quo ſcilicet, ſi reus forte abſolvatur, autoritas rei judicatæ, adjectione iſta limitetur *l. 14. §. 2. junct. l. 11. §. 2. de except. rei jud. v.* LAUTERB. *C. J. de edend.* Sed non tam ex libello, quam ſecuta probatione, autoritas rei judicatæ æſtimanda videtur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 53.* Nomen actionis ne quidem jure civili exprimendum eſſe, quidam cenſent *arg. l. 6. de R. C. l. 6. in fin. de R. V. l. 34. de condit. & demonſtr. v.* EKHOLT

ad

ad ff. de edend. §. 6. CARPZOV. *p. 1. C. 2. D. 13.* Sed ſollicitudo Romanorum, qua de nominibus actionum ſatagere ſolent, contrarium perſvadere videtur *v. l. 7. §. 3. de dol. l. 33. de judic. l. 2. de P. V. l. 3. C. de edend. l. fin. C. de interd.*

§. 6. Interim parum refert, quicquid hic ſtatuas. Jure Canonico *c. 6. X. de judic.* & moribus noſtris certum videtur, quod expreſſio nominis non ſit neceſſaria. Ex quo ſequitur, quod error, in nomine actionis, etiam innoxius eſſe debeat, utut rigidiores, qui ex quibusvis erratis, ineptudinem libelli exſculpere ſolent, aliter fortaſſis hic ſentiant.

§. 7. Denique *Concluſio* petitionem continet, qua Rei reſponſio & ſatisfactio exigitur. Debet autem, pro diverſitate proceſſus, petitio recte formari, ſic in proceſſu ordinario petitur *einlaſſung und litis conteſtation*, in ſummario, *antwort*, ac quandoque *recognition*, in executivo, *recognition*. In criminalibus ſufficit ſi pœna condigna in genere petatur *v. l. 1. §. 4. ad SCt. Turpill. l. 15. pr. ad municip. v.* CARPZ. *p. 3. qu. 106. n. 14.* Formulæ autem libellorum, ex uſu fori diſcendæ ſunt, ſatius tamen eſt, ſolidas cogitationes propriis verbis eloqui, quam immaturos conceptus formulis alienis, anxie conquiſitis, proponere.

§. 8. Solent variæ formulæ libellis adjici, vel circa exordium, vel narrationem facti, vel concluſionem *v.* LAUTERB. *C. J. de edend.* quæ, ſi partem intentionis principalis contineant, ut ſi damni & expenſarum reſtitutio petatur, utiles omnino cenſeri debent, ſed quæ proteſtationem juri vel facto contrariam continent, aut id, quod juris eſt, exigunt, ac in ſpecie judicem officii ſui admonent, ſuperfluæ, aut ſaltem, ex hypotheſi proceſſus corrupti, utiles ſunt, nam aliàs cordatus judex, etiam non imploratus, jus & officium obſervat. *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 52.*

§. 9. Si libellus non recte formetur, dicitur *ineptus*, & frequens in foro eſt *exceptio libelli inepti;* Sed æquitas exigit, ne ob quodvis leve erratum, cum temporis & ſumtuum diſpendio, libellus, velut ineptus, rejiciatur, quare rem omnem ita circumſcribendam putem, ut *libellus admittendus ſit, quando, de vera actoris intentione, utcunque ex eo conſtat, utut aliena ac impertinentia ſint immixta.* Hi

ter-

termini si excedantur, abusum subesse arbitror, & eo quidem graviorem, quo levius fuit erratum, ob quod libellus rejicitur.

§. 10. Ad causas ineptitudinis refertur (1.) *obscuritas*, quæ admitti debet, si nulla idonea interpretatione, sensus aliquis, facto conveniens, erui queat (2.) *incertitudo*, hinc rejicitur libellus *generalis* & in quo *causa petendi* est omissa, quod hactenus admittendum, quatenus ex vaga ejusmodi intentione, non constat, qua defensione uti queat Reus, cætera haut attentenda erunt, juxta æquitatis præscriptum. Hinc ob omissum annum & mensem, in actione injuriarum, libellus, velut ineptus, rejici non debet, utut vulgo aliter sentiant *v.* CARPZ. *p. 2. qv. 95. n. 35. l. 2. Resp. 56.* multo minus aliarum minutiarum *v.* CARPZ. *p. 1. C. 2. D. 11.* erit habenda ratio.

§. 11. Quia etiam id, quod libello generali deest, suppleri potest, quando ad probationes perventum est, ideo is, si reus nihil excipiat, meritò admittitur CARPZ. 2. *Resp. 56.* Quodsi objectum generale sit, ut in hæreditatis petitione *l. 1. de R. V.* similibusque actionibus, aut justa actoris ignorantia subsit *l. 76. §. 1. de R. V.* tum libellus generalis vitio caret *v.* LAUTERB. *C. J. de edend. lit. J.* Porro, ob incertitudinem, rejiciendus esse censetur libellus *alternativus arg. l. 7. §. 4. de injur.* nisi obligatio sit alternativa, aut causa sit criminalis, vel inter mercatores vertatur CARPZ. *p. 1. C. 2. D. 7. seqq.* Verum cum is, qui alternative petit, rem debitam sua petitione complectatur, poterat hoc, juxta æquitatem sufficere, ut rejiciendi libelli nulla prægnans causa videatur subesse.

§. 12. Hac occasione disquiri solet, num libellus in actione hypothecaria, contra tertium instituenda, alternative concipi queat? quidam hoc asserunt *v.* CARPZ. *p. 1. C. 2. D. 9.* alii vero negant LAUT. *d. l. de edend.* Mihi prior sententia in tantum probanda videtur, ut libellum rectius alternative, quam purè concipi existimem: Nam jus pignoris, est accessorium, adeoque non perinde ut jus aliquod principale, v. gr. dominium, rem præcise persequitur, sed saltem ob debitum, hinc possessor pignoris, habet arbitrium, num rem præstare, an debitum solvere velit *l. 16. §. 3. de pignor.* ergo alternative obligatur, apte igitur libellus alternative concipitur.

§. 13. Nec obest, quod possessor, ratione debiti, non contraxe-

rit, adeoque non videatur obligatus: Nam à particulari ad universale infertur, esto, quod ex contractu non obligetur, ipsa tamen rei possessio eum obligat, ut, si re carere nolit, debitum solvat, perinde sicut dominus, qui animal noxium dedere non vult, damnum resarcire cogitur, licet nullus, eo nomine, contractus sit celebratus, nam, quoad hoc tertium, comparatio inter has actiones recte instituitur. De cætero, admisso æquitatis principio, antea relato, hujus controversiæ nulla est utilitas.

§. 14. Inter causas ineptitudinis est (3.) *contradictio v.* CARPZ. *p. 1. C. 2. D. 15.* quæ eatenus admittenda, quatenus petitionem actoris plane perimit, ut commoda interpretatione sustineri illa nequeat (4.) *Cumulatio actionum non compatibilium*, ut si actiones contrariæ v. gr. rei vindicatio ac hypothecaria aut confessoria, ratione ejusdem rei, vel præjudicialis, ac alia, quæ ab illius decisione pendet v. gr. rei vindicatio & confessoria, ratione diversarum rerum, cumulentur *v. l. 16. de except.* CARPZ. *p. 2. Resp. 53.*

§. 15. Si autem conjungantur, quæ electivè concurrunt, ineptitudo, æquo judicio, non adest, licet quidam aliter sentiant *v.* LAUT. *C. J. de edend. lit. J. n. 5.* nam idem bis quidem peti nequit *v. l. 76. §. p. de legat. 2.* cumulatio tamen illa non impedit, quo minus de intentione actoris constet, ac illa exitum habere queat. Actiones diversæ, eodem libello, ita conjungi possunt, ut singulæ finem suum consequantur *v. l. 52. §. 14. pro soc. l. 10. de A. E. V. l. 25. §. 3. 5. fam. ercisc. l. 11. de jurisd. l. fin. C. de ann. except.* MARTIN. *ad O. P. S. tit. 5. §. 3.* licet de jure civili alii dubitent ob *l. 6. de except. rei judic. l. 76. §. pen. de Legat. 2. v.* EKHOLT. *ad ff. de edend. §. 9. vid.* supr. *l. 1. c. 16. §. 26.* Jure Saxonico tres actiones, ex diversis causis descendentes, regulariter saltem cumulari possunt *O. P. S. tit. 5. §. 3.* CARPZ. *p. 1. C. 2. D. 4.*

§. 16. Ante terminum actor libellum impune mutare potest *v. l. 3. C. de edend.* in termino quoque, ante litem contestatam, ipsi eum mutare licet, sed refusis impensis. Post litem contestatam, antequam sententia, qua ei probatio injuncta, vires rei judicatæ consecuta est, iisdem conditionibus mutatio conceditur, sed si sententia, in rem judicatam transierit, tum facultatem vel mutandi, vel novum libel-

libellum offerendi, quidam actori denegant *v.* DN. BERG. *in resolut. ad* LAUTERB. *de edend. qu.* 2. sed contraria sententia, quæ, refutis, expensis, eum admittit, æquior est *v. O. P. S. tit. 5. §. 4.* Deserta autem probatione, novus libellus non amplius admittitur, cum, neglecto fatali, jus agendi sit amissum *add.* CARPZOV. *p. 1. C. 11. D. 1. seqq.*

§. 17. Qui pecuniam accipiunt, quo, vexandi causa, alicui litem moveant, vel non moveant, *Calumniatores* dicuntur *v. l. 1. de calumn. l. 19. ad exhib. l. 233. pr. de V. S. l. 1. §. 1. ad SCt. Turpill.* contra quos comparata est actio in factum, qua, intra annum, quadruplum ejus, quod acceperunt, post annum vero, simplum exigitur *l. 1. pr. l. 4. 5. 6. de calumni.* Regulariter autem quadruplo simplum inest *l. 5. §. 1. eod.* nisi tertius, impediendæ liti calumnioſæ, pecuniam dederit, tum enim dans pecuniam condictione repetit, ac vexandus quadruplum, velut meram pœnam, exigit *l. 7. pr. §. 1. eod. v.* LAUTERB. *C. J. de calum.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 104. add.* Supr. *l. 5. c. 4. §. 5.*

CAPUT III.

DE CITATIONE TERMINO SATISDATIONE ET DILATIONE.

SUMMARIA.

Citationis natura §. 1.
Et varietas §. 2. 3. 4.
Ejus origo & subjectum §. 5.
Citantur etiam qui in judicio per se stare nequeunt §. 6.
Omnes quorum interest, etiam præsentes ac in quacunque causa citandi sunt §. 7.
Citatio recte est concipienda §. 8. 9. 10.
Et insinuanda §. 11. 12.
Citationis effectus §. 13. 14.
Edictalis citatio non eodem modo ubique peragitur §. 15.
Termini & instantiæ natura §. 16.
Cautionum judicialium modus & necessitas variat §. 17. 18.
Jure Romano occurrit cautio judicio sisti & judicatum solvi §. 19.
Cautio rati quoque aliquando præstanda est §. 20.
In Electoratu Saxoniæ actor præstat gvarandam §. 21.
Et satisdationem pro reconventione & expensis §. 22.
Dilationis natura §. 23.
Et varietas §. 24.
Dilationum judicialium concessio hodie fere ab arbitrio judicis dependet §. 25.

Digitized by Google

§. 1.

libelli oblati copiam Judex reo transmittit, eumque ad judicium vocat, hinc oritur in jus vocatio, ſive Citatio, quæ hodie eſt *legitima Rei, ad judicium juſſu & autoritate judicis competentis, facta vocatio.* Actori quoque terminus præfixus eſt indicendus, quæ indicatio, etiam citatio dici poteſt, nonnullis in judiciis *Gedenck-Zettul* audit. A varia autem forma, citatio varie diſtingvi ſolet.

§. 2. Eſt enim (1.) *realis* quæ cum prehenſione perſonæ eſt conjuncta *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 111.* vel *verbalis*, quæ verbis tantum peragitur. Hæc iterum eſt vel *ſcripta*, quæ literis, & *dicta*, quæ oretenus fit, in cauſis ſummariis; perſonæ tamen illuſtres ſemper in ſcriptis citandæ videntur *l. 17. §. 1. C. de dignat. v.* MARTIN. *ad O. P. S. tit. 4. ad rubr.* Porro eſt vel *privata*, quæ fit ipſi citando, vel *publica*, quæ per præconem aut edictum publice, aliquando etiam in trium dominorum Territoriis, affixum, in ſubſidium inſtituitur *v. Clem. 1. de judic.* CARPZ. *Pr. tit. 7. art. 4. p. 1. C. 2. D. 29.* Privata rurſus diſpeſci poſſe videtur in *explicitam*, quæ faciem ſuam palam exhibet, & *implicitam* quæ in præcepto, monitorio aut inhibitione virtualiter continetur, vel aliquando etiam iis inſeritur.

§. 3. Deinde citatio (2.) eſt vel *immediata*, quæ fit in ſubditos, immediate vel mediate citantis jurisdictioni ſubjectos, licet alius eodem in loco aliam jurisdictionis ſpeciem habeat *v.* CARPZ. *l. 3. Reſp. 23. tit. 7. art. 3. p. 3. qu. 109. l. 3. D. 19.* FRANSCK. *1. Reſol. 18.* niſi hujus conſenſus, ex pacto vel conſvetudine ſit neceſſarius *v. l. 1. §. f. de inſpic. ventr. l. 50. §. f. de Legat. 1. l. 34. de R. J.* vel *mediata* ſive *ſubſidiaria* quæ fit mediante alio Magiſtratu, cui citandus ſubeſt *v.* CARPZ *p. 1. C. 2. D. 27. 28.* Ab ea autem differunt literæ, quibus v. gr. Commiſſarius Nobilem, honoris cauſa, compellat, quo, ſine indignatione, pati velit, ut citatio citando, in ejus prædio ad tempus degenti, inſinuetur.

§. 4. Ulterius citatio (3.) eſt vel *ſimplex*, qua quis ita vocatur, ut ſpes ulterioris citationis non ceſſat, vel *peremtoria*, qua, ſublata illa ſpe, præciſe quis comparere jubetur *v. l. 71. 72. 73. de judic. l. 53. §. 1. de*

re

re judic. l. 2. 8. C. quom. & quand. jud. ſent. prof. deb. CARPZ. *p. 1. C. 2. D. 22. tit. 7. art. 1. n. 25.* de quarum uſu, ex ordinationibus judiciorum ſpecialibus judicandum, nam quæ in *l. 68. ſeqq. de judic.* habentur, vix uſum hodie habent. Eſt etiam obſervandum, quod in proceſſu civili, negleCtus citationis ſimplicis non quidem noceat quoad deciſionem principalem, attamen non plane impunis eſſe ſoleat (4.) eſt vel *generalis*, quæ fit ad totam cauſam & *ſpecialis* quæ ad certum actum *v.* LAUTERB. *C. J. de in jus voc.*

§. 5. Citatio, ex præſcripto juris naturalis & poſitivi, eſt neceſſaria *v. l. 39. de adopt. l. 47. de re jud. l. 7. C. quom. & quand. jud. ſent. prof. deb. Clem. 2. de ſent. & re judic.* CARPZ. *tit. 7. art. 1. n. 1.* Decernit eam judex competens *v. l. 2. ſi quis in jus vocat.* ad petitionem partis CARPZ. *tit. 7. art. 1. n. 28.* in criminalibus tamen ex officio illam expedire poteſt, quæ omnia ex rationibus communibus fluunt. Regulariter omnes citari poſſunt, apud Romanos tamen citari nequeunt magiſtratus majores & parentes, niſi impetrata venia *l. 2. ſeqq. de in jus voc.* quæ hodie nullum habent uſum.

§. 6. Ex rationibus juris Romani, citari etiam poſſunt pupilli infantia majores, vel eorum tutores *l. 1. §. 2. de admin. & peric. tutor.* ſed hodie tutores fere tantum citari ſolent *v.* CARPZ. *tit. 7. art. 2. n. 17.* Alia ratio eſt fœminarum, quæ, cum res ſuas adminiſtrent, adhibito ſaltem, ubi opus, curatore, recte hodie quoque citantur *v.* LAUTERB. *C. J. de in jus voc. lit. P.* Poſt litem conteſtatam procurator citari debet *arg. l. 22. C. de procur. l. 1. C. de ſentent. & interloc.* ſed in Electoratu Saxoniæ regulariter non poteſt, niſi hoc ei mandatum, vel principalis extra Electoratum degat *v.* DN. BERG. *in reſol. ad* LAUTERB. *de in jus voc.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 4. enunc. 10. ſeqq.*

§. 7. De cæteroomnes, quorum intereſt, ac, iis deficientibus, hæredes eorum, citandos eſſe, commune æquitatis principium oſtendit *v. l. 39. de adopt. l. 47. pr. de re jud. l. 1. 2. C. de conſort. ejusd. lit.* CARPZ. *tit. 7. art. 1. n. 56.* Ex rationibus proceſſus uſitati etiam præſentes vocari debent CARPZ. *tit. 7. art. 2. n. 28.* quod tamen veteres Germani non anxie obſervarunt *v.* LEHMAN *Chr. Spir. l. 5. c. 109. n. 3.* In omnibus cauſis, ſummariis quoque & nororiis, citatio eſt regulariter neceſſaria *Clem. 2. de V. S. c. 12. X. de re judic. v.* LAUTERB. *C. J.*

de in jus voc. Aliquando quidem in proceſſu ſummario, ut novi operis nunciatione, ſtatim præceptum, ac in poſſeſſorio ſummariiſſimo, monitorium &, pro re nata, excitatorium datur, ſed hæc tamen citationem virtualiter, aliquando etiam expreſſe, continent.

§. 8. In concipienda citatione, ſex requiſita ſunt obſervanda (1.) Debet continere citatio *nomen judicis citantis v.* CARPZ. *tit. 7. art. 2. n. 5.* hinc Commiſſarii tenorem commiſſionis ſimul transmittere tenentur (2.) *nomina & cognomina ſingulorum citandorum*, quibus aliquando aliæ etiam demonſtrationes adjiciendæ: In univerſitate tamen citanda ſufficit nomen generale CARPZ. *d. art. 2. n. 16.* Error interveniens efficit, ne citatus emanens pro contumaci haberi queat, ſi vero compareat, prætextu erroris, inſtantiam declinare nequit *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 4. enunc. 8.* (3.) *nomen & cognomen ejus, qui citationem impetravit* CARPZ. *tit. 7. art. 2. n. 10.*

§. 9. Ulterius (4.) *cauſam citationis;* quæ quidem vel ſchedulæ citatoriæ inſeritur, vel, transmiſſa libelli copia, indicatur CARPZ. *d. art. 2. n. 20.* In cauſis Summariis, in quibus citatio oretenus fit, cauſæ expreſſio non ſemper occurrit, aliquando tamen quis vocatur *mit vermeldung der ſachen, warumb die ladung geſchiehet* (5.) *locum tutum v.* CARPZ. *d. art. 2. n. 34.* bellum, peſtis & metus incarcerationis, eum intutum faciunt *v.* MEV. *p. 3. D. 152.* (6.) *tempus legitimum.*

§. 10. Hinc non debet citatio fieri ad diem feriatum *v. l. 2. in fin. ſi quis in jus voc. l. 2. C. de fer.* feriæ tamen humanæ, in omnibus judiciis, non, non ſemper obſervantur *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 4. enunc. 53. ſeqq.* DN. STRYK, *in not. ad* LAUTERB. *de feriis p. 84.* Porro tempus non debet eſſe nimis anguſtum, cujus determinatio, ex legibus poſitivis dependet *v. l. 69. de judic. Nov. 53. c. 3. Nov. 82. c. 10.* In Saxonia regulariter citatio debet continere ſex ſeptimanas & tres dies, quod ſpatium, à tempore inſinuationis, ita computandum eſt, ut nec dies inſinuationis, nec Termini ei includatur, adeoque illud minimum 47. dies contineat *v.* CARPZ. *tit. 7. art. 2. n. 46. p. 1. C. 2. D. 23. 24.* cum enim, in uſum vocati, id ſit conſtitutum, probabile eſt, quod integrum ejus arbitrio relinqui debeat *add. c. 12. X. de appell.*

§. 10. Citatio rite concepta, etiam recte inſinuari debet, nempe *mature*, ne ſpatium, vocato concedendum, coanguſtetur, *debito loco*, in-

intra citantis territorium, qui extra illud degunt, iis per ſubſidium citatio inſinuanda eſt *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 4. enunc. 28. ſeqq.* porro, *debito tempore*, ſcilicet non in feriis divinis *l. fin. C. de fer. c. fin. X. eod.* ſed hoc neque certum eſt, nec uſu ſervatur *v.* GAIL. *1. O. 53.* THOMAS. *in not. ad* STRAUCH. *exerc. 24. §. 11.* RIVIN. *d. l. enunc. 51.* amplius per *nuncium juratum*, cujus teſtimonio, ad acta legitime relato, fides habetur *v.* CARPZ. *tit. 7. art. 1. n. 68.* Denique *ipſi citando*, vel *ad ejus domum* citatio inſinuanda eſt.

§. 12. Sed circa hoc, pro diverſitate perſonarum citandarum, varia diſceptari ſolent. Sic fruſtra citatio, ad domum hæreditarium, inſinuatur, ſi nemo cohæredum in ea habitet, niſi extra territorium citantis degant ac bona indiviſa habeant cohæredes: Sublata communione, ſingulis hæredibus, qui in diverſis locis habitant, citatio inſinuanda: Senatus oppidanus ſi in jus vocandus, inſinuatio aut Conſuli regenti, aut ad locum Curiæ ſpecialem, ubi Senatores conſidere ſolent, fieri debet: In pagis inſinuanda citatio non Syndico Univerſitatis, ſed Sculteto *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 4. enunc. 2. ſeqq.* Illud certum, quod citatio invalida convaleſcat, ſi citatus compareat, ac nihil contra eam excipiat *v.* LAUTERB. *C. J. de in jus voc. lit. Q.*

§. 13. Effectus citationis legitimè conceptæ & inſinuatæ eſt, quod citatus comparere, vel pœnam contumaciæ ſuſtinere debeat *v.* RIVIN. *d. tit. 4. enunc. 25. 26. 27. 47. ſeqq.* præterea citatio operatur præventionem *l. 19. de jurisd. l. fin. C. de in jus voc. c. pen. X. de for. comp. clem. 2. ut lit. pend. nih. innov.* CARPZ. *p. 1. Deciſ. 79.* BERLICH. *p. 1. Dec. 1.* RIVIN. *d. tit. 4. enunc. 68.* interrumpit præſcriptionem *l. 2. C. de annal. except. l. 7. fin. C. de præſcript. 30. vel 40. ann. Nov. 119. c. 7.* modo fuerit legitima & juſta, hinc effectus hic, ab exitu proceſſus dependere videtur, adeo ut, actore ſuccumbente, citatio Rei præſcriptioni non obeſſe videatur; Alia accidentia effectum illum forte non impediunt, circa quod tamen non eadem omnium eſt ſententia *v.* DN. BERGER. *ad* LAUTERB. *de in jus voc.* DN. RIVIN. *d. tit. 4. enunc. 60. ſeqq.*

§. 14. Ad effectus citationis etiam refertur, quod perpetuet mandatarii jurisdictionem, ut morte mandantis non intercidat *l. 6. de jurisdict. c. 20. X. de offic. delegat.* ſed cum hodie jurisdictio ſit patrimonialis, vel juxta certos diſtrictus diſpenſata, adeoque cum perſona non ex-

extingvatur, hinc præcedentis doctrinæ nullus vel exiguus videtur uſus. Actiones ad perſonam reſtrictas citatio non facit tranſitorias in hæredes, ſed hoc à litis conteſtatione dependet *l. 16. de offic. præſ. l. 139. de R. J. v.* LAUTERB. *C. J. de in jus voc. in fin.* Sed hodie effectus ille probabiliter citationi tribui poteſt *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 43.*

§. 15. Citatio edictalis uti extraordinaria eſt, ac in ſubſidium ſaltem adbibetur *v. §. 2.* ita ejus peragendæ modus, non ubique idem eſt, cui illuſtrando, pauca, ex uſu Saxoniæ, adjiciam. in concurſibus Creditorum, edictalis citatio, per triplicatum ſpatium Saxonicum, & quidem ratione bonorum feudalium, in tribus civitatibus arctioris & plenioris conventus Statuum, *des engern und weiteren ausſchuſſes*, affigenda eſt: Sed quoad bona allodialia, in trium Dominorum territoriis Creditores, de quorum domicilio non conſtat, citandi ſunt: pro diverſis autem territoriis non habentur Epiſcopatus cæteræque Ducum Saxonicorum ditiones, quæ Superioritati Territoriali Electoris Saxoniæ ſubſunt. Edictalis citatio non præjudicat creditori, de cujus prætenſione ac domicilio ex actis conſtare poteſt *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 4. enunc. 42. ſeqq.*

§. 16. Citantur litigantes ad certum tempus, quod *Termini* nomine venit *v. c. 6. X. de dol. & contum.* hic ergo nihil aliud eſt, quam *tempus actibus judicialibus deſtinatum.* Eandem rem videtur notare *Inſtantia v. l. 73. §. 2. de judic.* niſi forte hæc nomina ita diſcernenda ſunt, ut per terminum intelligamus, *ipſum tempus*; per inſtantiam vero, *neceſſitatem agendi*, vel etiam *ipſos actus judiciales ſuſceptos aut ſuſcipiendos.* De cætero inſtantia eſt vel *ſpecialis*, nonnullorum, vel *generalis*, omnium actuum unius judicii, hinc eſt judicium primæ & ſecundæ inſtantiæ.

§. 17. In judiciis, ſecuritatis cauſa, præſtantur *Cautiones*, tam à perſonis principalibus, quam acceſſoriis. Quæ res uti ex communibus æquitatis & prudentiæ principiis habet originem, ita cavendi *modus* & *neceſſitas* legibus poſitivis magis determinatur. Illum quod attinet, regulariter cavendum eſt idoneis fidejuſſoribus *l. 1. 2. ſ. §. 1. l. 9. qui ſatisd. cogant.* neque ſufficiunt pignora *l. 7. de prætor. ſtipul. Nov. 53. c. 2. Nov. 112. c. 2.* niſi lege hoc permiſſum *l. 1. §. 9. de collat.* vel

con-

conventione *l. 61. de V. S.* aut moribus receptum ſit *v.* CARPZ. *p. 1. C. 5. D. 7. p. 3. qu. 112. n. 98.*

§. 18. Poſſeſſores rerum immobilium nuda promiſſione defunguntur *l. 15. qui ſatisd. cog. v.* CARPZ. *p. 2. C. 5. per tot. 2. Reſp. 78.* Quibus hodie comparantur poſſeſſores rerum mobilium pretioſarum, quæ non facile, loco moventur, adeoque morali æſtimatione pro immobilibus habentur CARPZ. *d. C. 5. D. 19. Pr. tit. 9. art. 5. n. 126.* Juratoriam cautionem præſtant cum alii *v. l. 17. pr. C. de dignit. l. 12. pr. C. de proxim. ſacr. ſcrin.* tum præcipue ii, qui fidejuſſores reperire nequeunt *Nov. 112. c. 2. auth. generaliter C. de Epiſc. & Cler.* CARPZ. *p. 1. C. 5. D. 9. 2. Reſp. 81.* LAUTERB. *C. J. qui ſatisd. cog. add.* CARPZ. *Pr. tit. 9. art. 5. n. 34.* DN. BERGER. *in reſolut. ad* LAUTERB. *qui ſatisd. cog.*

§. 19. Neceſſitas cavendi non ubique eſt eadem, hinc etiam eædem cautiones in omnibus judiciis non occurrunt. Jure Civili, intuitu privatæ in jus vocationis, erat præſtanda *cautio judicii ſiſti t. t. in jus voc. ut.* quæ *vadimonium* dicebatur *v.* POLLET. *hiſtor. for. Roman. l. 5. c. 1. 2. 3.* ſed hodie illa cautio non eſt in uſu *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 45.* utut aliis in caſibus, ac præcipue in proceſſu criminali, illa aliquando exigatur *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 112.* Porro jure Romano defenſor debebat præſtare *cautionem judicatum ſolvi l. 46. §. 2. de procur. t. t. judic. ſolv.* Sed nec illa hodie eſt in uſu, ab ipſo tamen reo, de fuga ſuſpecto, illa quandoque exigitur *v.* CARPZ. *Pr. tit. 9. art. 5. n. 12. ſeqq. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1194. 1195.*

§. 20. Occurrit quoque *cautio rati*, quæ, à defenſore, in actione reali etiam præſtatur *l. 40. §. 2. 3. de procur.* quod hodie non obtinet. Præterea vero cognati, ſub illa cautione *l. 35. 40. §. fin. de procur.* ut & procurator, de cujus mandato dubitatur *l. 1. C. de procurat.* admittuntur, quod hodie quoque obſervatur *v. c. 1. §. 27.* De cætero effectus hujus cautionis eſt, ut non tantum promittens diligentiam in procuranda ratihabitione adhibere, ſed &, hac non ſecuta, intereſſe præſtare debeat *l. 13. 19. rat. rem hab. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1197.*

§. 21. In Electoratu Saxoniæ Actor debet præſtare *Gvarandam & Satisdationem pro reconventione & expenſis.* Illa eſt cautio, *qua actor*

ſtipulata manu, vel tangendo judicis baculum promittit, ſe non ſolum libellum non eſſe mutaturum, vel juramentum delaturum, aut aliam actionem contra reum, ejusdem rei cauſa, inſtituturum, ſed & ſe eundem contra omnes alios, ob eandem cauſam ipſum convenire volentes defenſurum. Cenſetur habere originem ex *Landr. l. art. 63. l. 2. art. 15.* eamque exigit reus, licet ejus exactio in *Reſolut. Grav. de anno 1661.* tit. *von juſtitien ſachen §. wiewohl 17.* actuariis ſit injuncta. Illud forte liquet, Gvarandam rectius aboleri, quam conſervari.

§. 12. Altera cautio continet *promiſſionem de reconventione eodem in judicio excipienda, ac expenſis reo refundendis, ſi temere litem actor moviſſe deprehenſus fuerit.* Debet illa cautio fieri fidejuſſoribus, aut pignoribus ſi quis in terris Saxonicis non ſit poſſeſſionatus, quam in rem varia diſceptari ſolent *v.* CARPZ. *Pr. tit. 9. art. 4. ſ. p. 1. C. ſ.* RIVIN. *enunc. ad O. P. S. tit. 12. 13.* Ex ſententia MAURITII *diſſert. de Nobil. §. 31.* Amtſaſſius, qui Schrifftſaſſium convenire vult, pro extraneo habetur adeoque ſatisdare debet, quod tamen veritati non videtur conſentaneum.

§. 23. Actus judiciales continuò expediri non poſſunt, ſed nonnunquam aliquam moram exigunt, hinc oritur *dilatio*, quæ in omnibus proceſſus partibus occurrit. Eſt illa *certum temporis ſpatium, intuitu actus judicialis conceſſum.* Quodſi quis, tempore nondum elapſo, novum ſpatium petat, tum & hoc dilatio eſt, ſed, ratione dilationis præcedentis, dicitur *prorogatio*, quia prior velut extenditur. Ex quo liquet, prorogationem à dilatione non differre, ſed eſſe ſaltem novum nomen, quod ex præcedenti dilatione, ſequendi accedit.

§. 24. Ratione *cauſæ efficientis*, eſt vel *legalis*, quam lex concedit v. gr. quoad interponendam appellationem, quæque *fatalium* nomine venire ſolet; vel *conventionalis*, quæ ex conventione partium, vel *judicialis*, quæ ab arbitrio judicis dependet. A *materia* eſt v. gr. *citatoria* aut *probatoria v.* STRAUCH. *diſſert. 24. §. 10.* Ab *agendi neceſſitate* diſtingvitur in *peremtoriam*, poſt quam aliud ſpatium ſperare non licet, & *non peremtoriam*, quæ ſpem illam non excludit. Illa iterum eſt vel *abſolute talis*, quæ aliam ſimpliciter perimit, v. gr. fatale interponendæ appellationis, vel *ſecundum quid*, quæ ſpem ulterioris dilationis ita aufert, ſi ante ejus lapſum alia non ſit petita, cujus exemplum eſt infatali probationis.

§. 25. Di-

§. 25. Dilationem judicialem concedit Judex cauſa cognita *l. 4. C. de dilat.* CARPZ. *Pr. tit. 13. art. 1. n. 159. l. 3. Reſp. 33.* ac ab uno impetrata utrique prodeſt *l. 6. C. de tempor. in integr. reſtit.* in cauſis civilibus ſive non capitalibus, jure Romano, regulariter una, in capitalibus, reo tres, actori duæ dilationes conceduntur *l. 7. fin. de fer.* cauſa adulterii olim ad illas pertinuit, poſtea vero ad has relata eſt *l. 41. ad L. Jul. de adult. v.* DN. THOMAS. *in not. ad* STRAUCH. *diſſert. 24. §. 10.* Hodie dilationes judiciales ab arbitrio judicis, æquitatem tamen obſervaturi, dependent *v.* LAUTERB. *C. J. de fer.* quod tamen non ſemper, de ipſa temporis determinatione, ſed aliquando de ſpatii lege definiti prorogatione ſaltem eſt intelligendum *v.* MARTIN. *ad O. P. S. tit. 20. §. 1. n. 44. ſeqq.*

CAPUT IV.
DE LITIS CONTESTATIONE.

SUMMARIA.

Litis conteſtationis indoles §. 1.
Non eſt quaſi contractus nec novatio nec producit actionem judicati §. 2.
Sola Rei reſponſio etiam litis conteſtatio dicitur, quo reſpiciunt formulæ litem conteſtandi & diviſiones §. 3. 4.
Litis conteſtationis habitus intuitu judicii ejusque neceſſitas §. 5.
In Saxonia ſpecialis litis conteſtatio in proceſſu ordinario requiritur §. 6.
Epicriſis de hac ſanctione §. 7.
Litis conteſtatio actiones reddit perpetuas & tranſitorias §. 8.
Interrumpit præſcriptionem aliaque operatur §. 9.
Ob alienationem metu litis doloſe factam, præter actionem realem, datur actio ad intereſſe §. 10.
Circa quam jure Romano occurrit reſtitutio in integrum §. 11.
Res litigioſa etiam alienari non debet §. 12.
Hodie ſola citatio qualitatem litigioſi operari videtur §. 13.
Ratione actoris quævis actio in judicium deducta, fit litigioſa §. 14.
Quoad reum vero res ſaltem cenſetur fieri litigioſa, ſi de dominio lis ſit §. 15.
Per actionem tamen perſonalem aliquando etiam res videtur fieri litigioſa §. 16.
Litigioſi effectus & contraria §. 17.

§. 1.

ACtoris in termino comparentis principale negotium eſt repetitio libelli, quem ſi ut verum admittat reus, lis ceſſat, ac in confeſſum executio decernitur *l. 56. de re judic. l. 21. de judic. l. 6. §. fin. de confeſſ. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1050. 1053.* Si vero, quod plerumque fit, actori contradicat, oritur

Digitized by Google

litis conteſtatio; hæc ergo eſt *contradictio actoris & rei quoad cauſam principalem v. c. un. X. de lit. conteſt. l. un. C. eod. l. 14. §. 1. C. de judic. l. 2. pr. C. de jurejur. propt. calumn.* CARPZ. *Pr. tit. 10. art. 2. n. 2.* Olim fiebat in Jure coram Prætore ſtatim *v.* VINN. *S. Q. l. 1. c. 17.* HAHN *ad Weſenb. de judic. n. 6.* ſed hodie per diſceptationes dilatorias valde aliquando protelatur *v.* CARPZ. *tit. 10. art. 1. n. 1.* ut ab antiqua litis conteſtatione ad modernam non ſemper recte inferri queat.

§. 2. Solet litis conteſtatio pro quaſi contractu haberi *l. 3. §. 11. l. 5. §. 2. de pecul.* CARPZ. *d. tit. 10. art. 2. n. 3.* Sed vera potius ſubeſt conventio, licet tacitâ, nam qui ſibi contradicunt, illi ipſo facto ſatis reſtantur, quod judicii ſortem ſubire velint. Dicitur etiam litis conteſtatio, novatio neceſſaria, ſed improprie, quia præcedentem obligationem non tollit, ſed novam ei ſaltem adjicit *l. 29. de novat.* Actio judicati ex litis conteſtatione quoque repeti ſolet *arg. l. 3. §. 11. de pecul. l. 6. §. f. de re judic. v.* LAUTERB. *C. J. de re judic. in fin.* Verum executio potius fluit ex jure actoris, per proceſſum & ſententiam judicis ad liquidum deducto *v. l. 5. c. 14. §. 2. 3.*

§. 3. Solet etiam ſola rei reſponſio, litis conteſtatio dici, ideo forte, quod ab hac dependeat, num lis futura ſit, nec ne. Hanc ſuppoſitionem reſpicit diſquiſitio de formulis litem conteſtandi, de quibus mirum in modum nonnunquam diſceptatur *v.* CARPZ. *tit. 10. art. 3.* LAUTERB. *C. J. de judic. lit. C.* Eo quoque pertinent diviſiones litis conteſtationis. Eſt enim (1.) vel *ſolennis* quæ in proceſſu ordinario, & *minus ſolennis*, quæ in ſummario occurrit, ac ex omni actu contradictorio, qui litem conteſtatam alias ſequitur, colligitur *v.* CARPZ. *tit. 10. art. 2. n. 18. ſeqq.* (2.) *generalis*, qua in genere, & *ſpecialis* qua ad ſingula libelli capita reſpondetur CARPZ. *p. 1. C. 10. D. 2. tit. 10. art. 3.*

§. 4. Porro eſt (3.) vel *pura* quæ ſimpliciter fit, vel *eventualis*, quæ exceptionibus dilatoriis adjicitur, ut, in eventum illarum impletarum vel rejectarum, demum committatur CARPZ. *p. 1. C. 3. D. 1.* Inprimis (4.) eſt vel *negativa ſimpliciter*, qua actoris intentio abſolute negatur, vel *ſecundum quid*, qua illa quidem admittitur, ſed eam deſiſſe, objecta exceptione peremtoria, contenditur. Hæc etiam dicitur *Affirmativa*; Illo caſu actori, hoc, reo probatio injungitur. Alio ſenſu litis con-

conteſtatio eſt affirmativa in actione negatoria, nam, actore negante, litis conteſtato aliter fieri non poteſt, quam per affirmationem: Si vero actor affirmet, litis conteſtatio pure affirmativa eſſe nequit, reo enim actori conſentiente, nulla lis eſt.

§. 5. De cætero litis conteſtatio cenſetur eſſe initium judicii *l. un. C. de lit. conteſt. l. 15. rat. rem hab. c. 30. X. de V. S.* SCHNOBEL *ad ff. d. 2. §. 13.* quod verum eſt, ſi per judicium intelligamus inſtantiam judicis pedanei; ſed ſi inſtantiam Prætoris ad illud etiam referamus, vel ex uſu moderno judicium ſupponamus, tum à citatione potius incipit *v. §. fin. I. de pœn. tem. litig.* Porro litis conteſtatio ita neceſſaria creditur, ut ne quidem conſenſu partium poſſit omitti, ſed ejus omiſſio vitiet judicium *c. un. X. de lit. conteſt. arg. l. 4. C. de ſent. & interloc.* CARPZ. *tit. 10. art. 2. n. 18.* LAUTERB. *C. J. de judic. lit. C.* verum neceſſitas ſolennis litis conteſtationis, fori corruptionem redolere videtur.

§. 6. In Saxonia ſpecialis litis conteſtatio, quoad proceſſum ordinarium, eſt neceſſaria *p. 1. C. 10. O. P. S. tit. 16.* quæ tamen ad ea, quæ juris ſunt, aut ad facta aliena, cauſam non tangentia, ut ſi actor facta majorum ſuorum illuſtria libello inſeruerit, non extenditur *v.* CARPZ. *p. 1. C. 10. D. 21.* ſi reus in facienda litis conteſtatione tergiverſetur, prima vice injungitur ei plenior litis conteſtatio, annexa quandoque expenſarum refuſione: Secunda vice, ſub pœna confeſſi, condemnatur in expenſas. Tertia vice contumax pro confeſſo habetur. Aliquando ſtatim in primo termino, ſub pœna confeſſi, & condemnatione in expenſas, litis conteſtatio injungitur. *v.* CARPZ. *tit. 10. art. 4.*

§. 7. Juxta ſimplicitatem naturalem tanto apparatu opus non eſt, ſed quævis reſponſio vel etiam ſilentium Rei ſufficit, ut ad ulteriora procedi queat; qui enim actoris intentionem diſerte non fatetur, is utique eo ipſo illam negat vel ei contradicit. Hinc proceſſus maturari videtur, ſi probatio potius actori injungatur, quam ſi diverſis interlocutoriis ſpecialis litis conteſtatio exigatur: Neque actori moleſtum eſſe debet, ſi eorum omnium, quæ in libello retulit, probatio ei imponatur: Neque Rei variatio, poſtea forte ſecutura, talem ſententiam impedire poteſt, cum variatio etiam ſequi poſſit, licet lis ſpecialiſſime ſit conteſtata. Inprimis durum videtur, ſi proceſſus longius jam prove-

ctus, ob omissam solennem litis contestationem, annulletur. Sed de hoc experti amplius judicent.

§. 8. Effectus litis contestationis est (1.) quod actiones faciat perpetuas & in hæredes transitorias *l. 86. 87. 139. 164. de R. J. l. 13. 28. de injur. l. 9. §. 3. de jurejur. l. 26. 58. de O. & A.* earum vero, quæ jam perpetuæ sunt, durationem, ad 40. annos extendat *l. fin. C. de præscript. 30. vel 40. ann. l. 1. §. 1. C. de annal. except.* Sed hic effectus hodie citationi videtur tribuendus *v. c. 3. §. 12. 13.* Quodsi autem actio ad personam specialiter sit restricta, ut actio ad usumfructum competens, illa nunquam in hæredes transmittitur, quemadmodum etiam pœnæ publicæ, non lite contestata, sed condemnatione, fiunt transitoriæ in hæredes *l. 20. de accusat.*

§. 9. Porro litis contestatio (2.) interrumpit præscriptionem ac possessorem in mala fide constituit *v. l. 18. 20. de R. V. l. 9. §. 6. ad exhib.* sed hic effectus etiam citationi tribui debet *v. l. 10. C. de A. A. P. l. 2. 10. C. de præscript. long. temp. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1040.* (3.) inducit litis pendentiam *l. 7. 30. de judic.* quem effectum hodie quoque citatio operatur *v.* CARPZ. *l. 2. Resp. 26.* BERLICH *p. 1. Dec. 1.* LAUTERB. *C. J. de except.* (4.) exceptiones dilatorias excludit *l. 16. C. de judic. l. 13. C. l. 40. §. 3. ff. de procur. l. 19. C. de probat. l. p. f. C. de except.* (5.) procuratorem facit dominum litis *l. 22. 23. C. de procur.* qui effectus hodie cessare videtur.

§. 10. Aliquando quis metu futuræ litis, rem alienam in præjudicium adversarii, dolose alienat, quod ex circumstantiis judicandum *v. l. 1. 2. 3. 4. §. 1. seqq. l. 8. 9. 10. de alien. judic. mut. caus.* Hoc casu is, qui actionem realem habet, contra alienantem agere potest *l. un. C. eod.* cum dolus pro possessione sit *l. 150. de R. J. l. 27. §. 3. l. 36. de R. V. l. 25. §. 8. de hæred. petit.* Non minus etiam experiri valet contra novum possessorem *l. un. C. de alien. judic. mut. l. 36. de R. V.* qua occasione si damnum sentiat, ejus restitutionem petit ab alienante, actione in factum *l. 1. 3. §. 4. l. 4. §. 5. 6. l. 5. 6. 7. de alienat. judic. mut.* quodsi autem nullum interesse subsit, actio cessat *l. 3. §. 5. l. 8. §. 4. eod.*

§. 11. Solet circa hunc casum restitutio in integrum asseri *v.* LAUTERB. *C. J. de alien. judic. mut.* quam tamen negat HUBER *in prælect. d. t.* cum actor, neque ratione alienantis, neque novi possessoris, jus

suum

ſuum amiſerit, adeoque reſtitutione non indigeat. Verum reſtitutio occurrit ratione actionis in factum, quæ ſtricto jure non videtur competiiſſe *l. 3. §. 4. de alien. judic. mut.* Hodie certum eſt, quod ſchema reſtitutionis ceſſet, quemadmodum etiam, ob difficultatem probandi, actionis in factum nullus vel rariſſimus uſus eſſe videtur.

§. 12. A caſu præcedente, differt alter, quo, poſt litem inchoatam, litigantes alienationem moliuntur. Hæc etiam illicita eſt, ſi jus & res facta ſint litigioſa, nam lite mota, vel ex conſenſu partium, alienatio ceſſare ac res in ſuo ſtatu relinqui debet *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1135.* Cenſetur autem qualitas vel vitium litigioſi produci per litis conteſtationem *l. 1. §. 1. ff. l. 2. 4. C. de litigioſ.* quod etiam jure novo quidam aſſerunt *v.* LAUTERB. *C. J. de litig.* ſed alii per *Nov. 112. c. 1. & auth. litigioſa C. de litigioſ.* ſola citatione vitium litigioſi, quoad actiones reales, produci exiſtimant FRANSK. *l. 1. Reſol. 11. n. 7.* PISTOR. *l. 1. qv. 40. n. 2.* PERETZ *ad C. de litig. n. 3.*

§. 13. Mihi probabile videtur, quod hodie ſola citatio vitium litigioſi operetur, tam quoad actiones reales quam perſonales, in caſibus ſcilicet habilibus, de quibus poſtea: Nam citatio ſatis oſtendit, litem imminere, adeoque jura & res, de quibus litigandum, libero litigantium arbitrio non amplius ſubeſſe: Præterea ab antiqua litis conteſtatione, quæ ſine mora ſtatim in Jure olim fiebat, ad modernam, quæ per diſputationes dilatorias diu quandoque impeditur ac differtur, male videtur inferri *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 143.*

§. 14. Quo autem conſtet, quid ſive litis conteſtatione ſive citatione litigioſum fiat, diſtingvendum eſt inter *actorem* & *reum*. Quoad illum quævis actio, ſive realis ſive perſonalis, in judicium deducta, fit litigioſa, ut alienari nequeat *l. 2. 3. 4. C. de litigioſ.* FRANSK. *d. l. 1. Reſ. 11. n. 8. 9.* Putem tamen hoc eſſe intelligendum, de actione per ſe ſubſiſtente, non de ea quæ acceſſionis inſtar eſt. Hinc ſi dominus prædii dominantis confeſſoriam contra vicinum inſtituerit, actionem litigioſam cum ipſa re alienare poſſe videtur.

§. 15. Reo autem ut inhibeatur alienatio, requirunt, ut lis de dominio rei *Nov. 112. c. 1.* à Reo poſſeſſæ *l. 1. §. 1. de litig.* coram judice competente *c. 3. X. ut. lit. pend.* non calumnioſe ſit mota *v.* FRANSK. *l. 1. Reſ. 11. n. 13. ſeqq. n. 85.* Opus igitur eſt, ut rei vindicatio, ex do-

Digitized by Google

dominio vero vel præſumto, pleno vel utili, aut hæreditatis petitio vel actio familiæ erciſcundæ *l. 13. fam. erciſc.* aut communi dividundo ſit inſtituta *v.* FRANSK. *d. l. n. 52. ſeqq.* ſi vero actio confeſſoria vel hypothecaria ſaltem moveatur, manifeſtum eſt, quod dominium rei non fiat litigioſum, adeoque alienari poſſit, ſed cum onere *Nov. 112. c. 1. v.* FRANSK. *d. l. n. 17.* LAUTERB. *C. J. de litigioſ. add.* OBSERV. LAUT. *Obſ. 658.*

§. 16. Si actio perſonalis ad conſequendam quantitatem vel genus inſtituatur, ratione Rei nihil fit litigioſum, quia certa ſpecies non petitur: Si tamen reus omnia alienare velit, ut deinde ſolvendo non ſit, tum putem alienationem eſſe inhibendam *v.* FRANSK. *d. l. n. 18.* Porro ſi quis certam rem, v. gr. emtam, petat, tum itidem vitium litigioſi non contrahi communiter exiſtimant *v.* PISTOR. *l. 1. qu. 40. n. 8. ſeqq.* CARPZ. *p. 1. C. 32. D. 22.* FRANSK. *d. l. n. 24. ſeqq.* Sed contrarium verius videtur, nam perinde hic eſt controverſia de dominio, ac in rei vindicatione, imo jus actoris hoc caſu liquidius eſt intuitu Rei, quam cum ex dominio agitur *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1136.*

§. 17. Sicut autem vitium litigioſi ſaltem reſpicit litigantes *l. 1. §. 1. de litigioſ.* ita aliquando alienationem ne quidem quoad hos impedit *l. 3. 4. C. de litigioſ. l. 13. fam. exciſc.* FRANSK. *l. 1. Reſ. 11. n. 74. ſeqq.* Alias regulariter alienatio rei litigioſæ eſt nulla *v.* FRANSK. *d. l. n. 61.* ac contrahentes pœnam incurrunt *l. fin. C. de litig.* LAUTERB. *C. J. de litigioſ.* quæ tamen rigide forſitan non obſervatur.

Deſinit litigioſi vitium, ſi lis per ſententiam vel transactionem compoſita ſit *v.* FRANSK. *d. l. n. 113.*

CAPUT

CAPUT V.

DE RECONVENTIONE INTERVENTIONE LITIS DENUNCIATIONE ET REASSUMTIONE.

SUMMARIA.

Reconventio Romana §. 1.
In territoriis Germaniæ vix eſt in uſu, in Electoratu ſane Saxoniæ alius generis reconventio obtinet §. 2.
Hujus indoles, requiſita & effectus §. 3.
Quænam cauſæ dicantur connexæ §. 4.
In cauſis ſeparatis ceſſat reconventio, ac hæ ſimul tractari poſſunt §. 5.
Reconventio inſtituitur coram judice Rei finita demum conventione §. 6.
Aliquando tamen ante actualem ſolutionem, vel etiam cum ipſa conventione reconventio ſuo modo inſtituitur §. 7. 8.
Interventionis natura, diverſitas & requiſita §. 9.
Qui jus verum non habet non admittitur §. 10.
Interventio in quavis judicii parte fieri poteſt §. 11.
Litis denunciationis natura modus & effectus §. 12.
Reaſſumtio litis non plane hodie ceſſat §. 13.

§. 1.

Hi actus nonnunquam circa proceſſum eveniunt, cumque primus jure Romano plerumque in principio litis ſuſcipiendus ſit, tres poſteriores verò ſtabilem locum non habeant, hinc non incongrue hoc loco de iis agi poterit. Reconventio jure Romano eſt *reciproca actio, per quam reus actorem apud ſuum judicem de alia cauſa habili compellare poteſt l. 11. §. 1. de jurisd. l. 14. C. de ſent. & interl. Nov. 96. c. 2. l. 1. §. fin. quæ ſent. ſin. appell. reſcind. v.* HUBER. *in præl. & poſit. ad ff. quib. ex cauſ. ad eund. judic.*

§. 2. Sed talis reconventio, quæ quoad quamvis cauſam cum conventione ſimul tractatur, ac plerumque eadem ſententia finitur, in paucis Germaniæ Territoriis forſitan in uſu eſt: Nam in his magiſtratus plerumque habent jurisdictionem patrimonialem, adeoque eorum ſubditi non tam facile ad alia judicia trahi poſſunt, quam jure Romano id fieri poterat, quo judices perſonalem ſaltem & temporariam habebant jurisdictionem. In Electoratu Saxoniæ certe talis reconventio ceſſat, ac hæc ſaltem admittitur in cauſis connexis & finita

nita demum conventione *p. 1. C. 7. O. P. S. tit. 6.* CARPZ. *Pr. tit. 6. art. 3.*

§. 3. Reconventio igitur Saxonica eſt *actio reciproca, qua reus, poſt finitam actionem ſeu conventionem, in cauſa connexa actorem coram eodem judice, ratione actoris licet alias incompetente, compellat.* Requiruntur ergo *cauſæ connexæ*, ac in his reus, finita conventione, non tantum poteſt, ſed & præciſe tenetur reconvenire actorem, adeo ut, ante finitam actionem principalem, ne quidem per modum conventionis ſive actionis ſeparatæ, contra illum experiri queat *p. 1. C. 7. O. P. S. tit. 6. §. 1.* CARPZ. *d. C. 7. D. 9.*

§. 4. Cauſæ autem connexæ cenſentur eſſe, quæ ex eodem contractu, inſtrumento ſimilive fundamento oriuntur e. gr. actio directa & contraria. Solent tamen aliæ quoque laudari, quæ exinde repeti nequeunt, quas *continentes* dicunt, hinc arbitrio judicis rei hujus deciſionem relinquit CARPZ. *p. 1. C. 7. D. 12.* Ego putem quamvis actionem reciprocam, contra extraneum, pro cauſa connexa poſſe haberi ad hunc effectum, ut illum reus ad ſuum judicem trahere poſſit: non vero ad eum, ut reus, ſi malit, eam coram judice extranei actoris competente, per modum ſeparatæ actionis, inſtituere nequeat, quæ ſententia in *O. P. S. tit. 6. §. 3.* verbis: *dann wir befinden* ſatis fundata videtur.

§. 5. In cauſis autem ſeparatis reconventio ceſſat. Hinc licet quis ex cauſa ſeparata exceptionem compenſationis actori objicere queat, attamen ſi illa ob qualitatem proceſſus non admittatur, non poteſt eadem per modum reconventionis contra actorem urgeri, ſed coram judice ejus competente, ut actio principalis, inſtitui debet *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 6. enunc. 8.* Hoc tamen ex *§. præc.* limitandum puto, *niſi actor extraneus ſit*, hujus enim conditio connexitatem operatur. E contrariæ cauſæ ſeparatæ ſimul inſtitui & tractari poſſunt, ſive coram eodem, ſive alio judice, modo ille ſit competens *v.* CARPZ. *p. 1. C. 7. D. 10.*

§. 6. Inſtituitur reconventio coram Judice Rei, licet ei actor alias non ſit ſubjectus, modo eam jurisdictionis ſpeciem habeat, ut de cauſa ipſa cognoſcere queat CARPZ. *p. 1. C. 7. D. 4.* Quodſi actor eundem cum reo habeat judicem, nihilominus reconventio recte etiam coram

Digitized by Google

coram illo movetur; neque enim ad hanc requiritur, ut ſemper jurisdictionem proroget, ſed ad eam ſufficit connexitas cauſarum. De cætero reus reconventionem antea inſtituere nequit, quam conventio ſolutione, compenſatione ſimilive ſatisfactione, penitus fuerit finita. *p. 1. C. 7. O. P. S. tit. 6. §. 1.*

§. 7. Si tamen actor reconveniendus, ſit extraneus vel bonis deſtituatur, tum reus id quod debet in judicio deponit, donec ille idonee caveat, tenetur tamen deponens libellum reconventionalem ſimul ſtatim offerre *O. P. S. tit. 6. §. 2.* quod de ſpatio à judice præfixo, ob *§. 3. d. tit. 6.* accipi ſolet *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 6. enunc. 17.* Sed res potius ita componenda videtur, ut *§. 2.* de proceſſu *ordinario*, ſed *§. 3.* de *executivo* accipiamus, ea ratione, ut in hoc ne quidem depoſitio judicialis ſit facienda, ſed ſolutio actori tamdiu negari queat, donec idoneam præſtiterit cautionem; de hoc vero ſi partes intes ſe convenire nequeant, judex tam modum cavendi, quam ſpatium offerendi libelli reconventionalis ſua ſententia definiat.

§. 8. De cætero hic non intelligitur cautio pro *reconventione & expenſis*, ſed *judicatum ſolvi*, hoc enim & res ipſa loquitur, & ex *§. 2. d. tit. 6.* verbis: *cautionem de ſolvendo* ſatis liquet. Neque tamen illa cautio ſtatim ſub initium actionis principalis poteſt exigi, ceu vult MARTIN. *ad O. P. S. tit. 6. §. 3. n. 5.* ſed in fine, quando ad executionem perventum eſt. In cauſis injuriarum connexis, reconventio cum actione principali usque ad litem conteſtatam ſimul tractatur *d. tit. 6. §. 3.* Ob injuriam tamen, quam quis ipſa actione ſibi illatam dicit, poſt hujus finem demum agi poteſt, quia antea de veritate injuriæ non conſtat *v.* RIVIN. *d. tit. 6. enunc. 4.*

§. 9. Interventio eſt *actus, quo tertius circa alienam litem jus ſuum allegat, ejusque rationem haberi petit v. l. 5. de appell. c. 25. X. de ſent. l. 19. C. de liber. cauſ.* Eſt vel *principalis*, qua quis alterum litigantem plane repellere intendit, vel *acceſſoria*, qua tantum juris ſui cauſa quis accedit. Illa litem ſuſpendit, hæc cum illa ſimul tractatur *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 15. enunc. 3. 4.* Debet autem interveniens jus ſuum ſummariter minimum probare *v.* CARPZ. *p. 1. C. 3. D. 30.* ſi aliqua colluſio præſumatur, juramentum malitiæ ei deferri poteſt *O. P. S. tit. 15.*

§. 10. Si interveniens jus ſolidum non habeat, non admittitur

v. RIVIN. *d. tit. 15. enunc. 6. 7. 8.* Litis tamen denunciatus, qui pro confeſſo & convicto declaratus eſt ob abſentiam, poſtea, ſi definitiva ſententia ferenda ſit, omnino intervenire poteſt, licet alii quodammodo diſſentiant *v.* RIVIN. *d. l. enunc. 9.* nam ex ſcopo litis denunciationis patet, quod ſententia prior in abſentem lata, denunciantem ſolum ratione regreſſus ſecurum faciat, minime vero denunciato jus ſuum auferat, qui etiam, ſi citatus emaneat, ne quidem pro contumaci haberi poteſt, hinc nec recte pro confeſſo & convicto declaratur.

§. 11. Interventio habet locum in quavis judicii parte, ac tam in prima quam ſecunda inſtantia *v. O. P. S. tit. 15.* nec ei obſtare poteſt res judicata, cum hæc aliis non obſit, hinc ſicut lite finita tertio jus ſuum ſeparata actione perſequi licet, ita durante proceſſu ſemper ille intervenire poteſt. In ipſa igitur executione ei quoque locus eſt *v.* RIVIN. *d. tit. 15. enunc. 5.* In termino tamen juſtificandæ appellationis illa non admittitur ſi interveniens appellationi intra decendium non adhæſerit RIVIN. *d. l. enunc. 1. 2.* Sed uti lege hoc omnino conſtitui poteſt, ita, ea ſepoſita, ex principio allato contrarium dicendum.

§. 12 Litis denunciatio eſt *actus, quo is cui evictio imminet, autor, defenſionis & regreſſus ſui cauſa, litem denunciat*, de qua aliquid dictum *l. 4. c. 21. §. 15. ſeqq.* Si proximus autor ſit pauper, conſultum eſt denuncianti, ut ab eo, contra remotiores, actiones ſibi cedi curet. Litis denunciatio non debet fieri extrajudicialiter, nec in judicio incidenter, ſed ſeparatim à judice petendum, ut eam cum copiis autori transmittat. Litis denunciatus inſtituto proceſſui conformem ſe debet gerere, hinc contra documenta gvarentigiata exceptionibus illiquidis uti nequit. Suſcepta à denunciato defenſione, denuncians è lite non dimittitur *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 14.*

§. 13. Reaſſumtio litis eſt *hæredum de continuando proceſſu declaratio, ſententiâ judicis confirmata*, ejus mentio facta eſt *c. 1. §. 34. h.* Licet vero ejus uſus ſublatus videri queat, attamen hoc varie reſtringitur. Sic reaſſumtio neceſſaria eſſe cenſetur, ſi clauſula: *pro ſe ſuisque hæredibus* ſit omiſſa in mandato, aut ſi quis ſine procuratore cauſam ſuam in judicio tractaverit, vel per intromiſſionem, quam vocant, mandatum tacite revocaverit, aut ſi actoria à ſolis tutoribus vel curatoribus ſint ſubſcripta: Succeſſor quoque ſingularis litem reaſſumere tenetur *v.* CARPZ. *Pr. tit. 6. art. 4.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 17.*

CAPUT

CAPUT VI.
DE CONTUMACIA.

SUMMARIA.

Contumacia varie committitur ac punitur §. 1.
Pœna actoris in primo termino emanentis §. 2.
Reus contumax jure Saxonico condemnatur usque ad legitima impedimenta §. 3.
Non simul in expensas §. 4.
Pœna illa in omnibus actionibus ac in processu etiam executivo locum habet §. 5.
Probatis impedimentis, pœna cessat §. 6.
Sed deficiente probatione, reus condemnatur usque ad executionem §. 7.
Pœna confessi & convicti præcedente mitior est §. 8.
Cum illa coincidit pœna recogniti §. 9.
Aliquando etiam contumacia apprehensione, carcere, multa §. 10.
Præclusione impositione silentii aut juris adversarii confirmatione punitur §. 11.

§. 1.

SÆpe litigantes ea quæ facere debebant, non faciunt, qui officii neglectus *Contumacia* dicitur, hæc igitur est *voluntaria rei in judicio agendæ omissio.* Committitur tam ab actore, quam reo, in judicio primæ & secundæ instantiæ ac utrobique circa diversas partes, litis contestationem probationem vel executionem. Varie quoque illa coercetur, restitutione expensarum, juris competentis amissione aut multa arbitraria; quæ omnis res ex ordinationibus potius specialibus, quam jure Romano intelligi debet, ac non raro valde intricata & incerta est.

§. 2. Hoc loco tantum respiciemus ad Contumaciam, quæ potissimum ante litis contestationem vel similem Rei responsionem committi solet. Quando igitur actor emanet, tum reus prævia contumaciæ accusatione, ab instantia absolvitur, eidemque actor expensas refundere ac cautionem de lite prosequenda præstare tenetur *l. 73. §. 2. l. 79. ff. l. 13. §. 2. C. de judic. c. 1. de dol. & contum. in 6. O. P. S. tit. 10. §. 1.* In judicio mercatorio Lipsiensi contumax actor in expensas condemnatur, ac sub pœna silentii perpetui ad actionem intra spatium Saxonicum prosequendam citatur *v.* CARPZ. *tit. 8. art. 1. p. 1. C. 9. D. 22.* MARTIN. *ad O. P. S. d. tit. 10. §. 1.* RIVIN. *d. t. 10. enunc. 1. seqq. 61. 62.*

§. 3. Contra reum contumacem, jure Romano, missio ex primo & secundo decreto, adhibita fuisse videtur *t. 1. quib. ex caus. in possess.*

& *de reb. autor. jud. poſſid. v.* LAUTERB. *C. J. d. t.* EYBEN *diſſert. de miſſ. in poſſeſſ. maxim. ex prim. & ſecund. decret.* Sed illarum miſſionum nullus hodie videtur eſſe uſus, niſi forte adhuc in quibusdam caſibus *v. l. 5. pr. ut in poſſeſſ. legat. ſerv. l. 4. §. 3. 4. l. 15. §. 21. de damn. inf. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſerv. 954. 989.* Jure Saxonico reus contumax condemnari ſolet usque ad legitima impedimenta. *O. P. S. tit. 10. §. 4.*

§. 4. Fit autem condemnatio hæc, ſi actor contumaciam accuſaverit, licet in petitione erraverit, ac reum ad executionem condemnari petierit. Non debet autem reus ſimul in expenſas condemnari, hinc ſi actor ſuſpicetur, reum habere legitima impedimenta, quibus abſentiam excuſare queat, tum conſultius ipſi eſt, petere ſaltem condemnationem in expenſas, injuncta reo litis conteſtatione. Quodſi citatio legitime non fuerit inſinuata, aut terminum legalem non contineat, condemnatio ad legitima impedimenta locum non habet, in expenſas tamen reus poſteriori caſu condemnari poteſt, *v.* CARPZ. *tit. 8. art. 4. n. 51.*

§. 5. Si reus in termino quidem compareat ſed agenda non agat, eadem condemnandi ratio locum habet. Si vero in termino abſentiam per literas excuſet, in expenſas tantum condemnatur, quod incommodum etiam evitare poteſt, ſi maturè dilationem petat. De cætero in omnibus actionibus realibus & perſonalibus, etiam in proceſſu executivo, condemnatio ad legitima impedimenta, ſi petatur, locum invenit, & conſultum eſt eam in hoc proceſſu exigere, ſi actori ſatis conſtet, reum legitimis impedimentis deſtitui.

§. 6. Reus ita condemnatus, citandus eſt, quo in novo termino impedimenta probet, quod fieri poteſt teſtibus, inſtrumentis & in ſubſidium ipſius juramento; ipſorum vero impedimentorum dijudicatio arbitrio judicis fere relinquitur. Impedimentis legitime probatis, res in priſtinum ſtatum redit, ac reus ad jura in ſequentibus terminis deducenda admittitur *v.* CARPZ. *tit. 8. art. 2. p. 1. C. 9. D. 3. ſeqq.* Quodſi purgata contumacia, iterum contumax fiat reus, præcedens condemnandi ratio repetitur CARPZOV. *l. 3. Reſp. 27. n. 23. tit. 8. art. 3. n. 17.*

§. 7. Quodſi in termino, ad probanda legitima impedimenta præ-

præfixo, non compareat reus, vel comparens impedimenta docere nequeat, tum condemnatur usque ad executionem qui enim abſentiam ac taciturnitatem ſuam excuſare vel non vult, vel non poteſt, is pro confeſſo non immerito habetur. Fit autem condemnatio juxta contenta libelli & principalem actoris intentionem, nam ſi quoad acceſſoria iniquior actoris petitio ſubſit, illam judex merito moderatur *v.* CARPZ. *tit. 8. art. 3.* Cæterum uti ille rigor recte adhibetur, ſi propria Rei negligentia interveniat, ita, ſi ob Advocati culpam vel improbitatem, totius cauſæ diſpendio multetur Reus, id cum regulis æquitatis conciliari nequit, id quod generaliter circa omnem contumaciæ pœnam ipſi cauſæ præjudicium afferentem dicendum videtur.

§. 8. Aliquando reo contumaci ſub pœna confeſſi & convicti reſponſio injungitur, ac is, perſeverante contumacia, pro confeſſo & convicto habetur. Quæ coercendi ratio in proceſſu ſummario locum habere cenſetur, ſed forte nec ab ordinario plane exulat. De cætero quoad intentionem principalem, cum præcedente modo convenit, in eo tamen mitior eſt, quod ſub pœna confeſſi & convicti citatus impedimenta docere non debeat, ſed comparens ad jura deducenda ſimpliciter admittatur. Ob hanc lenitatem videtur è contrario condemnatio in expenſas adjungi poſſe. Non raro etiam idem procedendi modus adhibetur contra eum, qui in termino quidem comparet, ſed litem non recte conteſtatur.

§. 9. Quando ex documento agitur, vel illud alias recognoſcendum eſt, tum reo contumaci, tam in proceſſu ordinario quam executivo, reſponſio ſub pœna recogniti injungitur, ac continuata contumacia documenta pro recognitis habentur. Qui modus cum præcedente plane coincidit ac à ſpeciali reſpondendi modo aliter ſaltem denominatur: Nam ſi actor intentionem ſuam ſine documento proponat, negando vel affirmando, ſi in documento, diffitendo vel recognoſcendo reus reſpondere tenetur, ſi neutrum faciat, utroque caſu, pro confeſſo habetur, ſtilo materiæ ſubſtratæ accommodato.

§. 10. Aliquando reus contumax per apparitores in judicium ducitur, quod in cauſis cambialibus, aliisque ſummariis fieri quandoque ſolet. Nobiles quoque in ſubditos contumaces ac ſervitia renuentes pœna carceris vel relegationis quandoque animadvertere do-

docet CARPZ. *tit. 8. art. 5. n. 20. seqq.* sed hæc non videtur pœna contumaciæ judicialis, sed principalis delicti sive negati obsequii esse. Rectius huc refertur pœna pecuniaria, quæ in causis summariis aliquando imponitur. Quodsi judex ob continuatam contumaciam pœnam duplicaverit vel triplicaverit, unam saltem recte exigere posse censetur.

§. 11. Denique etiam pœna præclusionis litigantes aliquando coercentur: Nam in concursu creditorum, actoribus sub præclusi pœna jurium deductio nonnunquam injungitur, quod etiam quoad reos delicti alicujus insimulatos, ratione probandæ innocentiæ fieri solet *v.* CARPZ. *tit. 8. art. 5.* Ejusdem generis est impositio perpetui silentii, vel confirmatio juris, qua in judiciis provocatoriis ex L. *diffamari* vel *si contendat*, contumacia provocati coerceri solet.

CAPUT VII.
DE EXCEPTIONIBUS.

SUMMARIA.

Exceptio est positiva aliqua oppugnatio, hinc exceptio non competentis actionis, revera non est exceptio §. 1.

Neque hoc nomine exceptiones aliæ comprehenduntur, aliquando tamen specialis exceptio est §. 2.

Exceptionum dilatoriarum moralitas §. 3.

Oriuntur illæ vel ex ipsa causa §. 4. 5.

Vel ex processu §. 6.

Exceptionum peremtoriarum diversitas §. 7.

Et effectus §. 8.

Quoad exceptionem compensationis diversa ipsius juris suppositio ostenditur §. 9.

A quo & quando exceptiones dilatoriæ opponendæ §. 10.

Lis in Saxonia eventualis litis contestatio regulariter annectitur §. 11.

Terminus probatorius quando currat objectis exceptionibus dilatoriis §. 12.

Aliquando dilatoriæ post litem contestatam opponuntur §. 13.

Tempus opponendarum exceptionum peremtoriarum §. 14.

Modus proponendi & probatio §. 15.

Objectio exceptionis confessionem intentionis actoris continet §. 16.

Exceptionem sequitur replicatio exteræque defensiones §. 17.

Quarum numerum modum & tempus leges positivæ definiunt §. 18.

Pro diversa Rei defensione diversus solet esse pronunciandi modus §. 19.

§. 1.

COntra actorem reus se defendit *exceptionibus*, quarum indolem & varietatem jam breviter tradidi *l. 1. c. 16. §. 32. seqq.* Ex quo loco id repetendum, exceptionem non esse nudam negationem, sed positivam oppugnationem, qua jus actoris vel nunquam extitisse, vel nondum efficax esse, vel iterum de

desiisse contenditur. Hinc liquet, *exceptionem non competentis actionis*, qua nonnulli solent uti, revera non esse exceptionem, vel enim simpliciter negat, vel actionem ob aliquam exceptionem peremtoriam quæ tamen non adducitur, esse inefficacem contendit, adeoque nihil positivi actori objicit.

§. 2. Frustra igitur nonnullis persvasum est, quasi hoc nomine omnes exceptiones peremtoriæ comprehendantur, quæ deinceps, quando ad reprobationem perventum est, produci & probari queant, ac reus ex generali hoc excipiendi modo eam sentiat utilitatem, quod actor, in formandis articulis probatoriis, ad exceptiones utpote hactenus incognitas respicere easdemque adeo elidere non possit: Nam prudens actor putativam hanc cautelam, in perniciem potius Rei retorquere potest, dum eum ad reprobationem exceptionum admittere plane non tenetur, cum nulla suo tempore sit opposita *v. O. P. S. tit. 21. §. 4.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1134.* Aliud dicendum de *exceptione nondum competentis actionis*, hæc enim actori maturæ nimis agenti velut exceptio specialis recte opponitur. Quodsi actio ex facto, vero quidem, sed ad agendum per leges inhabili, v. gr. ex testamento invalido, instituatur, tum *exceptio non competentis actionis*, velut specialis recte objici videtur *v.* DN. BERG. *in elect. proc. provoc. §. 17. 18.* quamvis etiam *exceptio facti inhabilis* dici queat.

§. 3. Hoc loco *modus exceptionibus utendi* paucis explicari debet; quod ut recte fiat, discrimen exceptionum dilatoriarum & peremtoriarum, specialius nonnihil primo expendendum est *v. l. 1. c. 16. §. 34.* Scopum dilatoriarum esse, ut litem differant, ex ipso nomine intelligitur. Quodsi reus eo saltem fine effugia quærat, quo necessitatem solvendi, quam sibi incumbere intelligit eludat, tum eum male agere facile liquet, sed potest tamen ea etiam urgere, sine quibus lis principalis non recte instituitur, quo casu dilationes, si ejus debitum non satis sit liquidum, cum rationibus conscientiæ conciliari possunt.

§. 4. Oriuntur autem exceptiones dilatoriæ vel ex *causa ipsa* vel *processu*. Illæ omnes ex eodem fundamento descendunt, si scilicet causa in se aliquam moram contineat. Talis est (1.) exceptio pacti temporalis de non petendo *§. 10. I. de except.* (2.) moratoria sive inducíarum quinquennalium (3.) competentiæ *l. 4. de cess. bonor.* (4.) ex-

ceptio nondum competentis actionis, si debitor ante diem vel conditionem conveniatur (5.) cedendarum actionum *l. 2. C. de fidejuss.* (6.) excussionis *Nov. 4. c. 1.* (7.) divisionis *l. 28. de fidejuss.* Sed hæ duæ exceptiones dilatoriis tum demum annumerari debent, si eo tempore, quo excipitur, debitor vel confidejussor non sint solvendo, si vero idonei sint, exceptiones illæ sunt peremtoriæ *l. 51. §. 1. 4. de fidejussor.* v. OBSERV. LAUTERB. *Obs. 115.*

§. 5. Huc etiam referenda (8.) exceptio rei non traditæ, vel (9.) pretii non soluti *l. 13. §. 8. de A. E. V.* (10.) retentionis *l. 18. pr. de pign. action. l. 48. de R. V.* (11.) falsi *v. Decis. Sax. 88. l. 54. de judic.* ac inprimis (12.) exceptio spolii *c. 2. X. de ord. cognit. c. 1. de restit. spoliat. in 6.* quæ opponi potest, sive in eadem sive diversa causa spolium sit factum, ac locum etiam habere censetur ob injustum Magistratus arrestum *v.* MEV. *p. 3. Decis. 231.* De cætero excipiens, si repulsam ferre nolit, non debet petere, *quo res ablata sibi restituatur*, sed *ne actor audiatur, antequam reus plenè sit restitutus*, quæ tamen parum solida subtilitas videtur *add.* CARPZ. *tit. 9. art. 6.*

§. 6. Circa processum reo datur excipiendi occasio, vel quoad *personas* vel *procedendi modum*. Prioris generis sunt (1.) exceptio judicis incompetentis *l. fin. C. de except.* (2.) præventionis sive litis pendentis, quæ hodie coincidunt BERLICH. *p. 1. Decis. 1.* CARPZ. *2. Resp. 46.* (3.) judicis suspecti *l. 16. C. de judic. Nov. 53. c. 3. §. 1. Nov. 96. c. 2. §. 1. c. 4. X. de for. com. c. 41. §. f. c. 61. X. de appell. v. l. 9. de liber. caus.* (4.) inhabilis *l. 12. §. 2. de judic.* Utraque illa exceptio etiam actuariis, vel ipsis personis litigantibus aut qui illis accedunt, ut advocatis procuratoribus & testibus, opponi possunt (5.) exceptio falsi procuratoris & similes. Posterioris generis sunt exceptio inepti libelli, termini angusti, non præstitæ satisdationis & gvarandæ ac plures aliæ; Nam quo magis est involutus processus, eo fœcundior est dilationum materia, sed rationes conscientiæ omnem illum apparatum non semper admittunt. *add.* CARPZ. *pr. tit. 9. art. 2. seqq.*

§. 7. Exceptiones peremtoriæ *v. l. 3. de except.* duplicis generis sunt, vel enim actori *nunquam solidum jus competisse*, vel *id ex postfacto sublatum esse* contendit reus. Prioris generis sunt exceptio metus, doli, erroris, non numeratæ pecuniæ, SCti Vellejani, Macedoniani, minorennitatis, & suo modo divisionis & excussionis *v. §. 4.* rei venditæ

ditæ & traditæ *l. 17. de evict. t. t. de except. rei vend. & trad.* rei litigioſæ ac ſimiles. Poſterioris vero exceptio pacti, jurisjurandi, rei judicatæ, præſcriptionis, doli ſupervenientis *v. l. 59. ad L. Falcid.* & hodie ſolutionis, compenſationis ejusque indolis aliæ.

§. 8. Quoad effectum autem nihil intereſt, ſive exceptionem primi, ſive ſecundi generis dicas, hinc de eo etiam vix litigandum eſt. Omnium ſcilicet exceptionum, ſi earum veritas probetur, effectus eſt, ut intentionem actoris excludant, & nihil hodie intereſt, ſive reum penitus & ipſo jure liberum, ſive ſtricto jure adhuc obligatum *v. l. 34. §. 1. de O. & A. l. 38. §. 1. de ſolut.* dicas, hinc etiam diſcrimen exceptionum juris & facti, fruſtra inculcatur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 116.*

§. 9. In ſpecie hoc etiam verum eſt quoad compenſationem, in qua alias ipſum jus, nomen non penitus inane eſt. Nimirum hoc tria notat; *liberationis tempus*, dum à tempore mutui debiti compenſatio operatur, *liberandi modum*, dum penitus obligationem deſtruere dicitur, adeo ut quis ſtricto jure non amplius ſit obligatus nec exceptione ſe tueri debeat: *uſum forenſem*, dum compenſatio bonæ fidei judiciis ipſo jure ineſſe perhibetur. Primo ſenſu, ipſum jus, nomen utile eſt, ſed ſecundo & tertio, inane *v. l. 5. c. 13. §. 39.* Interim interpretes iſta ſæpe confundunt, ac ſub primo nomine obſoletas merces incautis vendunt *v.* HUBER *in poſit. ad ff. de compenſ. n. 15.*

§. 10. Exceptiones à reo eſſe opponendas, res ipſa loquitur, ſi tamen liquidæ & magni effectus ſint, judex ex officio recte omiſſas ſupplet *v. l. 24. C. de procur. Conſt. Saxon. 25. p. 1.* CARPZ. *d. C. D. 1. 2. 3. l. 2. Reſp. 3.* Dilatoriæ ante litem conteſtatam regulariter ſunt opponendæ *l. 16. C. de judic. l. 13. C. l. 40. §. 3 ff. de procur. l. 19. C. de probat. l. 12. 13. C. de except. l. 52. de judic.* CARPZ. *p. 1. C. 3. D. 1. 45.* ſi reus in primo termino non compareat, ob contumaciam exceptiones dilatorias, in Saxonia, non amittit *Deciſ. Saxon. 14. v.* CARPZ. *p. 1. C. 3. D. 6. ſeqq.*

§. 11. In Electoratu Saxoniæ, exceptionibus dilatoriis annectenda eſt eventualis litis conteſtatio, niſi quis urgentes excepciones declinatorias habeat, quo caſu litis conteſtatio omitti poteſt *p. 1. C. 3. O. P. S. tit. 11. §. 1. 2.* tales eſſe cenſentur exceptio judicis incompetentis vel nondum competentis, prævention is & judicis ſuſpecti nec non exceptio ſpolii *d. t. 11. §. 2. 6. 7.* De cætero judex tam ſuper exceptionibus,

Digitized by Google

quam eventuali litis conteſtatione pronunciat, ac actori probationem, ſi hæc ab illo ſuſcipienda ſit, injungit, ſed poſterior ſententiæ clauſula non antea effectum habet, quam exceptionibus ſit ſatisfactum, hinc etiam terminus probatorius non à tempore rei judicatæ, ſed impletarum exceptionum currit *O.P.S. tit. 11. §. 3.*

§. 12. Equidem ſi reo, præmiſſis exceptionibus dilatoriis affirmative litem conteſtanti ac peremtoriam exceptionem adjicienti probatio ſit injuncta, tum æquum eſt, ut ei terminus probatorius poſt impletas demum ab actore exceptiones dilatorias currat; Sed ſi ipſe actor probare debeat, tum ſatius erat, terminum probatorium ſtatim à re judicata computare, quo eo magis ad implendas quamprimum exceptiones permoveatur. Interim & hic prior computandi ratio obſervatur *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 11. enunc. 28.* adeo ut, ſtatim exceptiones dilatorias non impleviſſe, inter cautelas aliquando habeatur.

§. 13. Sicut autem exceptiones dilatoriæ nonnunquam ceſſant *v. c. 4. X. de except. l. 57. §. 1. de procur.* ita aliquando etiam poſt litem conteſtatam opponi poſſunt, ut ſi noviter ſint exortæ aut ad notitiam rei demum pervenerint *c. 4. X. de except.* vel judicium reddant nullum *l. 24. C. de procur. v.* CARPZ. *p. 1. C. 11. D. 15.* In ſpecie putem, omnes exceptiones dilatorias, quæ ex ipſa cauſa oriuntur *v. §. 45. h.* poſt litem conteſtatam poſſe opponi, maxime ſi nonnunquam ſint etiam peremtoriæ ut exceptio diviſionis & excuſſionis *v.* CARPZ. *p. 1. C. 3. D. 17.* LAUTERB. *C. J. de except. lit. E.*

§. 14. Exceptiones peremtoriæ poſt litem conteſtatam, usque ad ſententiam jure Romano opponuntur *l. 9. C. de præſcr. long. temp. l. 4. 8. C. de except.* Sed jure Saxonico omnes litis conteſtationi ſive puræ ſive eventuali ſunt annectendæ, ſi tamen liquidæ ſint, etiam ante litem conteſtatam, excludendæ actioni, recte objiciuntur *v. c. 1. de lit. conteſt. in 6. O. P. S. tit. 11. §. 8. ſeqq. Deciſ. Saxon. 2.* CARPZ. *p. 1. C. 3. D. 13. ſeqq.* Aliquando etiam poſt ſententiam opponuntur in ipſa executione, quarum tamen numerus non adeo cenſetur eſſe certus *v.* CARPZ. *l. 2. Reſp. 2. 3.* LAUTERB. *C. J de except. lit. E.* Sed forte non tam à *peculiari quarundam exceptionum natura*, quam ab *evidentia* hujus rei uſus dependet, adeoque in omnibus locum habet *add.* CARPZ. *Proc. tit. 9. art. 1. 7.*

§. 15.

§. 15. Exceptiones congruo ſtilo, ex animi potius ſententia, quam formulis emendicatis formato proponi ac probari debent *l. 19. pr. ff. l. 1. C. de probat. l. 1. ff. l. 9. C. de except.* Eſt quidem ſi reus intentionem actoris fateatur ac exceptionem opponat, tum ſtatim eam probare tenetur, ſi vero litis conteſtationi negativæ exceptionem adjiciat, actoris probatio præcedere debet *l. 9. C. de except.* ſed ſatius erat, iſtam litis conteſtandæ exceptionisque objiciendæ rationem plane non admittere, aut, in contumaciam, litem pro affirmative conteſtata habere *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1118.*

§. 16. Si denique reus intentionem actoris neque neget neque affirmet ſed ſimpliciter exceptionem v.gr. ſolutionis, compenſationis, aut pacti de non petendo objiciat, tum quidam illam oppoſitionem pro litis conteſtatione negativa habent ac actoris adeo probationem præcedere debere exiſtimant per *l. 9. f. l. 9. C. de except. c. 63. de R. J. in 6. v.* FRANSK. *l. 2. Reſol. 18. 21.* LAUTERB. *C. J. de except. in fin.* Sed contrarium verius eſt, nuda enim exceptionis objectio confeſſionem debiti antecedentis utique involvit, & textus oppoſiti vel de reo negante, vel ſola exceptionis conteſtatione in jure olim facta, commode accipi poſſunt. In Saxonia hujus diſquiſitionis nullus eſt uſus, nam exceptionis illiquide objectio neque reſponſionem affirmativam, neque negativam involvit, hinc non probatio uni alterive parti, ſed diſerta magis litis conteſtatio, aut in proceſſu executivo, recognitio reo injungitur. Si vero, declinandi liti, exceptio liquida opponatur, tum ejus probatio ſtatim, utique à reo eſt ſuſcipienda *conf. l. 5. c. 13. §. 40. 41.*

§. 17. Exceptionem Rei *replicatione* diluit actor, contra quam illi comparata eſt *duplicatio*, quam *Triplicatio* & *Quadruplicatio* nonnunquam ſequuntur *t. t. I. de replicat.* Fruſtra autem requiritur in hiſce certaminibus, ut adverſarii intentio *ſummo jure* ſit fundata, nam ſive ſummo, ſive nullo, ſive valido jure nitatur, nihil hactenus refert, ſed adverſarius ei, in foro civili, ſemper contradicit, exitus vero oſtendit, uter ex litigantibus melius jus habeat *v. l. 1. c. 16. §. 35. 36.*

§. 18. De cætero poſitionum illarum *numerum*, proponendi *modum*, num ſcilicet viva voce, an in ſcriptis illæ proferri debeant, & *tempus*, intra quod illa certamina ſint abſolvenda, Ordinationes proceſſuales definiunt. In Saxonia tres poſitiones mutuæ aliquando per-

Digitized by Google

mittuntur, ac partes viva voce jura proponere tenentur *v.* CARPZ. *p. 1. C. 1. D. 1. ſeqq.* præterea Septidui ſpatium nonnunquam obſervatur *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 10. enunc. 52. ſeqq.* DN. MYLII *Diſſert. de Jur. Septidui hab. Hall. 1702.* Sed hæc ex uſu fori certius diſenda ſunt.

§. 19. Pro diverſa Rei defenſione, diverſus ſolet eſſe pronunciandi modus, ſi illa valida eſſe, deprehendatur: Nam pronunciari ſolet (1.) *daß Beklagter von der inſtanz zu entbinden*, ob contumaciam actoris (2.) *daß Beklagter auf die Klage, inmaſſen ſie anbracht, ſich einzulaſſen nicht ſchuldig*, ſi exceptio libelli inepti, ſine litis conteſtatione, objiciatur (3.) *daß Beklagter von der Klage, inmaſſen ſie anbracht, zu entbinden*, quando eadem exceptio ſed cum litis conteſtatione fuit objecta (4.) *daß Beklagter auf die Klage ſich einzulaſſen nicht ſchuldig*, quando exceptio peremtoria ante (5.) *daß Beklagter von der Klage zu entbinden*, quando poſt litem conteſtatam fuit oppoſita *v. O. P. S. tit. 11. §. 10. 11.* CARPZ. *p. 1. C. 3. D. 15. 16.*

CAPUT VIII.
DE MODO PROBANDI.

SUMMARIA.

Modus probandi ex jure Saxonico declaratur §. 1.
Articuli probatorii intra certum tempus offerri debent §. 2.
A quo tempore fatale hoc currat §. 3.
Terminus probatorius quo ſenſu peremtorius ſit §. 4.
Oblatis articulis ſequitur terminus productionis teſtium §. 5.
In hoc teſtes jurant & impugnantur §. 6.
Quorum examen poſtea inſtituitur §. 7.
In locum demortuorum aliquando alii offeruntur §. 8.
Ex documentis literariis aliquando executive agitur §. 9.
Aliquando ad probationem pertinent, ubi cum articulis intra certum terminum illa offerenda §. 10. 11.
Deinde ſequitur terminus recognitionis §. 12.
Hæc eſt generalis vel ſpecialis §. 13.
Ejus peragendæ modus & neceſſitas §. 14.
Aliaque requiſita §. 15.
In locum recognitionis aliquando ſurrogatur jurata diffeſſio §. 16.
Quam tamen adverſarius oblatis aliis mediis quandoque impedit §. 17. 18.
Faciendæ probationi aliquando petitur editio documentorum §. 19.
Quoad neceſſitatem edendi actor & reus ſine gravi cauſa diſparantur §. 20.
Edere juſſus vel edere vel juramento ſe liberare debet §. 21.
Exhibitione inventarii aut ſcripturarum editio declinari vel differri poteſt, præſtitum vero juramentum à recognitione non liberat §. 22.
Edere vel jurare detrectantis pœna §. 23.

Repro-

Reprobationis ſubjectum & modus §. 24.
Ejus exhibendæ terminus §. 25. 26.
Reprobatio reprobationis regulariter non admittitur §. 27.
Probationis & reprobationis diſputatio §. 28.
Ejus peragendæ tempus §. 29. 30.
Officium advocatorum & actuariorum quoad hanc diſputationem §. 31.
Fit illa vel viva voce vel in ſcriptis §. 32.
Probationis extraordinariæ ſpecies eſt demonſtratio, probatio ſpolii, diffamationis, cauſarum cereviſiariarum §. 33.
Ad perpetuam rei memoriam §. 34.
Per ocularem inſpectionem & per calculationem §. 35.
Delatio jurisjurandi jure Romano libera, ſed Saxonico valde reſtricta eſt §. 36.
Actor & reus quando illud deferre queant §. 37.
Oblationis ad jurandum fatale & offerentis officium §. 38.
A quo tempore fatale illud currat §. 39.
Oblationis anticipatio, neceſſitas, modus ac contumaciæ hic commiſſæ pœna §. 40.
Juramenti relati tempus §. 41.
Modus & effectus §. 42.
In locum juramenti præſtandi aliquando ſurrogatur defenſio conſcientiæ §. 43.
Ejus peragendæ tempus ac deficientis vel neglectæ effectus §. 44.
Circa eam quoque locus eſt juramento ſuppletorio, nec admittuntur adverſarii reprobatio vel interrogatoria quoad cauſam §. 45.
Certis in caſibus defenſio conſcientiæ non admittitur §. 46.
Monita quoad verum jurisjurandi aſſertorii uſum §. 47.
Exinde conſectaria quædam eliciuntur §. 48.
Ac ab objectionibus vindicantur §. 49.

§. 1.

IAm actor quam reus, pro re nata, in judicio probare debet. Diverſa probationum genera *l. 2. c. 11. ſeqq.* propoſita ſunt, hoc loco *modus probandi* expendendus eſt. Cum autem leges provinciales hac in re varient, adeoque generalis doctrina ſingulis Germaniæ Territoriis conveniens tradi nequeat, hinc ſatis erit, hanc rem ex jure Saxonico breviter delineare, cum ex hoc exemplo intelligatur, quid leges poſitivæ hac in parte conſtituere ſoleant, ac periti in locum hujus juris facile ſurrogare queant, quæ uſus provinciæ ſuæ exigit.

§. 2. Fit autem probatio per teſtes, inſtrumenta & jusjurandum, de quibus ſpeciebus ſigillatim diſpiciendum erit. Is ergo cui per ſententiam probatio injuncta, intra ſpatium Saxonicum, i. e. ſex ſeptimanas & tres dies, judici debet offerre articulos probatorios cum nominibus teſtium & directorio. Uti autem articuli ex regulis prudentiæ, apte ex facto formandi ſunt, ita plerumque ſunt duplicis generis, vel *poſitivi*, quibus quis intentionem ſuam probare, vel *eliſivi*, quibus adverſarii defenſionem, v. gr. Rei exceptiones elidere conatur

v. O.

v. O. P. S. tit. 21. §. 4. Dn. BERGER. *dissert. de articul. elisiv. hab. Witteb. 1696.*

§. 3. Currit autem fatale probationis interponendæ regulariter post rem judicatam, qua vel probatio injuncta, vel post discussam leuterationem aut appellationem prior sententia confirmata est, si tamen probaturus exceptiones dilatorias nondum impleverit, à die implementi demum fatale probationis incipit *v. c. 7. §. 11. 12.* ac si actor, iis nondum impletis, terminum extrahat, in expensas condemnatur. Quodsi leuteratio deserta vel ei renunciatum fuerit, à tempore desertionis vel renunciationis fatale probationis currit, modo renunciatio, si forte adversa pars, contra quam probatio suscipienda, leuterationem interposuerit, probaturo rite sit denunciata *v. O. P. S. tit. 20. §. 1.*

§. 4. Est autem terminus probatorius, peremtorius hactenus ut, si eum probaturus penitus elabi patiatur, probatio sit deserta. Sed, eo nondum elapso, dilatio petenti concedi solet *v. O. P. S. tit. 20. §. 45. v.* CARPZ. *p. 1. C. 16. D. 1.* Quodsi actor, una licet alterave dilatione impetrata, se articulos probatoriales exhibere non posse existimet, tum vel sententia leuteratione aut appellatione erit suspendenda, vel Gvaranda & Satisdatio non statim præstanda *v. c. 7. §. 12.*

§. 5. Oblatis articulis probatorialibus, productioni testium terminus est præfigendus ac tam probaturus quam adversarius & testes ad eum citanti sunt; si Judex cunctetur, probaturus terminum petere, illumque ad faciendum officium sollicitare debet. Ei contra quem probatio suscipitur, copia seu descriptum articulorum probatorialium simul transmittitur, quo interrogatoria conficere eademque in Termino productionis simul exhibere queat. Sunt illa vel *præliminaria*, quoad personas testium, non vero causam ipsam, vel *principalia*, quoad articulos exhibitos, quæ ad horum illustrationem & consequenter ad interrogantis defensionem pertinent *O. P. S. tit. 20. §. 1. 2. v.* MARTIN *in Comment. ad d. l.*

§. 6. In termino testes produci ac in præsentia partium jurare debent, si pars adversa citata emaneat, in contumaciam proceditur. Præsens vero interrogatoria offert ac desuper etiam testes examinari petit. Exceptiones autem, contra testium personas & depositiones, sibi reservare debet, alias censetur testem inhabilem approbasse

v. CARPZ.

v. CARPZ. *l. 3. Reſp. 57.* Poterit etiam in ipſo termino habilitas teſtium impugnari, quo caſu ſuper hac controverſia peculiaris fertur ſententia, niſi producens ultro teſtem impugnatum dimittere velit, negotio productionis quoad reliquos non impugnatos procedente. Ante terminum quoque tam teſtes, quam nonnunquam articuli impugnari poſſunt, petito eum in finem novo termino. *v. O. P. S. tit. 20. §. 3. 6.*

§. 7. Poſtea teſtes in aliis terminis ſeparatim examinantur, vel à judice cauſæ, ſi competens ſit, vel ab eo, qui in eos habet jurisdictionem, quem in finem producens in termino productionis abſentes tanquam præſentes producere, literas requiſitoriales ut & transmiſſionem articulorum & interrogatoriorum petere debet. Ex depoſitionibus teſtium conficitur Rotulus ac is partibus ad hoc citatis in certo Termino publicatur. De cætero producens Judicem diligenter ſollicitare debet, quo examen teſtium promoveat, idque probandæ diligentiæ non nudis verbis, ſed in ſcriptis peragere tenetur. Si ſecus faciat, vel totius probationis, vel ejus minimum partis, in qua moroſus eſt, diſpendium ſubit. *O. P. S. tit. 20. §. 7. tit. 22. 23.*

§ 8. Si offerens in nomine teſtium erraverit, nihilominus ſuo ſatisfecit officio ac teſtes producti examinari debent, nam error nominis, ut alibi, ita hic etiam merito debet eſſe innoxius. Si, durante negotio probatorio, teſtes moriantur, in locum demortuorum alii offerri poſſunt, modo atteſtationes nondum ſint publicatæ, ac producens in promovenda probatione debitam diligentiam adhibuerit. Illud quoque ad officium advocatorum pertinet, ne inutili prolixitate negotium hoc morentur, ſi ſecus fuerit factum, judicis erit, impertinentia in judicando non attendere *v. O. P. S. tit. 20. §. 8. 9.*

§. 9. Qui documentis literariis in judicio uſurus eſt, is ante omnia excutere debet, num illa liquida ſint, ut exinde executive ad recognitionem vel diffeſſionem agi queat. Hæc qualitas ſi adſit, tum recognitio vel diffeſſio urgeri poteſt, nec opus eſt alia probatione *v. O. P. S. tit. 24. §. fin.* Iſta procedendi ratio uti compendioſa, ita vice verſa in eo periculoſa eſt, quod jus actoris ab adverſarii conſcientia ſuſpendat, dum juxta uſum forenſem, jurata ejus diffeſſio admitti debet, nec ob merum perjurii contraria probatione excludi poteſt *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 25. enunc. 27.*

§. 10. Quodſi autem quis executivè agere vel nolit vel nequeat, tum probatio per documenta, eodem fere modo, quo per teſtes, inſtituitur. Nimirum intra terminum probatorium *§. 2. 3. 4.* explicatum, articuli probatorii cum copiis documentorum offerri, ac ſimul oſtendi debet, quid offerens hoc vel illo documento probare velit. Elapſo illo termino, documenta produci nequeunt, niſi offerens juret, ſe eo tempore notitiam eorum non habuiſſe; ad juramentum tamen non admittitur, ſi pars adverſa offerentis ſcientiam probare velit, aut ille alias de perjurio ſit ſuſpectus *v. O. P. S. tit. 24. §. 1.* BERLICH. *p. 1. Concluſ. 38. n. 92. ſeqq.* Aliquando etiam, contra elapſum fatale quidam reſtituuntur in integrum *v. O. P. S. tit. 20. §. 4. Deciſ. Saxon. 4.*

§. 11. Si quis documentum offerre nequeat, ideo quod tertius illud poſſideat, tum in termino ejus mentionem injicere ac, pro diverſitate jurisdictionis cui tertius ſubeſt, compulſoriales vel requiſitoriales petere debet *v.* CARPZ. *Pr. tit. 14. art. 1. n. 40.* Si cum ipſo libello ſtatim documenta offerantur, in termino probatorio, in vim probationis illa debent reproduci, alias probatio fit deſerta *O. P. S. tit. 24. §. 1. 3.* Videtur tamen ſufficere reproductio verbalis *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 24. enunc. 4.* quamvis alii realem requirant *v.* MARTIN. *in Comment. ad O. P. S. tit. 24. §. 3.* De cætero ſufficit copias obtuliſſe, quæ tamen in termino recognitionis per Originalia firmari debent *O. P. S. tit. 24. §. 2.* Hæc ſi nondum in promtu ſint, dilatio erit petenda.

§. 12. Facta oblatione, terminus ad recognitionem præfigi, ac adverſa pars, transmiſſis documentis, citari debet *O. P. S. tit. 20. §. 1.* Omiſſio tamen transmiſſionis probationem non facit deſertam, quia culpa Actuarii eſt, ſed alium ſolum exigit terminum, nec putem producentem in expenſas poſſe condemnari, cum culpa careat. Imo non iniquum ut, in proceſſu præcipue ſummario, quis etiam non transmiſſa documenta recognoſcere debeat, niſi eas pro recognitis haberi velit, quod fortaſſis etiam in nonnullis judiciis obſervatur.

§. 13. Eſt autem recognitio vel *generalis*, qua documenta pro iis habentur, pro quibus ea haberi pars adverſa voluit, vel *ſpecialis*, qua contenta, annus & dies, juxta ſententiam producentis, agnoſcuntur. Fit autem recognitio regulariter in loco judicii, in quo cauſa ventilatur,

Digitized by Google

tur; Aliquando tamen vel in domo recognoſcentis, vel etiam in loco domicilii producentis recognitio peragitur, quo caſu hic adverſario impenſas ad conſtituendum procuratorem neceſſarias ſubminiſtrare debet.

§. 14. Fit recognitio ſalvis exceptionibus; Vitia tamen evidentia, vel *extrinſeca*, quæ ex abraſione, interlineatura aut atramenti diverſitate oriuntur, vel *intrinſeca*, veluti ſi documentum de eodem facto contrarium producere queat, ſtatim indicanda ſunt *O. P. S. tit. 25. §. 1.* Exinde oritur exceptio falſi, quæ locum facit inquiſitioni, adeo ut interim cauſa civilis ſit ſuſpendenda *Deciſ. Saxon. 88.* De cætero recognitio adeo neceſſaria eſſe cenſetur, ut ne quidem pactum de omittenda illa valere credatur, cum talis renunciatio eadem facilitate fieri queat, qua ipſa ſcriptura conficitur *v.* CARPZ. *p. 3. Dec. 24. add.* STRYK *de C. C. Sect. 2. c. 7. §. 12.*

§. 15. Recognitio etiam poteſt fieri per mandatarium *O. P. S. tit. 25. §. 2.* hinc ſpeciale mandatum videtur neceſſarium, adeo ut cognati, conſortes litis aut curator mulieris cum cautione rati non admittantur. Recognoſcenda eſt etiam ſcriptura aliena aut idiomate peregrino confecta *v.* CARPZ. *p. 3. Dec. 233. 234.* vel correcta *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 25. enunc. 11. 12.* De cætero ſufficit recognitio ſimplex nec juramento confirmari debet *O. P. S. tit. 25. §. 3. v.* MARTIN. *in Comm. d. l. n. 4.* plena tamen hactenus requiritur, ut omiſſis contentis ſola ſubſcriptio non recte recognoſcatur RIVIN. *ad O. P. S. tit. 25. enunc. 14. ſeqq.*

§. 16. Si rationes conſcientiæ hoc admittant, poteſt etiam quis inſtrumentum jurato diffiteri *O. P. S. tit. 25. §. 2.* licet forte ſolius recognitionis in ſententia fuerit facta mentio, nam hæc juxta legem, quæ alternationem introduxit, eſt intelligenda *v.* RIVIN. *d. l. enunc. 28.* Licitum quoque eſt, veritate ſuffragante, ſubſcriptionem recognoſcere & contenta jurato diffiteri, nec obeſt, quod ſola ſubſcriptionis recognitio non ſufficiat, ut modo dictum: Nam qui ex parte ſaltem recognoſcit, ille officio injuncto non ſatisfacit, ſed qui partem recognoſcit, partem diffitetur, is totum officium implet. In Proceſſu tamen executivo recognitionem diffeſſione temperatam, regulariter non admittendam eſſe cenſent *v.* DN. RIVIN. *d. tit. 25. enunc. 24. 25.*

Digitized by Google

§. 17. Si producens alterum ad diffeſſionem juratam admittere nolit, poterit authentiam documentorum per teſtes manum & ſigillum recognoſcentes probare. Quo caſu, intra ſpatium Saxonicum, à tempore rei judicatæ, qua oblatio teſtium generalis approbata eſt, computandum articulos cum nominibus teſtium & copiis documentorum offerre, ac terminum faciendæ recognitionis petere debet, & integrum eſt adverſario interrogatoria ſimul exhibere, quæ tamen non ad merita & contenta inſtrumentorum, ſed ſaltem ad manum & ſigillum adeoque formam externam directa eſſe debent. *O. P. S. tit. 25. §. fin.*

§. 18. Poteſt etiam diffeſſio impediri per comparationem literarum, ubi tamen inſtrumenta, juxta quæ comparatio inſtituenda, certa, à teſtibus ſcilicet ſubſcripta vel ex archivo publico deſumta eſſe debent *v.* CARPZ. *tit. 14. art. 3. n. 80.* Præterea comparationi adhiberi debent artis ſcribendi periti & jurati, quemadmodum etiam, ex nonnullorum ſententia, petens comparationem jurare debet, ſe nullas alias habere probationes, quod ultimum tamen forte non obſervatur *add.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 25. enunc. 29.* Sed illa pertinent ad probationem inſtrumentis peragendam, nam præſtatio juramenti delati, ut & diffeſſio jurata in proceſſu executivo, probatione contraria impediri nequit *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 18. enunc. 26. 27. tit. 25. enunc. 27. 31.* magna tamen ratio ſubeſt, ut idem jus hac in parte etiam ſervetur.

§. 19. Faciendæ probationi aliquando petitur editio documentorum vel à parte adverſa, vel à tertio. Hunc quod attinet, regulariter ad editionem non tenetur, cum nullum jus exigat, ut res noſtras aliis exhibeamus *v. l. 2. pr. C. quand. & quib. quart. pars debet.* Si vero documenta ſint petentis propria vel ipſi communia *l. 5. fam. erciſc. l. 7. C. de edend.* vel ejus gratia confecta *l. 4. §. 1. de edend.* aut publica *l. 2. C. de edend.* tum tertius illa edere vel jurare debet, ſe illa nec poſſidere, nec dolo deſiiſſe poſſidere *v. l. fin. C. de fid. inſtrum.* ſi neutrum faciat mandatis pœnalibus compellendus eſt *v. O. P. S. tit. 26. §. fin.* CARPZ. *tit. 14. art. 4. n. 59. ſeqq.* BERLICH. *p. 1. Concl. 45. n. 66. ſeqq.* LAUTERB. *C. J. de edend.*

§. 20. Litigantes quod attinet, actor regulariter reo omnia edere tenetur, quæ ad ejus defenſionem pertinent *l. 1. §. 2. l. 10. §. 2. l. 11. ff. l. 5. C. de*

Digitized by Google

C. de edend. CARPZ. *l. 3. Resp. 78. p. 1. C. 17. D. 26.* BERLICH. *p. 1. Concluſ. 45. n. 11. ſeqq.* Sed vice verſa reus actori regulariter nihil edere debet *l. 1. 8. C. de edend. l. 10. §. 4. de quæſt. l. 7. C. de teſtib.* quod tamen plures patitur exceptiones *l. 1. C. de edend. l. 3. ff. eod. l. 2. §. 1. 2. de jur. fiſc. l. 35. §. fin. ad L. Falcid. l. 48. de A. E. V.* BERLICH. *d. Concluſ. 45. n. 31. ſeqq.* in ſpecie facienda eſt editio, ſi de replica actoris probanda agatur CARPZ. *l. 3. Reſp. 78.* modo, ut nonnulli volunt, illa libello non ſit inſerta, quæ tamen limitatio nimis rigida videtur. In genere nulla ſolida ratio ſubeſt, ob quam actor & reus in hoc articulo diſparari debeant *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 55.*

§. 21. Cui editio documenti injungitur, illud edere vel jurare debet, quod nec id poſſideat, nec dolo poſſidere deſierit. Et quidem ſi quædam præſumtiones contra ipſum militent, v. gr. ſi conventus cauſam habeat à petente, vel illum aliquando documentum habuiſſe conſtet, vel ſit hæres ejus, qui antea inſtrumentum poſſedit, tum nec juramentum calumniæ à petente exigere nec conſcientiam probatione defendere poteſt, ſed ſimpliciter jurare debet: Si vero nullæ præſumtiones contra ipſum ſint, juramentum à petente eſt deferendum ab eoque calumniæ juramentum præſtandum, quo facto alter, ceſſante juramenti delati relatione ac conſcientiæ defenſione, juxta modum antea indicatum jurare debet *O. P. S. tit. 26. §. 1. 2.*

§. 22. Hæredes tamen, à quibus editio exigitur, juramentum declinare poſſunt, ſi inventarium edant, iſta enim editione præſumtio, quod inſtrumenta ad ipſos pervenerint, eliditur. Si etiam is, qui documenta edere juſſus eſt, omnes ſcripturas ſuas parti adverſæ perluſtrandas offerat, juramentum differtur, donec, facta perluſtratione, conſtet, num huic ſatisfactum ſit nec ne *O. P. S. tit. 26. §. 3.* Quodſi præſtito jurejurando, adverſarius aliunde documentum conſequatur, is qui quoad editionem juravit, nihilominus ea recognoſcere tenetur *d. tit. 26. §. 4. v.* MARTIN. *in Comm. d. l. n. 8.*

§. 23. Edere juſſus ſi neque edat neque juret, tum documenta habentur pro editis & recognitis, modo eorum copiæ à petente ſint productæ: Si vero hæ deficiant, tum vel per multam alter ad editionem adigi *O. P. S. tit. 26. §. fin. v.* CARPZ. *tit. 14. art. 4. n. 56.* vel, quod conſultius eſt, peti debet, ut articuli pro conceſſis habeantur *v.* DN.

BERGER. *in reſolut.* LAUTERB. *de edend. qu. 4. in fin.* De cætero editio vel incidenter, vel mediante peculiari actione aut imploratione peti poteſt *v. l. 48. ſ 2. pr. de A. E. V. l. 4. §. 1. l. 6. §. 2. 8. l. 9. ff. l. fin. C. de edend.* LAUTERB. *C. J. de edend.*

§. 24. Probationi opponitur Reprobatio, *Gegenbeweis*, quam plerumque ſuſcipit reus, ſed & aliquando actor, puta in actione negatoria, aut quando reo affirmative litem conteſtanti, objectæ exceptionis probatio injungitur. De cætero in caſibus habilibus reprobatio ipſo jure competit, cum ſit ſpecies defenſionis, hinc locum habet, licet pars eam ſibi non reſervaverit, aut judex eam in ſententia non adjudicaverit *v. O. P. S. tit. 21. §. 1.* Sive autem per teſtes, ſive inſtrumenta reprobatio ſit peragenda, antea dicta hic quoque locum inveniunt. In ſpecie etiam articuli reprobatorii ſunt vel *poſitivi*, quibus reprobans intentionem ſuam aditruere, vel *eliſivi*, quibus adverſarii probationem elidere intendit *O. P. S. tit. 21. §. 4.*

§. 25. Specialiter tamen fatale reprobationis ſuſcipiendæ notari debet. Nimirum in Saxonia intra ſpatium Saxonicum articuli reprobatorii ſunt offerendi, quod tempus currit à tempore inſinuatæ citationis, qua quis ad publicationem probationis, vel, ſi hæc per inſtrumenta facta ſit adeoque peculiari publicatione non indigeat, ad procedendum ſuper probatione, *über dem beweis zuverfahren*, citatus eſt *p. 1. C. 16. O. P. S. tit. 21. §. 1. 2.* ac computatur in illud ſpatium tam dies termini, quam factæ inſinuationis, ita tamen ut hic totus reprobanti concedatur, cum de hora inſinuationis ex actis conſtare non ſoleat. Dantur etiam dilationes ſi tempeſtive petantur *v.* CARPZ. *tit. 13. art. 2. n. 25.*

§. 26. Citatus igitur vel ante terminum, vel in termino contra publicationem aut diſputationem proteſtari, ac ad reprobationem ſe offerre ſolet: Nec tamen præciſe proteſtatione opus eſt, imo poterit citatus impune emanere ac fruſtra contumaciæ accuſatur, modo ratione reprobationis agenda agat, nam terminus eo ſaltem fine præfigitur, quo per prævium citationem alter ratione reprobationis ſuſcipiendæ admoneatur. Si quis autem adverſarii ſui atteſtationes ſemel didicerit, is ad reprobationem non admittitur *v.* CARPZ. *p. 1. C. 16. D. 34.* Poteſt etiam reprobaturus negotium reprobationis anticipare, ac

ac cognitis adverſarii articulis, ſtatim ad eam ſe offerre *O. P. S. tit. 21. §. 3.* quo caſu à tempore oblationis ſpatium Saxonicum currit *v.* CARPZ. *l. 3. Reſp. 70. n. 13.*

§. 27. Poſt reprobationem rei, actor ad novam reprobationem jure Canonico quidem admittitur *c. 49. X. de teſt.* ſed jure Saxonico reprobatio reprobationis ceſſat: Cum enim reus exceptiones ſuas litis conteſtationi, ſub pœna amiſſionis, annectere debeat, adeoque actor in ſua probatione ad eas reſpicere poſſit, hinc reprobatio ei non conceditur. Quodſi tamen ob juſtam ignorantiam, juramento confirmandam, reo exceptiones quasdam poſt litis conteſtationem adducere permittatur, tum actori quoque reprobationis reprobatio conceditur. Quodſi reus in ſua reprobatione exceptiones oppoſitas non probet, ille tamen, actore nihil probante, abſolvitur. Si vero actor aliquid probaverit, tum pro diverſitate probationis imperfectæ, juramentum ſuppletorium vel purgatorium defertur *v. O. P. S. tit. 21. §. 4. 5.*

§. 28. Probatio & Reprobatio ſimul publicatur, quo facto *diſputationes* partium ſuper iis inſtituuntur. Hæ ſaltem jure humano requiruntur adeoque omitti poſſunt & aliquando ſolent; Regulariter tamen in quovis proceſſu obſervantur *v.* CARPZ. *p. 1. C. 18. D. 2. 3.* niſi partes iis renuncient CARPZ. *l. 3. Reſp. 76.* Fiunt in Saxonia binis mutuis poſitionibus ſcriptis, nempe exceptione, replica, duplica & triplica, ita quidem ut is contra quem probatio ſuſcepta, adeoque regulariter reus, diſputationum faciat initium, ac probatio & reprobatio ſimul à partibus diſputari debeat *p. 1. C. 18. O. P. S. tit. 29. §. 1.*

§. 29. Singulis poſitionibus conceſſum eſt ſpatium ſex ſeptimanarum, non Saxonicum *v. Reſolut. Gravam. de anno 1653. n. 22.* CARPZ. *tit. 15. art. 2. n. 3. 34.* MARTIN. *ad O. P. S. tit. 29. §. 1. n. 21.* Et currit illud à tempore impetratarum copiarum, quoad primam poſitionem: Judex vero intra ſpatium bimeſtre eas partibus tradere *p. 1. C. 18.* ac terminum octo vel 14. dierum iis præfigere debet, intra quem copias redimant, quem ſi elabi patiantur, ipſo jure, ſine prævia ſententia, poſitio hæc amiſſa eſt *O. P. S. tit. 29. §. 1. 2. Reſol. Gravam. de anno 1661. §. 25.* Si ante præfixum terminum copiæ redimantur, nihilominus terminus diſputatorius demum poſt illum elapſum incipit CARPZ. *tit. 15. art. 2. n. 21.*

§. 30.

§. 30. Quoad ſequentes poſitiones fatale currit à tempore inſinuatæ præcedentis poſitionis, quam inſinuationem judex omnibus modis promovere tenetur *O. P. S. tit. 29. §. 4. 5. 6.* ſi quis ob neglectum fatale jacturam poſitionis fecerit, ei tamen integrum eſt, alteram, quæ adhuc reſtat, ſuo tempore exhibere *d. tit. 29. §. 7.* Exinde deducit CARPZ. *p. 1. C. 18. D. 13.* contra triplicam actoris, qui replicam neglexerat, admittendam eſſe Rei duplicam. Sed id dubium eſt, licet enim actoris negligentia commodum duplicis poſitionis reo auferre nequeat attamen duplica ſuo ordine, poſt elapſum ſcilicet replicæ tempus, exhibenda erit, quæ etiam ſententia eſſe videtur *d. tit. 29. §. 7. in fin.* alias reus ſua voluntate duplicam amiſiſſe cenſeri debet, nec abſurdum videtur, offerre aliquando duplicam, quam non præceſſerat replica.

§. 31. De cætero advocati in conficiendis poſitionibus diligentiam & bonam fidem adhibere, adeoque à non neceſſaria prolixitate, ac inprimis à falſa atteſtatorum vel actorum priorum relatione abſtinere debent. Neque licitum ipſis eſt, nova documenta inſerere, reſponſa tamen juridica ad informandum judicem addere nil vetat; ſed hæc non conſtituunt partem actorum, hinc etiam, ſi forte cum ipſis articulis offerantur, pars adverſa ea recognoſcere non debet. Non minus etiam actuarii in conſignandis iis, quæ geruntur, diligentiam & bonam fidem adhibere tenentur, quo de obſervato vel neglecto partium officio conſtare queat. *v. O. P. S. tit. 29. §. fin.*

§. 32. Quodſi probatio & reprobatio meris inſtrumentis fuerit peracta, tum, ſi eorum exiguus ſit numerus, nec cauſa magni momenti, viva voce diſputatio eſt inſtituenda, ac debet terminum extrahere is, contra quem probatio ſuſcipitur *v.* MARTIN. *in Comm. ad O. P. S. tit. 29. §. 3. n. 6.* ſed conſultius eſt ut ipſe probans maturando proceſſui terminum petat. Si vero plura ſint documenta, diſputatio in ſcriptis inſtitui debet, ac currit fatale à tempore rei judicatæ, quæ ille diſputandi modus partibus fuit injunctus, ac debent etiam litigantes, in termino recognitionis, ratione modi diſputandi, mentem ſuam exponere, quo facto interlocutoria ſequitur *O. P. S. tit. 29. §. 3.*

§. 33. Datur etiam probatio extraordinaria, quæ regulis hactenus expoſitis non adſtringitur. Eo pertinet (1.) demonſtratio, *beſcheinigung*, quæ in proceſſu ſummario, & aliquando etiam, quoad articulum in-

incidentem, in ordinario locum habet, ac extrajudicialiter coram Notario nonnunquam fieri poteſt. Hæc nulli termino regulariter eſt ad ſtricta, niſi in ſententia aliquis præfixus vel ſtatuto definitus ſit *v. Ord. judic. mercat. Lipſ. §. 16.* (2.) probatio ſpolii, in qua intra quindecim dies articuli offerendi *O. P. S. tit. 11. §. 6.* (3.) cauſa diffamationis, quæ intra duplicatum ſpatium Saxonicum probanda CARPZ. *tit. 20. art. 1. n. 18.* (4.) cauſæ cereviſiariæ, quæ intra duos menſes probandæ *v. Ord. Provin. Saxon. 1555.* tit. *brauen §. weil ſich* Dn. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 20. enunc. 17. ſeqq.*

§. 34. Eo etiam referenda (5.) probatio ad perpetuam rei memoriam *v. c 5. X. ut lit. non conteſt. c. 41. X. de teſt.* quæ, lite cœpta, actori & reo ob juſtam cauſam conceditur, ac inſtitui debet regulariter coram judice competente, & citato adverſario; utrumque tamen, ſi periculum in mora ſit, aliter ſe habere poteſt *v.* MEV. *p. 8. Deciſ. 281.* BERLICH. *p. 1. Concl. 46. n. 42. ſeqq.* Solent autem cum ipſa imploratione articuli probatorii ſtatim offerri *v.* MARTIN. *ad O. P. S. tit. 27. §. 1. n. 35.* Peracta probatio ſuo tempore in vim probationis aut reprobationis reproducitur, integrum tamen eſt, eam etiam omittere, vel ante ejus publicationem, ordinariam probationem ei conjungere *v. O. P. S. tit. 27.*

§. 35. Huc quoque pertinet (6.) probatio per ocularem inſpectionem, quæ in quæſtionibus finium, ſervitutum, novi operis, damni infecti ſimilibusque locum habet. Debet illa fieri, partibus præſentibus, per viros peritos & juratos, ac ei locus eſt etiam poſt publicata atteſtata, imo rem judicatam in ipſa executione BERLICH. *p. 1. Conc. 47.* BRUNNEM. *in Pr. c. 22. n. 3.* Ad ocularem inſpectionem etiam pertinet inveſtigatio terminorum per virgulam divinatoriam *v.* Dn. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 28. enunc. 8. 9.* Ejuſdem fere indolis eſt (7.) probatio per calculationem, quæ itidem præſentibus partibus, per peritos expedienda eſt *v. O. P. S. tit. 28.* RIVIN. *d. t. enunc. 10. ſeqq.*

§. 36. Supereſt probatio per jusjurandum *v. §. 2.* Delatio juramenti judicialis jure Romano libera videtur, adeo ut in quavis judicii parte *l. 12. pr. C. de reb. cred. & jurejur.* CARPZ. *p. 1. C. 12. D. 1. tit. 11. art. 1. n. 97.* ac poſt aliam probationem fruſtra ſuſceptam locum habeat

arg. d. 12. pr. Sed jure Saxonico Electorali ejus uſus valde reſtrictus eſt: Nam jusjurandum neque cumulative neque ſucceſſive cum alia probatione conjungi poteſt, niſi ſint diverſa capita, tum enim quoad unum probatio, quoad alterum vero jusjuraudum adhiberi poteſt *O. P. S. tit. 18. §. 3.* Quo caſu fatale oblationis ad jusjurandum, de quo mox dicemus, obſervandum quidem eſt, præſtatio vero juramenti poſt probationem & reprobationem peractam differtur *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 18. enunc. 144.*

§. 37. Porro actor juramentum ſaltem deferre poteſt ante præſtitam gvarandam & litem pure conteſtatam *O. P. S. tit. 18. §. 1.* Super replicatione tamen, & in actione negatoria, ſuper articulis reprobatorialibus, etiam poſt litem conteſtatam delatio locum habet. Poteſt etiam actor delatum juramentum revocare, modo reus illud nondum acceptaverit aut retulerit, vel per rem judicatam delatio ſit confirmata *d. tit. 18. §. 2. v.* RIVIN. *d. t. enunc. 26. ſeqq.* Reus quoque ſuper exceptionibus actori juramentum deferre poteſt, vel ſtatim dum eas opponit, vel quando ad reprobationem fuerit perventum, modo hæc ei per rem judicatam nondum ſit injuncta, vel ipſe ad eam ultrò ſe obtulerit *O. P. S. tit. 18. §. 4.* quod factum cenſetur ſi reus ſolam reprobationem ſibi reſervet *v.* CARPZ. *p. 1. C. 12. D. 33.* conf. RIVIN. *ad d. tit. 18. enunc. 33. 34.*

§. 38. Is, cui juramenti præſtatio injuncta, à tempore rei judicatæ, intra octiduum ad eam ſe offerre, ac petere debet, quo intra ſpatium Saxonicum adverſarius ad hoc negotium citetur, quo neglecto juramentum eſt defertum *O. P. S. tit. 18. §. 10.* CARPZ. *p. 1. C. 12. D. 18. p. 2. Deciſ. 193.* RIVIN. *ad. d. tit. 18. enunc. 76. ſeqq.* Petere etiam tenetur, quo adverſarius in termino præfixo de calumnia juret, nam omiſſa petitione hic jurare non cogitur *O. P. S. tit. 18. §. 7* niſi per ſententiam hoc jam ſit injunctum quo caſu petitio impune omittitur *v.* CARPZ. *tit. 12. art. 1. n. 31. 32. p. 1. C. 12. D. 23. n. 6.* RIVIN. *ad d. tit. 18. enunc. 40.*

§. 39. Si exceptionibus dilatoriis nondum ſatisfactum ſit, ab harum impletione demum currit octiduum *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 11. enunc. 23. tit. 18. enunc. 101.* ſi appellatio vel Leuteratio interpoſita ſit, tum ex nova ſententia illud computari debet *O. P. S. tit. 18. §. 10.* Quodſi au-

autem ſine ſententia appellatio rejiciatur, poſt decendium à publicatis remiſſorialibus, octiduum currit, etſi hac in parte non una omnium ſit ſententia. Si quis appellationi vel leuterationi renunciaverit, poſt factam renunciationem ad jurandum recte ſe offert *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 18. enunc. 95. ſeqq.*

§. 40. Anticipatio oblationis operatur deſertionem *O. P. S. tit. 18. §. 10.* niſi ſtatuto permittatur *v. Ord. mercat. Lipſ. §. 15.* vel ob aliam juſtam cauſam innoxia ſit *v.* RIVIN. *d. t. 18. enunc. 78. 102. ſeqq.* Obſervatur quoque fatale octidui quoad juramentum ſuppletorium & purgatorium *O. P. S. tit. 18. §. 18.* non vero alia juramenta legalia *v. Deciſ. Elect. 70.* RIVIN. *d. tit. 10. enunc. 112. ſeqq.* De cœtero oblatio fieri poteſt etiam per procuratorem modo ſpeciale habeat mandatum *v.* RIVIN. *d. l. enunc. 63. ſeqq.* Si in termino præfixo emaneat deferens, vel juramentum calumniæ præſtare, aut adverſarium ad principale admittere nolit, hoc habetur pro præſtito *v.* RIVIN. *d. l. enunc. 26. 27. 28. 43. 44.* ſi vero juraturus ſine cauſa emaneat vel jurare nolit, juramentum fit deſertum *v.* RIVIN. *d. l. enunc. 118. ſeqq.*

§. 41. Is cui juramentum delatum, in caſibus habilibus, illud deferenti poteſt referre, & quidem ſtatim quando delatio fit, quo caſu per ſententiam deferenti juramenti relati præſtatio injungitur, ac hic circa oblationem fatale antea explicatum obſervare debet. Quodſi juramentum non ſtatim referat, debet ſibi relationem reſervare, aut ſi hoc non fecerit, & ei per ſententiam juramenti delati præſtatio ſimpliciter fuerit injuncta, per modum leuterationis juramentum referre, vel minimum relationem ſibi reſervare tenetur; alias facultatem referendi amittit, niſi judex ultro in ſententia eam reſervaverit *O. P. S. tit. 18. §. 9.* DN. RIVIN. *ad tit. 18. enunc. 54.*

§. 42. Hoc caſu juramentum intra fatale oblationis eſt referendum nec is, cui refertur, opus habet, ut intra octiduum ad ejus præſtationem ſe offerat. *O. P. S. tit. 18. §. 9.* RIVIN. *d. l. enunc. 53.* Si quis juramentum illegitime, ſuper facto ſcilicet proprio, referat, id pro deſerto habetur, niſi eventualiter ad jurandum, ſi relationi forte locus non ſit, ſe ſimul obtulerit RIVIN. *d. l. enunc. 56. 57.* Ille autem, cui juramentum recte relatum, cum eo & juramentum calumniæ, ſi ab eo poſtulatum fuerit, præſtare debet *O. P. S. tit. 18. §. 9.* utrumque tamen,

ſi referens in termino emaneat, pro præſtito habetur RIVIN. *d. l. enunc. 59.* Juxta naturalem interpretationem poterat juramentum calumniæ omitti, cum in relato virtualiter contineatur.

§. 43. Aliquando loco juramenti impoſiti probatio ſuſcipitur, quod defenſionem conſcientiæ, *Vertretung des Gewiſſens* vocant. Habet autem illa locum in juramento delato & purgatorio nec non jurejurando quo ſpecificatio confirmanda *O.P.S. tit. 19. §. 1. 2.* ac competit tam reo quam actori, ſi huic ſuper exceptione vel ſtatim, vel prævia reſervatione in ipſis demum articulis reprobatoriis juramentum deferatur, quo tamen caſu prius actor ad articulos illos reſpondere, ac facta negatione, vel juramentum delatum ſubire, vel conſcientiæ defenſionem ſuſcipere tenetur.

§. 44. Intra octiduum ſive fatale oblationis, ad conſcientiæ defenſionem quis ſe offerre ac, à tempore hoc, intra ſpatium Saxonicum articulos probatoriales exhibere cæteroque deinceps probantis munere defungi debet *O. P. S. tit. 19. §. 1.* RIVIN. *ad d. t. enunc. 6.* Quodſi in probatione deficiat, ad juramentum delatum nihilominus admittitur, quemadmodum, eo mortuo, hæredes juramentum credulitatis præſtare poſſunt, ac utroque caſu deferens antea de calumnia jurare debet. Si quis vero probationem neglexerit, ad juramentum fruſtra deinceps recurrit *O.P S. tit. 19. §. 2.*

§. 45. Si plene quis non probet ac ideo in ſupplementum jurare jubeatur, poſtea autem neglecto juramento decedat, ejus hæredes nihilominus ad juramentum credulitatis ſuppletorium admittuntur, cum hoc caſu ſit pars probationis ordinariæ, quam defunctus non neglexit ſed ſaltem non perfecit *d. tit. 19. §. 2. 3.* CARPZ. *l. 3. Reſp. 59.* De cætero adverſarius ad reprobationem non admittitur *p. 1. Conſt. 14. O. P. S. tit. 19. §. 2.* ſicut etiam interrogatoria quoad ipſam cauſam exhibere non poteſt, ſed ſolum quoad perſonas teſtium *Deciſ. Saxon. 19. add.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 29. enunc. 6.*

§. 46. Ceſſat conſcientiarum defenſio (1.) in juramento acceptato (2.) relato *O.P.S. tit. 19. §. 1.* (3.) in juramento ſuppletorio, quia fatale probationis præterlapſum CARPZ. *tit. 12. art. 2. n. 94. p. 1. C. 14. D. 21.* Sed hæc aſſertio non immerito ſuſpecta videtur DN. STRYK *in not. ad* LAUTERB. *de jurejur. p. 325.* verb. *recuſari poteſt.* Et ſane probatio

pro

pro defendenda conſcientia non ex tempore probationis ordinariæ, ſed juramenti ſuppletorii, cui ſurrogari debet, judicanda videtur (4.) in juramento, quo editio documentorum declinatur *O.P.S. tit. 26. §. 1.* (5.) juramento diffeſſionis in proceſſu executivo CARPZ. *p. 1. C. 14. D. 22. add.* DN. RIVIN. *add. O. P. S. tit. 19.*

§. 47. Quodſi de uſu jurisjurandi aſſertorii, ex vero ejus habitu, judicandum foret, tria præſupponenda videntur (1.) *jurejurando parce utendum eſſe*, ne ejus autoritas nimio uſu vileſcat (2.) *illud eſſe probationem ſubſidiariam*, hoc ex præcedente fluit, præterea fragile utique præſidium eſt, quod in alterius juramento reponitur, cui adeo ſine cauſa confidere imprudens eſt (3.) *perjurium ſemper eſſe illicitum, ac ejus vel exigendi vel præſtandi poteſtatem nemini competere.* Sæpe quidem in vita civili perjurium vim veri juramenti habet, ſed hoc verum eſt, quatenus ſub ſpecie juramenti latet, ſed ſi illa improbitas retegi queat, ex rationibus juris divini non eſt admittenda, aut ſi jam patrata ſit, effectum veri juramenti habere non debet.

§. 48. Ex primo præſuppoſito fluit, quod is, qui bona conſcientia jurare poteſt, ſi probare malit, ad probationem ſit admittendus; ut &, quod duplex juramentum non ſit exigendum, quando in uno alterum virtualiter continetur. Ex ſecundo ſequitur, quod neque delatio neque præſtatio juramenti ſcrupuloſis fatalibus rigide ſit adſtringenda. Ex tertio infertur, quod ſemper probatio contraria ſit admittenda, quoties perjurii vel committendi vel commiſſi ſuſpicio ſubeſt.

§. 49. Nec obſtat vel facta delatio vel eam ſecuta rei judicatæ autoritas, quaſi ſcilicet de negotio transactum ſit, modo alter juret vel pejeret: Cum enim perjurii exigendi jus nemini competat, ideo actus illi de vero juramento ſunt intelligendi; Et licet aliquando alter, cum conſcientiæ ſuæ læſione, perjurium ſubſtituat, hoc tamen ſaltem admittendum, quatenus de eo non conſtat, ut vero ſuo jure vel jurare vel pejerare queat, id inde confici nec poteſt nec debet.

Digitized by Google

CAPUT IX.

DE SENTENTIA JUDICIS.

SUMMARIA.

Sententia & decreti differentia §. 1.
Illius diversitas §. 2. 3.
Sententiæ conceptio fit à judice, vel hodie collegio juridico §. 4.
Sententia debet concipi rite §. 5.
Et juste §. 6.
Expensæ etiam regulariter victori adjudicandæ sunt §. 7.
Expensarum qualitas & quantitas §. 8.
Modus liquidandi & adjudicandi §. 9.
Omissæ in sententia expensæ separata actione exigi possunt §. 10.
Sententia debet continere causæ decisionem §. 11.
Et partibus rite publicari §. 12.
Publicatæ sententiæ effectus quoad judicem & partes §. 13.
Res judicata rescindi regulariter nequit, ac parit exceptionem vel executionem §. 14.

§. 1.

DIsputationes Partium sequitur Judicis Sententia, *qua controversia vel incidens vel principalis decciditur.* In Saxonia Electorali, à sententia distingvi solet Decretum *ein Abschied*, quod discrimen alii à *persona pronunciante*, alii à *formulis* repetunt. Forte decretum debebat esse *effatum arbitratoris*, sententia vero, *pronunciatum judicis*: at postquam illi etiam remedia suspensiva obverti cœperunt, nullum inter ea supereſſe discrimen, nisi quoad nomen & accidentia quædam indifferentia, quæ quoad ipsam etiam sententiam non semper eadem sunt, dicendum videtur.

§. 2. Distingvitur sententia (1.) in *definitivam*, qua causa principalis & *interlocutoriam*, qua articulus incidens deciditur *v. l. 39. de minor. l. 1. de constit. princ. l. 3. C. de leg.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 16.* Hæc iterum est vel *simplex* quæ articulum incidentem saltem definit nec causam principalem tangit, vel *præjudicialis*, quæ decisione rei incidentis causæ principali facit præjudicium, ut si judex deferat juramentum suppletorium vel purgatorium *v.* CARPZOV. *l. 3. Resp. 48.* Hæc non raro, per modum conditionis, definitivæ inseritur *v.* CARPZ. *p. 1. C. 26. D. 9. 10. 11.*

§. 3. Præterea distingvitur sententia (2.) in *condemnatoriam*, quæ reum condemnat, *absolutoriam*, quæ eum absolvit & *mixtam*, qua utrumque diverso respectu agitur (3.) in *privatoriam*, quæ reo rem aufert & *declaratoriam*, quæ illum rem jam olim ipso jure amisisse declarat

clarat *v.* LAUTERB. *C. J. de jurejur. in fin.* (4.) in *plenam*, quæ omnia capita controverſa probando vel rejiciendo comprehendit, & quorum adeo intuitu exceptio rei judicatæ vel executio datur, & *minus plenam*, quæ nonnulla omittit, quorum reſpectu jus manet ſalvum *v. l. 7. §. 1. de compenſ. l. 5. 1. de re jud.* Dn. BERGER. *in reſolut.* LAUTERB. *de re judic. qv. 1.*

§. 4. Sententiam concipit judex competens *l. 1. de re judic. l. fin. de jurisdict. l. 2. 3. C. de ſentent. ex pericul. recit.* & quidem ſi plures ſint, præſentia omnium requiritur, qui ſi diſſentiant, majora valent, ſi vota ſint paria nihil agitur niſi altera ſententia reſpiciat cauſam favorabiliorem *l. 36. 37. 38. 39. de re judic. c. fin. X. de ſent. & re judic.* quod ultimum exigui hodie videtur eſſe uſus *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1045.* Hodiæ prævia inrotulatione, plerumque ad Collegium juridicum transmittuntur acta ab eoque ſententia expetitur. Et ſunt aliquando judices ad certa collegia ita adſtricti, ut ab alio, ſine permiſſu Imperantis, reſponſum petere nequeant *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 34.*

§. 5. Sententia concipi debet *rite*, hoc eſt, obſervato proceſſu, maxime quoad ſubſtantialia, quæ ipſa æquitas exigit; hinc poſt citationem & cauſæ cognitionem ſententia demum ferenda *v. Clem. 2. de ſent. & re judic. l. 4. 7. C. de ſentent. & interl. l. fin. C. de ſent. ex per. recit.* CARPZ. *p. 1. C. 26. D. 12.* In cauſa ſummaria, qualis qualis reſponſio ſufficit *clem 2. de V. S.* ſed in ordinaria, ſub pœna nullitatis, litis conteſtatio præcedere debet, antequam ſententia quoad controverſiam principalem ferri queat *c. un. X. de lit. conteſt. v.* CARPZ. *p. 1. C. 10. D. 8.* Sed hoc magis fori corruptionem quam juſtitiam arguit.

§. 6. Deinde etiam ſententia concipienda eſt *juſte*, hinc leges in genere ſunt obſervandæ, alias ſententia eſt ipſo jure nulla, ac ad factum recte applicandæ, alias appellatione illa reſcinditur *l. 1. §. 2. quæ ſent. ſin. appell. l. 2. C. quand. provoc. non eſt neceſſ.* Debet ergo ſententia definitiva conformis eſſe libello, quoad objectum & cauſam petendi *l. 18. comm. divid. l. fin. C. de fidejuſſ.* ut & cæteris cauſæ meritis *v.* CARPZ. *p. 1. C. 26. D. 6.* In judicium autem deducta cenſeri debent non tantum res principalis, ſed & acceſſiones, ut fructus, tempore accepti judicii ac ſequenti pendentes *l. 31. de R. C. l. de uſur.* non etiam ante percepti *l. 25. §. 8. de ædil. edict.* ſed noſtrates judices de his etiam ſententiam ferre poſſunt.

§. 7.

Digitized by Google

§. 7. In ſpecie expenſarum ratio in ſententia haberi debet *l. 13. §. 6. C. de judic.* nam victus victori in expenſas condemnandus eſt, niſi quis probabilem litigandi cauſam habuerit *v.* Dn. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 36. enunc. 4.* aut ſi quis ex juramento ſuppletorio vel litis deciſorio condemnatus ſit *v.* MARTIN *ad O. P. S. tit. 36. §. 2. n. 19.* quod tamen non ſemper excuſat *v.* RIVIN. *d. l. enunc. 7. 8.* Aut ſi quis communem opinionem vel conſilium Doctoris pro ſe habuerit *v.* CARPZ. *p. 1. C. 31.* aut ſi pauper ſit, qui tamen in corpore luere debet *conf.* Dn. KÜHLWEIN. *diſput. de compenſ. lit. expenſ. hab. Lipſ. 1692.* Aliquando etiam victor expenſas victo reſtituere tenetur. *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 38.* RIVIN. *d. l. enunc. 2.*

§. 8. Expenſarum nomine veniunt ea omnia quæ in proceſſum neceſſario fuerunt impendenda, ut ſportulæ, honoraria Notariorum & Advocatorum, cibaria & ſumtus peregrinationum, quæ aliquando juramento victoris determinantur *v. l. 13. §. 6. C. de judic. Ord. Cam. p. 1. tit. 66. 67.* plerumque vero judex ſua ſententia eas moderatur *v. Conſt. Saxon. 31. p. 1. O. P. S. tit. 36. Reſcript. Torgav. 1583.* Quodſi expenſarum reſtitutio in inſtrumento obligationis promiſſa ſit, tum moderatio judicis locum non habet, niſi immodicæ petantur CARPZ. *p. 1. C. 31. D. 32.*

§. 9. Si expenſæ unius termini vel ex alia cauſa petantur, adverſarius peculiariter citandus non eſt, ſed in termino earum deſignatio exhibetur ac ut adverſarius in eas condemnetur, petitur. Si vero expenſæ ratione totius proceſſus ſolvendæ ſint, tum citatio requiritur, & ſolet illa, poſtquam ſententia definitiva, quæ condemnationem in expenſas quoque continet, in rem judicatam tranſiit, præcepto executivo inſeri & paucis ante terminum executivum diebus liquidatio expediri, quo facto, juxta moderationem, executio fit etiam quoad expenſas, ſub quibus continentur quoque eæ, quæ in termino moderationis ſunt factæ *v.* CARPZ. *p. 1. C. 31. D. 17.*

§. 10. Si expenſæ in ſententia omiſſæ ſint, executio quoad eas fieri nequit, ſeparata tamen actione illæ peti poſſunt, ſi promiſſæ ſint, ſi vero promiſſio haut interceſſerit, exactio ceſſat, cum ſaltem officio judicis debeantur, cui ſublata actione principali amplius locus non eſt *v. l. 49. §. 1. de A. E. V.* CARPZOV. *p. 1. C. 31. D. 21. 22.* STRYK. *de C. C. Sect. 2.*

Sect. 2. c. 11. §. fin. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 36. enunc. 15.* Sed hoc ultimum, judices pedaneos & antiquum processum formularium respiciens, male hodie observari puto: Obligatio ad damnum resarciendum perinde efficax est & per se subsistit, ac obligatio quæ ex promissione resultat, hinc utriusque secundum æquitatem est habenda ratio *conf.* DN. D. MELICH *dissert. de Sportul. hab. Lipsiæ 1683.*

§. 11. Debet sententia continere causæ decisionem *l. 1. de re jud.* adeoque certa esse §. *32. I. de action. l. 3. C. de sentent. quæ sin. cert. quant.* vel in se *v. l. 74. de V. O.* vel per relationem ad libellum, instrumentum aut testamentum *v. l. 5. §. 1. l. 59. §. 1. de re judic. l. 21. §. 3. de recept. l. 3. C. de sent. quæ sin. cert. quant:* Sufficit etiam ea certitudo, quam natura negotii admittit *v. l. 76. §. 1. de R. V.* neque ei obest conditio sententiæ inserta *v. §. 2. h.* Ad certitudinem etiam pertinet, ut in certam personam feratur; jure civili, post litem contestatam, in procuratorem *l. 1. C. de sentent. & interl.* quod hodie non observatur *v.* LAUTERB. *C. J. de re judic.*

§. 12. Sententia concepta partibus citatis publicanda est *v. l. 47. de re jud.* die non feriato *l. 1. de fer. l. 4. C. quom. & quand. jud. Nov. 82. c. 3. l. 2. §. 31. de O. I.* ac tempus factæ publicationis diligenter consignari debet; Si diverso tempore partibus publicatio fiat, cuilibet fatale currit à die sua: Si utraque pars emaneat, terminus publicationis circumducitur, transmissio tamen copiæ vim publicationis habere censetur *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 34. enunc. 8. seqq.* Est etiam publicatio in loco publico facienda *l. 6. C. de sentent. & interloc. v.* DN. BERGER *in resol.* LAUTERB. *de re judic. qu. 2.* ut autem sententia à judice ipso sedente, ex scripto recitetur *l. 2. 3. C. de sent. ex per. recit. Nov. 82. c. 3. c. fin. de sentent. & re judic. in 6.* id hodie non videtur necessarium.

§. 13. Publicatam sententiam, sive definitivam, sive interlocutoriam, judex retrahere nequit *l. 14. 42. 55. 62. de re judic. l. fin. §. fin. C. de mod. mult. v.* BERGER *d. l. qu. 3.* nam partibus ex publicatione jus quæritur. Post decem dies transit in rem judicatam *c. 13. 15. X. de sent. & re judic.* etsi ipsa etiam sententia, res judicata est, sed imperfecte *l. 23. §. 1. de condict. indeb. l. 14. C. de appellat.* Perfecta autem res judicata pro veritate habetur *l. 25. de stat. hom. l. 3. de agnosc. & alend. liber.*

adeoque absolutus reus, non condemnatus autem, vere obligatus censetur, frustra etiam illo casu stricto jure adhuc obligatus dicitur, nam absolutio ostendit, obligationem vel nunquam adfuisse, vel sublatam esse quod hodie sufficit *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1046.*

§. 14. Res judicata ob nova instrumenta non rescinditur, nisi sententia lata contra utilitatem publicam *l. 35. de re judic. l. 3. C. de jur. reipubl.* aut contra aliam rem judicatam *l. 1. C. quand. provoc. non est nec.* vel instrumenta dolo adversarii fuerint occultata *arg. l. 19. C. de transact. l. 46. §. 5. de admin. tutor.* aut ex juramento suppletorio sententia profecta sit *l. 31. de jurejur.* LAUTERB. *C. J. de re judic. tit. E.* BERGER *in resolut. d. l. qu. 3.* Sed hoc ultimo casu non tam sententia retractatur, quam potius lis ex nova causa, cui hactenus non præjudicatum est, instruitur *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1017.* Ex integra re judicata datur exceptio & executio, de quibus suo loco; tertio autem illa non præjudicat *l. 63. de re judic.*

CAPUT X.

DE APPELLATIONE ET LEUTERATIONE.

SUMMARIA.

Appellationis indoles, moralitas & diversitas §. 1.
Appellant gravati §. 2.
Ac unius victoria cæteris consortibus prodest, condemnatio vero non nocet §. 3.
Appellant etiam qui extra litem versantur. Quibusdam vero appellare non licet §. 4. 5.
Appellatur à judice inferiore ad superiorem §. 6.
Et quidem regulariter gradatim §. 7.
A quovis gravamine §. 8.
In quibusdam tamen casus cessat appellatio §. 9.
Interponitur illa intra decendium §. 10.
Regulariter coram judice inferiore viva voce vel in scriptis congrue & modeste §. 11.
Apostolorum petendorum tempus, modus & varietas §. 12.
Appellationis introductio §. 13.
Et justificatio §. 14.
Quousque hæc extendi possit aut debeat §. 15.
Peracta justificatione varie pronunciatur §. 16.
Neglectus fatalium operatur desertionem §. 17.
Pœna contumaciæ in termino justificationis commissæ §. 18.
Pendente appellatione judici inferiori manus ligatæ sunt §. 19.
Leuterationis natura & effectus §. 20.
Potest illa etiam per alium interponi ac interposita alteri litiganti sit communis §. 21.
Leuteratio regulariter in omnibus causis locum habet §. 22.
Interponendæ & prosequendæ leuterationis tempus §. 23.
Et modus §. 24.
Pœna leuterationis frivolæ vel contumacix circa prosecutionem commissæ §. 25.

Ober-

Oberlenterationis in Saxonia usus §. 26.
Appellationi affinia sunt supplicatio, Revisio, Syndicatus §. 27.
Restitutio in integrum, querela nullitatis, relatio & protestatio §. 28.
Remedia suspensiva justitiæ administrationem impediunt §. 29.

§. 1.

Im sententiæ sæpe litigantes suspendunt per appellationem, hæc in genere est *actus quo contra gravamen inferioris judicis, superioris auxilium imploratur.* Gravamen non semper ex rei veritate, sed sæpe ex affectu appellantis æstimandum est, hinc appellatio est vel *frivola*, quam lex naturæ prohibet, vel *justa*, quam illa permittit aut aliquando præcipit *v. Ord. Cam. p. 2 tit. 28. §. 3.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1398. 1399.* Alias etiam est vel *judicialis*, quæ à sententia *c. 5. X. de appellat.* vel *extrajudicialis* quæ à decreto alioque actu extrajudiciali interponitur *c. 8. de appellat. in 6. l. 21. §. 2. de appell. l. 1. §. 3. quand. appell. v.* LAUTERB. *C. J. de appellat.*

§. 2. Appellant, qui se inique gravari putant *v. l. 1. ff. l. 30. C. de appell.* etiam alieno nomine condemnati, ut tutor, curator *l. 24. pr. §. 1. l. 27. de appell. l. 1. §. 3. quand. appell. l. 11. C. de admin. tutor.* procurator *l. 18. ff. l. 9. C. de appell. l. 8. §. 8. mand. l. 17. C. de procur.* etiam sine speciali mandato CARPZ. *3. Resp. 109. n. 11. 14. tit. 18. art. 2. n. 4.* negotiorum gestor, in causa, quam alieno nomine gessit, condemnatus *l. 24. de appell. l. 31. §. 2. de N. G.* Sed cum hodie id vix fiat, ideo gestio de sola appellationis interpositione erit intelligenda, quæ valida est, modo intra decendium ratihabitio sequatur *v. l. 1. pr. de appell. recip.* CARPZ. *tit. 18. art. 2. n. 6.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 7. enunc. 47.*

§. 3. Si ex pluribus litis consortibus, unus appellaverit, hujus victoria omnibus prodest *l. 1. 2. C. si un. ex plur. l. 1. C. de diverf. rescript.* condemnatio verò non nocet *l. 3. §. 2. de appell.* id quod juxta communem mortalium affectum ita constitutum est. Requiritur tamen ut veri sint consortes, ac omnes eodem jure utantur *l. 10. pr. §. fin. l. 17. de appellat. c. pen. X. eod.* CARPZ. *p. 1. C. 20. D. 15. p. 2. C. 9. D. 4.* BERGER *in resol.* LAUTERB. *de appell. qu. 1.* nec cæteri sententiam primæ instantiæ agnoverint *l. 10. in fin. de appell.* PISTOR *l. 1. qu. 47. n. 21.*

§. 4. Possunt etiam appellare qui extra litem versantur, modo

eorum interfit, ac rationes sui intereſſe intra decendium explicent *v. l. 45. de appell. l. 2. §. 2. quand. appell. c. 15. X. de offic. & pot. jud. de legat. l. 20. C. de evict. Nov. 112. c. 1. l. 23. §. 2. de appell. l. 1. §. 1. de appell recip. l. 12. C. de procur. l. 6. ff. l. 29. C. de appell. l. 6. C. de epiſc. audient.* Quibusdam verò appellare non licet *v. l. 3. 4. C. quor. appell. non recip.* quo inprimis referendi renunciantes *l. 5. §. 6. C. de temp. appell. l. 1. §. 3. à quib. appell. non lic. c. 20. X. de offic. deleg. l. 5. C. de re judic. l. 12. §. 3. C. de reb. cred l. 40. §. 1. de pact.* & indigni ſive graviorum criminum rei *l. 16. de appell. l. 6. §. 9. de injuſt. rupt. irrit. l. un. pr. in fin. C. de rapt. virg. l. 2. C. quor. appell. non recip.*

§. 5. Huc etiam pertinent confeſſi *l. 1. de confeſſ. l. 2. C. quor. appell. non recip. c. 3. §. ſi autem de appell. in 6. c. 61. §. porro X. eod. can. 25. c. 2. qu. 6.* CARPZ. *p. 1. C. 20. D. 13. n. 3.* & Contumaces *v. l. 23. §. 3. l. 28. §. 1. de appell. l. 1. C. quor. appell. non recip. l. 73. §. 3. ff. l. 13. §. 3. 4. C. de judic.* LAUTERB. *C. J. de appell. lit. S. 5.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 10. enunc. 69. tit. 35. enunc. 6.* Cæterum quæ de ceſſante appellandi facultate dicuntur, illa, ex uſu plerorumque forte Territoriorum germanicorum, non ita accipienda ſunt, quaſi judex inferior interpoſitam appellationem negligere poſſit, ſed potius, quod Superior eam non recipiat, nam alias ille, in honorem Imperantis, cuivis appellationi deferre tenetur, niſi ſpeciali mandato appellationis neglectus ei ſit permiſſus.

§. 6. Appellatur à judice inferiori ad ſuperiorem; id quod ex habitu ſocietatis civilis fluit, ac omnibus gentibus commune eſt *v. l. 1. §. 3. ff. l. 19. 30. C. de appell. l. 4. de recept. l. 13. §. 4. ad SC. Tirbell.* Applicatio autem hujus principii, ex ſtatu cujusvis Territorii, dijudicanda eſt *v.* CARPZ. *tit. 18. art. 1.* Quousque à Statibus imperii ad ſumma Germaniæ Tribunalia provocari queat, id in Jurisprudentia publica explicatur ac hic ſupponitur. Quid verò vel olim in Republica Romana obtinuerit, vel in Rebuspublicis exteris hac in parte juris ſit *v.* LAUTERB. *C. J. de appell. lit. P.* id in Germania nullius eſt uſus.

§. 7. Regulariter etiam appellatio non debet fieri per ſaltum, ſed ad ſuperiorem immediatum *l. 4. C. de jurisd. omn. judic. c. 66. X. de appellat. l. 1. §. 3. de appell. l. 1. quis à quo appell.* niſi intermedius judex ſit ſuſpectus *can. 45. c. 2. qu. 7. Ord. Cam. p. 2. tit. 29. §. 1.* Sed nec hoc perpetuum, verum ex ſtatu cujusvis Territorii amplius dijudicandum eſt.

Sic

Sic in Electoratu Saxoniæ, à judiciis inferioribus vel ad Curiam provincialem, vel ad Regimen aulicum provocari potest, licet illa huic subsit *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1401. 1402. 1403.*

§. 8. Appellari potest à gravamine extrajudiciali *v. l. 1. §. 2. 3. quand. appell. l. 21. §. 2. de appell. c. 5. X. c. 8. in 6. eod.* ex sententia judiciali valida *l. 23. §. 1. de appell.* definitiva *l. 7. C. quor. appell. non recip.* & interlocutoria gravamen irreparabile continente *l. 9. de his qui satisd. cog. l. 7. §. 2. de appell. recip.* jure verò Canonico indistincte *c. 12. X. de appell.* usus autem horum jurium in omnibus Territoriis non est idem *v.* BRUNNEM. *de proc. civ. c. 28. n. 6.* Etiam in causis criminalibus appellatur *l. 6. C. de episc. aud. l. 29. 30. C. de appell.* quod tamen hodie non obtinet, nisi in processu accusatorio CARPZ. *p. 1. C. 20. D. 19. 20. qu. 139. n. 31. 32. v.* LAUTERB. *C. J. de appell. lit. O.*

§. 9. In quibusdam causis appellatio locum non habet (1.) in judicio possessorio summario *l. un. C. de moment. possess. v.* BERGER *in resolut.* LAUTERB. *de appell. qu. 2.* (2.) in causis quæ moram non admittunt *l. fin. de appell. recip.* (3.) quoad sententiam bis confirmatam *l. un. C. ne lic. in una ead. caus. v.* LAUTERB. *d. l.* Sed uti hodie illa varie limitantur aut quædam plane non observantur *v.* CARPZOV. *3. Resp. 101.* ita admissa juxta monitum §. 5. datum, intelligenda erunt. Quod etiam dicendum, quando (4.) à citatione *l. 7. C. quor. appellat. non rec.* aut (5.) executione *l. 4. pr. ff. l. 21. C. de appell. l. 5. C. quor. appell. non recip.* CARPZ. *5. Resp. 127. tit. 18. art. 2.* appellari non posse dicitur *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1404. seqq.*

§. 10. Appellatio interponi debet intra decendium *Nov. 23. c. 1. c. 8. de appell. in 6.* quod currit à momento publicatæ sententiæ *l. 1. §. 5. quand. appell.* modo partes legitimè sint citatæ, ut publicationem sciant vel scire possint, quo sensu etiam ignoranti fatale currere dici potest *v. l. 1. §. 7. 15. quand. appell. l. 2. C. de his qui propt. met. jud.* LAUT. *C. J. de appell. lit. fr.* CARPZ. *3. Resp. 114. p. 1. C. 20. D. 5. tit. 18. art. 3. n. 34.* Ratione cursus est continuum *l. 1. C. de fer.* totum autem illud spatium arbitrio gravati est relictum, adeo ut ultima etiam hora appellatio recte interponatur.

§. 11. Interponitur appellatio coram judice inferiore *l. 1. §. 7. 10. quand. appell.* vel notario cum testibus *v. c. fin. X. de appell.* sed hoc

ultimum nec in omnibus judiciis admittitur, nec in genere valde usitantum est *v.* CARPZ. *p. 1. C. 20. D. 1. 2. tit. 18. art. 3. n. 1. seqq.* Potest appellatio fieri vel viva voce *l. 2. de appell.* vel in scriptis *c. 1. de appell. in 6.* quod ultimum hodie fere tantum observatur. *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 35. enunc. 2.* De cætero congrue *l. 1. §. fin. de appell.* & modeste schedula appellationis est concipienda *l. 8. eod. l. 42. de injur.*

§. 12. Interposita appellatione, apostoli sunt petendi intra triginta dies, in quibus fatale appellationis interponendæ quoque continetur, sed cum hodie in ipsa appellationis schedula peti soleant, ideo peculiare aliquod spatium vix attenditur. Debent etiam, juxta formulam forensem, peti instanter, instantius, instantissime *v. l. un. de libell. dimiss. l. 24. C. de appell. c. 1. 4. 6. de appell. in 6. clem. 2. eod.* Memorantur autem variæ apostolorum species, sed fere non aliæ sunt in usu quam *Reverentiales* & *refutatorii apostoli v.* CARPZ. *p. 1. C. 20. D. 6. 7. tit. 18. art. 3. l. 3. Resp. 15. 110. 111.* LAUTERB. *C. J. de appell. lit. fr. n. 2.*

§. 13. Impetratis apostolis, appellatio ad Superiorem est introducenda. Tempus introductionis jure civili incertum & arbitrarium fuit. In Camera regulariter est sex mensium *O. C. p. 2. tit. 30.* LAUTERB. *d. l. n. 3.* In Saxonia Electorali est spatium menstruum à datione apostolorum computandum *v.* CARPZ. *tit. 18. art. 4. n. 15.* Introducens etiam inhibitionem petere debet, quæ tamen, si intra terminum à judice inferiore forte præfixum, non sequatur, appellationem non facit desertam CARPZ. *d. l. n. 21.*

§. 14. Appellatio introducta & admissa, intra certum terminum est justificanda, cui rei annus vel aliquando biennium conceditur *auth. ei qui appellat. C. de tempor. appell. c. 5. X. de appell.* LAUTERB. *d. l. n. 4.* CARPZ. *p. 1. C. 20. D. 10. 11.* In supremo appellationum judicio Saxonico, appellatio in proximo post introductionem termino, qui singulis semestribus habetur, est justificanda, modo spatium legitimæ citationis superfuerit, alias ad sequentem terminum justificatio rejicitur. In cæteris judiciis Saxonicis annum vel biennium adhuc observari volunt *v.* CARPZ. *tit. 18. art. 5. n. 38. seqq.* Sed in Curiis provincialibus etiam juxta statos terminos justificatio est suscipienda *v.* THOMAS *in not. ad* STRAUCH. *dissert. 27. §. 9. p. 411.*

§. 15. De

§. 15. De cætero appellatio, tam quoad formalia, quam materialia, justificanda est; Et dicitur quidem, interposita appellatione, causa principalis reduci in eum statum, in quo fuit tempore litis contestatæ *arg. l. 13. C. de procur. v.* LAUTERB. *C. J. de appell. lit. E.* CARPZOV. *tit. 18. art. 6. n. 38.* quo admisso, larga utique erit jura deducendi potestas. Sed magis est, ut appellans nihil novi proponere, sed jura proposita saltem amplius deducere queat: Gesta enim prioris instantiæ certis inclusa esse solent fatalibus, quæ appellationis prætextu eludere vix licebit. Novæ certæ probationes in Saxonia non admittuntur CARPZ. *d. l. n. 20.* quod forte nec jure communi aliter se habet *v. l. 4. C. de temp. appell. Nov. 90. c. 4. clem. fin. de testib.*

§. 16. Peracta justificatione, aliquando prior sententia confirmatur, quo casu appellans in expensas condemnari *c. 1. de elect. in 6. c. 26. X. de appell.* add. *l. 6. §. 4. l. 19. C. de appell. l. 5. in fin. C. quor. appell. non recip. v.* CARPZ. *p. 1. C. 20. D. 29.* ac causa ad priorem judicem remitti solet. In supremo tamen appellationis judicio Saxonico condemnationem in expensas esse rariorem notat CARPZ. *tit. 18. art. 6. n. 97. seqq.* Aliquando prior sententia vel in totum vel pro parte corrigitur, quo casu causa manet in judicio Superiori *v.* CARPZ. *d. l. n. 47. seqq. p. 1. C. 20. D. 26. seqq.* De cætero, quoad merita causæ, esse observanda jura primæ instantiæ, quoad processum vero, secundæ instantiæ, facile liquet *v.* CARPZ. *l. 3. Resp. 121.* LAUTERB. *C. J. de appell. lit. E.*

§. 17. Quando appellans fatalia negligit, appellatio fit deserta *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 10. enunc. 6. seqq.* ac solet negligentia procuratoris domino nocere *l. 10. C. de procur.* sed æquius est, sine hujus præjudicio, illam separatim punire *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1416.* Semper autem super desertione procedendum ac eo nomine sententia ferenda est, & quidem à judice inferiore, si appellatio nondum sit introducta, à superiore autem post ejus introductionem, qui sententiæ super desertione latæ clausulam remissoriam inferere non solet *v.* CARPZ. *tit. 18. art. 6. n. 108. seqq.*

§. 18. In specie appellatio fit deserta, si in termino justificationis appellans emaneat vel agenda non agat *O. P. S. tit. 20. §. 2.* Appellatus vero emanere ac nihilominus bonam sententiam reportare potest. Sed utplurimum ei responsio ad justificatam appellationem injun-

jungitur *O. P. S. tit. 10. §. fin.* qui tamen in altero etiam termino emanere potest, modo se declaret, quod ad deducta in prima instantia se referre velit. Quodsi in termino quidem compareat, ad deducta tamen gravamina non respondeat, in expensas solet condemnari *v.* RIVIN. *ad d. tit. 10. enunc. 65. seqq.*

§. 19. Pendente appellationis negotio, judex inferior in causa ulterius procedere nequit *t. t. nihil innov. appell. interpos.* si contra faciat, attentatum committit quod statim revocandum est, nec ulterius in appellatione proceditur, priusquam illud revocatum sit, etiamsi constet, petentis nullum jus esse *c. 7. de appell. in 6.* Quodsi parti judex quid auferat, ex spolio quoque teneri dicitur *v.* CARPZ. *tit. 18. art. 6. n. 1. seqq.* In aliis vero causis quo minus judex procedat, appellatio utique non impedit *l. un. ap. eum à quo appell.*

§. 20. In Saxonia præcipue habet etiam locum Leuteratio, quæ est *actus quo ab eodem judice sententiæ emendatio petitur.* Habet ergo illa saltem effectum suspensivum non devolutivum *v.* CARPZ. *tit. 17. art. 1. n. 23. seqq.* Datur etiam regulariter saltem unica leuteratio, nisi prior sententia mutetur *O. P. S. tit. 35. §. 1.* RIVIN. *ad d. t. enunc. 18. seqq.* si quoad certum aliquem articulum saltem leuteratio interponatur, quoad cæteros sententia vires rei judicatæ consequitur ac executioni dari potest, nisi forte generalibus verbis sit facta, ac in prosecutione in certum articulum gravamina dirigantur *O. P. S. tit. 35. §. 2.* CARPZ. *p. 1. C. 19. D. 12.*

§. 21. Leuteratio etiam interponi potest per alium, modo mandato sit instructus, aut ratihabitio intra decendium sequatur. Si tamen Advocatus Clientis sui nomen schedulæ leuterationis subscribat, tum non indiget mandato CARPZ. *3. Resp. 6. n. 27.* Ab uno interposita, alteri etiam fit communis *O. P. S. tit. 35. §. 2.* CARPZ. *p. 1. C. 19. D. 12.* nisi ante emissam citationem leuterans eidem renunciet, illa vero emissa, adversarius leuterationis beneficio uti, vel saltem expensas à leuterante repetere potest *O. P. S. tit. 35. §. 3.* CARPZ. *tit. 17. art. 2.* huic tamen refusionem expensarum evitare licet, si factam renunciationem parti adversæ tempestive notam faciat RIVIN. *ad d. t. 35. enunc. 44.*

§. 22. Habet Leuteratio regulariter locum in omnibus causis, nisi ei vel in instrumento obligationis, vel compromisso sit renunciatum.

Quæ-

Quædam insuper causæ excipiuntur ut (1.) causæ cambiales (2.) inquisitionis (3.) possessorium summariissimum, circa quod tamen usus fori non consentit *v.* CARPZ. *tit. 17. art. 4.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 35. enunc. 8. seqq.* Quodsi etiam in causis alias habilibus abusus aliquis metuatur, leuteratio rejici, vel saltem à leuteraturo juramentum malitiæ exigi potest *O. P. S. tit. 35. §. 4.* RIVIN. *d. l. enunc. 38.*

§. 23. Interponenda est leuteratio intra decendium à publicata sententia *O. P. S. tit 35. §. 1.* ac postea intra spatium Saxonicum, ab interposita leuteratione, excluso insinuationis die, computandum citatio ad prosecutionem petenda, imo tardior judex amplius urgendus est, alias leuteratio fit deserta *d. t. 35. §. 3.* CARPZ. *p. 1. c. 19. D. 17. 20. tit. 17. art. 3.* RIVIN. *d. l. enunc. 25. seqq.* Terminus autem ad prosequendam leuterationem ita à judice statui debet, ut minimum tres septimanas contineat RIVIN. *d. l. enunc. 34.*

§. 24. Justificatio leuterationis duabus, si ab interlocutoria, & tribus mutuis positionibus, viva voce in calamum dictandis, si à definitiva leuteratum sit, absolvi debet *O. P. S tit. 35. §. 4.* RIVIN. *ad d. t. enunc. 50. seqq.* nec potest leuterans ad acta priora nude se referre, sed gravamina specialiter deducere debet *d. t. 35. §. 5.* si tamen leuterato emanente, alius præfigatur terminus, tum in hoc simplici ad acta prioris termini relatione defungi poterit leuterans, id quod etiam leuterato semper permissum videtur *arg. O. P. S. tit. 10. §. fin. v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 35. enunc. 52.* etsi ab hoc quoque specialem responsionem exigat MARTIN *in comm. ad O. P. S. tit. 35. §. 5. n. 3.* quod eo casu verum erit, quando per sententiam hoc ei injunctum.

§. 25. Si leuterans succumbat, condemnatur in expensas *O. P. S. tit. 35. §. 4.* si in termino emaneat, vel comparens agenda rite non peragat, leuteratio, cum refusione expensarum, deserta pronunciatur *d. tit. 35. §. 3. v.* RIVIN. *ad d. t. enunc. 40. seqq.* Leuterato emanente in meritis pronunciari potest, sed utplurimum ille respondere jubetur, ac si in altero termino vel iterum emaneat, vel non respondeat, ad petitionem leuterantis, in expensas condemnatur *v.* CARPZ. *tit. 17. art. 1. n. 122.* RIVIN. *d. t. enunc. 69. seqq.*

§. 26. In supremis Electoris & Ducum Saxoniæ judiciis locum etiam habet Leuterationis Leuteratio sive Oberleuteratio, quæ ob pri-

vilegium de non appellando invaluiſſe cenſetur. Ut autem ei locus ſit, duo requiruntur (1.) ut cauſa immediate ad ſupremum judicium delata, aut ſaltem occaſione appellationis, ab interlocutoria judicis inferioris factæ, mediante correctione ibi retenta ſit (2.) ut in ſupremo judicio ſententia definitiva vel interlocutoria mixta ſit lata *v.* CARPZ. *tit. 17. art. 5.* In nonnullis aliis Germaniæ territoriis largior Oberleuterationis eſt uſus, qui tamen non levem fori corruptionem arguit.

§. 27. Alias plura alia remedia, appellationi affinia occurrunt, quæ ſtrictim recenſebimus. Eo pertinet (1.) Supplicatio *l. un. C. de ſent. præf. prætor. l. 5. C. de prec. imper. offer. l. un. §. 1. de offic. præf. prætor.* (2.) Reviſio *O. C. p. 3. tit. 51. J. P. W. art. 5. §. 55.* Sed hi actus, ut remedia ſuſpenſiva, non occurrunt in iis Territoriis, in quibus leuteratio eſt in uſu *v. O. P. S. tit. 37.* CARPZ. *p. 1. C. 20. D. 25.* quin vero, extra hunc reſpectum, preces ſupplices ad Imperantem, etiam intuitu proceſſus, dirigere liceat, dubium non eſt (3.) Syndicatus *O. C. p. 3. tit. 51. 53. §. 10. v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1423.*

§. 28. Ulterius (4.) reſtitutio in integrum (5.) querela nullitatis, quæ ad exemplum appellationis, intra decendium proponenda eſt juxta *R. J. 1654. §. 121.* ſed in Saxonia Electorali ſpatium Saxonicum ei conceditur, imo ſi nullitas ex falſo teſtimonio vel inſtrumento dependeat, querela 30. annos durat *O. P. S. tit. 38. v.* CARPZ. *tit. 19. add.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1420. 1421.* (6.) Relatio *t. t. C. de relat. Nov. 125. c. 1. c. 68. X. de appell.* cujus loco transmiſſio actorum ad Collegia juridica hodie eſt in uſu *v.* LAUTERB. *C. J. de appell. lit. SS.* (7.) Proteſtatio, quæ ſententiis oppoſita effectum ſuſpenſivum in Saxonia non habet *O. P. S. tit. 35. §. 6.* niſi expreſſe additum, quod per eam ſententia ſuſpendatur CARPZ. *p. 1. C. 19. D. 22. tit. 17. art. 1. n. 1. ſeqq.*

§. 29. Illud negari nequit, quin per remedia ſuſpenſiva & devolutiva adminiſtratio juſtitiæ tardior reddatur, quod inprimis verum eſt, ſi ejus generis plura ac inſuper aliquot inſtantiæ occurrant, & judiciorum ſubordinatio ſit controverſa. Non ſunt quidem judicibus inferioribus, in adminiſtranda juſtitia, liberæ velut manus relinquendæ, ſed utilius videtur, ad exemplum veterum Germanorum, per Commiſſarios ſive Miſſos ſubinde in geſta judicum inquirere, quam lites per diverſas volvere inſtantias aut omnes ad ſummum aliquod tribunal revocare.

CAPUT

CAPUT XI.
DE EXECUTIONE.

SUMMARIA.

Exceptionis rei judicatæ natura & fundamentum §. 1.
Subjectum & requiſita §. 2.
Executio ex legibus provincialibus judicanda, ſub ea diverſi actus continentur §. 3.
Executionis in ſpecie & immiſſionis comparatio §. 4.
Executionem facit judex ſalvis Rei exceptionibus §. 5.
Modus executionis jure Romano & hodie uſitatus §. 6.
Quoad tempus executionis jus Romanum & Saxonicum differunt §. 7.
Executio in diverſas res fieri ſolet §. 8.
Si in omnia bona fieri illa queat, primo ad mobilia deveniendum §. 9.
Quæ taxanda vel ſubhaſtanda §. 10.
Deficientibus mobilibus immobilia ſequuntur, ex quorum fructibus victori aliquando ſatisfit §. 11.
Poſſunt etiam ei in ſolutum dari, plerumque vero ſubhaſtantur jure Saxonico §. 12. 13.
Tempus & locus ſubhaſtationis §. 14.
Ex prima licitatione oritur jus protimiſeos §. 15.
Durante licitationis tempore, quid liceat debitori & licitatori §. 16.
Quantitas pretii oblati quomodo æſtimanda ac effectus ſubhaſtationis abſolutæ §. 17.
Creditores vel ut extranei, vel ut creditores aliquando licitantur, poſteriore caſu ſi rem conſequatur, debitor habet jus luendi §. 18.
Et offerendi alium emtorem §. 19.
Comparatio utriusque juris §. 20.
Deficientibus licitatoribus, res in ſubſidium à judice taxatæ proclamantur §. 21.
Si nec immobilia adſint executio fit in nomina, executionis impedimenta & expenſæ §. 22.
Executio in bona feudalia à quo fieri debeat §. 23.
Quo tempore & modo illa fiat §. 24.
Comparatio diverſi modi quoad effectum §. 25.
Immiſſi creditores aliquando ſuum ex fructibus feudi conſequuntur §. 26.
Obtenta ſatisfactione feudo abſcedere, imo aliquando ſine illa hoc ſimultanee inveſtitis relinquere debent §. 27.
Feudum diſtrahendum quomodo æſtimari debeat §. 28.
Modus ſubhaſtandi bona feudalia §. 29.
Alienatio feudi in diverſos emtores fieri poteſt, hinc eſt aliquando irrevocabilis, aliquando revocabilis §. 30. 31.
Hæc tamen non ſpernendos etiam habet effectus §. 32.
Circa venditionem conſvetæ leges obſervandæ §. 33.
Executio contra dominum feudi §. 34.

§. I.

REus abſolutus conſequitur *Exceptionem rei judicatæ*, qua actorem & qui ab eo cauſam habent, de eadem re, ex eadem cauſa denuo agentes, repellere poteſt. Oritur illa ex ſententia abſolutoria *l. 16. de except. rei judic.* æqua vel iniqua *l. 56. de re judic. l. 6. de except. rei judic.* modo non ſit nulla *v. l. 25. §. 1. de except. rei judic. l. 24. C. de procur. l. 1. C. quib. res judic. non noc.* ac tranſierit in rem judicatam

l. 25. de stat. hom. nam hæc ostendit, quod actori vel nunquam jus competierit, vel ille hoc amiserit, ac nihil hodie refert, sive reum penitus immunem, sive stricto jure adhuc obligatum dicas.

§. 2. Competit hæc exceptio reo ac aliis, qui vel cum eo causam communem habent, vel in ejus jus successerunt *l. 9. §. f. l. 21. §. fin. de except. rei jud. l. 28. C. de evict.* Opponitur actori, qui suo nomine, vel ex voluntate alterius, valide egit *l. 11. §. 7. de except. rei judic.* ac omnibus qui ab eo causam habent *l. 28. eod. l. 3. §. f. de pignor.* si de eadem re, mutatis licet accidentibus *l. 7. pr. l. 12. 13. 14. pr.* ac ex eadem causa denuo agatur *l. 3. l. 7. §. 3. 4. l. 11. §. 4. 5. l. 14. pr. §. 2. l. 27. de except. rei judic.* Nam si vel de re plane alia *l. 14. §. 3. eod.* vel de eadem quidem, sed ex alia causa, vel ab actore *l. 11. §. 2. eod.* vel tertio actio moveatur *l. 13. 27. eod l. 63. de re judic.* tum exceptionem hanc frustra objici manifestum est *add.* LAUTERB. *C. J. de except. rei judic.*

§. 3. Contra reum condemnatum *executio* est instituenda, circa quam ea, quæ in jure Romano traduntur, exigui hodie sunt usus, sed ex legibus provincialibus hæc res fere dependet; cum autem harum sit magna varietas, ideo exemplo juris Saxonici hoc illustrasse, nostro instituto sufficiet. Executio in genere est *actus, quo victus victori adid, in quod condemnatus est, præstandum adigitur.* Si ob actionem personalem illa sit suscipienda, plures actus speciales occurrunt, ut executio in specie, immissio, sequestratio, taxatio, subhastatio & adjudicatio.

§. 4. Duo priores actus germanice *die Hülffe* dici solent, inter se tamen nihilominus differunt, nam per executionem intelligitur primus actus, quo bona debitoris ad satisfactionem deputantur, quod exciso ligni frustulo, vel effossione glebæ ex agro fieri solet: Immissio vero est secundus actus, quo res, in quam executio facta, creditori traditur, quod sæpe per personas judiciales ita fit, ut debitor conclave aperire ac oblata clave creditori tradere teneatur. Cum autem actus illi sint quodammodo ignominiosi, ideo debitores in judicio nonnunquam se declarant, quod actus illos pro judicialiter factis agnoscere velint, quod tamen non aliter admittitur, quam si adversarius consentiat. *add.* CARPZ. *tit. 25. art. 1. n. 7.*

§. 2. Executionem aliquando facit judex qui sententiam tulit, aliquando alius, qui si sit æqualis, per *literas mutui compassus*, de facienda ex-

executione rogatur, si inferior, per *executoriales* ejus peragendæ negotium ei injungitur *O. P. S. tit. 39. §. 1.* CARPZ. *tit. 25. art. 1. n. 25.* id quod ex natura imperii civilis fluit, adeoque alibi etiam locum habere potest. Decernenda tamen est executio salvis Rei exceptionibus, sed quæ illam morentur non adeo expeditum est *v. O. P. S. tit. 35. §. 3. Decis. Saxon. 2.* v. BERLICH *p. 1. Concl. 84.* CARPZ. *l. 2. Resp. 2. 3. p. 1. C. 8. D. 17. 27.* commodissimum foret, si hujus rei usus ab exceptionum evidentia repeteretur. Jure Romano is, qui se executioni majorum magistratuum opponit, pœna arbitraria coercetur *l. un. si quis jus dic. non obtem.* quæ sanctio hodie nullius est usus *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 42.*

§. 6. Jure Romano executio fuit facta per *actionem rei judicatæ & peculiarem processum l. 6. §. fin. de re judic. v.* STRAUCH. *dissert. 28. §. 1. seqq.* aliquando etiam *extra ordinem officio judicis* facta censetur *l. 75. de judic. l. 50. de evict. l. 3. ne vis fiat. l. 15. de re judic. v.* SCHILT. *ad ff. exerc. 46.* Ex sententia HUBERI *in posit. ad ff. de re judic. n. 21.* prior modus locum non habuit, si judicatum fuerit liquidum. Hodie posterior modus saltem obtinet & ipsa executio tantum urgetur, nec tamen ideo hoc negotium valde maturatur *add.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1084.* Quoad exactionem tributorum, sine re judicata executio fieri solet *v. l. 7. C. de exact. tribut.*

§. 7. Quando executio ex actione reali facienda, spatium quatuordecim dierum conceditur in Saxonica, quo sine satisfactione elapso, res reo aufertur *O. P. S. tit. 39. §. 2.* Jure Romano arbitrio judicis tempus definiri potuit *§. 2. I. de offic. judic.* si autem ob actionem personalem executio decernenda sit, spatium Saxonicum reo indulgendum *d. t. 35. §. 3.* secus ac jure civili quo quatuor menses condemnato conceduntur *l. 2. 3. C. de usur. rei judic.* quod tempus nullibi forte observatur HUBER *in posit. ad ff. de re judic. n. 22.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1172.* Non potest autem spatium illud Saxonicum ab executore vel coarctari vel prorogari CARPZ. *p. 1. C. 32. D. 2. tit. 25. art. 3.* Sed mali debitores per appellationes frivole interpositas hoc facile consequuntur, ut novo præcepto executivo eique implicito alio spatio opus sit.

§. 8. Quodsi sententia certam rem contineat, in eam est facienda executio *d. t. 35. §. 4.* Si designatio illa cesset, in rem oppignoratam illa dirigitur, integrum tamen est creditori, omisso pignore, in aliam rem

executionem petere *d. t.* 35. §. *pen. fin.* quemadmodum etiam ille tam hoc quam præcedente caſu, ſine dubio ad alia bona progredi poteſt, ſi res in ſententia determinata vel pignus diſſolvendo debito non ſufficiat. Si nulla res ſit deſignata nec pignus conſtitutum, generaliter in bona fit executio, obſervato tamen temperamento quod æquitas ſuggerit.

§. 9. Primo igitur in bona mobilia, quibus debitor facile carere poteſt, & quæ tamen creditori ſufficiunt, executio ſuſcipienda *l.* 15. §. 2. *de re judic.* licet in præceptis executivis electio creditori tribuatur, nam illa clauſula civiliter eſt intelligenda. Debet tamen debitor in termino executionis omnia ſua bona exhibere, adeo ut, ſi ſuſpicio occultationis contra ipſum militet nec bona immobilia poſſideat, juramento bona indicare debeat, imo etiam, ex nonnullorum ſententia, incarcerari queat *v.* CARPZ. *p. 1. C. 32. D. 30.*

§. 10. Res captæ per peritos & juratos taxatores ita ſunt æſtimandæ, ut nec creditor nec debitor querendi cauſam habeat, alias parata eſt appellatio, deinde creditori in ſolutum dantur. Quodſi de pretio convenire nequeant, res ſubhaſtari debent, deficiente emtore, creditor pretium ponit, cum eoque res denuo proclamantur, quodſi nec tunc emtor reperiatur, pro pretio illo res creditori cedunt *v. O. P. S. tit.* 39. §. 5. *ſeqq.* CARPZ. *tit.* 25. *art.* 4. *n.* 20. *ſeqq.* nec competit debitori jus reluendi intra annum CARPZ. *p. 1. C. 32. D.* 34. *n.* 8. licet contrarium defendat MARTIN. *ad O. P. S. tit.* 39. §. 8. Illud facile liquet, rebus mobilibus magis convenire auctionem quam ſubhaſtationem.

§. 11. Deficientibus mobilibus, in immobilia fit executio, ita ut creditor rem aliquam eligere poſſit, ex qua ſuum conſequatur; humaniter tamen facienda eſt electio, ne ſine cauſa debitor gravetur. Facta immiſſione creditor ex fructibus aliquando ſibi ſatisfacit, quo caſu ad modum boni patrisfam. re uti, ſingulis annis rationem reddere, ac damna voluntaria reſarcire cogitur *O. P. S. tit.* 39. §. 9. Sed iſtas moleſtias evitare poteſt Creditor ſi bona ſequeſtrari petat, cui tamen medio ſua etiam inſunt incommoda: Neceſſitati vero reddendarum rationum ſe ſubducere poteſt, ſi rem aſſignatam certa mercede conducat.

§. 12. De eo dubitandum non eſt, quin res immobilis etiam in ſolutum creditori dari poſſit, modo aliorum creditorum jus non obſtet. Plerumq; autem per ſubhaſtationem pignora capta diſtrahuntur, cujus modus

modus, juxta *Conſt. 32. p. 1. Reſcript. Torgav. 1583.* tit. *von feilbieten O. P. S. tit. 39. §. 10. ſeqq.* breviter hic eſt: Primo bona absque denominatione pretii generaliter ſunt proclamanda per tres quaterdenas, exiſtente licitatore, ſpecialis ſubhaſtatio eodem modo ſuſcipitur, ac tempore elapſo plus offerenti res adjudicatur.

§. 13. Deficiente emtore extraneo, ipſe creditor, qua talis, licitari poteſt, cum quo pretio res per tres quaterdenas proclamatur, ac, ſi alius emtor non exiſtat, ac pretium creditoris ab æquitate non abludat, ei addicitur. Si Creditor pretium aliquod ponere nolit vel nimis exiguum ſtatuat, res judicialiter taxata, intra conſvetum tempus denuo proclamatur, ac vel plus offerenti, vel, eo deficiente, creditori, ſi velit, pro pretio ſtatuto addicitur. Quodſi vel creditor vel debitor in taxatione judiciali acquieſcere nolit, denuo res per Scabinos provinciales taxatur, cui pretio omnino ſtandum, modo taxatores jurati ſint *v.* CARPZ. *p. 1. C. 32. D. 63.*

§. 14. Sed nonnulla ſpecialius nonnihil hic delibanda ſunt. Proclamationes nonnullis in locis fiunt die Sabbathi, poſt auditam horam undecimam cum dimidia, à quo adeo tempore initium & finis quaterdenarum computatur. Tres quaterdenæ pro termino peremtorio ſunt accipiendæ, hinc ſi ſtatim poſt primam proclamationem licitator exiſtat, tum trina non eſt opus, ſed ſequenti ſubhaſtationis die nova proclamatio cum pretio oblato ſuſcipitur. Solent etiam licitationes fieri in loco judicii, apparitore ſcilicet poſtfactam in publico loco proclamationem, ad illum redeunte, licitationes incipiunt.

§. 15. Primus licitator conſequitur jus protimiſeos ſive primæ licitationis, vi cujus ſequentibus licitatoribus, ſi idem, quod hi offerunt, ſolvere velit, præfertur, hinc ad impetrandam primam licitationem variis artibus certari ſolet. Licet vero hoc jus, pro aliquo honorario, aliis quandoque cedatur, attamen primus licitator judici obligatus manet, donec ceſſionarius omne pretium exſolverit. De cætero jus primæ licitationis, ex confuſione ſubhaſtationis & addictionis in diem, videtur habere originem, cum illa alias juxta regulas auctionis ſit judicanda *v. lib. 4. c. 1. §. 7. 18.*

§. 16. Durante licitationis tempore debitor, creditoribus conſentientibus, rem viliori pretio vendere, ac multo magis, oblata creditoribus pecunia, rem à diſtractione liberare poteſt. Ipſi etiam licita

citatori pœnitere licet tempore nondum elapſo, cum emtio ſit imperfecta *v.* CARPZ. *tit. 25. art. 4. §. 11. ſeqq.* Sed quibusdam in locis, tam primus quam ſequentes licitatores, ſub hypotheca bonorum ſuorum, promittere pretii ſolutionem ac inſuper pœnitentiæ & compenſationi renunciare debent. Hinc ſi quis per mandatarium licitari velit, clauſula de ſolvenda à mandatario pecunia, ut & omittenda pœnitentia & compenſatione mandato inſerenda eſt.

§. 17. Si unus offerat minus pretium, ſed in parata pecunia, alter majus, at diverſis terminis ſolvendum, ille præfertur, niſi poſterior ſumma, deducto interuſurio, priorem nihilominus quantitate vincat CARPZ. *p. 3. D. 275.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 39. enunc. 57.* Elapſo ſubhaſtationis tempore, emtio eſt perfecta, adeoque periculum rei in licitatorem tranſit, traditione licet nondum facta, neque etiam venditio ex capite enormis læſionis reſcindi poteſt *v.* CARPZOV. *tit. 25. art. 4. §. 15. 16.*

§. 18. Inter cæteros licitatores etiam admittuntur ipſi creditores, qui eodem adeo cum illis jure utuntur *v.* CARPZ. *tit. 25. art. 4. §. 11.* Quodſi autem elapſo proclamationis tempore nullus plane exiſtat licitator, tum creditor qua talis pretium aliquod ponere poteſt, cum quo res denuo proclamatur. Quodſi ne tum quidem emtor reperiatur, creditori pro pretio illo, ſi judici non iniquum videatur, res addicitur. Quo caſu tamen debitor, intra annum civilem, non Saxonicum *Deciſ. Saxon. 11.* à tempore adjudicationis computandum, reſtituto pretio ac refuſis impenſis neceſſariis & utilibus, rem à creditore & tertio poſſeſſore reluere poteſt *v.* CARPZ. *p. 1. C. 32. D. 53. 54. tit. 25. art. 5.*

§. 19. Poteſt etiam intra annum debitor alium offerre emtorem, qui plus dare velit, modo oblatio illa revera fiat licet pretium non ſtatim numeretur CARPZ. *tit. 25. art. 5. n. 43.* ac nulla ſubſit ſimulatio, quo nomine purgatorium juramentum, ſi indicia adſint, debitori à judice imponi poteſt; Sed ſatius eſt, ſi ipſe creditor ſuper exceptione ſimulationis, prævio juramento calumniæ, juramentum deferat, tum enim de indiciis non eſt laborandum. Poteſt etiam creditor, ſi emtor extraneus plus offerat, idem præſtare atque ita rem retinere.

§. 20. Differt ergo jus luendi & offerendi alium emtorem: Illud rem creditori ſimpliciter aufert, hoc ei electionem concedit: Ex illo emo-

emolumentum ſentit debitor, ex hoc emtor extraneus, ſi creditor defectum pretii ſui ſupplere nolit. Jus luendi cedi non poſſe communius exiſtimant, ſed contrarium jure Saxonico in dubium eſſe cenſet MARTIN. *ad O. P. S. tit. 39. §. 13. n. 20.* verum confundit jus luendi, & offerendi alium emtorem: Nihilominus jus luendi ceſſibile videtur, ceu jam dixi *lib. 4. c. 4. §. 7.* Hoc certum, quod ſententia contraria, ſi admittatur, facili negotio eludi queat. *conf.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 40. enunciat. 16.*

§. 21. Si deficientibus licitatoribus creditor pretium aliquod ponere nolit, res à judice taxatur, ac cum hoc pretio, conſveto ritu, proclamatur. Si tum emtores exiſtant, plus offerenti res addicitur, ut tamen jus primæ licitationis inter eos valeat: Si autem nulli reperiantur, creditori tamen liberum eſt, num pro pretio illo judiciali rem accipere velit nec ne: licet enim contrarium conſtitutum videatur in *Conſt. 32. p. 1.* attamen in *Reſcript. Torgav. 1583. von feilbieten* nec non in *O. P. S. tit. 39. §. 16.* aliter hæc res vel explicata vel deciſa eſt.

§. 22. Si immobilia non adſint, vel non ſufficiant, executio tandem fit in nomina debitoris, niſi malit prius in hæc, quam illa executionem fieri, aut niſi debitor ſit pupillus, quibus caſibus ad nomina prius, quam immobilia eſt deveniendum, modo illa ſint idonea *O. P. S. tit. 9. §. 18. Deciſ. Saxon. 64.* Avertendæ executioni debitor aliquando bonis cedit *d. tit. 39. §. 19. Reſol. Gravam. 1661. tit. von Juſtitien ſachen §. 78.* de quo in genere actum *lib. 10. c. 8. §. 15. 16.* Cæterum uti alia executionis ſunt impedimenta, ita illa ſæpe etiam per debitorum uxores illata repetentes, aut creditores alios concurrentes protelatur *v. O. P. S. tit. 39. §. 6.* Interim expenſæ executoriales ſolvi debent *v.* MARTIN. *ad O. P. S. tit. 39. §. 21.*

§. 23. Hactenus dicta pertinent ad res allodiales; De feudalibus nonnulla ad huc ſpecialius dicenda ſunt. Vulgo igitur contendunt, Dominum feudi vel Pares Curiæ executionem facere debere, ſi hi deficiant, ad judicem Ordinarium ejus rei curam ſpectare *v. Il. f. 22.* Sed doctrina hæc ad ſtatum Germaniæ vix quadrat, quomodo enim executio ſit facienda contra Vaſallos immediatos ſeu Status imperii, id ex legibus fundamentalibus germanicis intelligendum *v.* SPECIM. JUR. PUBLIC. *l. 7. c. 5. §. 35.* In Territoriis vero ſingulis cauſæ feudales

plerumque in eodem judicio tractantur, in quo allodiales, hinc executio, ex legibus provincialibus fere dijudicanda erit.

§. 24. Si actione reali feudum petatur, in Saxonia idem videtur obtinere, quod de allodialibus dictum §. 7. *h.* si autem ob debita executio in feudum sit suscipienda, tum spatium Saxonicum itidem videtur observandum. De cætero interest, utrum *judicium superius* quod dominum feudi, quoad ejus collationem, repræsentat, an *inferius*, penes quod feudi collatio non est, executionem facere debeat: Illud non tantum in *fructus* sed & *ipsam feudi substantiam*, hoc vero tantum in *fructus* executionem facere potest, nisi creditor, consensu Domini feudalis in ipsam substantiam jus jam sit consecutus, tum enim judex inferior in hanc etiam executionem recte suscipit *O. P. S. tit. 40. §. 1. 2.* H. PISTOR. *l. 1. qu. 15. n. 26. seqq.*

§. 25. Effectus diversæ illius executionis in eo consistit: Primo casu creditor immissus consequitur verum pignus *feudale*, quod quidem non contra simultanee investitos *O. P. S. tit. 40. §. pen.* bene tamen contra Vasallum, dominum feudi ac creditores feudales alios, antiquius pignus aut aliud prælationis jus non habentes, efficax est: Sed secundo casu pignus *allodiale* tantum obtinetur, quod contra Vasallum aliosque creditores allodiales, non vero contra dominum feudi & creditores feudales effectum habet. In dubio judicium superius in ipsam feudi substantiam executionem feciſſe censetur *O. P. S. tit. 40. §. 1.*

§. 26. Immissi creditores suum aliquando ex fructuum perceptione consequuntur, quo casu etiam servitia præstant, si Vasallus ipse eadem præstare nequeat, cui etiam, si egeat, alimenta præberi debent *v.* CARPZ. *p. 2. C. 25. D. 5. 6.* Fit tamen immissio salvo jure creditorum hypothecariorum antiquiorum, quibus adeo immissus possessionem cedere debet, nisi bona omnibus sufficiant *v. O. P. S. tit. 40. §. 6. 7. add. l. 2. C. de pignor. l. 2. 6. C. qui potior. in pign. l. 9. C. de distr. pignor.*

§. 27. Si creditores ex fructibus suum consecuti sint, debitore vel posteris ejus existentibus, tum rem iis reddere debent, quemadmodum etiam possessio ab ipsis restituenda est, si debitor comparata pecunia debitum ipsis exsolvere paratus sit. Debitore & ejus posteris, qui in feudo succedere possunt, deficientibus, simultanee investiti feudum à creditoribus sine pretio repetunt, si ob debita allodialia aut in quæ solus domi-

dominus consensit, immissio facta sit, ac creditores, si suum nondum plene consecuti sint, ab hæredibus Vasalli allodialibus, id quod restat, exigere debent.

§. 28. Aliquando etiam feudum consensu domini alienatur, quo casu æqua æstimatio est ineunda à personis quibus conditio ejusmodi bonorum est cognita *O. P. S. tit. 40. §. 3. 4. Rescript. Torgav. 1583. tit. von feilbieten §. so sollen auch.* Et solet æstimatio ex reditibus & oneribus fieri, hinc si e. gr. 50. imperiales in reditu sint, sors mille imperialium constituitur. E contrario onera efficiunt, ut tanta sors, quanta iis præstandis requiritur, pretio detrahatur, sic v. gr. servitium equestre 1000. florenis æstimari solet. Juxta æstimationem factam, si non plane iniqua sit, emtio concluditur *v.* BERLICH. *p. 1. Concl. 83. n. 99.*

§. 29. Bona feudalia subhastationi non esse subjicienda quidam censent *v.* SIMON ULRIC. PISTOR *in addit. ad H. Pistor. l. 1. qu. 15.* sed consilii hoc est non præcepti, ac usus fori contrarium observat. Sunt autem bona illa, absque prævia taxatione atque denominatione pretii generaliter subhastanda, alias subhastatio est nulla. Potest etiam sine præcedente executione & immissione prædium feudale statim subhastationi subjici, si debitor consentiat nec alii creditores concurrentes obstent. Fit subhastatio per programmata in tribus proximis civitatibus arctioris & laxioris deputationis, *des engern und weitern ausschusses*, nihilque interest, sive Curiarum, sive Præfecturarum valvis illa affigantur *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 40. enunc. 9. seqq.*

§. 30. De cætero alienatio fieri potest vel in *proximum successorem*, vel *agnatum remotiorem aut extraneum.* Illo casu alienatio est *irrevocabilis*, nisi quod creditor hypothecarius antiquior, si forte superveniat, ex jure suo rem persequi possit; Hoc vero est *revocabilis*, nam non tantum creditores meliori jure instructi rem persequi, sed & proximi agnati ex jure retractus, refuso pretio, intra annum, à tempore contractus perfecti, non adjudicationis, computandum repetere possunt *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 40. enunc. 15. 16. 17.*

§. 31. Imo agnati, si ordo succedendi eos tangat, etiam sine pretio, feudum alienatum revocant, quod jus debitoris filiis quoque competit, si feudum novum iis simul sit concessum *v. Constit. Saxon. 4. in append. Corp. Jur. Saxon. Fol. 69.* Habet tamen hæc revocatio saltem locum

cum ſi ob debita allodialia, vel in quæ ſolus dominus conſenſit, feudum ſit alienatum, nam ſi ipſi agnati in ea conſenſerint, vel ob verſionem aut conſvetudinem illa ex feudo ſolvi debeant, tum revocatio ceſſat *v. O.P. S. tit.* 40. §. *p. f.* CARPZ. *p.* 2. *C.* 48. *D.* 5. 6. *p.* 1. *C.* 32. *D.* 26.

§. 32. Interim alienatio revocabilis ſuis non caret effectibus, nam (1.) emtor verus eſt Vaſallus nec (2.) à debitore poteſt expelli, licet hic quæſita pecunia debitum velit exſolvere (3.) jure domini fruitur ac v. gr. theſaurum inventum lucratur (4.) fructus perceptos plene acquirit, neque hi, ſi uſuras conſvetas excedant, in ſortem imputantur, ſi ſimultanee inveſtiti ex jure ſucceſſionis revocent feudum, ſed emtor integram ſortem à debitoris hæredibus allodialibus exigere poteſt (5.) omnes impenſæ, facta revocatione, ei ſunt reſtituendæ, denique (6.) fieri poteſt, ut ſimultanee inveſtiti ante debitorem aut ejus poſteros deficiant, vel accepto honorario jus ſuum remittant, quo facto alienatio fit irrevocabilis *v.* H. PISTOR. *l. 1. qu. 15. n. 103.*

§. 33. De cætero venditio feudi juxta conſvetas leges fieri debet, hinc in Saxonia debitoris reſignatio judicialis requiritur, in qua facienda ſi ſit moroſus, certus terminus ei præfigitur, intra quem ſi eam non faciat, in contumaciam illa pro facta habetur *O. P. S. tit.* 40. § 5. Antequam vero reſignatio vere vel interpretative intervenerit, Commiſſarius, cui negotium peragendæ adjudicationis demandatum, fines mandati excedit, ſi ſubditos ad promittendum novo poſſeſſori obſequium cogere velit. *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit.* 40. *annot.* 14.

§. 34. Executio contra dominum feudi in Germania rarior videtur. Interim, ſi Status imperii ſit, per ſumma Germaniæ Tribunalia, ſi vero Domino Territoriali ſubſit, per hujus judicia, illa erit ſuſcipienda. Solent etiam domino feudi beneficium competentiæ tribuere, argumento à patronis libertisque Romanis deſumto *l. 17. de re judic. v.* SCHRAD. *de feud. p.* 2. *c.* 3. *n.* 93. STRYK. *in E. J. F. c.* 25. § 23.

Sed illa ſententia nec ſatis certa, nec admiſſa magni uſus videtur.

CAPUT

CAPUT XII.
DE PROCESSU SUMMARIO ET EXECUTIVO.

SUMMARIA.

Proceſſus ordinarius regulæ inſtar eſt §. 1.
Proceſſus ſummarii natura, fundamentum, requiſita & materia §. 2.
Proceſſus tumultuarius à ſummario differt ac legitimus quoque eſt §. 3.
Proceſſus conſiſtorialis pro ſummario habetur, de quo quoad aperturam, citationem, curatores litis §. 4.
Contumaciam, modum ſiſtendi incarceratos, probationem & appellationem nonnulla notantur §. 5.
Singularia quoad cauſas matrimoniales §. 6.
In ſpecie quoad uſum jurisjurandi & rem judicatam §. 7.
Executio pro cauſarum diverſitate eſt diverſa §. 8.
Proceſſus executivi natura fundamentum & requiſita §. 9.
In eo recognitio vel jurata diffeſſio eſt regulariter facienda §. 10.
In eo illiquidæ exceptiones non admittuntur ſed tantum liquidæ §. 11.
Quænam exceptio liquida ſit §. 12.
Ceſſat in hoc proceſſu delatio juramenti, probatio per teſtes & editio documentorum §. 13.
Sed hoc verum eſt, quoad exceptiones proceſſum ingredientes, quoad eas vero, quæ eum antecedunt ac ab actore probari debent, quævis probatio locum habet §. 14.
Talis in ſpecie eſt exceptio non numeratæ pecuniæ privilegiata §. 15.
Ex diverſo exceptionum habitu uſus prævention is quoad proceſſum ordinarium dependet §. 16.
Replica altioris indaginis quatenus in proceſſu executivo tractari queat §. 17.
Pœna contumaciæ in hoc proceſſu commiſſæ §. 18.
Species proceſſus executivi eſt cambialis, ſed paullo rigidior §. 19.

§. 1.

DElineavi hactenus Proceſſum ordinarium, qui, ut vult uſus fori, regulæ vicem obtinet, & quidem tam in cauſis allodialibus quam feudalibus, nam ſingularia, quæ circa proceſſum feudalem in jure Longobardico occurrunt *v. II. f. 22. 24. §. 1. II. f. 32. 33. 57.* hodie haut attendi ſolent *v.* STRUV. *S. J. F. c. 16. §. 10. ſeqq.* STRYK. *E. J. F. c. 25. §. 12. ſeqq.* quemadmodum etiam proceſſus feudalis antiqui juris Saxonici *v.* SCHULTZ. *Synopſ. Jur. Feud. c. 12. n. 60.* nullibi fortaſſis hodie obſervatur *v.* CARPZOV. *p. 1. C. 27. D. 1.* RHET. *comm. Jur. Feud. præm. n. 51. p. 13.* Poſtea quædam proceſſus ſpecies paucis etiam delibandæ ſunt.

§. 2. Proceſſus Summarius in ſpecie ſic dictus eſt, *in quo de ſimplici,*

plici & plano, ſummarie & levato, quod ajunt, velo, absque ſtrepitu & ſolenni figura judicii proceditur, non obſervatis ſolennitatibus & ordine proceſſus lege poſitiva præſcripto, ſed ſola æquitate. Fundamentum ejus eſt ipſa æquitas, legibus etiam poſitivis agnita & probata *v. l. 9. §. 3. de offic. proconſ. l. 3. §. 9. ad exhib. l. 11. §. 6. ad L. Jul. de adult. clem. 2. de V. S. Ord. proc. Saxon. tit. 1. §. 2. 4.* Requiritur igitur facti narratio, reſponſio, probatio, defenſio, cauſæ cognitio & ſententia, quarum expediendarum modus non ordinariis legibus poſitivis, ſed arbitrio judicis fere definitur. Cauſæ autem ſummariter tractandæ ſunt vel *ordinariæ*, quas uſus fori pro ſummariis agnovit, vel *extraordinariæ*, quando ex convention partium, vel judicis autoritate à conſvetis regulis receditur *v.* CARPZ. *tit. 1. art. 1.*

§. 3. A proceſſu ſummario differt *Tumultuarius* vel *irregularis*, qui nec *ab actione certa incipit nec omnes proceſſus ac judicii articulos recipit, ſed in certis quibusdam capitibus tantum ſubſiſtit.* Sive quando *obiter ac tumultuarie tractatus judicis cognitioni & ſententia ſubmittitur. v.* CARPZ. *tit. 1. art. 6.* Ex quo liquet, proceſſum hunc non eſſe illegitimum, quod tamen nomen inſinuare videtur. Sed uti judex æquitatem nunquam negligere, ita nec ab aliis proceſſus regulis recedere debet, niſi juſta cauſa ac ſtudium promovendæ juſtitiæ aliud exigat, hoc enim perinde non culpandum, atque non improbatur factum cordati Medici, qui generoſo medicamento malum ſtatim tollit, quod alius per longas ambages vix ſuſtuliſſet.

§. 4. Proceſſus Conſiſtorialis etiam pro ſummario habetur CARPZ. *tit. 1. art. 2. n. 34. J. E. l. 3. D. 27.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 2. §. 1.* MEV. *p. 3. D. 217.* DN. BERGER. *in elect. proc. matrimon. §. 9. 10. 11.* De quo nonnulla notabimus. Inprimis igitur in Conſiſtoriis tentanda eſt amicabilis compoſitio, maximè ſi ob injuriam contra Miniſtrum Eccleſiæ actio intentetur *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 4. 98. ſeqq.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 2. §. 12.* Decernit Conſiſtorium pro re nata, mandata & citationes BRUNNEM. *d. l. §. 11.* non tamen contra decreta Imperantis CARPZ. *J. E. l. 3. D. 14.* Clericorum Uxoribus Curatores ad litem conſtituuntur. Laici ope Magiſtratus Secularis citantur, omiſſa tamen Saxonia, clauſula: *in ſubſidium* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 18. 19.* DN. BERG. *in elect. proc. matrim. §. 13. 14.*

§. 5. Si Viduæ Clericorum contumaces ſint, ſub pœna amittendi

ſalarii gratuiti citari ſolent. Incarcerati à magiſtratu ſeculari, hujus ope Conſiſtorio ſiſtuntur. Clerici ad teſtimonium juratum deponendum obligantur, niſi partes iis juramentum remiſerint, de revelatis tamen in confeſſione teſtari non debent *v.* CARPZOV. *J. E. l. 3. D. 20. ſeqq.* Reus actori documenta edere tenetur ZIEGL. *ad Lancell. l. 3. tit. 14. §. 5.* ac probatio poſt elapſum terminum præſtitutum admittitur nec Judæi à teſtimonii dictione repellendi videntur *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 4. §. 10. 12. 19. 20. ibique* STRYK. *in not.* A Conſiſtoriis in Saxonia appellatur ad Cancellariam *v. lib. 9. c. 3. §. 21.*

§. 6. In cauſis matrimonialibus partes, in Electoratu Saxoniæ, immediate comparere debent, hinc fœminæ etiam non indigent curatore in litem *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 31.* DN. BERGER *in elect. proc. matrim. §. 16.* A reo vel rea exigi poteſt cautio de non ineundo alio matrimonio, imo ſponſa aliquando in ſequeſtrum dari poteſt *v.* CARPZ. *l. 3. D. 32.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 3. §. 12. ibique* STRYK. *in not.* Probatio matrimonialis requirit teſtes habiles & juratos, propinqui tamen domeſtici & proxenetæ quoque admittuntur, ſed non ſunt ſemper teſtes omni exceptione majores *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 42. 43.* BRUNN. *J. E. l. 3. c. 4. §. 13. ſeqq.* MEV. *p. 5. D. 243.*

§. 7. Quoad uſum jurisjurandi etiam ſingularia nonnulla in re matrimoniali occurrunt, de quo dixi *lib. 6. c. 7. conf.* BERGER *d. l. §. 23. ſeqq.* Sententia contra matrimonium lata non tranſit in rem judicatam *v. c. 7. X. de re judic.* quod etiam dicendum, ſi pro matrimonio illa feratur, huic vero lex divina obſtet, nam in hujus præjudicium neque hoc neque altero caſu, lex humana ſententiis valorem tribuere poteſt. Quamdiu tamen de veritate non conſtat, ſententia lata executioni utique datur, ſed retractanda, ſi illa eique innexa ſanctio divina apparuerit *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 9. §. 7. 8.* BEUST. *de matrim. p. 2. c. 39.* BERG. *d. l. §. 45. ſeqq.* Sententiæ contra ſponſalia latæ, vis rei judicatæ omnino tribui poteſt.

§. 8. Executio, pro cauſarum diverſitate, in Conſiſtoriis diverſa eſt, nam in cauſa matrimoniali deſponſati aliquando in loco judicii copulantur *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 146.* ob juſtam cauſam matrimonium diſſolvitur *v.* BRUNN. *J. E. l. 3. c. 11. §. 2.* Si ex transactione, ſuper lite matrimoniali, aliquid præſtandum ſit, debitor interdictione novi, quod pa-

parat, matrimonii, ad implendum officium recte adigitur CARPZOV. *J. E. l. 3. D. 41.* si de subsellio ecclesiastico lis fuit, parti victrici illud erit adjudicandum. Ex aliis actionibus contra Clericum institutis, in mobilia, ipsum Consistorium, in immobilia, per magistratum secularem, executionem facit *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 7. n. 12. D. 13.*

§. 9. Processus Executivus est, quando *ex instrumento liquido, ad ejus recognitionem, ac, ea ex voto actoris secuta, ad executionem agitur.* Fundamentum igitur est instrumentum liquidum sive gvarentigiatum, quod scilicet certum & purum continet debitum, ac à reo subscriptum vel signatum est. Utrumque conjunctim præcise non requiritur, sed subscriptio vel sigilli appositio sufficit. Quibusdam in locis, sub pœna nullitatis, requiritur charta signata *stempelpapier*, verum in Saxonia Electorali ejus omissio fidei instrumenti non derogat sed mulctam saltem operatur *v.* CARPZ. *Pr. tit. 22. art. 1.* DN. BERG. *in elect. proc. execut. §. 9. seqq.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 25. enunc. 23.* si quis sine instrumento judicialiter debitum confiteatur, in eum etiam executio decernitur CARPZ. *d. l. n. 20.* sed hic casus à præcedente, quoad prævium procedendi modum, differt.

§. 10. Exigit actor recognitionem, eaque facta, condemnationem. Sed legis autoritate obtinet alternatio, ut reus documentum vel recognoscere vel jurato diffiteri debeat *v.* CARPZOV. *tit. 22. art. 2.* DN. BERG. *d. l. §. 26.* licet sola recognitio per sententiam ei injuncta sit *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 25. enunc. 28.* hinc vel condemnatio vel absolutio sequitur. De cætero diffessio jurata, prout fert usus fori, neque ab actore probatione contraria impediri, neque à reo defensione conscientiæ declinari potest, quemadmodum etiam manum & sigillum recognoscens ad diffessionem contentorum regulariter non admittitur *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 25. enunc. 27. 31. tit. 19. enunc. 2. tit. 25. enunc. 24. seqq.* Si instrumentum publicum sive judiciale sit, sine recognitione statim executio decernitur *v.* BERG. *in elect. proc. execut. §. 24.*

§. 11. In processu executivo cessant exceptiones illiquidæ, hinc, si opponantur, vel ad reconventionem vel separatam actionem, prout connexitas adest vel deficit, rejiciuntur. Liquidis vero exceptionibus uti potest reus, neque hoc ad certas exceptiones restringi, sed quoad omnes potius peremtorias admitti debet *v.* CARPZOV. *tit. 22. art. 3.*

modo

modo ante executionem illæ opponantur, jure tamen Saxonico Electorali, in ipsa etiam executione, solutionis & compensationis exceptionem opponere licet *Decis. Saxon. 2.*

§. 12. Illæ vero exceptiones dicuntur liquidæ, quæ confessione adversarii, ex actis vel instrumento liquido probari possunt, & quidem incontinenti, id est, intra spatium Saxonicum, ita ut probatio plene absolvatur CARPZ. *tit. 22. art. 4.* Sed jure Saxonico recentiori, si reo in citatione editio exceptionum simul injuncta sit intra tres hebdomadas; à tempore insinuati libelli computandas, exceptiones edi ac in termino præfixo deinceps probari debent *Decis. Saxon. 2. v.* DN. BERG. *in elect. proc. execut. §. 37.*

§. 13. In processu igitur executivo non habet locum regulariter delatio juramenti, nec probatio per testes, licet super horum examine Notarius vel alius judex instrumentum confecerit, illudque probandis exceptionibus producatur, licet cum CARPZOVIO *tit. 22. art. 4. n. 4. & p. 1. C. 8. D. 30.* nonnulli hanc probationem admittant, sed usus fori hodie refragatur. Porro reus, ad fundandam exceptionem, ab actore petere nequit documentorum editionem. Quin tamen ista jure contrario mutari queant, dubium non est: Sic in foro Magdeburgico delatio juramenti admittitur *v.* BERG. *d. l. §. 38. 39.*

§. 14. Cæterum dicta pertinent ad eas exceptiones, quibus jus actoris in se validum oppugnatur, quæque adeo in processum executivum incidunt, ac à reo probari debent. Alia vero ratio est earum exceptionum, quibus jus actoris nondum maturum & efficax esse contenditur, qualis est exceptio non purificatæ conditionis, aut non impleti contractus: Harum enim exceptionum impletio cum ab actore ante probanda sit, quam is cum effectu agere queat, adeoque illæ processum executivum antecedant, ideo quavis probatione, etiam testibus & juramenti delatione, expediri possunt; Et nihil refert, sive ante, sive post recognitionem objiciantur, nec aliud jus obtinet inter mercatores *v.* BERG. *d. l. §. 12. 29. seqq.*

§. 15. Exinde sequitur, quod exceptio non numeratæ pecuniæ privilegiata eodem cum effectu in processu executivo opponi queat; licet enim numeratio pecuniæ per ipsam rei confessionem, in instrumento obligationis factam, probetur, attamen cum jus civile, neglecta

illa probatione, aliam ab actore exigat, ideo hactenus exceptio non numeratæ pecuniæ, cum aliis non impleti contractus exceptionibus, eodem jure gaudet, ac ante processum executivum, velut articulus antecedens & præjudicialis, expediri debet. Interim sanctio illa juris Romani nec æquitati, nec juri Germanico satis convenit *v.* DN. BERG. *d. l. §. 43. 44.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 11. enunc. 51. seqq.* Ex quibus etiam vel explicari, vel corrigi velim, quæ *lib. 2. c. 12. §. 21. lib. 10. c. 5. §. 20.* scripsi.

§. 16. Ex diverso illo exceptionum habitu etiam intelligendum, quousque is, qui ex instrumento liquido conveniri potest, ex jure exceptionis illiquidæ, adversarium actione ordinaria prævenire queat. Nimirum si fuerit exceptio primi generis, quam ipse allegans probare debet, præventio locum non habet, sed actio differenda, donec adversario satisfactum: Si autem sit exceptio secundi generis, cujus probatio adversario incumbit, tum nihil vetat, quo minus quis ordinario processu alterum præveniat, cum ejus discussio processum executivum antecedat *v.* BERG. *d. l. §. 46. 47.*

§. 17. Si ex instrumento liquido acturus, exceptionem adversarii non minus liquidam prævideat, replicam altioris indaginis libello inserere, ac per eam postea exceptionem objectam diluere potest, nam Rei non interest, utrum actor replicam processui executivo adjungat, an ordinario exequatur. Si vero replica libello non sit inserta, reus ob exceptionem liquidam absolvendus esse censetur, ut tamen actor sine dubio separata actione jus suum persequi possit, nam reus non simpliciter à causa, sed solum à processu executivo absolvitur *v.* DN. BERG. *d. l. §. 48.*

§. 18. Si reus in processu executivo contumax sit, sub pœna recogniti recognitio ei injungitur, potest tamen actor, si hoc rei suæ magis expedire putet, etiam petere, ut reus in legitima impedimenta condemnetur *v. c. 6. §. 5. h.* Perseverante contumacia, documenta pro recognitis habentur ac executio decernitur, amittitque reus, ut alias exceptiones, ita in specie etiam eas, quarum impletionem actor alias probare debuisset, quasque judex extra casum contumaciæ ex officio supplere potuisset *l. 8. in fin. C. de A. E. V. v.* DN. BERG. *inelect. proc. exec. §. 33.*

§. 19. Exi-

§. 19. Eximia ſpecies proceſſus executivi eſt proceſſus cambialis, in quo hoc ſingulare eſt, quod reus, facta literarum cambialium recognitione, arreſto perſonali detineatur, donec ſolvat, modo revera jure cambii obligetur. Hinc etiam cavendum eſſe monent, ne in cauſa cambiali, à debitore contumace petatur recognitio ſub pœna recogniti, cum potius recognitio & ſolutio juxta ſtilum cambialem, *bey vermeidung anderer anordnung* petenda ſit, niſi quis proceſſum cambialem in ſimplicem executivum degenerare velit *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit.* 25. *enunc.* 20. Judicem tamen non erraturum putem, ſi, correcto petentis errore, proceſſui cambiali convenienter pronunciet *v. l. un. C. ut quæ deſ. advoc. part. l.* 4. §. 8. *de damn. inf.* In hæredes debitoris ex literis cambialibus ſaltem executive agitur *v.* DN. BERG. *d. l.* §. 50. *ſeqq.*

CAPUT XIII.

DE PROCESSU CONCURSUS ET ARRESTI.

SUMMARIA.

Concurſus proceſſus eſt plurium proceſſuum conjunctio §. 1.
Ex qua conjunctione ſingularia nonnulla oriuntur §. 2. 3.
In ſpecie creditores chirographarii de arreſto ſolent eſſe ſolliciti, hujus natura ex ſenſu communi §. 4.
Arreſti Saxonici indoles & requiſita §. 5.
Arreſtum etiam mediate impetrare licet §. 6.
Omnes debitoris res arreſto regulariter conſtringi poſſunt §. 7.
Impetrandum illud eſt à judice competente §. 8.
Qualis certo caſu eſt Superior §. 9.
Arreſti petendi locus & tempus §. 10.
Judicis in eo concedendo officium §. 11.
Arreſti impetrati renovatio certo tempore & modo fieri debet §. 12. 13.
Renovationem ſequitur arreſtorum proſecutio, hujus neglectæ vel peractæ effectus §. 14. 15.
Ex arreſto valido oritur jus pignoris, cujus prærogativa ex tempore regulariter æſtimatur §. 16.
Arreſtum quomodo aliis cedi queat §. 17.

§. 1.

COncurſus Proceſſus nihil aliud eſt quam *plurium proceſſuum conjunctio*, nam creditores concurrentes, ex ſuo ſinguli jure, contra debitorem agunt. Hinc ſicut alias judex ad agendum neminem adigere poteſt, ita, quamdiu creditores ſolutionem non urgent, ille etiam concurſum formare ac eos ad

citatori pœnitere licet tempore nondum elapſo, cum emtio ſit imperfecta *v.* CARPZ. *tit. 25. art. 4. §. 11. ſeqq.* Sed quibusdam in locis, tam primus quam ſequentes licitatores, ſub hypotheca bonorum ſuorum, promittere pretii ſolutionem ac inſuper pœnitentiæ & compenſationi renunciare debent. Hinc ſi quis per mandatarium licitari velit, clauſula de ſolvenda à mandatario pecunia, ut & omittenda pœnitentia & compenſatione mandato inſerenda eſt.

§. 17. Si unus offerat minus pretium, ſed in parata pecunia, alter majus, at diverſis terminis ſolvendum, ille præfertur, niſi poſterior ſumma, deducto interuſurio, priorem nihilominus quantitate vincat CARPZ. *p. 3. D. 275.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 39. enunc. 57.* Elapſo ſubhaſtationis tempore, emtio eſt perfecta, adeoque periculum rei in licitatorem tranſit, traditione licet nondum facta, neque etiam venditio ex capite enormis læſionis reſcindi poteſt *v.* CARPZOV. *tit. 25. art. 4. §. 15. 16.*

§. 18. Inter cæteros licitatores etiam admittuntur ipſi creditores, qui eodem adeo cum illis jure utuntur *v.* CARPZ. *tit. 25. art. 4. §. 11.* Quodſi autem elapſo proclamationis tempore nullus plane exiſtat licitator, tum creditor qua talis pretium aliquod ponere poteſt, cum quo res denuo proclamatur. Quodſi ne tum quidem emtor reperiatur, creditori pro pretio illo, ſi judici non iniquum videatur, res addicitur. Quo caſu tamen debitor, intra annum civilem, non Saxonicum *Deciſ. Saxon. 11.* à tempore adjudicationis computandum, reſtituto pretio ac refuſis impenſis neceſſariis & utilibus, rem à creditore & tertio poſſeſſore reluere poteſt *v.* CARPZ. *p. 1. C. 32. D. 53. 54. tit. 25. art. 5.*

§. 19. Poteſt etiam intra annum debitor alium offerre emtorem, qui plus dare velit, modo oblatio illa revera fiat licet pretium non ſtatim numeretur CARPZ. *tit. 25. art. 5. n. 43.* ac nulla ſubſit ſimulatio, quo nomine purgatorium juramentum, ſi indicia adſint, debitori à judice imponi poteſt; Sed ſatius eſt, ſi ipſe creditor ſuper exceptione ſimulationis, prævio juramento calumniæ, juramentum deferat, tum enim de indiciis non eſt laborandum. Poteſt etiam creditor, ſi emtor extraneus plus offerat, idem præſtare atque ita rem retinere.

§. 20. Differt ergo jus luendi & offerendi alium emtorem: Illud rem creditori ſimpliciter aufert, hoc ei electionem concedit: Ex illo emo-

emolumentum ſentit debitor, ex hoc emtor extraneus, ſi creditor defectum pretii ſui ſupplere nolit. Jus luendi cedi non poſſe communius exiſtimant, ſed contrarium jure Saxonico in dubium eſſe cenſet MARTIN. *ad O. P. S. tit. 39. §. 13. n. 20.* verum confundit jus luendi, & offerendi alium emtorem: Nihilominus jus luendi ceſſibile videtur, ceu jam dixi *lib. 4. c. 4. §. 7.* Hoc certum, quod ſententia contraria, ſi admittatur, facili negotio eludi queat. *conf.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 40. enunciat. 16.*

§. 21. Si deficientibus licitatoribus creditor pretium aliquod ponere nolit, res à judice taxatur, ac cum hoc pretio, conſveto ritu, proclamatur. Si tum emtores exiſtant, plus offerenti res addicitur, ut tamen jus primæ licitationis inter eos valeat: Si autem nulli reperiantur, creditori tamen liberum eſt, num pro pretio illo judiciali rem accipere velit nec ne: licet enim contrarium conſtitutum videatur in *Conſt. 32. p. 1.* attamen in *Reſcript. Torgav. 1583. von feilbieten* nec non in *O. P. S. tit. 39. §. 16.* aliter hæc res vel explicata vel deciſa eſt.

§. 22. Si immobilia non adſint, vel non ſufficiant, executio tandem fit in nomina debitoris, niſi malit prius in hæc, quam illa executionem fieri, aut niſi debitor ſit pupillus, quibus caſibus ad nomina prius, quam immobilia eſt deveniendum, modo illa ſint idonea *O. P. S. tit. 9. §. 18. Deciſ. Saxon. 64.* Avertendæ executioni debitor aliquando bonis cedit *d. tit. 39. §. 19. Reſol. Gravam. 1661. tit. von Juſtitien ſachen §. 78.* de quo in genere actum *lib. 10. c. 8. §. 15. 16.* Cæterum uti alia executionis ſunt impedimenta, ita illa ſæpe etiam per debitorum uxores illata repetentes, aut creditores alios concurrentes protelatur *v. O. P. S. tit. 39. §. 6.* Interim expenſæ executoriales ſolvi debent *v.* MARTIN. *ad O. P. S. tit. 39. §. 21.*

§. 23. Hactenus dicta pertinent ad res allodiales; De feudalibus nonnulla ad huc ſpecialius dicenda ſunt. Vulgo igitur contendunt, Dominum feudi vel Pares Curiæ executionem facere debere, ſi hi deficiant, ad judicem Ordinarium ejus rei curam ſpectare *v. Il. f. 22.* Sed doctrina hæc ad ſtatum Germaniæ vix quadrat, quomodo enim executio ſit facienda contra Vaſallos immediatos ſeu Status imperii, id ex legibus fundamentalibus germanicis intelligendum *v.* SPECIM. JUR. PUBLIC. *l. 7. c. 5. §. 35.* In Territoriis vero ſingulis cauſæ feudales

plerumque in eodem judicio tractantur, in quo allodiales, hinc executio, ex legibus provincialibus fere dijudicanda erit.

§. 24. Si actione reali feudum petatur, in Saxonia idem videtur obtinere, quod de allodialibus dictum §. 7. *h.* si autem ob debita executio in feudum sit suscipienda, tum spatium Saxonicum itidem videtur observandum. De cætero interest, utrum *judicium superius* quod dominum feudi, quoad ejus collationem, repræsentat, an *inferius*, penes quod feudi collatio non est, executionem facere debeat: Illud non tantum in *fructus* sed & *ipsam feudi substantiam*, hoc vero tantum in *fructus* executionem facere potest, nisi creditor, consensu Domini feudalis in ipsam substantiam jus jam sit consecutus, tum enim judex inferior in hanc etiam executionem recte suscipit *O. P. S. tit. 40. §. 1. 2.* H. PISTOR. *l. 1. qu. 15. n. 26. seqq.*

§. 25. Effectus diversæ illius executionis in eo consistit: Primo casu creditor immissus consequitur verum pignus *feudale*, quod quidem non contra simultanee investitos *O. P. S. tit. 40. §. pen.* bene tamen contra Vasallum, dominum feudi ac creditores feudales alios, antiquius pignus aut aliud prælationis jus non habentes, efficax est: Sed secundo casu pignus *allodiale* tantum obtinetur, quod contra Vasallum aliosque creditores allodiales, non vero contra dominum feudi & creditores feudales effectum habet. In dubio judicium superius in ipsam feudi substantiam executionem fecisse censetur *O. P. S. tit. 40. §. 1.*

§. 26. Immissi creditores suum aliquando ex fructuum perceptione consequuntur, quo casu etiam servitia præstant, si Vasallus ipse eadem præstare nequeat, cui etiam, si egeat, alimenta præberi debent *v.* CARPZ. *p. 2. C. 25. D. 5. 6.* Fit tamen immissio salvo jure creditorum hypothecariorum antiquiorum, quibus adeo immissus possessionem cedere debet, nisi bona omnibus sufficiant *v. O. P. S. tit. 40. §. 6. 7. add. l. 2. C. de pignor. l. 2. 6. C. qui potior. in pign. l. 9. C. de distr. pignor.*

§. 27. Si creditores ex fructibus suum consecuti sint, debitore vel posteris ejus existentibus, tum rem iis reddere debent, quemadmodum etiam possessio ab ipsis restituenda est, si debitor comparata pecunia debitum ipsis exsolvere paratus sit. Debitore & ejus posteris, qui in feudo succedere possunt, deficientibus, simultanee investiti feudum à creditoribus sine pretio repetunt, si ob debita allodialia aut in quæ solus domi-

dominus consensit, immissio facta sit, ac creditores, si suum nondum plene consecuti sint, ab hæredibus Vasalli allodialibus, id quod restat, exigere debent.

§. 28. Aliquando etiam feudum consensu domini alienatur, quo casu æqua æstimatio est ineunda à personis quibus conditio ejusmodi bonorum est cognita *O. P. S. tit. 40. §. 3. 4. Rescript. Torgav. 1583. tit. von feilbieten §. so sollen auch.* Et solet æstimatio ex reditibus & oneribus fieri, hinc si e. gr. 50. imperiales in reditu sint, sors mille imperialium constituitur. E contrario onera efficiunt, ut tanta sors, quanta iis præstandis requiritur, pretio detrahatur, sic v. gr. servitium equestre 1000. florenis æstimari solet. Juxta æstimationem factam, si non plane iniqua sit, emtio concluditur *v.* BERLICH. *p. 1. Concl. 83. n. 99.*

§. 29. Bona feudalia subhastationi non esse subjicienda quidam censent *v.* SIMON ULRIC. PISTOR *in addit. ad H. Pistor. l. 1. qu. 15.* sed consilii hoc est non præcepti, ac usus fori contrarium observat. Sunt autem bona illa, absque prævia taxatione atque denominatione pretii generaliter subhastanda, alias subhastatio est nulla. Potest etiam sine præcedente executione & immissione prædium feudale statim subhastationi subjici, si debitor consentiat nec alii creditores concurrentes obstent. Fit subhastatio per programmata in tribus proximis civitatibus arctioris & laxioris deputationis, *des engern und weitern ausschusses*, nihilque interest, sive Curiarum, sive Præfecturarum valvis illa affigantur *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 40. enunc. 9. seqq.*

§. 30. De cætero alienatio fieri potest vel in *proximum successorem*, vel *agnatum remotiorem aut extraneum.* Illo casu alienatio est *irrevocabilis*, nisi quod creditor hypothecarius antiquior, si forte superveniat, ex jure suo rem persequi possit; Hoc vero est *revocabilis*, nam non tantum creditores meliori jure instructi rem persequi, sed & proximi agnati ex jure retractus, refuso pretio, intra annum, à tempore contractus perfecti, non adjudicationis, computandum repetere possunt *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 40. enunc. 15. 16. 17.*

§. 31. Imo agnati, si ordo succedendi eos tangat, etiam sine pretio, feudum alienatum revocant, quod jus debitoris filiis quoque competit, si feudum novum iis simul sit concessum *v. Constit. Saxon. 4. in append. Corp. Jur. Saxon. Fol. 69.* Habet tamen hæc revocatio saltem locum

cum si ob debita allodialia, vel in quæ solus dominus consensit, feudum sit alienatum, nam si ipsi agnati in ea consenserint, vel ob versionem aut consvetudinem illa ex feudo solvi debeant, tum revocatio cessat *v. O.P. S. tit. 40. §. p.f.* CARPZ. *p. 2. C. 48. D. 5. 6. p. 1. C. 32. D. 26.*

§. 32. Interim alienatio revocabilis suis non caret effectibus, nam (1.) emtor verus est Vasallus nec (2.) à debitore potest expelli, licet hic quæsita pecunia debitum velit exsolvere (3.) jure domini fruitur ac v. gr. thesaurum inventum lucratur (4.) fructus perceptos plene acquirit, neque hi, si usuras consvetas excedant, in sortem imputantur, si simultanee investiti ex jure successionis revocent feudum, sed emtor integram sortem à debitoris hæredibus allodialibus exigere potest (5.) omnes impensæ, facta revocatione, ei sunt restituendæ, denique (6.) fieri potest, ut simultanee investiti ante debitorem aut ejus posteros deficiant, vel accepto honorario jus suum remittant, quo facto alienatio fit irrevocabilis *v.* H. PISTOR. *l. 1. qu. 15. n. 103.*

§. 33. De cætero venditio feudi juxta consvetas leges fieri debet, hinc in Saxonia debitoris resignatio judicialis requiritur, in qua facienda si sit morosus, certus terminus ei præfigitur, intra quem si eam non faciat, in contumaciam illa pro facta habetur *O. P. S. tit. 40. § 5.* Antequam vero resignatio vere vel interpretative intervenerit, Commissarius, cui negotium peragendæ adjudicationis demandatum, fines mandati excedit, si subditos ad promittendum novo possessori obsequium cogere velit. *v.* DN. RIVIN. *ad O.P. S. tit. 40. annot. 14.*

§. 34. Executio contra dominum feudi in Germania rarior videtur. Interim, si Status imperii sit, per summa Germaniæ Tribunalia, si vero Domino Territoriali subsit, per hujus judicia, illa erit suscipienda. Solent etiam domino feudi beneficium competentiæ tribuere, argumento à patronis libertisque Romanis desumto *l. 17. de re jud. v.* SCHRAD. *de feud. p. 2. c. 3. n. 93.* STRYK. *in E. J. F. c. 25. §. 31.*

Sed illa sententia nec satis certa, nec admissa magni usus videtur.

CAPUT

CAPUT XII.

DE PROCESSU SUMMARIO ET EXECUTIVO.

SUMMARIA.

Proceſſus ordinarius regulæ inſtar eſt §. 1.
Proceſſus ſummarii natura, fundamentum, requiſita & materia §. 2.
Proceſſus tumultuarius à ſummario differt ac legitimus quoque eſt §. 3.
Proceſſus conſiſtorialis pro ſummario habetur, de quo quoad aperturam, citationem, curatores litis §. 4.
Contumaciam, modum ſiſtendi incarceratos, probationem & appellationem nonnulla notantur §. 5.
Singularia quoad cauſas matrimoniales §. 6.
In ſpecie quoad uſum jurisjurandi & rem judicatam §. 7.
Executio pro cauſarum diverſitate eſt diverſa §. 8.
Proceſſus executivi natura fundamentum & requiſita §. 9.
In eo recognitio vel jurata diffeſſio eſt regulariter facienda §. 10.
In eo illiquidæ exceptiones non admittuntur ſed tantum liquidæ §. 11.
Quænam exceptio liquida ſit §. 12.
Ceſſat in hoc proceſſu delatio juramenti, probatio per teſtes & editio documentorum §. 13.
Sed hoc verum eſt, quoad exceptiones proceſſum ingredientes, quoad eas vero, quæ eum antecedunt ac ab actore probari debent, quævis probatio locum habet §. 14.
Talis in ſpecie eſt exceptio non numeratæ pecuniæ privilegiata §. 15.
Ex diverſo exceptionum habitu uſus præventionis quoad proceſſum ordinarium dependet §. 16.
Replica altioris indaginis quatenus in proceſſu executivo tractari queat §. 17.
Pœna contumaciæ in hoc proceſſu commiſſæ §. 18.
Species proceſſus executivi eſt cambialis, ſed paullo rigidior §. 19.

§. 1.

DElineavi hactenus Proceſſum ordinarium, qui, ut vult uſus fori, regulæ vicem obtinet, & quidem tam in cauſis allodialibus quam feudalibus, nam ſingularia, quæ circa proceſſum feudalem in jure Longobardico occurrunt *v. II. f. 22. 24. §. 1. II. f. 32. 33. 57.* hodie haut attendi ſolent *v.* STRUV. *S. J. F. c. 16. §. 10. ſeqq.* STRYK. *E. J. F. c. 25. §. 12. ſeqq.* quemadmodum etiam proceſſus feudalis antiqui juris Saxonici *v.* SCHULTZ. *Synopſ. Jur. Feud. c. 12. n. 60.* nullibi fortaſſis hodie obſervatur *v.* CARPZOV. *p. 1. C. 27. D. 1.* RHET. *comm. Jur. Feud. præm. n. 51. p. 13.* Poſtea quædam proceſſus ſpecies paucis etiam delibandæ ſunt.

§. 2. Proceſſus Summarius in ſpecie ſic dictus eſt, *in quo de ſimplici,*

plici & plano, ſummarie & levato, quod ajunt, velo, absque ſtrepitu & ſolenni figura judicii proceditur, non obſervatis ſolennitatibus & ordine proceſſus lege poſitivæ præſcripto, ſed ſola æquitate. Fundamentum ejus eſt ipſa æquitas, legibus etiam poſitivis agnita & probata *v. l. 9. §. 3. de offic. proconſ. l. 3. §. 9. ad exhib. l. 11. §. 6. ad L. Jul. de adult. clem. 2. de V. S. Ord. proc. Saxon. tit. 1. §. 2. 4.* Requiritur igitur facti narratio, reſponſio, probatio, defenſio, cauſæ cognitio & ſententia, quarum expediendarum modus non ordinariis legibus poſitivis, ſed arbitrio judicis fere definitur. Cauſæ autem ſummariter tractandæ ſunt vel *ordinariæ*, quas uſus fori pro ſummariis agnovit, vel *extraordinariæ*, quando ex conventione partium, vel judicis autoritate à conſvetis regulis receditur *v.* CARPZ. *tit. 1. art. 1.*

§. 3. A proceſſu ſummario differt *Tumultuarius* vel *irregularis*, qui nec *ab actione certa incipit nec omnes proceſſus ac judicii articulos recipit, ſed in certis quibusdam capitibus tantum ſubſiſtit.* Sive quando *obiter ac tumultuarie tractatus judicis cognitioni & ſententiæ ſubmittitur v.* CARPZ. *tit. 1. art. 6.* Ex quo liquet, proceſſum hunc non eſſe illegitimum, quod tamen nomen inſinuare videtur. Sed uti judex æquitatem nunquam negligere, ita nec ab aliis proceſſus regulis recedere debet, niſi juſta cauſa ac ſtudium promovendæ juſtitiæ aliud exigat, hoc enim perinde non culpandum, atque non improbatur factum cordati Medici, qui generoſo medicamento malum ſtatim tollit, quod alius per longas ambages vix ſuſtuliſſet.

§. 4. Proceſſus Conſiſtorialis etiam pro ſummario habetur CARPZ. *tit. 1. art. 2. n. 34. J. E. l. 3. D. 27.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 2. §. 1.* MEV. *p. 3. D. 217.* DN. BERGER. *in elect. proc. matrimon. §. 9. 10. 11.* De quo nonnulla notabimus. Inprimis igitur in Conſiſtoriis tentanda eſt amicabilis compoſitio, maximè ſi ob injuriam contra Miniſtrum Eccleſiæ actio intentetur *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 4. 98. ſeqq.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 2. §. 12.* Decernit Conſiſtorium pro re nata, mandata & citationes BRUNNEM. *d. l. §. 11.* non tamen contra decreta Imperantis CARPZ. *J. E. l. 3. D. 14.* Clericorum Uxoribus Curatores ad litem conſtituuntur. Laici ope Magiſtratus Secularis citantur, omiſſa tamen Saxonia, clauſula: *in ſubſidium* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 18. 19.* DN. BERG. *in elect. proc. matrim. §. 13. 14.*

§. 5. Si Viduæ Clericorum contumaces ſint, ſub pœna amittendi

ſala-

ſalarii gratuiti citari ſolent. Incarcerati à magiſtratu ſeculari, hujus ope Conſiſtorio ſiſtuntur. Clerici ad teſtimonium juratum deponendum obligantur, niſi partes iis juramentum remiſerint, de revelatis tamen in confeſſione teſtari non debent *v.* CARPZOV. *J. E. l. 3. D. 20. ſeqq.* Reus actori documenta edere tenetur ZIEGL. *ad Lancell. l. 3. tit. 14. §. 5.* ac probatio poſt elapſum terminum præſtitutum admittitur nec Judæi à teſtimonii dictione repellendi videntur *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 4. §. 10. 12. 19. 20. ibique* STRYK. *in not.* A Conſiſtoriis in Saxonia appellatur ad Cancellariam *v. lib. 9. c. 3. §. 21.*

§. 6. In cauſis matrimonialibus partes, in Electoratu Saxoniæ, immediate comparere debent, hinc fœminæ etiam non indigent curatore in litem *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 31.* DN. BERGER *in elect. proc. matrim. §. 16.* A reo vel rea exigi poteſt cautio de non ineundo alio matrimonio, imo ſponſa aliquando in ſequeſtrum dari poteſt *v.* CARPZ. *l. 3. D. 32.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 3. §. 12. ibique* STRYK. *in not.* Probatio matrimonialis requirit teſtes habiles & juratos, propinqui tamen domeſtici & proxenetæ quoque admittuntur, ſed non ſunt ſemper teſtes omni exceptione majores *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 42. 43.* BRUNN. *J. E. l. 3. c. 4. §. 13. ſeqq.* MEV. *p. 5. D. 243.*

§. 7. Quoad uſum jurisjurandi etiam ſingularia nonnulla in re matrimoniali occurrunt, de quo dixi *lib. 6. c. 7. conf.* BERGER *d. l. §. 23. ſeqq.* Sententia contra matrimonium lata non tranſit in rem judicatam *v. c. 7. X. de re judic.* quod etiam dicendum, ſi pro matrimonio illa feratur, huic vero lex divina obſtet, nam in hujus præjudicium neque hoc neque altero caſu, lex humana ſententiis valorem tribuere poteſt. Quamdiu tamen de veritate non conſtat, ſententia lata executioni utique datur, ſed retractanda, ſi illa eique innexa ſanctio divina apparuerit *v.* BRUNNEM. *J. E. l. 3. c. 9. §. 7. 8.* BEUST. *de matrim. p. 2. c. 39.* BERG. *d. l. §. 45. ſeqq.* Sententiæ contra ſponſalia latæ, vis rei judicatæ omnino tribui poteſt.

§. 8. Executio, pro cauſarum diverſitate, in Conſiſtoriis diverſa eſt, nam in cauſa matrimoniali deſponſati aliquando in loco judicii copulantur *v.* CARPZ. *J. E. l. 2. D. 146.* ob juſtam cauſam matrimonium diſſolvitur *v.* BRUNN. *J. E. l. 3. c. 11. §. 2.* Si ex transactione, ſuper lite matrimoniali, aliquid præſtandum ſit, debitor interdictione novi, quod pa-

parat, matrimonii, ad implendum officium recte adigitur CARPZOV. *J. E. l. 3. D. 41.* si de subsellio ecclesiastico lis fuit, parti victrici illud erit adjudicandum. Ex aliis actionibus contra Clericum institutis, in mobilia, ipsum Consistorium, in immobilia, per magistratum secularem, executionem facit *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 7. n. 12. D. 13.*

§. 9. Processus Executivus est, quando *ex instrumento liquido, ad ejus recognitionem, ac, ea ex voto actoris secuta, ad executionem agitur.* Fundamentum igitur est instrumentum liquidum sive gvarentigiatum, quod scilicet certum & purum continet debitum, ac à reo subscriptum vel signatum est. Utrumque conjunctim præcise non requiritur, sed subscriptio vel sigilli appositio sufficit. Quibusdam in locis, sub pœna nullitatis, requiritur charta signata *stempelpapier*, verum in Saxonia Electorali ejus omissio fidei instrumenti non derogat sed mulctam saltem operatur *v.* CARPZ. *Pr. tit. 22. art. 1.* DN. BERG. *in elect. proc. execut. §. 9. seqq.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 25. enunc. 23.* si quis sine instrumento judicialiter debitum confiteatur, in eum etiam executio decernitur CARPZ. *d. l. n. 20.* sed hic casus à præcedente, quoad prævium procedendi modum, differt.

§. 10. Exigit actor recognitionem, eaque facta, condemnationem. Sed legis autoritate obtinet alternatio, ut reus documentum vel recognoscere vel jurato diffiteri debeat *v.* CARPZOV. *tit. 22. art. 2.* DN. BERG. *d. l. §. 26.* licet sola recognitio per sententiam ei injuncta sit *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 25. enunc. 28.* hinc vel condemnatio vel absolutio sequitur. De cætero diffessio jurata, prout fert usus fori, neque ab actore probatione contraria impediri, neque à reo defensione conscientiæ declinari potest, quemadmodum etiam manum & sigillum recognoscens ad diffessionem contentorum regulariter non admittitur *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 25. enunc. 27. 31. tit. 19. enunc. 2. tit. 25. enunc. 24. seqq.* Si instrumentum publicum sive judiciale sit, sine recognitione statim executio decernitur *v.* BERG. *in elect. proc. execut. §. 24.*

§. 11. In processu executivo cessant exceptiones illiquidæ, hinc, si opponantur, vel ad reconventionem vel separatam actionem, prout connexitas adest vel deficit, rejiciuntur. Liquidis vero exceptionibus uti potest reus, neque hoc ad certas exceptiones restringi, sed quoad omnes potius peremtorias admitti debet *v.* CARPZOV. *tit. 22. art. 3.*

modo

modo ante executionem illæ opponantur, jure tamen Saxonico Electorali, in ipsa etiam executione, solutionis & compensationis exceptionem opponere licet *Decis. Saxon. 2.*

§. 12. Illæ vero exceptiones dicuntur liquidæ, quæ confessione adversarii, ex actis vel instrumento liquido probari possunt, & quidem incontinenti, id est, intra spatium Saxonicum, ita ut probatio plene absolvatur CARPZ. *tit. 22. art. 4.* Sed jure Saxonico recentiori, si reo in citatione editio exceptionum simul injuncta sit intra tres hebdomadas; à tempore insinuati libelli computandas, exceptiones edi ac in termino præfixo deinceps probari debent *Decis. Saxon. 2. v.* DN. BERG. *in elect. proc. execut. §. 37.*

§. 13. In processu igitur executivo non habet locum regulariter delatio juramenti, nec probatio per testes, licet super horum examine Notarius vel alius judex instrumentum confecerit, illudque probandis exceptionibus producatur, licet cum CARPZOVIO *tit. 22. art. 4. n. 4. & p. 1. C. 8. D. 30.* nonnulli hanc probationem admittant, sed usus fori hodie refragatur. Porro reus, ad fundandam exceptionem, ab actore petere nequit documentorum editionem. Quin tamen ista jure contrario mutari queant, dubium non est: Sic in foro Magdeburgico delatio juramenti admittitur *v.* BERG. *d. l. §. 38. 39.*

§. 14. Cæterum dicta pertinent ad eas exceptiones, quibus jus actoris in se validum oppugnatur, quæque adeo in processum executivum incidunt, ac à reo probari debent. Alia vero ratio est earum exceptionum, quibus jus actoris nondum maturum & efficax esse contenditur, qualis est exceptio non purificatæ conditionis, aut non impleti contractus: Harum enim exceptionum impletio cum ab actore ante probanda sit, quam is cum effectu agere queat, adeoque illæ processum executivum antecedant, ideo quavis probatione, etiam testibus & juramenti delatione, expediri possunt; Et nihil refert, sive ante, sive post recognitionem objiciantur, nec aliud jus obtinet inter mercatores *v.* BERG. *d. l. §. 12. 29. seqq.*

§. 15. Exinde sequitur, quod exceptio non numeratæ pecuniæ privilegiata eodem cum effectu in processu executivo opponi queat; licet enim numeratio pecuniæ per ipsam rei confessionem, in instrumento obligationis factam, probetur, attamen cum jus civile, neglecta

§. 19. Eximia ſpecies proceſſus executivi eſt proceſſus cambialis, in quo hoc ſingulare eſt, quod reus, facta literarum cambialium recognitione, arreſto perſonali detineatur, donec ſolvat, modo revera jure cambii obligetur. Hinc etiam cavendum eſſe monent, ne in cauſa cambiali, à debitore contumace petatur recognitio ſub pœna recogniti, cum potius recognitio & ſolutio juxta ſtilum cambialem, *bey vermeidung anderer anordnung* petenda ſit, niſi quis proceſſum cambialem in ſimplicem executivum degenerare velit *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit.* 25. *enunc.* 20. Judicem tamen non erraturum putem, ſi, correcto petentis errore, proceſſui cambiali convenienter pronunciet *v. l. un. C. ut quæ deſ. advoc. part. l.* 4. §. 8. *de damn. inf.* In hæredes debitoris ex literis cambialibus ſaltem executive agitur *v.* DN. BERG. *d. l.* §. 50. *ſeqq.*

CAPUT XIII.

DE PROCESSU CONCURSUS ET ARRESTI.

SUMMARIA.

Concurſus proceſſus eſt plurium proceſſuum conjunctio §. 1.
Ex qua conjunctione ſingularia nonnulla oriuntur §. 2. 3.
In ſpecie creditores chirographarii de arreſto ſolent eſſe ſolliciti, hujus natura ex ſenſu communi §. 4.
Arreſti Saxonici indoles & requiſita §. 5.
Arreſtum etiam mediate impetrare licet §. 6.
Omnes debitoris res arreſto regulariter conſtringi poſſunt §. 7.
Impetrandum illud eſt à judice competente §. 8.
Qualis certo caſu eſt Superior §. 9.
Arreſti petendi locus & tempus §. 10.
Judicis in eo concedendo officium §. 11.
Arreſti impetrati renovatio certo tempore & modo fieri debet §. 12. 13.
Renovationem ſequitur arreſtorum proſecutio, hujus neglectæ vel peractæ effectus §. 14. 15.
Ex arreſto valido oritur jus pignoris, cujus prærogativa ex tempore regulariter æſtimatur §. 16.
Arreſtum quomodo aliis cedi queat §. 17.

§. 1.

CONcurſus Proceſſus nihil aliud eſt quam *plurium proceſſuum conjunctio*, nam creditores concurrentes, ex ſuo ſinguli jure, contra debitorem agunt. Hinc ſicut alias judex ad agendum neminem adigere poteſt, ita, quamdiu creditores ſolutionem non urgent, ille etiam concurſum formare ac eos ad

deducenda debita provocare nequit *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 41. enunc. 1.* Porro si creditor aliquis liquidum habeat instrumentum, ille etiam in concursu jure processus executivi merito gaudet *v.* DN. BERGER. *in elect. proc. execut. §. 40. 41.* Denique illud extra dubium est, quod creditores concurrentes jura sua probare debeant *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 1. 6.*

§. 2. Interim plurium litigantium conjunctio nonnulla singularia operatur: Nam (1.) debitor latitans aliquando edictaliter citatur, vel etiam curator bonorum aut litis constituitur, qui ejus vices subeat *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 7. 8.* (2.) orto concursu creditores cunctantes sub pœna præclusi provocantur, vel etiam, si justa absentiæ causa subesse videatur, processus, salvo absentium jure, peragitur *v.* CARPZ. *d. l. D. 3 4.* Quo loco observandum, quod præclusus, finito concursu, a debitore suum nihilominus exigere queat, nam exclusio non hujus, sed creditorum causa fit; præterea neglectus edictalis citationis non noceat ei, de cujus jure ex actis satis constat *v.* RIVIN. *d. tit. 41. enunc. 8. 25.*

§. 3. Cum etiam (3.) creditores non tantum contra debitorem agant, sed & inter se certent, hinc quoad modum probandi, sententiam & executionem singularia quædam non possunt non occurrere, *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 11.* In specie, durante concursu exactiones particulares cessare debent, curator tamen litis agere nequit contra eum, qui sibi ex bonis debitoris prospicere ausus est *v.* RIVIN. *d. tit. 41. enunc. 15. seqq.* Quodsi etiam alicujus creditoris jus sit liquidum, ille suum ex massa bonorum recte tollit, cæteris licet adhuc inter se certantibus *v.* CARPZ. *p. 1. C. 28. D. 5.* RIVIN. *d. l. enunc. 22.* De cætero in judicanda creditorum prærogativa, Statuta debitoris domicilii, quoad mobilia, attenduntur, ac creditoribus separationem bonorum urgere licet *v.* CARPZ. *d. l. D 9. 10.* de qua in genere *lib. 7. c. 18.* dictum.

§. 4. Denique creditores chirographarii (4.) de jure reali per arrestum consequendo solent esse solliciti, de quo specialius nonnihil agendum erit. Ex communi sensu arrestum est, *quo debitoris persona vel bona detinentur*, quod regulariter illicitum est, aliis tamen remediis deficientibus, aut ex debitoris consensu, defendendo juri, recte adhibetur, nempe si debitor de fuga vel dilapidatione sit suspectus, aut in ejus domicilio justitiæ administratio obtineri nequeat, vel debitor

ad

ad arreſtum ſe obſtrinxerit. Eſt tamen tale arreſtum relaxandum, ſi debitor idonee caveat *v. O. P. S. tit. 51. §. 1. ſeqq.* CARPZ. *p. 1. C. 30. D. 1. ſeqq.* MEV. *de arreſt. c. 6. n. 3.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 51. enunc. 1. ſeqq.*

§. 5. Præter commune illud arreſtum, etiam ſpeciale Saxonicum occurrit, quod eſt *actus, quo in bonis debitoris facultatibus lapſi, creditor, ope judicis, pignus legitime conſequitur O. P. S. tit. 51. p. 1. C. 29.* ex quo ejus à communi differentia facile intelligitur *v.* CARPZ. *Pr. tit. 21. art. 1. n. 1. ſeqq.* poteſt etiam ipſum jus pignoris, arreſti nomine intelligi. Ut autem locum habeat, duo requiruntur (1.) ut arreſtaturus debitum probet, quod etiam copiis non vidimatis fieri poteſt *v. Reſcript. Elect. 1682. Ordin. Camb. Lipſ. præfix.* (2.) ut doceat debitorem bonis eſſe lapſum *O. P. S. tit. 51. §. 6.* CARPZ. *Pr. tit. 21. art. 1.* DN. RIVIN. *d. tit. 51. enunc. 5. ſeqq.*

§. 6. Poſitis hiſce requiſitis, cuivis creditori arreſtum impetrare licet, etiam per procuratorem ſpeciali mandato inſtructum vel de rato caventem ſi fuerit perſona conjuncta *O. P. S. tit. 51. §. 12.* CARPZOV. *d. tit. 21. art. 2. n. 1. ſeqq.* Uſu tamen fori ſufficiunt literæ, quibus arreſti impetratio alicui eſt commiſſa MEV. *de arreſt. c. 7. n. 82.* CARPZ. *l. 4. Reſp. 36.* quod cum temperamento aliquo confirmatum *d. Reſcript. Elect. 1682. §. wer wegen eines andern.* Curator etiam mulieris, ſine hujus interventu, arreſtum valide impetrare poſſe cenſetur *v.* RIVIN. *d. tit. 51. enunc. 10. ſeqq.*

§. 7. Arreſtum regulariter in omnibus bonis debitoris impetrari poteſt, adeoque etiam in annuis penſionibus, libris ſtudioſorum, ſalariis & bonis feudalibus. Generaliter impetratum extenditur etiam ad bona futura, ſi vero in rebus certis ſaltem decretum ſit, tum reliqua bona non afficit *v.* CARPZ. *d. tit. 21. art. 2. n. 22. ſeqq.* Alimenta & ſtipendia tamen arreſto conſtringi nequeunt CARPZOV. *d. l. n. 35. ſeqq.* quemadmodum etiam arreſta in partibus metallicis non niſi ob debita metallaria, vel ob alia, non niſi conſenſu debitoris, vel propter ejus fugam concedenda eſſe cenſentur *v.* RIVIN. *d. tit. 51. enunc. 19. 20.* multo minus bona aliena arreſto affici poſſunt *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 48. enunc. 2.*

§. 8. Impetrandum eſt arreſtum à judice competente, qui habet jurisdictionem inferiorem. Talis autem eſt quoad nomina, judex

domicilii, quoad bona immobilia, judex rei ſitæ, quoad mobilia, uterque *O. P. S. tit.* 51. §. 9. RIVIN. *ad d. t. enunc.* 14. 15. 16. Si in bonis feudalibus arreſtum concedendum ſit, judex, qui dominum feudi ſimul non repræſentat, ſaltem quoad fructus, ſed dominus feudi, etiam quoad proprietatem & ſubſtantiam, illud concedere poteſt *d. t.* 51. §. *10. tit.* 48. §. 2. vid. *c.* 11. §. 24. 25.

§. 9. Si debitor ſub eodem judice inferiore bona habeat, arreſtum coram Superiore non recte impetratur, cum is prima inſtantia ſe privaverit, dum inferiori jurisdictionem conceſſit *v.* BERG. *in reſolut.* LAUTERB. *de jurisdict. qu.* 3. ſi vero ſub diverſis ejusdem Territorii jurisdictionibus bona exiſtant, quod creditori probandum, tum arreſtum à Superiore recte impetratur, ac conceſſum omnia bona in Territorio occurrentia afficit, niſi quædam ditiones, vel etiam res, ut partes metallicæ, exceptæ ſint *v. O. P. S. tit.* 51. §. 11. RIVIN. *d. t. enunc.* 18. Eſt etiam arreſtum ejusmodi generale judicibus inferioribus denunciandum, omiſſa tamen denunciatione, nihilominus illud valet, ſed ſalvo jure, interim ab aliis, coram judice inferiore, acquiſito *v.* RIVIN. *d. tit. enunc.* 22. *conf.* CARPZ. *Pr. tit.* 21. *art.* 3. *n.* 35. *ſeqq.*

§. 10. Petere licet arreſtum tam in judicio, quam extra ejus locum quovis tempore, adeoque etiam poſt obitum debitoris, intra triceſimum diem, nec non concurſu creditorum jam exiſtente CARPZ. *d. tit.* 21. *art.* 3. *n.* 1. *ſeqq.* poſt emiſſas tamen ad liquidandum citationes arreſtum impetrari non poſſe cenſetur *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit.* 48. *enunc.* 1. Eſt porro in ſcriptis petendum *O. P. S. tit.* 48. §. 1. ſed uſus fori etiam admittit arreſtum oretenus impetratum.

§. 11. Judex promte illud concedere ac tempus factæ conceſſionis ad acta conſignare debet, ſi ob ejus moram arreſtaturum alius prævertat, ille nihilominus præfertur *v.* CARPZ. *p.* 1. *C.* 28. *D.* 145. Eſt quoque arreſtum debitori denunciandum, nam alias ignorans valide alienas aut creditoribus ſolvit neque has res arreſtum afficit *O. P. S. tit.* 51. §. 7. 8. RIVIN. *ad d. tit.* 51. *enunc.* 23. 24. præterea alii creditores, qui interim à debitore, arreſtum impetratum ignorante, hypothecam conſecuti ſunt, arreſtanti præferuntur *O. P. S. tit.* 48. §. 1.

§. 12. Arreſtum impetratum, bis de una quaterdena in aliam renovari, ac cum ſecunda renovatione libellus, addita debiti probatione, offerri

offerri & citatio debitoris peti debet, alias arrestum concidit *O. P. S. tit. 51. §. 13. seqq.* CARPZ. *Pr. tit. 21. art. 4.* Perinde autem esse censetur, sive quaterdenam à tempore petiti, sive concessi arresti computes *v.* DN. RIVIN. *ad d. tit. 51. enunc. 25.* De cætero ita illa computatur, ut post diem petitionis vel concessionis, quatuordecim dies numerentur, ac ultimo prima fiat renovatio, post quam idem calculus quoad secundam renovationem observatur. Non autem fit computatio de momento in momentum, ceu voluit CARPZOV. *p. 1. C. 29. D. 10.* Sed toto ultimo die renovatio fieri potest CARPZ. *l. 4. Resp. 37. Proc. tit. 21. art. 4. n. 18. seqq.*

§. 13. Anticipatio eo quidem effectu non est permissa, ut anticipans ordinem præscriptum mutare queat *O. P. S. tit. 51. §. 15.* innoxia tamen illa est, si id, quod agendum erat, debito tempore repetatur DN. RIVIN. *d. tit. 51. enunc. 26.* Cum libello arrestatorio instrumenti obligatorii originale vel saltem copia vidimata exhiberi debet, aliàs arrestum corruit, nec sufficit se remittere ad acta, in quibus ratione liquidi res judicata deprehenditur, aut ad demonstrandum debitum juramentum deferre. Nullitas quoque arresti metuenda, si citatio ad terminum prosecutionis non petatur RIVIN. *d. l. enunc. 27. seqq.*

§. 14. Renovatione legitimè facta, in termino præfixo arrestorum prosecutio fieri debet, sive compareat arrestatus, sive non. Si vero arrestans prosecutionem negligat, arrestum nullum declaratur, quod tamen non satis certum *v.* RIVIN. *d. tit. 51. enunc. 35.* Si autem arrestans debitum probet, arrestum confirmatur; si ejus petendi sufficiens causa non subsit, in totum relaxatur. In casu dubio cautio præstanda, ut tamen, ea non sufficiente, in subsidium valeat arrestum *O. P. S. tit. 51. §. 15. 18. v.* MEV. *p. 3. Dec. 210. p. 4. D. 16. p. 6. D. 124.* RIVIN. *d. t. 51. enunc. 39. seqq.* De cætero reus super exceptionibus suis juramentum deferre potest, si processus arrestatorius sit summarius, non vero, si executivus RIVIN. *d. tit. 51. enunc. 32. seqq.*

§. 15. Quamvis arrestum non subsistat, reus tamen ad actionem institutam, si judex ratione ejus competens sit, respondere tenetur, CARPZ. *tit. 21. art. 5. n. 46. seqq.* quemadmodum etiam creditori cambiali, qui arrestum impetravit, integrum est, contra debitoris personam jus cambii exercere *v.* RIVIN. *d. tit. 51. enunc. 36. 37.* De cætero

acqui-

acquisita contra debitorem jura, aliis creditoribus, non citatis & auditis, non obsunt, nisi quod creditor arrestans, ex arresto suo prioritatem aliquam consequatur. Consultum igitur est, plures creditores eodem processu conjungere *O. P. S. tit. 51. §. 16. 17.* ac ipsis creditoribus quoque utile esse censetur, in primo termino statim super prioritate certare, expensis ex massa bonorum debitoris desumtis, cum, si per leuterationem vel appellationem jura sua contra alios demum defendant, expensas de suo erogare teneantur.

§. 16. Effectus arresti valide impetrati est jus pignoris, cujus prærogativa ex tempore æstimatur, de quo si exacte non constet, plures arrestantes eadem classe censentur *O. P. S. tit. 48. §. 1.* CARPZ. *tit. 21. art. 5. n. 1. seqq.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 48. enunc. 4. 5.* Lipsiæ tamen specialiter constitutum, ut creditores contra mercatorem bonis lapsum concurrentes, æquales habeantur, si præsentes intra quatuordecim, absentes vero, quadraginta dies, arrestum impetraverint. *v. Rescript. Elector. 1682. Ordinat. mercat. Lipsi. p. 58. annexum* RIVIN. *d. tit. 48. enunc. 6.*

§. 17. Jus arresti aliis etiam cedi potest, & licet alias hypotheca judicialis extrajudicialiter in alium jure Saxonico transferri queat *O. P. S. tit. 46. §. 7. Decis. Sax. 40.* attamen arrestans jus arresti uni vel quibusdam ex creditoribus suis non aliter cedere potest, quam cum consensu judicis, à quo illud fuit concessum, & si illud à Superiore impetratum sit, tam ejus, quam judicis inferioris, sub quo bona sita sunt, consensus requiritur *O. P. S. tit. 51. §. fin.* Ex quibus sequi videtur, quod, si arrestans creditoribus arrestati, vel suis conjunctim arrestum cedere velit, id etiam extrajudicialiter fieri queat.

CAPUT

CAPUT XIV.
DE PROCESSU PROVOCATORIO.

SUMMARIA.

Ad agendum recte quis aliquando provocatur §. 1.

Remedii ex L. diffamari indoles & fundamentum §. 2.

Analogiæ juris illud est consentaneum § 3. 4.

Remedii hujus causa movens & intentio §. 5.

Non datur illud contra possessorem nec ad avertendam inquisitionem §. 6.

Ob injurias quæ debendi causam habent conjunctam recte illud instituitur §. 7.

Etiam ob injurias nudas, nec tamen cum actione injuriarum recte cumulatur §. 8.

Ob diffamationem, quæ debitum conditionale vel in diem respicit, quatenus hoc remedium locum habeat §. 9.

Instituendum est coram judice diffamati, non ubique §. 10.

Potest etiam moveri coram eo judice diffamati, qui in causa principali judicare nequit, ex sententia quorundam §. 11.

Quæ rejicitur §. 12.

Remotis dubitandi rationibus ac ostensa erroris origine §. 13.

Judicii diffamatorii præsuppositum & indoles §. 14.

Diffamatio in termino negata à diffamato probari, concessæ vero contenta à diffamante ostendi debent §. 15.

Exitus hujus probationis §. 16. 17.

Potest etiam diffamans ad actionis principalis institutionem compelli §. 18.

Hæc vero vel coram judice judicii diffamatorii vel alio competente institui potest ejusque exitus est ordinarius §. 19.

Pœna contumaciæ in judicio diffamatorio commissæ §. 20.

Remedii ex L. si contendat natura, fundamentum & causa movens §. 21.

Utrum per modum actionis vel exceptionis illud proponatur §. 22.

Sed quoad modum proponendi cum remedio ex L. diffamari coincidit §. 23.

Ab hoc quomodo illud recte discernatur §. 24.

Probatio in remedio ex L. si contendat, ex consvetis regulis judicanda §. 25.

Fidejussor provocans confidejussoris idoneitatem probare non debet §. 26.

§. 1.

REgulariter quidem cuivis liberum est, an & quando suo jure uti velit *v. l. un. C. ut nem. invit. ager.* si quis tamen vel falso jus aliquod jactet, vel quod ei revera competit, in alterius præjudicium, differat, tum recte ad juris, quod vel habet, vel se habere jactat, deductionem provocatur, quo nomine duo remedia provocatoria, nempe ex *L. diffamari* & ex *L. si contendat* innotuerunt, de quibus nunc aliqua etiam dicenda sunt.

§. 2. Remedium ex L. diffamari eſt *actio vel medium forenſe, quo is, qui jus aliquod erga alium ſibi competere jactat, ab hoc provocatur, ut illud deducat, aut, hoc non facto, impoſterum ſileat, hoc eſt, jure ſuo, ſi quod habet, privetur.* Fundamentum ejus eſſe cenſetur in *l. 5. C. de ingenuanum v.* CARPZOV. *Pr. tit. 20. art. 1. n. 1.* Sed recentiores id agnoſcere nolunt *v.* DN. BERG. *in elect. proc. provoc. §. 4. 5.* de quo non valde contendendum videtur, cum remedium hoc non meri juris poſitivi ſit, ſed generali æquitatis principio, quo in alterius præjudicium ſine cauſa nihil faciendum eſt, nitatur; proceſſus autem ex indole facti, & habitu imperii civilis ac judiciorum fere dependeat.

§. 3. Num hoc remedium, *actio*, an *imploratio officii judicis* ſit, diſputari ſolet *v.* CARPZ. *d. l. n. 5.* BERG. *d. l. §. 8.* quæ diſquiſitio, poſitis præjudiciis, de nudo nomine eſſe deprehenditur. Analogiæ autem juris hoc remedium non convenire, non facile crediderim, utut ejus abuſus probari nequeat: Nam minæ quidem luſoriæ haut debent attendi *l. 4. ſi plus quam per leg. Falcid. l. 9. quod met. cauſ.* ſed poterit juſtus obſcurandi juris metus ſubeſſe: Deinde exceptiones quidem perpetuæ ſunt *l. 5. §. 6. de dol. & met. except.* ut ſcilicet directe non præſcribantur; Aſt aliis modis jus exceptionum tolli vel ſaltem inefficax fieri poteſt: Hinc nec teſtimonium ad perpetuam rei memoriam *c. 5. X. ut lit. non conteſt. c. 41. X. de teſt.* auxilium ſatis validum ſemper præſtare poteſt, cum ad ea, quæ ſuperveniunt, ac in mutando jure magnas habere poſſunt partes, non extendatur.

§. 4. Denique nec illud obeſt, quod provocaturus, ſi ejus interſit, actione alia, ac in ſpecie aliquando actione injuriarum *l. 15. §. 33. de injur.* jus ſuum exequi poſſit: Nam ideo remedium provocatorium a juris ratione non eſt alienum, cum ob jactationem alterius, alteri merito liberum eſſe debeat, num hoc an alio tempore, de jure ſuo contendere velit, maxime cum magis videatur expeditum, alium ad agendum provocare, quam actionem contra illum inſtituere, quæ ſane nonnunquam, pro conditione adverſarii, valde moleſta eſſe & tamen optato effectu deſtitui poteſt *conf.* HUBER. *in poſit. ad ff. de injur. n. 5.*

§. 5. Fit provocatio ob alterius jactationem, ſive diffamationem, quæ ex malitia, vel errore aut imprudentia originem habet *v.* DN. BERGER. *in elect. proc. provoc. §. 9.* Imo fieri poteſt, ut diffamatio veri-

veritati ſit conſentanea, ex quo liquet, quod illa non ſemper juxta rei veritatem, ſed opinionem ſaltem aut prætextum provocantis, pro diffamatione haberi debeat. Provocatur autem diffamans, ut agat, vel, eo non facto, jus ſi quod habet amittat, hinc provocationis judicium eſt præparatorium, quod principale à diffamante inſtituendum ſequi poteſt *v.* CARPZ. *tit. 20. art. 1. n. 19.*

§. 6. Locum ergo habet provocatio, quoties injuſta diffamatio ſubeſſe exiſtimatur *v.* CARPZ. *tit. 20. art. 2.* BERG. *d. l. § 11.* Contra poſſeſſorem igitur eo effectu inſtitui nequit, ut is vel poſſeſſionem vel jus poſſidendi probare debeat, nam vel nulla ſubeſt diffamatio, vel, ſi hujus generis quid intervenerit, poſſeſſor tamen præſumtione munitur adeoque provocationis iniquitas ſtatim apparet. Ob rationem ſimilem pro avertenda, quæ ob juſta indicia imminet, inquiſitione, provocatio locum non habet *v.* CARPZ. *tit. 20. art. 2. n. 41. ſeqq.* BERG. *d. l. §. 15.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 1. enunc. 24. 28. 31. 32.*

§. 7. Ob injurias verbales, quæ cauſam debendi habent conjunctam, ut ſi quis non debitorem, dixerit debitorem *l. 15. §. 33. de injur.* vel fœmina ab aliquo ſe impræg natam contendat, remedium provocatorium recte inſtituitur, tum enim non ad injuriam ſed adjunctam debendi cauſam pertinet *v.* RIVIN. *d. tit. 1. enunc. 27.* Sed propter injurias nudas & indeterminatas, incongrue provocatio fieri videtur, cum fruſtra ad agendum provocetur, cui actio manifeſte non competit.

§. 8. Practici tamen eo etiam deveniunt; quorum ſententia ea ratione defendi poterit, quod injuriatus nihil aliud intendat, quam ut per impoſitionem ſilentii, publicum innocentiæ & bonæ exiſtimationis ſuæ conſequatur teſtimonium. De cætero cum remedio provocatorio actio injuriarum non recte cumulatur, cum illud huic ſit præjudiciale, neque illo inſtituto hæc tollitur *v.* CARPZ. *tit. 20. art. 2. n. 26. ſeqq. p. 2. qu. 97. n. 67. ſeqq.* MEV. *p. 1. Dec. 144.* BERG. *d. l. §. 12. ſeqq.*

§. 9. Si diffamatio reſpiciat debitum conditionale vel in diem, provocatio itidem locum non habet CARPZOV. *tit. 20. art. 4. n. 9. p. 1. C. 7. D. 30.* alii tamen eam hoc caſu admittendam eſſe cenſent *v.* BERG. *in elect. proc. prov. §. 15. 16.* Sed videtur hic diſſenſus facile componi poſſe: Non poteſt diffamans provocari, ut, manente obligationis qualitate, ſtatim agat, nam hæc ſibi contradicunt: Poteſt ta-

men ad agendum provocari, si diffamatus conditionem vel diem remittat, remissionem vero nuda provocatione fieri non crediderim: Vel etiam potest ad illum effectum provocatio fieri, ut jus dubium saltem ad liquidum deducatur, ex quo deinde suo tempore actio moveri queat.

§. 10. Remedium ex L. diffamari instituitur coram judice diffamati CARPZ. *tit. 20. art. 2. n. 1.* hic enim diffamantem provocatione sua vult velut manuducere ad illud judicium, in quo actionem suam instituere queat. Alii coram quovis judice remedium illud proponi posse censent, licet neque ratione diffamantis neque diffamati alias competens sit, cum diffamans ipsa diffamatione se ad hoc arctet *v.* DN. BERG. *d. l. §. 20.* Verum cum ratio hæc supponat illud de quo quæritur, hinc sententia illa parum probabilis, ac illi fere similis est, quæ eum, qui in loco condicto non solvit, velut vagabundum, ubique posse conveniri contendit.

§. 11. Alia quæstio est, an provocatio coram illo judice diffamati fieri queat, qui in causa principali judicare nequit, e. gr. an ob causam matrimonialem quis provocari queat in judicio seculari? Dicendum hoc videtur, cum (1.) diversa sint judicia provocatorium & principale, adeoque sufficiat, quod judex quoad illud sit competens, præterea (2.) in illo saltem intendatur, ut agat diffamans, non ubi agat, hinc etiam (3.) ejus sit electio, quo in judicio diffamati actionem principalem velit instituere *v.* MEV. *p. 3. D. 212.*

§. 12. Verum rectius illud negatur *v.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 1. enunc. 29.* nam frustra ad agendum quis provocatur eo in judicio, in quo agere nequit, aut frustra petitur, ut judex silentium imponat, i. e. auxilium neget ei, quem si vel maxime velit, juvare nequit. Sane manifestum est, hæc sibi vel contradicere, vel saltem non cohærere: *Volo ut agas, ubi agere nequis* aut: *peto ut ejus actionem impositum non recipias, quam, si vel maxime velis, admittere non potes.* Ex quo liquet, quod ille, qui ratione judicii principalis est incompetens judex, etiam ratione provocatorii talis sit.

§. 13. Ex quibus etiam rationes oppositæ facile diluuntur: Nam judicium præparatorium & principale quidem differunt, attamen hujus institutio, illius est materia, de hac vero cum judex imploratus judica-

dicare nequeat, hinc etiam ratione judicii præparatorii incompetens esse deprehenditur. Esto igitur, quod in hoc saltem intendatur, ut agat diffamans, non ubi agat, attamen nec de primo judex cognoscere potest. Denique ex electione diffamantis hoc saltem sequitur, quod causa principalis diversis judicibus competentibus possit subjici, non autem, quod ad incompetentem etiam possit trahi. Origo erroris inde est, quod judicii principalis *institutio* & *tractatio* non fuerint discretæ: Hæc cum ad judicium præparatorium non pertineat, hinc causam principalem illud plane non ingredi, sed ab eo penitus separatam esse, male fuit existimatum.

§. 14. Ut autem judicium diffamatorium admitti & citatio decerni queat, diffamatio summariter probanda est CARPZ. *tit. 20. art. 3. n. 1. p. 1. C. 7. D. 28.* documento originali vel copia vidimata aut etiam attestato testium, non autem juramenti delatione BERG. *in elect. proc. provoc. §. 26. 27. 28.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 1. enunc. 20. 21.* De cætero processus diffamatorius est summarius CARPZ. *Pr. tit. 1. art. 1. n. 49.* in eoque provocans actoris, provocatus vero Rei vicem sustinet CARPZ. *tit. 20. art. 1. n. 21.* BERG. *d. l. §. 19.* Gvarandam tamen & satisdationem in foro Saxonico provocans non præstat CARPZ. *d. tit. 20. art. 3. n. 6.* BERG. *d. l. §. 25.*

§. 15. Si in termino præfixo diffamans diffamationem neget, plena probatione convincendus est *v.* RIVIN. *d. tit. 1. enunc. 21.* & forte delatio juramenti, quam, ad inchoandum processum diffamatorium, non admitti modo diximus, tum etiam locum habet. Si vero diffamans vel statim vel convictus diffamationem confiteatur, poterit super ejus contentis, antequam ei per sententiam probatio fuerit injuncta, diffamato juramentum deferre *v.* RIVIN. *d. tit. 1. enunc. 25.* BERG. *d. l. §. 40.* Omissa autem delatione judex diffamanti probationem contentorum, e. gr. intra duplicatum spatium Saxonicum peragendam, imponit CARPZ. *tit. 20. art. 1. n. 14. art. 3. n. 37.* BERG. *d. l. §. 35.*

§. 16. Utroque autem casu, sive per juramentum, sive probationem aliam contenta diffamationis ad liquidum sint deducenda, processus diffamatorius in principalem degenerat, cujus exitus est, ut diffamato juramentum recusante vel deferente, diffamans absolvatur eique expensæ restituantur, illo autem juramentum præstante, diffamanti per-

petuum silentium sine expensis tamen, imponatur *v.* BERG. *d. l.* §. 41. Forte etiam primo casu diffamatus, ratione causæ principalis, condemnari potest; æquum sane hoc puto, cum juramentum recusans putativæ diffamationis contenta fateatur, etsi juxta regulas forenses condemnatio forsitan omittitur.

§. 17. Porro si diffamans diffamationem probet, diffamatus condemnatur, ex quo id, quod modo dixi, etiam magis probabile redditur; Si vero in probatione deficiat, perpetuum silentium ei imponitur, ad hanc tamen condemnationem non aliter posse perveniri, quam si expresse sub comminatione perpetui silentii probatio fuerit injuncta, alioquin omissa hac clausula diffamantem, etiam post elapsum terminum probatorium, adhuc admittendum esse, quidam censent. De cætero effectus silentii perpetui est, ut diffamans in nullo judicio amplius sit audiendus *v.* BERG. *d. l.* §. 42. de quo ex fundamentis *lib. 1. c. 10.* in genere propositis judicandum.

§. 18. Quando de diffamatione satis constat, potest etiam judex diffamantem ad actionis principalis institutionem compellere, qui modus præcipue observandus esse perhibetur, quando causa principalis est ordinaria *v.* CARPZ. *tit. 20. art. 3. n. 43.* imo in genere melius esse existimatur, si nullo casuum discrimine actionis institutio imponatur BERG. *d. l.* §. 55. Sed tamen modus præcedens abbreviandis litibus est accommodatior. Quodsi diffamans intra terminum præfixum actionem non instituat, perpetuum silentium ei quoque imponitur CARPZ. *d. tit. 20. art. 3. n. 46.* BERG. *d. l.* §. 35. 36.

§. 19. De cætero in arbitrio diffamantis est, utrum coram judice judicii diffamatorii, an alio actionem principalem instituere velit CARPZ. *tit. 20. art. 2. n. 15.* BERG. *d. l.* §. 22. *seqq.* modo competens sit *v.* §. 10. *seqq. h.* Instituta autem actione principali, judicium diffamatorium evanescit CARPZ. *tit. 20. art. 1. n. 23.* BERG. *d. l.* §. 46. hinc etiam frustraneum est, eum qui jam actionem ultro instituit, remedio ex L. diffamari ad agendum provocare *v.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 1. enunc. 30.* Exitus autem institutæ actionis est ordinarius, nam, actore vincente, reus condemnatur, succumbente, absolvitur, nec opus est ut illi silentium imponatur, cum sola absolutio reo securitatem præstet.

§. 20. Si in judicio diffamatorio, diffamatus emaneat, diffamans

ab

ab instantia absolvitur ac insuper contumax in expensas & cautionem de lite prosequenda condemnatur. Si vero diffamans emaneat, ejus contumacia non tribus, ut nonnulli censent *v.* CARPZOV. *tit. 20. art. 3. n. 18.* sed duabus saltem sententiis coercetur, nam prima vice ei injungitur responsio sub pœna perpetui silentii, &, contumacia perseverante, silentium imponitur *v.* RIVIN. *d. tit. 1. enunc. 26.* Potest etiam condemnatio in legitima impedimenta & executionem suo modo hic adhiberi. Ut autem ad pœnam silentii perpetui perveniri queat, requiritur, ut citatio legitime decreta, ac non tantum emanentis contumacia accusata, sed & sententia interlocutoria desuper lata sit BERG. *in elect. proc. provoc. §. 29. seqq.*

§. 21. Remedium ex L. si contendat, est *provocatio eo fine facta, ut cunctans adversarius jus suum deducat, aut, hoc non facto, imposito ei silentio, jus provocantis confirmetur.* Fundatum esse censetur in *l. 28. de fidejuss. v.* CARPZ. *tit. 20. art. 4. n. 1.* quod tamen recentiores non admittunt *v.* BERG. *d. l. §. 47.* de quo non valde litigandum ob rationem *§. 2. h.* datam. Habet locum hoc remedium, quoties quis juris sui deductionem, in alterius præjudicium, differt. In specie igitur adhiberi potest contra successores feudales, quo ad liquidum deducatur, num res quædam feudo cohærentes, allodiales an feudales sint. *v.* BERG. *d. l. §. 51.* Inprimis vero circa exceptionem divisionis fidejussoribus competentem ejus usus se exserit.

§. 22. Ex sententia nonnullorum hoc remedium proponitur per modum actionis *v.* CARPZ. *tit. 20. art. 4. n. 1. seqq.* Alii per modum exceptionis illud adhiberi, nec adversarium ad agendum, sed replicandum eodem provocari censent DN. BERG. *d. l. §. 1. 48.* DN. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 1. enunc. 22.* Rursus alii illud tam per modum actionis, quam exceptionis proponi posse existimant, ut etiam posteriori casu provocato liberum sit, utrum replicando respondere, an actionem instituere velit. *v.* DN. BARTH. *dissert. de negat. contract. unilat. §. 5.*

§. 23. Enimvero cum omne jus regulariter, pro re nata, ad agendum, excipiendum & replicandum sit habile, fallax videtur doctrina, quæ aliquo illo externo accidentalique juris habitu secure nimis nititur. Mihi sic potius videtur: Utrumque remedium ex *L. si contendat, & diffamari* omni casu (si modo diffamatio non nuda sit injuria) ut exceptionem & actionem posse considerari: Nam, si facta provocatione,

ad

ad discussionem causæ principalis statim deveniatur *v.* §. *16. h.* pro *exceptione*, aut minimum *juris negatione* utrumque recte habebitur; si vero provocatus actionem instituat, *actionis præparatoriæ* instar erit. Ex quo sequitur, quod utriusque remedii eadem sit tractandi ratio ac idem exitus.

§. 24. Illud etiam ex dictis liquet, discrimen utriusque remedii, ab externo illo juris habitu non posse repeti. Vera differentia dependet à materia: Remedium ex L. diffamari præsupponit *diffamationem*, ex L. si contendat, *cunctationem*, hinc etiam vulgo recte dicitur; in illo requiri diffamationis probationem, in hoc autem non, quia scilicet nulla diffamatio adest *v.* CARPZ. *tit. 20. art. 4. n. 24.* Neque hæc doctrina tendit in fraudem legis, ceu veretur DN. THOMAS. *in not. ad* HUBER. *posit. ff. de O. & A. n. 8.* nam non remediorum illorum surrogatio, sed uniuscujusque in sua materia usus eâdem indicatur.

§. 25. Quoad probationem in causa principali, nihil singulare vel diversum occurrit, sed, juxta commune principium, affirmanti incumbit probatio, aut ex duobus affirmantibus ei, qui contra se habet præsumtionem, hinc nec semper provocato *v.* CARPZ. *tit. 13. art. 1. n. 36. tit. 20. art. 4. n. 18.* nec provocanti *v.* BRUNNEM. *proc. civ. c. 18. n. 1. in fin.* sed nunc huic nunc illi, prout circumstantiæ id exigunt, probatio est imponenda.

§. 26. In specie quæritur, num fidejussor, qui quoad divisionis exceptionem, creditorem provocavit, confidejussoris idoneitatem probare debeat? Negat hoc CARPZOV. *l. 3. Resp. 64.* asserit vero DN. BERG. *in elect. proc. provoc.* §. *49.* Prior sententia verior videtur, nam idoneitas, cum ab initio adfuerit, præsumitur, hinc fidejussor beneficio divisionis tamdiu merito nititur, donec adversarius defectum idoneitatis probaverit. Non obest, *quod idoneitas sit facti*; est sane, sed talis quod præsumitur, ac è contrario defectus idoneitatis est etiam facti, verum ejusmodi, quod non præsumitur, hinc probari debet. Nec porro obstat *l. 10. de fidejuss.* ibi enim non de *probatione idoneitatis*, sed *cautionis in casu dubio oblatæ admissione* sermo est *add. Supr. l. 2. c. 6. §. 15. conf.* BERG. *in resol.* LAUT. *de duob. reis qu. 7.*

CAPUT

CAPUT XV.

DE PROCESSU POSSESSORIO.

SUMMARIA.

Ex regulis prudentiæ petitorium & poſſeſſorium diſtingui cœpit §. 1.

In hoc explicando interpretes diſſentiunt, cum epicriſi §. 2. 3.

Quoad materiam judicii poſſeſſorii itidem interpretes non conveniunt §. 4.

Probatur ſententia communis quoad diſcrimen poſſeſſorii ordinarii & ſummarii §. 5.

Comparatio utriusque quoad uſum §. 6.

Proceſſus ſummarius in Saxonia eſt vel talis in ſpecie vel inhibitivus §. 7.

Ordinarius & ſummarius in ſpecie ex conſvetis regulis eſt intelligendus §. 8.

Inhibitionis indoles & materia §. 9.

Eam decernit judex competens prævio monitorio & aliquando excitatorio §. 10.

Inhibitionis qualitas, inſinuatio & repetitio §. 11.

Inhibitionis ad paritionem ſublatæ effectus §. 12.

Ceſſante paritione ac oſtenſa facti juſtitia vel implorante emanente aut ob defectum caſus inhibitivi vel vitium formæ inhibitio relaxatur §. 13.

Deficiente juſtitiæ demonſtratione aut in contumaciam inhibiti emanentis confirmatur ſed ſine refuſione expenſarum §. 14.

Inhibitus, confirmata inhibitione, etiam pœnam incurrit, niſi in petitorio vincat, vel lis transactione componatur §. 15.

Integra etiam pœna exigitur ſi ex parte inhibitio confirmata vel uni ſaltem paritum ſit §. 16.

In dubio inhibitio in citationem reſolvitur ac proceſſus inhibitivus in ordinarium commutatur §. 17.

Inſtituto petitorio aut poſſeſſorio tantum, de utroque recte pronunciat judex, ſi probatio ſufficiens adſit §. 18.

Epicriſis de cumulatione petitorii & poſſeſſorii §. 19.

Omne poſſeſſorium cum illo cumulari poteſt §. 20.

Poſſeſſorium quoque ordinarium & ſummarium cumulare licet §. 21.

Cumulatio actionum non ſtatim aſſerenda ob allegationem nonnullorum, quæ ad aliud judicium pertinent §. 22.

§. I.

NOn tantum de ipſa re, ſed & poſſeſſione litigari ſolet, ac, in tanta proceſſuum ambiguitate & tarditate, conſultum eſt, non omne jus, ſed illud ſolum, quod paulo celerius expediri ac poſſeſſionem præſtare poteſt, urgere *v. l. 24. de R. V.* Inde oritur diſcrimen judicii *petitorii*, quod ipſam rem & jus principale, & *poſſeſſorii*, quod poſſeſſionem ſaltem reſpicit. Præcipue autem illud occurrit circa jura realia *v.* CARPZ. *Pr. tit. 1. art. 5. n. 1. ſeqq.* poteſt tamen etiam, quoad perſonalia, ut in locationibus prædiorum, hodie inprimis locum habere.

§. 2. In explicanda autem poſſeſſorii diverſitate interpretes non conſentiunt. Communiter Poſſeſſorium in *Ordinarium* & *Summarium* ſive *Summariſſimum* diſcernitur CARPZ. *d. tit. 1. art. 5. n. 31. ſeqq.* Sed utiquidam differentiam illam plane non admittunt, ita alii poſſeſſorium ordinarium non ratione *modi procedendi*, ſed ſaltem *probationis* ſic dici poſſe contendunt, eo ſenſu: in ordinario poſſeſſorio requiri plenam probationem, ſed ſolennia proceſſus ordinarii, ac in ſpecie etiam illa, quæ circa probationem occurrunt, ab eodem abeſſe, nam omne judicium poſſeſſorium, cum ſit præparatorium petitorii, natura ſua eſſe ſummarium *v.* DN. BERG. *in elect. proc. poſſeſſ. §. 1. 29. in elect. proc. provoc. §. 10.*

§. 3. Sed alii rem invertunt, exiſtimantes, poſſeſſoria plena hodieque ſummaria eſſe debere, quatenus in iis ſemiplena probatio ſufficiat *v.* HUBER. *in poſit. ad I. de interd. n. 9.* juxta quam ſententiam poſſeſſorium ordinarium ſic dicitur ratione *modi procedendi*, non vero, *probationis.* Ex hac variatione hoc ſequi videtur, rationem, qua una vel altera ſententia defenditur, omni exceptione non eſſe majorem, adeoque nihil cauſæ ſubeſſe, cur in re, certo jure non definita, communem ſententiam eique ſurrogatum fori uſum, magni erroris arguere debeamus.

§. 4. Quoad materiam, judicium poſſeſſorium ordinarium & ſummarium non differt ex communi ſententia, hinc in hoc etiam interdicta adipiſcendæ & recuperandæ poſſeſſionis tractari poſſunt *v.* CARPZ. *l. 1. Reſp. 9.* Sed alii Summarium ad ſolam cauſam retinendæ poſſeſſionis reſtringi jubent in eoque de ſolo poſſeſſionis facto præſenti, nulla temporis aut modi habita ratione, diſquiri exiſtimant, ut tamen unicus actus poſſeſſorius, qui cauſam & occaſionem liti dedit, ad victoriam non ſufficiat, niſi antea à parte adverſa fuerit approbatus *v.* BERG. *de proc. poſſeſſor. §. 2 4. 24.*

§. 5. Mihi hactenus placet communis diſtinctio, ejusque fundamentum non incommode, ex *diverſo poſſeſſionis ſtatu* repeti poſſe videtur: Nam aliquando poſſeſſio *evidens* quidem ſed non ſatis *ſolida* eſt, ſicut è contrario *ſolidior*, quandoque *evidentia* deſtituitur. Illo caſu Summarium, hoc, ordinarium locum inveniet, perinde ſicut actioni executivæ ordinaria opponitur, ac per hanc illius effectus eliditur.

§. 6 Non

§. 6. Non tamen existimandum quasi hæc judicia se semper insequantur: Nam aliquando statim ordinarium potest institui, vel etiam per summarium tota possessionis controversia expediri, ac ordinario materia velut subtrahi: Aut si hæc suppetat, loco possessorii ordinarii, statim petitorium moveri *v.* CARPZ. *tit 1. art. 5. n. 33. seqq.* Præterea non videtur negandum, quin in possessorio ordinario, judex à consvetis regulis, ex justa causa, abire ac in eo summariter procedere queat, cum hæc facultas, quoad processum ordinarium, in genere illi asseri soleat *v. c. 12. §. 2. h.*

§. 7. Processus summarius, in Saxonia Electorali, distingvitur in *summarium in specie*, in quo, instituta actione, ex æquo & bono proceditur, & *inhibitivum*, in quo, ad factam implorationem, inhibitiones decernuntur, per quas peculiaris forma ei conciliatur *v.* CARPZ. *tit. 1. art. 5. n. 59.* Hic in Curiis Provincialibus solet observari CARPZ. *tit. 23. art. 1. n. 9. seqq.* aliis tamen judiciis mixtum imperium, etiam in causis possessoriis, per præcepta pœnalia exercendi potestas competere censetur, sicut inhibitionis à Curiis provincialibus haut decernendæ esse perhibentur, si causæ possessoriæ coram alio judicio jam sint institutæ *v.* CARPZ. *d. tit. 23. art. 2. n. 49.* BERG. *de proc. possess. §. 6. n. 1. 2.*

§. 8. Processus possessorius ordinarius & summarius in specie, ex consvetis horum processuum regulis, quæ hic præsupponuntur, intelligendus est. In specie quoad probationem moneri solet, quod in summario leviores probationes admittantur, adeoque unus testis juratus, vel duo injurati faciendæ fidei sufficiant *v.* CARPZOV. *tit. 23. art. 1.* quod ultimum tamen in *Decis. Saxon. 1.* ad casum imminentis periculi restringitur. Delationi juramenti in Summario locum non esse aliqui censent, sed contrarium verius videtur *v.* BERG. *d. l. §. 3. in fin. §. 28. seqq.* add. *§. 37. 43. seqq.*

§. 9. De processu inhibitivo nonnulla specialius tradenda sunt. Inhibitio est *præceptum pœnale super momentanea & litigiosa possessione contra turbatores, cum clausula justificatoria legitime decretum.* Decernitur in causis retinendæ possessionis contra turbatores, quod tamen non ita stricte accipiendum, ut causæ recuperandæ possessionis plane excludantur *v.* CARPZ. *tit. 23. art. 2.* Hoc sane eo magis admittendum, quo minus sæpe turbatio & dejectio discerni possunt, aut saltem

tem quoad effectum differre ſolent. Imo in cauſis etiam adipiſcendæ poſſeſſionis, ſi non inhibitiones, tamen mandata pœnalia dari poſſent, etſi hactenus uſus fori id non obſervat.

§. 10. Decernit inhibitionem judex competens, ad imploratio-nem ejus qui ſe læſum putat, prævio *monitorio*, quo lædenti injungitur, ut vel à gravando deſiſtat, vel facti ſui rationes intra certum tempus, utplurimum quatuordecim dies, Judici ſignificet. Hoc monitorium eſt inſtar citationis adeoque per nuncium juratum recte inſinuari ac de inſinuatione relatio fieri debet. Secuta reſponſione, judex utriusque partis fundamenta perpendit, ac ſi ita viſum fuerit, inhibitionem decernit. Quodſi de inſinuatione monitorii non conſtet, vel monitus non reſpondeat, *excitatorium*, quod vocant, emitti, ac perſeverante contumacia, inhibitio ſine reſponſione dari ſolet.

§. 11. Eſt autem inhibitio *mandatum pœnale*, nam ſub pœna 50. aureorum Rhenenſium paritio injungitur: Eſt tamen ſimul *mandatum cum clauſula juſtificatoria*, hinc non aliter paritionem exigit, quam deficientibus juſtis cauſis, hæ verò ſi doceri queant, inhibitio impune negligi poteſt. Inprimis ergò illa vim ſuam perdit, ſi inhibitus juſſu Principis aliquid fecerit, hinc caſus hic in inhibitione diſerte ſemper excipitur. De cætero inhibitio per miniſtrum publicum legitime eſt inſinuanda, ac eo nomine relatio facienda. Si inhibitus non pareat, ſine monitorio ſecunda tertiaque imo plures inhibitiones decernuntur, pœna ſemper duplicata *v.* CARPZ. *tit. 23. art. 3.*

§. 12. Si inhibitus pareat, in proximo termino Curiæ, vel in perſona vel per mandatarium, inſtrumentis aut teſtibus idoneis docere debet, quod ſtatim & plene paruerit, quo facto, inhibitio per decretum, *einen abſchied in der Güte* relaxatur CARPZ. *tit. 23. art. 4. n. 7. ſeqq.* Per id vero inhibitus hautquaquam conſtituitur in poſſeſſione, neque etiam liberatur à neceſſitate reſtituendi expenſas & damna, niſi probabiles rationes facti ſui inſuper reddere queat *v.* BERGER. *in elect. proc. poſſeſſ. §. 6. n. 4. 5.* nam paritio quidem oſtendit quod inhibitioni ſatisfecerit, non autem, quod ante eam recte egerit. Imo, facta ad paritionem relaxatione, inhibens ſive implorans poſſeſſor conſtituitur CARPZ. *d. art. 4. n. 56.*

§. 13. Quodſi non pareat inhibitus, in Termino præfixo ſuper juſtitia

ſtitia omiſſæ paritionis diſceptatur. Si igitur eam, etiam probatione leviori, doceat, inhibitio caſſatur ac inhibitus in poſſeſſione conſtituitur CARPZ. *tit. 23. art. 4. n. 20. ſeqq. n. 56.* expenſas tamen ab imprecante non recuperat, cum hunc decreta inhibitio à temeritate excuſet CARPZ. *d. l. n. 42.* Relaxatur etiam inhibitio, ſi implorans in termino emaneat, ac inhibitus, ejus contumacia accuſata, relaxationem petat CARPZ. *d. l. n. 45.* quo caſu, præter effectum poſſeſſionis, etiam expenſas ei reſtitui, æquum videtur, nam præſumtionem ex inhibitione ortam, contumacia ſua à ſe velut repellit. Si ob defectum caſus inhibitivi vel vitium formæ inhibitio relaxetur, iſta relaxatio inhibito poſſeſſionem non præſtat BERG. *d. l. §. 6. n. 4.*

§. 14. Vice verſa ſi inhibitus facti ſui idoneas rationes reddere nequeat, aut etiam contumaciter emaneat, inhibitio confirmatur ac implorans poſſeſſor declaratur. Neutro tamen caſu inhibitus expenſas refundere tenetur, quia *clauſulam juſtificatoriam pro ſe habet*, ut vult CARPZ. *d. art. 4. n. 36. 40. 45. ſſ.* quæ tamen ratio parum ſolida eſt, nam clauſula illa facultatem cauſas adducendi inhibito quidem largitur, ſed juſtis cauſis deſtitutum non excuſat. Ratio igitur inde potius repetenda, quod *inhibitus in petitorio jus ſuum adhuc deducere queat:* Ex quo ſequitur, quod in hoc ſuccumbens etiam in expenſas poſſeſſorii ſit condemnandus.

§. 15. Præterea confirmatæ inhibitionis is etiam eſt effectus, quod Fiſcalis multam ab inhibito exigat. Hactenus tamen exceptione inſtituendi petitorii ille excludi poteſt, ne vero hoc nimium differat inhibitus, certus terminus ei præfigitur; Hunc ſi elabi patiatur, vel in petitorio ſuccumbat, exactio pœnæ cum effectu fieri poteſt: Si autem vincat, pœna ceſſat. Num idem dicendum ſi lis tranſactione componatur, dubia quæſtio eſt *v.* BERG. *in elect. proc. poſſeſſ. §. 6. n. 8.* affirmativa tamen ſententia verior videtur: Nam pœna non ſimpliciter, ſed ſub conditione injuriæ alteri illatæ imponitur, hæc vero conditio non tantum deficit, ſi inhibitus vincat, ſed & ſi cum adverſario tranſigat.

§. 16. Si inhibitio quoad unum alterumve articulum confirmetur, quoad alium vero relaxetur, multam dividendam ac pro rata ſolum articulorum confirmatorum exſolvendam eſſe, quidam exiſtimant *v.* CARPZ. *d. art. 4. n. 69.* ſed integra potius pœna præſtanda erit:

Nam ob unicum caput inhibitio pœnalis decerni potuiſſet, ergo in uno etiam injuſte admiſſa & continuata turbatio ſolidam pœnam meretur *v.* BERG. *d.* §. *6. n. 6.* Quodſi, inhibitionibus repetitis, ultimæ demum pareat inhibitus, multa præcedentibus inſerta nihilominus exigitur CARPZ. *d. art. 4 n. 65.*

§. 17. Aliquando, inſtituta deductione, jura partium dubia deprehenduntur, quo caſu inhibitio in vim ſimplicis citationis reſolvitur, ac proceſſus inhibitivus in ordinarium commutatur ex doctrina CARPZOVII *tit. 23. art. 4. n. 51.* quæ tamen diſplicet DN. BERGERO *d.* §. *6. n. 7.* exiſtimanti, judicium manere ſummarium ac ejus modum ſaltem variari. Sed CARPZOVIUS videtur loqui ex hypotheſi communi, hactenus falſitatis nondum ſatis convicta; vel judicium dicere ordinarium, intuitu proceſſus inhibitivi, quo ſenſu etiam ſummarium ordinarii titulum ferre poteſt. De cætero, reſoluta in citationem inhibitione, impetranti liberum eſſe cenſetur, utrum nova actione experiri, an veterem continuare velit.

§. 18. Inſtituto petitorio & probato duntaxat poſſeſſionis jure, ſuper hoc judex pronunciare non poſſe cenſetur: Sicut vice verſa, inſtituto poſſeſſorio de proprietate judicare nequit licet de hac ex actis liquido conſtet *arg. l. 18. comm. div. l. fin. C. de fideicom. libert. c. fin. X. de cauſ. poſſeſſ. & propr.* niſi utroque caſu clauſula ſalutaris libello ſit adjecta *v.* CARPZ. *l. 1. Reſp. 72. 73. Pr. tit. 1. art. 5. n. 18. 26.* LAUTERB. *C. J. de interd. n. 3. 4.* Sed iſta ex idea judicum pedaneorum fluunt, ac commendandis vulgaribus clauſulis dicuntur. Alias, cum cura promovendæ juſtitiæ judicibus incumbat, ſatis certum videtur, quod etiam non implorati de iis omnibus, quorum probatio ſufficiens in actis habetur, ſententiam ferre poſſint & debeant *add. Deciſ. Saxon. 13.*

§. 19. Ex illis interim principiis cumulatio petitorii & poſſeſſorii videtur habere originem, quo ſcilicet judex, ſe per eam, ad ſententiam in uno aut altero vel etiam utroque, prout probatio ceciderit, ferendam, adſtringi intelligat: Nam alias cumulationis illius nulla vel neceſſitas vel utilitas eſſe videtur; Si enim petitorium obſcurius ſit, illud cum poſſeſſorio cumulare, haut conſultum fuerit: Si vero ſit evidens, etiam ſine cumulatione in libello facta, ex æquitatis principio, judex de iis, quæ ſatis probata ſunt, ſententiam ferre poteſt.

§. 10. De

§. 20. De cætero poſſeſſorium adipiſcendæ & recuperandæ poſſeſſionis cum petitorio cumulari poſſe cenſent *v.* CARPZ. *p. 1. Reſp. 71. tit. 1. art. 5. n. 10.* etſi de jure civili cumulationem alii non admittant *l. 1. C. de appell.* VINN. *S. Q. lib. 2. qu. 39.* LAUTERB. *C. J. de interd. n. 9.* Retinendæ vero poſſeſſionis, cum petitorio cumulari nequit ex communi ſententia, cum ſibi ſint contraria hæc judicia *v. l. 188. de R. I. c. 54. X. de appell.* CARPZ. *tit. 1. art. 5. n. 11.* LAUTERB. *d. l. n. 8.* Verum licet interdictum retinendæ poſſeſſionis detur poſſeſſori, attamen etiam contra poſſeſſorem inſtituitur, hinc natura ejus non repugnat, quo minus cum petitorio cumuletur *add.* BERGER. *in elect. proc. poſſeſſor. §. 40.*

§. 21. Poteſt etiam poſſeſſorium ordinarium & ſummarium cumulari, nam licet is, qui ordinario ſeorſim experitur, adverſarium in præſenti poſſidere fateatur, quæ confeſſio ſummario repugnat, aliud tamen obtinet, ſi remedia illa cumulentur, nam tum, ex inſtitutione ordinarii, non magis talis confeſſio elici poteſt, quam ex cumulatione petitorii & poſſeſſorii, utut is, qui petitorium ſolum inſtituit, ſine dubio adverſarium poſſidere fateatur *add.* BERG. *d. l. §. 41.*

§. 22. Illud circa cumulationem in genere cavendum, ne invito actori eam obtrudamus ex eo ſolo, quod quædam ad aliud judicium pertinentia allegaverit, non enim animo cumulandi diverſas actiones, ſed inſtitutam adjuvandi, id feciſſe potuit. Hinc ſi in poſſeſſorio ſummario actor libellum ita formet: *er ſey in poſſeſſione vel quaſi von 10. und mehr jahren biß itzo*, inepta cumulatio ei fruſtra objicitur, ſed nec prudenter facit actor, ſi, illi amovendæ, dicat, ſe utrumque poſſeſſorium inſtituiſſe, cum rectius contendat, ſe juvando ſummario ex libertate mentionem antiquæ poſſeſſionis injeciſſe: Sane enim præſens poſſeſſor, in ſummario inſtituendo, ideo deterioris conditionis eſſe non debet, quod etiam ab antiquo poſſederit.

CAPUT

CAPUT XVI.
DE PROCESSU CRIMINALI.

SUMMARIA.

Circa processum criminalem laxius supposítum personarum & materiæ cognitio præsupponitur §. 1.
Proceditur in criminalibus per accusationem & inquisitionem §. 2.
Processus accusatorius, quoad substantialia, cum civili convenit ac hodie rarior est §. 3.
Inquisitionis diversitas ac cum accusatione comparatio §. 4.
Indiciorum natura varietas §. 5.
Necessitas probatio & effectus §. 6.
Inquisitio specialis tribus partibus constat, ad primam pertinet incarceratio §. 7.
Custodia cautio judicio sisti & salvus conductus §. 8.
Generalis salvi conductus concessio & effectus §. 9.
Specialis causa efficiens materia & efficacia §. 10.
Desinit confessione & elapso tempore §. 11.
Non conceditur salvus conductus nisi præstita cautione judicio sisti §. 12.
Reus latitans literis arrestatoriis requirendus ac deprehensus judicii exhibendus est §. 13.
Ad secundam inquisitionis partem pertinet examen rei §. 14.
Probatio alia, testium confrontatio §. 15.
Ac tortura §. 16.
Regulariter omnes delinquentes torqueri possunt §. 17.
Sed solum in delictis gravioribus, ac præsentibus legitimis indiciis §. 18.
Criminis plene convictus torturæ subjici non debet, ac sine indiciis instituta quæstio ex postfacto convalescere potest §. 19.
Torturæ instituendæ locus tempus & modus §. 20.
Interrogatio prudenter & juste fieri debet §. 21.
Constanter negans absolvitur, ob nova tamen indicia in quæstionem repeti potest §. 22.
Confessus condemnatur §. 23.
Quoad reum variantem repetitio torturæ & impositio pœnæ est quodammodo dubia §. 24. 25.
Desiderata in vulgari illa doctrina §. 26.
Torturæ moralitas §. 27. 28.
Tertia pars inquisitionis consistit in sententia definitiva, quavis autem in parte defensio reo permittenda §. 29.
Executio in criminalibus multiplex est §. 30.
Epricisis de ritibus circa pœnarum capitalium executionem adhiberi solitis §. 31.
Executio capitalis rite peragenda §. 32.
Cadavera punitorum regulariter sepelienda §. 33.
Capitalia supplicia olim sequebatur confiscatio bonorum §. 34.
Sed hodie illa regulariter cessat §. 35.
Sumtus executionis aliquando reus, quandoque Magistratus nonnunquam subditi ferre debent §. 36.
Circa pœnas aliquando locus est urbedæ ac restitutioni in integrum §. 37.

§. 1.

UT de hoc etiam nunc breviter agamus, contextus disciplinæ nostræ exigit *v. c. 2. §. 1.* Processus criminalis stricte acceptus ad ea delicta pertinet, ob quæ pœna corporis afflictiva imponitur, sed hic laxius supponitur pro eo, *quo pœna publica, cujus scilicet emolumentum non cedit læso, exigitur v.* CARPZOV. *Pr.*

Pr. tit. 1. art. 4. n. 1. seqq. De *personis judicium criminale constituentibus* agendum non erit, sed instituto nostro sufficiunt ea quæ *cap. 1. §. 10. seqq.* diximus. Interim certum est, quod specialior judicii criminalis, & inprimis judicis competentis cognitio ex legibus cujusvis Territorii sit haurienda *v.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 4. c. 15. seqq.* CARPZ. *Pr. Crim. p. 3. qu. 109. 110.* Porro judicii criminalis *materiam* constituunt omnis generis delicta, quorum cognitio hic itidem præsupponitur.

§. 2. Tantum igitur de *modo procedendi* & *executione* aliqua dicenda sunt. Illum quod attinet, in criminalibus per *accusationem* vel *inquisitionem* proceditur. Illa est *criminis ad judicem delatio & persecutio, vindictæ publicæ causa, facta v. l. 7. de accus. l. 16. 19. 20. C. de his qui accus.* Sub ea etiam comprehendenda est actio e gr. injuriarum, qua pœna publica exigitur. Hæc est *indagatio criminis à judice vel ultro vel ad præviam denunciationem, vindictæ publicæ causa, instituta v. l. 2. §. 6. de adult. l. 3. l. 13. de offic præs. l. 1. C. de custod. reor. l. 7. C. de accus. Nov. 128. c. 21. add. c. 17. 24. X. de accus.* In sensu generaliori sub ea comprehenditur *Disciplina*, qua leviora errata, in judicio præcipue Academico & Ecclesiastico, coercentur.

§. 3. Processus accusatorius est vel *ordinarius* vel *summarius* pro delictorum diversitate *v. l. 6. de accusat.* ac, quoad substantialia, cum processu civili convenit, utut, quoad formam externam, nonnunquam valde ab eo discernatur *v.* MATH. *de crimin. l. 48. tit. 13. 14.* Sed cum hodie rarior sit, ideo ejus explicationi haut immorabimur *v.* CARPZ. *Pr. Crim. p. 3. qu. 103. seqq.* LAUTERB. *C. J. de accus. conf.* OBSERV. LAUT. *Obs. 1287. seqq.* Olim circa accusationem tria occurrere solebant delicta, Calumnia, Prævaricatio & Tergiversatio *v. l. 1. ad SCt. Turpill. l. 13. de test. l. fin. C. de accusat. l. 17. C. de pœn. v.* LAUTERB. *C. J. ad SCt. Turpill.* quæ hodie fere incognita sunt *v.* SCHILT. *ad ff. exerc. 49. §. 153.*

§. 4. Inquisitio est vel *generalis*, qua, ob nonnulla delicti indicia, in personam suspectam inquiritur, vel *specialis*, qua, num persona suspecta, per inquisitionem generalem vel statim deprehensa, delictum revera commiserit, indagatur *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 107. 108.* De cætero processus inquisitorius, ratione accusatorii, dicitur *extraordinarius*, quod etiam jure Romano verum, sed juxta usum hodiernum res potius

Digitized by Google

inverti debet, & licet hodie etiam inquisitionem accusationi cedere debere existimet CARPZOV. *p. 3. qu. 107. n. 35. seqq.* attamen non satis probat, ac contrarium tam usus, quam rationes civiles potius exigunt.

§. 5. Sive autem generalis sive specialis inquisitio suscipienda sit, indicia adesse debent. Hæc in genere sunt *circumstantiæ ex quibus veritas delicti commissi certo vel probabiliter colligitur.* Tripliciter autem considerari possunt (1.) ratione *objecti*, ac sunt vel *communia* omnium, vel *propria* nonnullorum delictorum (2.) *connexionis cum objecto*, & discernuntur in *naturalia*, quæ cum delicto physice connectuntur, & *accidentalia*, quæ sine ejusmodi connexione circa illud occurrunt (3.) *modi quo delictum circumstant*, & sunt vel *remota*, *minora* seu *minus plena*, quæ remote, ac *propinqua* seu *plena*, quæ propius certiusque delictum indicant *v. Ord. Crim. art. 25. seqq.* CARPZ. *p. 1. qu. 108.* LAUTERB. *C. J. de quæst.*

§. 6. Non tantum circa inquisitionem instituendam, sed & incarcerationem ac inprimis torturam, indiciorum est habenda ratio. De cætero, ratione certæ alicujus personæ, vel notoria esse, vel legitime probari debent, ex ipso autem indicio ad delictum semper ratiocinatione infertur. Et regulariter quidem indicia saltem suspectum aliquem faciunt, ejusque effectus diversi iterum sunt gradus, naturalia tamen, ut si virgo prægnans sit, factum plene probant. Illud autem ex æquitate facile liquet, pro ratione ejus, quod suscipiendum est, leviora vel fortiora indicia, eorumque diversam probationem requiri *v. Ord. Crim. art. 6. 23. 30.* Si periculum in mora sit, ex levibus etiam indiciis ad inquisitionem aut incarcerationem judex cordatus properare poterit.

§. 7. Inquisitio specialis tribus partibus generalibus constat (1.) *custodia Rei* (2.) *veritatis indagatione* & (3.) *sententiæ dictione.* Primo adeo Judex de persona delinquentis debet esse certus, ne alias judicium reddatur eluforium: Hoc variis mediis obtineri potest, quæ tamen non indistincte adhiberi debent. Pertinent eo (1.) *Incarceratio.* Carcer est *conclave probe munitum, in quo suspecti à Magistratu detinentur.* Hactenus non est pœna, sed custodia, hinc quantum fieri potest, tolerabilis esse debet *v. l. 8. §. 9. de pœn. l. 3. ff. l. 1. 2. C. de custod. reor.* Fit autem incarceratio ob delicta graviora, prævis legitimis indiciis, in quibus æstimandis personarum etiam solet haberi ratio *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 111.* LAUT. *C. J. de custod. reor.*

§ 8. Ad

§. 8. Ad media cuſtodiendi ſpectat (2.) *cuſtodia in ſpecie*, qua vel in *domo ſua vel alio in loco*, *additis nonnunquam cuſtodibus*, *ſuſpecti aſſervantur*, cujus uſus ex qualitate delicti & conditione perſonæ fere dependet *v. Nov. 134. c. 1. l. 1. 14. de cuſtod. reor.* (3.) *cautio judicio ſiſti*, quæ, pro ratione delicti, fidejuſſoribus jurejurando vel nuda promiſſione fieri poteſt *l. 1. de cuſtod. reor.* (4.) *Salvus conductus*, qui in *generalem* & *ſpecialem*, in foro præcipue Saxonico. diſtingvitur.

§. 9. Generalis eſt *promiſſio ſecuritatis Reo à Magiſtratu facta.* Conceditur expreſſe & tacite, nam cuivis citationi ſalvus conductus, jure Saxonico, cohæret. Tribuit ſaltem ſecuritatem in diebus juridicis, quod tamen ita explicari ſolet, ut reus per triduum ſecurus reddatur. Cum fragilis omnino res ſit hic ſalvus conductus, ac raro majoris delicti reus ei confidat, hinc exiguus ejus videtur eſſe uſus. Specialis eſt *promiſſio ſecuritatis reo cautionem judicio ſiſti præſtanti facta v. Deciſ. Saxon. 76.*

§. 10. Non tantum Princeps ſed & plerumque Magiſtratus competens ſpecialem ſalvum conductum concedit, in delictis tamen gravioribus non aliter, quam ſi reus latitet, nec omnibus mediis adhibitis, ejus copia haberi queat. Tribuit autem reo plenam ſecuritatem etiam in diebus non juridicis, dummodo novum delictum non perpetret, *er muß ſich gleitlichen verhalten.* In alterius Magiſtratus jurisdictione reus ſecurus non eſt, magiſtratum tamen, qui ſalvum conductum conceſſit, eo fine cum alio colludere non debere, ex generali pactorum fide intelligitur.

§. 11. Qui contra ſalvum conductum offendit reum, arbitrarie punitur. Si reus crimen ſponte confiteatur, non obſtante ſecuritatis promiſſione, utpote adhunc caſum non pertinente, incarcerari & puniri poteſt. Conceditur ſalvus conductus vel expreſſe ad certum tempus, vel usque ad ſententiam criminalem, *biß was peinliches erkant wird:* Elapſo tempore exſpirat. In ſpecie igitur, lata ſententia criminali, ſi proceſſus inquiſitorius fuerit, ſtatim, ſi accuſatorius, poſt elapſum decendium, reus incarcerari poteſt.

§. 12. Non conceditur ſalvus conductus, niſi præſtita à reo cautione judicio ſiſti fidejuſſoria vel pigneratitia. Ejus quantitas jure Saxonico antiquo eſt unius Werigeldi i.e. 24. ſexagenarum antiquarum

seu 20. thalerorum: Sed usu id non servatur verum arbitrariæ quantitatis, centum ducentorum imo mille imperialium sponsio aliquando exigitur. Scopus ejus est, ut reus se judicio sistat, &, quod addendum videtur, expensæ judiciales inde haberi queant. Exspirante etiam salvo conductu, cautio nihilominus perdurat, eamque recipit reus, si causam absolvat; Si vero fidem fallat, judici illa in processu inquisitorio, in accusatorio autem, accusatori acquiritur, & nihilominus contra reum criminaliter proceditur, ac si haberi queat, pœna corporis afflictiva, fugitivus verò pœna banni coercetur *v.* CARPZ. *p.* 3. *qu.* 112.

§. 13. Quodsi reus, delicto commisso, aufugiat vel latitet, opera danda est magistratui, quo cum aliis mediis, tum literis arrestatoriis *Steckbrieffen* ad alios magistratus directis, in custodiam redigatur *v. l.* 1. §. 2. *de requir. vel absc. damn.* Si alibi deprehensus sit reus, jure Romano judici delicti commissi exhibendus est *v. l.* 7. *de custod. reor. l.* 3. *de re milit. l.* 7. §. 4 *l. fin. de accusat. l.* 28. §. 15. *de pœn. Nov.* 69. *c.* 1. *Nov.* 134. *c.* 5. id quod hodie non necessitatis sed voluntatis esse censetur, ut tamen sæpe, acceptis literis reversalibus, rei exhibeantur *v.* CARPZ. *p.* 3. *qu.* 110. *n.* 45. *seqq.* Verum uti Dominus Territorialis judicibus suis exhibitionis necessitatem dubio procul imponere potest *v.* CARPZ. *d. l. n.* 59. ita ex rationibus civilibus, inter libera Territoria, illa merito obtinere debebat *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obs.* 155.

§. 14. Postea judex de veritate criminis indaganda debet esse sollicitus *v.* §. 7. Eo fine reus *examinatur* vel summarie & generaliter vel specialiter super certis articulis inquisitionalibus, qui ex ipso facto formari, non vero de iis, quæ juris aut artis sunt, concipi, ac breves, perspicui, non captiosi, ita tamen comparati esse debent, ut veritas per illos commode erui queat: Nam uti illicitum est, captiosis quæstionibus simpliciores irretire, ita, articulos ea ratione formasse, ut mentientes confundantur, ad prudentiam pertinet *v.* CARPZ. *p.* 3. *qu.* 113. Promissione impunitatis vel levioris pœnæ confessionem judex non recte elicit ac promissio illa nullius est effectus *v. Decis. Saxon.* 91.

§ 15. Ob eundem finem judex *de alia probatione debet esse sollicitus*, hinc corpus delicti, si de eo nondum satis constet, investigandum, testes examinandi, ac ad colloquium cum reo instituendum sistendi, sive cum eo, stilo forensi, confrontandi sunt *v.* CARPZOV. *p.* 3. *qu.* 114.

qu. 114. TABOR *tr. de confront.* Quodſi reus delictum confiteatur, & nihil ſit quod fidem confeſſionis elevet, ad pœnam deveniri poteſt, hoc enim communis ratio oſtendit *v. l. 5. de cuſtod. reor. l. 1. §. fin. de quæſtion.* CARPZ. *p. 1. qu. 16. n. 1. ſeqq. qu. 26. n. 2. p. 3. qu. 108. n. 25. ſeqq.* Idem dicendum, ſi negans delicti fuerit convictus, hoc autem tum demum factum dici poteſt, ſi de ipſo delicto immediate teſtes omni exceptione majores deponant *v. l. 16. C. de pœn. O. C. art. 22. 69.* CARPZ. *p. 3. qu. 116. n. 35. ſeqq.*

§. 16. Quodſi neque confeſſus neque convictus, ſed ſaltem ſuſpectus ſit, eruendæ veritati, pro ratione delicti, indiciorum & perſonarum, jusjurandum purgatorium vel tortura adhibetur *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 116. n. 58. ſeqq.* Hæc eſt *interrogatio à judice, per corporis cruciatus, de crimine commiſſo, ad eruendam veritatem, ob juſtas cauſas, legitime inſtituta v. l. 10. 12. C. de quæſt.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1367.* Ejus diverſi ſunt gradus ac ſpecies, ex quibus uſitatas tantum judex adhibere, easque pro ratione delicti, indiciorum & perſonarum, rite temperare debet *v. l. 7. 10. §. 3. de quæſt. O. C. art. 58.* CARPZ. *p. 3. qu. 117.*

§. 17. Torqueri poſſunt regulariter omnes delinquentes: Quidam vero excipiuntur ob *animi vel corporis ſtatum*, ut furioſi, impuberes, valetudinarii, prægnantes & puerperæ *v. l. 1. §. 32. 33. de SCt. ſilan. l. 3. de pœn.* quidam ob *dignitatem* vid. *l. 8. §. 1. l. 11. 17. C. de quæſtion.* CARPZOV. *p. 3. qu. 118.* LAUTERB. *C. J. de quæſt. lit. S.* prior exceptio ex æquitate, poſterior ex lege poſitiva dependet, quæ ab omni proſopolepſia fortaſſis abſolvi nequit, niſi addita limitatio, qua in delictis atrociſſimis dignitatis privilegium ceſſare dicitur, imputationem eam excludit.

§. 18. Tortura autem ſaltem decerni poteſt in delictis gravioribus, quorum pœna eſt corporis afflictiva *v. l. 8. de quæſt. v.* CARPZ. *p. 3. qu. 119. p. 2. qu. 86. n. 25. p. 2. C. 53. D. 8.* LAUTERB. *C. J. de quæſt. lit. O.* in hunc tamen cenſum, ex principiis papalibus, male refertur hæreſis *arg. l. 4. §. 4 C. de hæret. v.* LAUTERB. *d. l. lit. S. in fin.* Non aliter vero ad torturam deveniendum eſt, quam ob urgentia indicia legitime probata *v. l. 1. §. 1. 4. l. 18. §. 1. l. fin. ff. l. 8. §. 1. C. de quæſt. l. 17. C. de falſ. O. C. art. 6. 7. 8. &c.* CARPZ. *p. 3. qu. 120. ſeqq.* LAUTERB. *C. J. de quæſt. lit. C.* In iis dijudicandis uti æquas legum poſitivarum definitiones judex tutiſ-

sime sequitur, ita, his deficientibus, secundum æquitatem res hæc expedienda est, ubi negari nequit, quin papatus hæc principia nonnunquam corruperit *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 108. n. 33.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1372.*

§. 19. Criminis plene convictus torturæ subjiciendus non est; si tamen ex imperitia hoc fiat, ac tortus constanter neget, extraordinaria pœna illum afficiendum esse censent *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 125. n. 17. seqq.* quod eo casu potissimum admitti potest, quo pœna saltem jure humano statuta est. Si sine indiciis tortura instituatur, ac reus in confessione, quam fecit, perseveret, eaque, ob supervenientia indicia, veritati consentanea deprehendatur, tum judex male quidem egit, tortura tamen, ob supervenientes probationes, ad effectum pœnæ imponendæ convalescit, quod ultimum frustra negatur *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 123. n. 10. seqq.* LAUTERB. *C. J. de quæst. lit. C.* OBSERV. LAUTERB. *Obs. 1371.*

§. 20. Instituenda est tortura congruo loco & tempore plerumque matutino, non in feriis divinis *l. p. f. C. de fer.* judice nec non assessoribus duobus & actuario præsentibus *O. C. art. 46. 47.* remoto advocato, neque enim jura deduci debent, sed de facto saltem respondendum est. Antequam tortura suscipiatur, serio interpellandus & admonendus est reus, quo sponte delictum confiteatur atque ita cruciatus evitet *O. C. art. 46.* quem in finem etiam falsiloquio, non tamen falsa promissione, uti licet *v. §. 14. h.* Cessante confessione spontanea, tortura juxta sententiæ præscriptum est instituenda *O. C. art. 58.* ac, in pluribus torquendis, eo ordine, qui ad eruendam veritatem probabiliter quid conferre potest *l. 1. §. 2. l. 18. pr. de quæst.*

§. 21. Ipsa interrogatio fit à judice, super certis articulis, qui breves perspicui, pertinentes *v. O. C. art. 100.* ac ex indiciis formati esse debent. Ea igitur de quibus nihil constat, judex suggerere non debet *l. 1. §. 21. de pœn. O. C. art. 56.* specialis tamen interrogatio in suggestionis vitium non incidit, si de circumstantiis liqueat *v. O. C. art. 48.* Rei responsio, remissa tortura, audienda ac ab actuario diligenter consignanda est *O. C. art. 46. 47. 58. v.* CARPZOV. *p. 3. qu. 124.* LAUTERB. *C. J. de quæst. lit. fr.*

§. 22. Si tortus constanter neget, indicia contra se militantia elidit, adeoque absolvitur definitive, etiam quoad expensas in processum factas,

factas, alimenta tamen & sumtus defensionis ferre ac urphedam præstare debet *v. l. fin. de calumn. O. C. art. 61.* BERG. *in resolut.* LAUTERB. *de quæstion. qu. 2.* Si nova superveniant indicia, vel magicis artibus in tormenta corpus animumque duraverit reus, in quæstionem repeti potest *l. 16. 18. § 1. de quæst. O. C. art. 58.* CARPZ. *p. 3. qu. 125.* LAUT. *C. J. de quæst. lit. E.* Sed, ultimum ex gentilismo & papatu habere originem, & solido plerumque destitui fundamento, negandum forte non erit.

§. 23. Reus confessus condemnatur, modo tortura fuerit legitime instituta & nihil sit, quod confessionis fidem imminuat, ac illa sit ratificata. Debet autem ratificatio fieri extra locum torturæ, post aliquod tempus, coram judice, præsentibus duobus assessoribus & actuario, eaque diligenter consignanda, reo prælegenda, ac super illa is à judice iterum interrogandus est, quæ ratificatio etiam circa territionem necessaria esse creditur *v. l. 2. C. quor. appell. non recip. l. 2. C. de custod. reor. O. C. art. 56. 60.* CARPZ. *p. 3. qu. 126.* LAUTERB. *C. J. d. l.* Cæterum uti ratificatio qualitatem confessionis coactæ non excludit, quod nescio an vulgo existiment, ita negationi ansam præbere potest, cum non insolitum sit, ut ad quæstionem sæpius repetitam, diversa soleat dari responsio.

§. 24. Quodsi reus confessionem in tortura factam, ante vel post ratificationem revocet, nec tamen probabiles, negationis suæ offerat rationes, torturæ denuo subjiciendus est *O. C. art. 57.* Si & tum confessionem factam denuo impugnet, in delictis atrocibus quidem, torturam omittendam, sed in atrocissimis tertia vice instituendam esse censent *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 126. n. 49. seqq.* Bis autem vel ter torto & confessionem revocanti, quidam pœnam ordinariam, alii extraordinariam, relegationis aut carceris, irrogandam esse existimant CARPZ. *d. l. n. 54. seqq.* Nonnulli etiam post secundam torturam in delictis atrocissimis, pœnam ordinariam imponi posse dicunt, si & facti principalis & malitiæ revocantis valde prægnantia sint indicia *v.* HUBER. *in post. ad ff. de quæst. n. fin.*

§. 25. Si delinquens confessionem ratificare, deinde vero revocare soleat, actui ratificationis Notarius cum testibus adhibendus, ac super confessione instrumentum conficiendum est, per quod ulteriori negationi vis adimitur COLER *p. 1. Decis. 183.* CARPZ. *d. qu. 126. n. 67. seqq.* Ambigua responsio vel silentium non pro ratificatione, sed revocatione haberi

haberi debet, nam hoc ex torti affectu intelligitur CARPZ. *d. l. n. 73. seqq.* Si tortura peracta, reus confessioni statim contradicat, non revocasse, sed constanter negasse adeoque absolvendus esse censetur: Si vero in ipso executionis actu demum revocet, pœna ordinaria differenda quidem, sed tamen irroganda esse existimatur *O. C. art. 91.* CARPZOV. *d. l. n. 61. seqq.*

§. 26. Cæterum in ista doctrina, non immerito forte nonnulla desiderare licet. Nam (1.) non apparet ratio, cur negationi ratione destitutæ aliqua vis sit tribuenda (2.) repetitio torturæ delinquentibus ansam elabendi suppeditare potest (3.) incongruum videtur, instrumento Notarii plus fidei & autoritatis tribuere, quam actis judicialibus (4.) non liquet, quare revocationi in actu ratificationis factæ alius effectus adscribendus sit, quam illi, quæ vel statim post torturam, vel in executione fit, nam temporis in se spectati nulla, in elevanda confessionis fide, vis est. Ex quibus omnibus sequi videtur: negationis nudæ nullam esse habendam rationem sed pœnam semel confesso imponendam.

§. 27. Cæterum uti judices circa torturam quandoque excedunt, adeoque ejus abusus negari nequit *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 127.* ita nonnulli eam, velut rem injustam, penitus rejiciunt, sed rationibus, ut videtur, non satis validis. Nam (1.) *tortos magna mala pati*, negandum non est, sed ea suæ pertinaciæ illi imputare debent; Neque etiam (2.) *tortura frustranea dici potest, ideo quod coactæ confessioni nulla fides sit habenda*, nam coactio justa est, quæ assertionis fidem non imminuit, maxime cum torti sæpe non nude annuant, sed totum negotium prolixius explicent, adeoque indiciorum fidem magis confirment.

§. 28. Nec (3.) *abusus judicum quandoque excedentium*, rei ipsi imputari debet: Quod autem (4.) *adhibita licet omni circumspectione, nihilominus innocentes aliquando pati, ac nocentes mentiendo evadere queant, adeoque tortura, periculosa & fragilis res sit l. 1. §. 23. de quæst.* id ad ea referendum est, quæ in vita civili penitus evitare non licet. Interim fatendum, quod, si in Rebuspublicis ea iniretur ratio, ut delinquentes labore potissimum punirentur, parcior tormentorum futurus sit usus, cum istud pœnæ genus etiam suspectis sine iniquitate posset imponi.

§. 29. Si-

§. 29. Sicut autem totum inquisitionis negotium variis sententiis interlocutoriis dirigitur, ita, indagata quantum fieri potuit facti veritate, ad sententiam definitivam tandem deveniendum *v. §. 7.* ac reus vel absolvendus vel condemnandus est *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 128. seqq.* Quovis autem tempore *Defensio*, qua vel inquisitionem, vel torturam vel sententiam avertat, ei permitti debet *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 115.* Summa vero ejus lex est: *factum accurate repræsentare ac jura convenientia ei applicare;* Jura generalia aut ad factum non quadrantia inepte allegantur. Quia etiam judices, ex consilio Collegiorum juridicorum hodie fere pendent, ideo *Actorum transmissio* fieri ac sententiæ conceptio expeti solet *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 116.*

§. 30. Sententia lata executioni est danda *v. §. 2. h.* Hanc vero, pro diversitate pœnarum, esse diversam ultro liquet ac cujus vis modus, ex statutis specialibus, amplius cognoscendus est. Sic Consistoria aliquando sententiam pœnalem exequuntur *v.* CARPZ. *J. E. l. 3. D. 113. 118. 119. 120. 124.* aliquando delinquentem judici Seculari tradunt CARPZ. *d. l. 3. D. 5.* Inprimis executio pœnarum capitalium variis ritibus peragi solet, dum judicium criminale ante eam formatur, *es wird das hochnoht peinliche Halsgerichte geheget v.* CARPZOV. *p. 3. qu. 136.* MASCOV. *dissert. de Clamor. violent. hab. Gryphisw. 1678.*

§. 31. Cæterum cum olim, pro ruditate vel simplicitate illorum temporum, omnis de crimine cognitio isto judicio peracta videatur, hodie vero illa judicium hoc antecedat, adeoque hujus velut substantia sit sublata, ut nihil nisi externa schemata remanserint, ideo tantus inanium ceremoniarum apparatus, in re seria, rectius omitti, quam adhiberi videtur. Sane quæ CARPZ. *d. qu. 136. n. 43. seqq.* in contrarium affert, non valde urgent. Nam, *nullam esse faciendam executionem ordine juris prætermisso;* aut *cognitionem & condemnationem ab incompetente judice factam non subsistere*, recte quidem dicitur, sed ad judicium, dicis saltem causa constitutum, non quadrat. Denique *terror aliis incutiendus*, requirit quidem executionem, palam & in hominum conspectu faciendam, non vero ritus inanes.

§. 32. Executionem nonnulla antecedunt, comitantur aut consequuntur, ex quibus quædam strictim annotabimus. Quando ultimum supplicium irrogandum, humanitas & regulæ christianissimi exi-

gunt, ut delinquens cibis lautioribus nonnihil reficiatur ac ad mortem, quantum fieri poteſt, bene præparetur *v. O. C. art. 79.* Executio autem differenda non eſt *l. 5. C. de cuſtod. reor. l. 18. C. de pœn.* niſi juſta cauſa id exigat *v. l. 3. 29. de pœn. l. 1. C. de bon. proſcript. v.* LAUTERB. *C. J. de pœn. lit. q.* Sanctio tamen *l. 20. C. de pœn.* dilationem 30. dierum nonnunquam exigens, hodie nullius eſt uſus *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1385. 1386.* Carnifici in actu executionis ſecuritas eſt præſtanda, ut tamen ejus dolus aut culpa à Magiſtratu merito puniatur *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 137.*

§. 33. Cadavera punitorum cognatis vel quibusvis aliis ad ſepulturam tradenda, aut etiam juſſu judicis ſepelienda ſunt *v. l. 1. 2. 3. de cadaver. punit.* Aliquando vero, in terrorem, inſepulta in loco ſupplicii relinquuntur *v.* SCHILTER *ad ff. exerc. 49. §. fin.* pœna arbitraria in ſpoliatores conſtituta *v.* CARPZ. *p. 2. qu. 83. n. 60. ſeqq.* Nonnunquam juſſu Principis, cauſa utilitatis publicæ privatis rationibus prævalente. Anatomicis illa conceduntur, qui etiam, in uſum futurum, illa præparare & aſſervare poſſunt, opificibus quoque operam ſuam merito huc conferentibus *v.* CARPZ. *p. 3. qu. 137. n. 69. ſeqq.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ. 1395. 1396. 1397.* add. D. HÖNN. *diſſert. de cadaver. puniendor. hab. Altorf. 1685.* KULPIS *diſſert de jur. circ. cadaver. punitor. Swobac. 1689.*

§. 34. Jure Romano antiquo ſupplicia capitalia ſequebatur confiſcatio bonorum, ſalva liberis legitima *l. 8. §. fin. qui teſtam. fac. poſſ. l. 1. 7. ff. l. fin. C. de bon. damn. v.* LAUTERB. *C. J. de bon. damn.* Cumque illi, qui conſcientia criminis ſibi mortem conſciſcerent, pro damnatis haberentur, hinc horum etiam bona publicabantur *l. 3. de bon. eor. qui ant. ſentent. v.* LAUTERB. *C. J. d. t.* Sed poſt *Nov. 134. c. fin.* in ſolo perduellionis crimine hoc obtinet, in cæteris vero delictis capitalibus confiſcatio ceſſat, ſi deſcendentes, aſcendentes aut collaterales usque ad tertium gradum exiſtant.

§. 35. Verum hodie ſimpliciter ceſſat confiſcatio in hiſce criminibus *O. C art. 218.* nam cum jure Romano, ex rationibus ſervitutis & peregrinitatis, illa fuerit deducta, hæc autem præſuppoſita in Germania nunquam valuerint, hinc neque jus Romanum antiquum, neque novum, quoad confiſcationem, fuit admiſſum *v. Jus Saxon. provinc. l. 2.*

art.

Digitized by Google

art. 31. Ex eodem principio etiam dependet facultas teſtandi, damnatis ad mortem ubique competens. Plane in crimine læſæ Majeſtatis ſpecialis adeſt ratio, hinc jus civile hactenus valere dicendum eſt, ſicut etiam confiſcatio aſſerenda, ſi ut pœna principalis, v. gr. ob indignitatem, imponatur *v.* HEIG. *p.* 2. *qu.* 33. etſi ea quæ contra fiſcum CARPZ. *p* 3. *qu.* 135. *n.* 25. diſputat, æquitate ſe commendent *v.* OBSERV. LAUTERB. *Obſ.* 940.

§. 36. Sumtus executionis criminalis non fert reus, ſi ei pœna ultimi ſupplicii vel corporis afflictiva imponatur quod in Saxonia Electorali certum *Conſt.* 12. *p.* 4. Si vero leviori coerceatur, ad eos præſtandos obſtrictus eſt, ſæpe tamen indigentia obligationem illam elidit, quamvis quibusdam in locis, eos in ergaſterio mereri ac ſolvere debeat. Si reus expenſas præſtare vel non debeat, vel non poſſit, onus hoc ad magiſtratum pertinet; Aliquando tamen conſvetudine ſubditis illud imponitur, ſed hæc à magiſtratu probanda, nec ab uno caſu ad alium temere extendenda eſt: Poſita autem ejusmodi conſvetudine, ſumtus illi à ſubditis ſolvendi, perinde ut tributa, in concurſu Creditorum jure prælationis gaudere cenſentur *v.* CARPZ. *p.* 3. *qu.* 138. etſi utique inter illas præſtationes aliqua ſit diſparitas.

§. 37. Circa nonnullas pœnas *Urphedæ* locus eſt *v.* CARPZ. *p.* 1. *qu.* 47. *n.* 4. *ſeqq.* *p.* 3. *qu.* 130. *n.* 38. *ſeqq.* Succeſſivas aliquando tollit *Reſtitutio*, quæ eſt vel *minus plena*, qua pœna tantum remittitur *l. fin. C. de general. abolit. l.* 2. 4. 6. 7. 9. *C. de ſentent. paſſ.* vel *plena*, quæ inſuper amiſſa reſtituit *l.* 1. 13. *C. eod.* non tamen fructus medii temporis, nec bona interim à fiſco alienata, quia Princeps adeo liberaliter, in ſui præjudicium, reſtituiſſe non præſumitur: Ratio, quæ ex *l.* 2. §. 10. 16. *ne quid in loc. publ.* deſumitur *v.* LAUTERB. *C. J. de ſent. paſſ.* HUBER. *in poſit. ad ff. eod. n.* 1. huc non quadrare videtur. Quodſi punitus innocentiam doceat, adeo ut reſtitutionem juſtitia exigat, pleniſſime in omnia reſtituendus eſt *add.* CARPZ. *p.* 3. *qu.* 150. In levioribus delictis, excepta pœna, delinquens, prævia nonnunquam admonitione, muneris ſui, adminiſtrationem recipit *v.* CARPZ. *J. E. l.* 3. *D.* 104. 117.

CAPUT XVII.

DE PROCESSU IN ABSENTES.

SUMMARIA.

Abſentibus pœnæ imponi poſſunt, quæ præſentiam non requirunt §. 1.

In cæteris caſibus bona annotantur ac abſentes citantur §. 2.

Bonis in contumaciam fiſco adjudicatis §. 3.

Jure Saxonico obtinet proceſſus banni §. 4.

Qui coram judicio criminali per modum accuſationis peragitur §. 5.

Quoad delicta ultimi ſupplicii præviis indiciis §. 6.

Reo in crimine deprehenſo & ſtatim accuſato nullum ſpatium indulgetur ſed contumax usque ad legitima impedimenta proſcribitur §. 7. 8.

Non deprehenſus aut non ſtatim accuſatus bis peremtorie citatur ac contumax proſcribitur §. 9. 10.

Effectus banni prioris §. 11.

Si intra annum & diem à banno ſe non liberet, prævia duplici citatione in bannum ſuperius declaratur §. 12.

Jure antiquo banni hujus effectus etiam fuiſſe videtur, quod bannitus à quovis occidi §. 13.

Ac deprehenſus à magiſtratu ſtatim ultimo ſupplicio affici potuerit, ſed uterque hodie ceſſat §. 14.

§. 1.

SÆpe contingit, ut delinquentes aufugiant ac omnem requirendi curam eludant. Opus igitur eſt aliquo proceſſu, quo in abſentes utcunque animadverti queat. In univerſum diſtingvendum eſt, utrum de *tali pœna agatur, quæ etiam abſentibus queat imponi*, qualis eſt pecuniaria, infamiæ & relegationis an de *ea quæ præſentiam requirat.* Illo caſu abſens citandus, ac, ſi non compareat, in contumaciam, ſententia ferenda ac executioni danda eſt *l. 5. pr. de pœn. v.* CARPZ. *p. 3. qu. 140. n. 3.* Hoc autem, pœnam cum conſveto effectu non poſſe imponi, res ipſa loquitur.

§. 2. Abſentium igitur bona annotantur & arreſto conſtringuntur, ne ad fugientes inde aliquid facile pervenire queat *l. 5. de requir. abſent.* Deinde edicto citantur, ut intra annum ſe ſiſtant *l. 4. eod.* Quodſi adeo citatus compareat ac cautionem judicio ſiſti præſtet, proceſſus bannitorius ceſſat *l. 1. §. 4. de requir. vel abſ.* Si innocentiam doceat, bona etiam recipit *l. 1. C. eod.* Quodſi reverſus intra annum moriatur, etſi ſe nondum purgaverit, bona tamen ejus hæredibus concedunter *l. 1. §. 4. ff. l. 1. C. eod.*

§. 3. Allegandis abſentiæ cauſis procurator admittitur *l. pen. §. 1.*

de

de publ. judic. non etiam tractandæ cauſæ principali, niſi lis jam ſit conteſtata *l. 1. an per ali. cauſ. appell. l. 13. C. ad L. Jul. de adult. l. 3. C. de accuſ. l. 33. §. 2. de procur.* LAUTERB. *C. J. de accuſ. lit. P. n. 4.* Sed uti hoc referendum ad eos caſus, quibus etiam pœna abſenti poteſt imponi, ita hodie, ceſſantibus fere accuſationibus, exigui eſt uſus. Si abſens intra annum ſe non ſtiterit, bona ejus fiſco irrevocabiliter acquiruntur, adeo ut, licet poſtea innocentiam doceat, illa tamen ob contumaciam non recuperet *l. 5. pr. de requir. vel abſent. damn. l. 2. C. eod.* conf. *Ord. Crim. art. 206.* STRUV. *S. J. C. exerc. 49. §. 92. ſeqq.* Alia inſuper pœna abſenti haut fuit impoſita, quod reprehendere videtur JCtus in *l. 5. pr. de pœn.* ſed forte ſine gravi cauſa, cum, ad effectum legitimæ executionis, gravior imponi nequeat.

§. 4. Jure Saxonico, contra abſentes inſtituitur *proceſſus Banni*, qualis fere etiam in aliis Germaniæ partibus olim fuit uſitatus *v.* LEHM. *Chr. Spir. l. 4. c. 18.* De illo pauca ex CARPZOVIO *p. 3. qu. 136. 140.* recenſebimus. Banni nomen *v. auth. item nulla C. de Epiſcop. & Cleric. auth. Gazaros C. de hæred.* germanicum videtur. Infligitur autem bannum vel ab *Imperatore & Imperio*, vel à *Dominis Territorialibus*, ubi quidem modus procedendi arbitrio Imperantium definiri poteſt, ut tamen plerumque juxta receptam conſvetudinem procedatur *v. d. qu. 140. n. 8. ſeqq.* Vel à *magiſtratu inferiore*, ac eſt vel *primum*, vel *ſecundum*; *Acht und Oberacht. d. qu. 140. n. 34. ſeqq.*

§. 5. Inſtituitur proceſſus banni contra abſentes, & quidem coram judicio criminali, *vor dem gehegten peinlichen halßgerichte v. qu. 136.* per modum accuſationis, hinc deficiente alio accuſatore, à judice mandatarius vel Fiſcalis, *ein peinlicher anwald oder fiſcal*, conſtitui debet, qui accuſationem peragat *d. qu. 140. n. 57.* De cætero ſolennia accuſationis ſaltem coram judicio criminali tractantur, nam ubi ſerio quid agendum eſt, partes ad conſvetum judicii locum remittuntur *d. qu. 136. n. 66.*

§. 6. Non habet locum proceſſus banni in cauſis civilibus, ſed tantum criminalibus, ob delicta, quæ pœnam corporis afflictivam vel ultimi ſupplicii merentur *Landr. l. 1. art. 67. 68.* Sed uſus eum tantum admittit quoad crimina ultimo ſupplicio digna *qu. 140. n. 41. ſeqq.* Debet autem fugitivus criminis eſſe ſuſpectus, hinc de corpore delicti aliisque indiciis conſtare debet, quo fine generalis inquiſitio inſtituitur, ſi judex

Digitized by Google

ex officio procedere velit. Si vero accusator existat, ob solam rei fugam cessantibus licet aliis indiciis, processus bannitorius institui potest *qu. 140. n. 49. seqq.* Quodsi reus in ipso crimine deprehensus aufugerit, res certior est eoque magis ad bannum potest deveniri *qu. 136. n. 91. seqq.*

§. 7. Intelligendo procedendi modo, duo casus sunt distingvendi, vel enim (1.) reus in ipso crimine deprehenditur, *wird auff handhafftier that betroffen* ac statim accusatur vel (2.) sine ejusmodi deprehensione, fuga sibi consulit, vel in facinore conspectus non statim accusatur. Priori casu citari potest, ut statim compareat; quo non facto, contumax proscribitur usque ad legitima impedimenta, *wird in die acht vertheilet, biß auff ehehaffi.* Ut tamen hic rigor locum habeat, requiritur, ut accusatio statim sit instituta, antequam crimen fuerit pernoctatum, *ehe es übernächtig worden*, hoc est, antequam viginti quatuor horæ, à tempore commissi delicti fuerint elapsæ *Landr. l. 1. art. 70. l. 3. art. 9. l. 1. art. 57. d. qu. 136. n. 71. seqq.*

§. 8. Hæc duo utique conjunctim requiruntur, nec sufficit, si reus vel deprehensus, vel, antequam crimen pernoctatum, statim accusatio instituta sit, ceu nonnulli volunt: quemadmodum etiam non est admittenda sententia CARPZOVII *d. qu. 136. n. 95. 96.* existimantis: *hodie plane considerari non debere, an reus in facto manuali sit deprehensus*; utique enim is, qui in facto deprehensus aut conspectus non est, ita citari nequit, ut statim respondeat, cum factum ratione delinquentis non sit notorium aut evidens *v. qu. 136. n. 67. qu. 140. n. 65.* illud etiam in priori hoc casu singulare est, quod accusatio fiat cum clamore violentiæ, qui tamen ad petitionem propinquorum aliquando omittitur *v. d. qu. 136. n. 74. 109.*

§. 9. Posteriori casu, quo reus in facto manuali non deprehenditur, vel conspectus, non statim ante crimen pernoctatum, ad judicem defertur; accusatio cum clamore violentiæ fieri nequit, præterea etiam ad responsionem incontinenti faciendam citari non potest, sed ei tempus aliquod indulgendum *d. qu. 136. n. 67. 79. qu. 140. n. 65.* Post prævium itaque accusationem coram judicio criminali institutam, citatur ad certum terminum, & olim quidem tribus vicibus, de quaterdena in quaterdenam, sed hodie semel & peremtorie, ut tamen citatio integrum spatium Saxonicum, à tempore insinuationis vel affixionis computandum, contineat *d. qu. 136. n. 81. qu. 140. n. 57. seqq.*

§. 10. Si

§. 10. Si reus fugitivus certum habeat domicilium, ſufficit citationem ejus familiæ inſinuari, cui tamen affixio publica, in loco domicilii facta, ſolet accedere; ſi autem vagabundus ſit, citatio in trium Dominorum territoriis publice affigi debet. Citatione legitime emiſſa, ſi reus non comparear, prævia contumaciæ accuſatione, condemnatur & bannitur usque ad legitima impedimenta. Poſtea ad hæc deducenda, eodem modo denuo citatur, quodſi in termino præfixo ea non doceat, vel iterum emaneat, fiſcali contumaciam accuſante, in bannum declaratur, ac ſententia in locis citationis affigitur *de qu. 140. n. 74. ſeqq.*

§. 11. Effectus banni ultra diſtrictum judicis bannientis non extenditur *Landr. l. 3. art. 24.* de cætero in eo conſiſtit, quod bannitus à quovis capi ac judici tradi, traditus vero non quidem ultimo ſupplicio affici, bene tamen torturæ ſubjici queat. Poteſt tamen bannitus intra annum & diem à banno ſe liberare *Landr. l. 2. art. 4.* modo juret, quod innocentiam ſit deducturus, ac, accepto ſalvo conductu, cautionem judicio ſiſti præſtet, quo facto bannum tollitur ac proceſſus contra præſentem inſtituitur *d. qu. 140. n. 91. ſeqq.*

§. 12. Quodſi intra annum & diem à banno ſe non liberet, ad bannum ſuperius proceditur. Prævia igitur accuſatoris imploratione, reus citatur ac emanens condemnatur in legitima impedimenta. Deinde altera vice, ad hæc probanda citatur & contumax in bannum ſuperius declaratur. In utraque autem citatione, ratione loci, temporis & contumaciæ accuſandæ eadem obtinent quæ in caſu priori *qu. 140. n. 80. ſeqq.* Effectus banni ſuperioris eſt (1.) facultas bannitum capiendi in toto Principis territorio, modo bannimentum Imperanti fuerit denunciatum (2.) banniti infamia & (3.) bonorum confiſcatio, adeo ut ne quidem, innocentia probata, illa recuperentur *Landr. l. 1. art. 38. d. qu. 140. n. 111. ſeqq.*

§. 13. Ex rationibus juris antiqui is quoque præcipuus videtur effectus banni, quod bannitus à quovis poſſit occidi, nam à banno quod Imperantes infligunt, & cui effectus hic inheſt, ad bannum à magiſtratu inferiore impoſitum, non male argumentum duci videtur, cum & hic, ex illorum conceſſione, hanc pœnam decernat. Quæ CARPZOV. *d. qu. 140. n. 131. ſeqq.* in contrarium diſputat, non tam veritatem quam moralitatem hujus effectus oppugnant, hinc etiam merito ſublatus eſt

v. Deciſ.

v. Decis. Saxon. 77. si quis tamen bannitum, formula banni forsitan fretus occiderit, ab ordinaria homicidii pœna est immunis *d. qu. 140. n. 142. seq.*

§. 14. Exinde consequitur, quod bannitus jure antiquo, si deprehendatur, à magistratu statim ultimo supplicio possit puniri, ut non opus sit ulteriori delicti probatione, licet iterum dissentiat CARPZ. *d. l. n. 136.* qui tamen, banno primo hunc effectum non inesse, saltem ostendit. Plane contraria probatione innocentiam reo ostendere licet *Landr. l. 1. art. 38.* & hodie, hac licet cessante, ad mortis supplicium statim deveniri nequit. Cum igitur duo potiores banni effectus, & merito quidem, sublati sint, ob cæteros §. 12. memoratos, tanta prolixitate opus amplius non videbatur, sed iis producendis una altera ve citatio eamque secuta condemnatio sufficere poterat, ut processus banni valde reformandus & contrahendus esse videatur.

CAPUT XVIII.

DE PROCESSU DESERTIONIS.

SUMMARIA.

Desertionis processus necessitas §. 1.
Instituitur in Consistorio ad instantiam partis desertæ §. 2.
Ejus instituendi requisita §. 3. 4.
Deserens edictaliter plerumque citatur §. 5.
Citationis legitima conceptio & affixio §. 6.
Trina citatio contra contumacem vulgo requiritur §. 7.
Comparentis defensio est admittenda, ac durante processu parti desertæ aliud matrimonium haut permittendum §. 8.
Sententia definitiva matrimonium tam respectu partis desertæ quam deserentis dissolvitur §. 9.
Quod ultimum rationibus datis confirmatur §. 10.
Addito aliquo temperamento §. 11.
Parti desertæ jus matrimonii vel novi vel redintegrandi aliaque conjugum jura integra sunt §. 12.
Sed pars deserens illa amittit ac pœnæ subest §. 13.
Potest tamen ei matrimonium permitti §. 14.
Adulterii desertioni accedentis effectus §. 15.
Inter desponsatos etiam desertionis processus censetur esse necessarius, in quo singulare quoad eorum occurrit §. 16.

§. 1.

PRocessus in absentes, species est *Processus desertionis*, de quo adeo quædam etiam dicenda sunt. Desertio malitiosa, sufficiens quidem divortii causa est *v. CARPZ. J. E. l. 3. D. 56.* quia tamen in facto consistit, num conjux absens alterum malitiose deseruerit nec ne, hinc matrimonium non antea dissolutum dici po-

poteſt, quam cauſæ cognitio intervenerit & ſententia lata ſit, quo fine adeo proceſſus deſertionis inſtituendus ac legitime abſolvendus eſt.

§. 2. Inſtituitur proceſſus ille in Conſiſtorio, etiam ſi Status imperii contra uxorem ſuam agere velit, quo tamen caſu, tollendo conſcientiæ dubio ac evitandæ juris male adminiſtrati ſuſpicioni, juramentum Conſiſtorialibus remitti, ac ſententiæ conceptio ab exteris JCtis expeti ſolet *v. STRYK de diſſenſ ſponſ. Sect 6 §. 29 ſeqq.* Inſtituitur vero proceſſus hic ad inſtantiam partis deſertæ, non vero à judice ex officio *STRYK d. Sect. 6. §. 36. & ad Br. J. E. l. 2. c. 17. § 27.* Videtur etiam ad requiſitionem magiſtratus ſecularis, à Conſiſtorio proceſſus inſtitui poſſe, quo ille pœnam à parte deſerente exigere queat; ſed de hoc caſu rariori alii amplius diſpiciant.

§. 3. Ad implorationem partis læſæ, proceſſus deſertionis non ſtatim decernitur, ſed, ut hoc fiat, de duobus probabiliter conſtare debet (1.) partem implorantem malitioſe eſſe deſertam ac (2.) tempore deſertionis honeſte vixiſſe. Priori explorando, conſiderari debent abſentiæ cauſæ & tempus, quod plerumque arbitrarium eſt *v. CARPZ. J. E. l. 3. D. 58. 60. BRUNNEM. J. E. l. 2. c. 17. §. 27. l. 3. c. 2. §. 15. & utrobique STRYK in not.* Non minus etiam inquirendum, num pars læſa notitiam deſerentis habeat, aut num in eodem explorando diligentiam adhibuerit nec ne. Eo fine juramentum purgatorium parti deſertæ aliquando imponitur. *v. CARPZ. d. l. D. 59. conf. STRYK de diſſenſ. ſponſ. Sect. 6. §. 36. 37. 38.* ab eaque teſtimonium, *diligentz-ſchein* exigitur *v. BERGER in elect. proc. matrim. §. 50.*

§. 4. Præterea etiam aliqui conſiderandum eſſe cenſent, num pars deſerta moribus ſuis deſertioni anſam præbuerit: Nam eo caſu deſertionis proceſſum ei haut eſſe permittendum arbitrantur, cum magis pœnam, quam auxilium meruerit *STRYK ad Br. J. E. l. 2. c. 17. § 27. de diſſenſ. ſponſ. Sect. 6. §. 37. n. 2.* Verum licet morum improbitas pœnam mereatur, attamen deſertionis proceſſus ideo denegandus non videtur, cum pars deſerens etiam impunita eſſe non debeat. Poſterius, nempe vitæ honeſtas, operoſe probari non debet, cum præſumtio pro parte deſerta militet, hinc ſufficit, teſtimonium magiſtratus ac miniſterii vel confeſſionarii eo fine exhiberi STRYK *d. Sect. 6. §. 36. n. 3.*

§. 5. Deſertionis proceſſus eſt ſummarius STRYK *d. Sect. 6. § 39*

eidemque recte peragendo citatione opus eſt, quæ ipſi deferenti inſinuari debet, ſi ſciri poſſit, ubi degat, imo, ſi copia ejus haberi queat, ad cohabitationem merito compellitur STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 17. §. 27. de diſſenſ. ſponſ. Sect. 6. §. 37. n. 3.* Si vero, quod plerumque fieri ſolet, latitet, edictaliter citatur & quidem alicubi in trium Dominorum territoriis *CARPZ. J. E. l. 3. D. 62.* alibi vero in loco Conſiſtorii & domicilii deferentis STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 17. §. 27.* Trina vero citatio regulariter neceſſaria eſt, nam prima vice citatur deferens ad comparendum, ſecunda, ad deducenda legitima impedimenta, & tertia, ad audiendam ſententiam definitivam *CARPZ. d. l. D. 61. add. MEV. p. 4. D. 223. BERGER in elect. proc. matrim. §. 50. in fin.*

§. 6. Citatio ita concipienda eſt, ut (1.) contineat certum terminum (2.) cauſam in eo tractandam (3.) ſpatium Saxonicum à tempore affixionis usque ad terminum præſtitutum, computandum (4.) vocationem Rei peremtoriam (5.) mandatum vel rogationem ad Magiſtratus directam, quoad citationis executionem ℣. *CARPZOV. J. E. l. 3. D. 64. BEUST. de matrim. p. 2. c. 28. 29. 30. NICOLAI de repud. & divort. p. 2. c. 2. n. 46. ſeqq.* Poſtea citatio rite concepta publice affigi, ac eo nomine à Magiſtratibus relatio ad Conſiſtorium fieri debet. Aliquando etiam citatio de quaterdena in quaterdenam è ſuggeſtu ter prælegi ſolet ℣. *CARPZ. d. l. D. 63.* STRYK *de diſſenſ. ſponſ. Sect. 6. §. 40.*

§. 7. His omnibus legitime peractis, ſi citatus in primo termino emaneat, prævia contumaciæ accuſatione, condemnatur uſque ad legitima impedimenta. Tum ad implorationem partis deſertæ denuo citatur, ac ſi iterum non compareat, uſque ad executionem condemnandus eſt. Denique ſequitur tertia citatio, quam ſi etiam negligat citatus, fertur ſententia definitiva, qua matrimonium diſſolvitur ac magiſtratui politico pœna contra deſerentem reſervatur ℣. *CARPZ. l. 3. D. 66.* Cæterum videbatur hic duplex citatio & ſententia ſufficere poſſe, ſicut in aliis contumaciæ caſibus, ut forte ex errore trina citatio invaluerit, hinc etiam in adducendis pronunciandi formulis Scriptores non conſentiunt ℣. STRYK *de diſſenſ. ſponſ. Sect. 6. §. 41. conf. BERG. in elect. proc. provocat. §. 31.*

§. 8. Si deferens in primo, ſecundo vel tertio termino compareat, defenſio ejus admittenda eſt, qua peracta, aliquando ob deſertionem

præ-

prætéritam punitur, pars deſerta vero deſerentem recipere tenetur, niſi adulterium commiſerit, quo nomine, elidendæ ſuſpicioni, juramentum purgatorium aliquando præſtandum eſt. Durante deſertionis proceſſu, parti deſertæ neque nuptiæ, neque ſponſalia permittuntur, ſed hæc, ſi de facto ineantur, diſſolvuntur, ob illas vero male contractas relegatio decernitur ℣. *CARPZ. l. 3. D. 65. ſeqq.* STRYK *d. Sect. 6. §. 43. 44.* Sed non dubitandum videtur, quin etiam diſſolvi debeant, ſi deſerens revertatur.

§. 9. Sententia definitiva in contumaciam lata, poſt decem dies, vires rei judicatæ conſequi videtur, nam arbitrio humano diſſolutio matrimonii hic ſubeſt *conf.* STRYK *ad Br. J. E. l. 2. c. 17. §. 27. p. 682.* tum ergo matrimonium per rem judicatam penitus erit diſſolutum, ſed ſaltem reſpectu partis deſertæ non deſerentis, niſi illa ſe declaret de matrimonio non redintegrando, vel ad alias nuptias tranſeat, prout quidem nonnulli volunt ℣. *BRUNNEM. J. E. l. 2. c. 17. §. 28. Dn. BERG. in Elect. proc. matrim. §. 42.* Sed mihi probabilius videtur, quod utriusque reſpectu matrimonium ſolvatur.

§. 10. Nam vinculi matrimonialis natura non videtur admittere, ut id pro parte tollatur, pro parte verò remaneat, cum contradictionem involvat, ſi partem deſertam, conjugem non amplius eſſe, & deſerentem tamen ei, ut conjugi, obligari dicamus *conf.* STRYK *de diſſenſ. ſponſ. Sect. 6. §. 47.* Quodſi hæc ratio non ſatis concludere videatur, conſiderandum tamen eſt, quod partis deſertæ conſenſus de deſerente dimittendo, ipſi deſertionis proceſſui inſit, hinc ſi illius voluntate ſententiam latam ſecuta, deſerens liberari poteſt, ut diſſentientes concedunt, tantundem operabitur conſenſus ipſi proceſſui implicitus. Nec incongruum videri debet, quod deſerens ſuo delicto libertatem conſequatur, nam è contrario alii pœnæ vel ſaltem ejus metui ſubjacet.

§. 11. Videtur tamen hæc res ita temperanda eſſe, ut partem deſertam, ob alterius delictum, ſimpliciter liberam; deſerentem vero hactenus conſenſu innocentis dimiſſam eſſe dicamus, *niſi illa cum hac, ſi ejus copia haberi queat, matrimonium redintegrare velit*, hæc enim limitatio uti ex affectu partis deſertæ fluit, ita juxta eam ſententia lata merito etiam accipitur. Non igitur ad libertatem deſerentis novo opus eſt

partis defertæ conſenſu, ejus tamen in recipienda parte deſerente, in caſu habili, aliquod eſt arbitrium, quæ duo utique differunt nec adeo recte miſcentur.

§. 12. Ex his cætera facile explicantur. Parti deſertæ liberum eſt, aliud inire matrimonium, nec deſerentem, ſi forte reverſatur, recipere tenetur STRYK *de diſſenſ. ſponſ. Sect. 6. §. 44.* Si tamen velit, deſerens conjugium redintegrare debet, quod recte docet *BRUNNEM. J. E. l. 1. c. 17. §. 28.* ſed ejus rationem, ex ſuperſtite vinculo conjugali non recte repetit. Porro pars deſerta omnibus iis juribus gaudet, quæ ei, matrimonio ob adulterium diſſoluto, alias competunt. Maritus igitur deſertus, in Saxonia conſequitur mobilia, ac in immobilibus retinet uſumfructum uſque ad mortem uxoris deſerentis *v. CARPZ. Pr. Crim. qu 64. n. 35. ſeqq.* Uxor vero deſerta, uſque ad divortium, alimenta, & hoc ſecuto, illata aut portionem ſtatutariam ex bonis mariti, quæ tempore deſertionis uſque ad diſſolutum matrimonium habuit, accipit *v.* STRYK *d. Sect. 6. §. 49. 50.*

§. 13. Pars deſerens amittit jura, quæ in bona conjugis ipſi competebant *v.* STRYK *d. Sect. 6. §. 50.* Quodſi etiam ejus copia haberi queat, in Saxonia, fuſtigatione & relegatione perpetua, aut, ſi adulterium acceſſerit, ultimo ſupplicio, à magiſtratu politico punitur. Quodſi deprehendi nequeat, pœna pecuniaria ex bonis ejus, ſi quæ habeat, exigitur *v. CARPZ J. E. l 3. D. 65, n. 5. 6* STRYK *d. Sect. 6. §. 45.* Aliquando venia ei conceditur, ſine licentia tamen novum ineundi matrimonium *CARPZ. d. l. D. 71.* STRYK *d. l. §. 46.* cujus ratio, non ex ſuperſtite vinculo matrimoniali, ſed ex perfidia in conjugem priorem commiſſa, vel ex jure redintegrandi matrimonium parti deſertæ competente repeti debet.

§. 14. Nonnunquam diſpenſatione matrimonium deſerenti permittitur, ſicut etiam ſine ea contractum toleratur exacta alia pœna STRYK *d. l. §. 47.* Antequam pars deſerta vel ſe declaret de non redintegrando matrimonio, vel alii conjugi jungatur, deſerentem, ſine crimine polygamiæ, ad novas nuptias non poſſe admitti quidam cenſent *v. Dn. BERG. in elect. proc. matrim. §. 52.* ſed ex hypotheſi dubia ac antea *§. 9. ſeqq.* rejecta. De alimentis liberorum in caſu deſertionis & ſecuti divortii, ex generali Parentum obligatione judicandum eſt *v.* STRYK *d. Sect. 6. §. 50. in fin.* de quo *lib. 6. c. 11. §. 21.* dictum.

§. 15.

§. 15. Si pars deſerens adulterium commiſerit, idque notorium vel ſatis certum ſit, ſine deſertionis proceſſu, matrimonium ſtatim dirimi poteſt, ex quorundam ſententia *v. CARPZ J. E. l. 3. D. 69.* STRYK *d. Sect. 6. §. 42.* Sed cum deſerens exceptionem remiſſionis habere queat, tutius erit, etiam hoc caſu deſertionis proceſſum obſervare *v. BERG. d. l. §. 51.* Si uxor deſerens adulterio ſe polluat, ac maritus, accepto falſo, de ejus morte, nuncio, aliam ducat, & ab hac hæres inſtituatur, ſecundæ uxoris cognati, ex capite bigamiæ & inde redundantis matrimonii nullitatis, inſtitutionem impugnare ac marito hæreditatem auferre nequeunt STRYK *d. Sect. 6. §. 48.*

§. 16. Inter deſponſatos, facta deſertione, etiam proceſſus deſertionis cenſetur eſſe neceſſarius ex communi hypotheſi, qua ſponſalia, quoad indiſſolubilitatem, nuptiis fere comparantur *CARPZ. J. E l 3. D. 57.* Si ſponſus e. gr. in Saxonia, ſponſa verò deſerens in Marchia Brandenburgica domicilium haberet, proceſſus deſertionis tam hic, velut in foro domicilii perſonæ deſerentis, quam ibi, velut in foro delicti commiſſi, contra ſponſam inſtitui poſſet *v.* STRYK *d. Sect. 6. §. 51. 52. 53.* ubi tamen in allato reſponſo quædam turbata videntur.

F I N I S.

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

Prior numerus paginam, posterior paragraphum notat.

A.

Abbates.

Sub Comitum classe comprehenduntur. 1033, 7.

Abbreviaturæ.

Num adhiberi possint in Testamento? 866, 21.

Abigeatus.

Quid sit, & quomodo puniatur? 599, 19.

Abortus.

Ejus procuratio est species Parricidii. 308, 18. 772, 22.

Absentia.

Varia est, ac locum facit aliquando restitutioni in integrum. 245, 11. seqq.

Sponsus sine causa absens, an per biennium sit expectandus? 706, 23.

Quoad absentem, quousque Forum delicti sit efficax? 1062, 18. 19.

Processus in absentes plenius declaratus. 1628, 1. seqq.

Absentibus pœnæ imponi possunt, quæ præsentiam non requirunt. 1628, 1.

Si pœna præsentiam requirat, absentis bona annotantur, ac ipse citatur. 1628, 2.

Absens citatus, si contumax sit, ejus bona confiscantur, 1628, 3.

Contra Absentes Jure Saxonico instituitur Processus Banni. 1629, 4. seqq.

Academiæ.

In Academiis sine dubio Jurisprudentia privata tractari potest, sicut & publica. 8, 26.

Bononiensis anno 1128, erecta. 64, 10.

Academiæ ad Italicarum exemplum in Germania sunt institutæ. 65, 11.

Libertas Academica, ejusque diversa species. 312, 13. seqq.

Academia in usum sepulturæ res suas quandoque concedit. 932, 8.

In Academiis cives Academici perpetui habent Domicilium & forum generale. 1060, 11.

Scholarum & Academiarum plenior explicatio. 1247, 1. seqq.

Academias in Germania instituunt status Imperii, accedente Cæsaris confirmatione. 1249, 7.

Academiæ soli Domino Territoriali subsunt. 1249, 8.

Academiæ, vel ut Scholæ, vel ut universitates spectantur. 1250, 9.

In Academiis occurrunt Docentes & Discentes. ibid.

In Academiis Docentes sunt vel Privati: Doctores, Licentiati, Magistri & Candidati, vel Publici sive Professores. 1250, 10. seqq.

In

In Academiis Diſcentes, Studioſi audiunt. 1251, 13. ſeqq.
An Exercitia Corporis in Academiis tractari debeant? 1251, 14.
Academiarum bona & ſedes. 1251, 16.
Academiis quænam Jura competant? 1252, 17.
Academiæ qualem Jurisdictionem habeant? 1252, 18.
Academiæ Jura, ac in ſpecie Jurisdictio, an ſolis Profeſſoribus competant? 1252, 19.
Academiæ caput eſt Rector. 1253, 20. 21.
Ejus Cancellarius. 1253, 22.
Ejus, & in ſpecie Academiæ Lipſienſis, Concilia. 1253, 23.
Academiarum Facultates quatuor. 1254, 24. 25.
Academiæ Lipſienſis Societates Collegiatorum. 1254, 26.
Academiæ Cives ſint vel temporarii, vel perpetui. 1254, 27.
In Academiis literati domicilium & forum generale habent 1255, 27. 28.
Academiarum Jurisdictio, ultra earum Territorium, non extenditur. 1255, 29.
Academiarum Officiales 1255, 30.
Academiarum dignitas & defectus. 1255, 31.
Academicæ Dignitates, ſive Gradus Academici plenius expoſiti 1256, 1. ſeqq.
In Academiis an Comites Palatini creare poſſint Doctores? 1258, 8.
Academiis jus conferendi dignitates concedi ſolet, quæ mediate, per certas perſonas illud exercent. 1259, 10. 11.

Acceptatio.

Donationis etiam mediata hodie valet, 497, 4.
Acceptatio Literarum Cambialium, quomodo & quando fieri debeat? 1287, 25. 26. 27.
Acceptans quomodo obligetur? 1287, 28.
Acceptatione negata deſuper opus eſt Proteſto. 1287, 29.
Acceptatio aliquando fit honoris cauſa. 1288, 30.

Acceptilatio.

Quid ſit? 674, 5.
Quinam acceptum rogare & ferre poſſint? 675, 6.
Per eam, quænam Obligationes tollantur. 675, 7.
Acceptilatio Obligationem tollit ipſo Jure. 675, 8.
Quid hodie circa eam obtineat? 676, 9.

Acceſſio.

Induſtrialis, non eſt modus acquirendi Dominii, ſed ſaltem acquiſitionis occaſio. 335, 25.
Acceſſione interveniente eſt communio, & quidem impropria. 335, 26. 27.
Res vendita tradenda cum ſuis acceſſionibus. 450, 15.
In Emtione & Venditione, quænam acceſſionum vel pertinentiarum rationem habeant? 450, 15. ſeqq.
Quoad acceſſiones ſolas rei venditæ, addictio in diem exerceri nequit. 468, 9.
Acceſſionum nomine omnis generis emolumenta continentur. 581, 34.
Incrementa fluvialia publicis rebus quandoq; annumerantur. 1075, 17.

Accesſiones feudi quando & quousq; Vaſallo acquirantur. 1426, 5. 6.
Accesſiones fundi naturales ſequuntur ſucceſſores feudales. 1497, 36

Acceſſorium

Vendita Actione principali, jura acceſſoria emtorem ſequuntur. 460, 9.

Accidentia.

Partem ſalarii clericorum conſtituunt. 1170, 31.
Inter defuncti Paſtoris hæredes & novum Paſtorem, juxta ſeriem temporis dividuntur. 1176, 16.

Accreſcendi Jus.

Quatenus in uſufructu locum habeat? 379, 7.
Hæredes in certa re inſtituti gaudent etiam jure accreſcendi. 874, 10.
Inter Cohæredes, ex Juris neceſſitate, obtinet Jus accreſcendi. 875. 13.
Jus accreſcendi quoad Legata. 896, 12. ſeqq.
In teſtamento militari non obtinet. 925, 6.
Illi locus eſt in donationibus mortis cauſa. 985, 12.
Emtori hæreditatis non competit aut prodeſt. 990, 11. 12.

Accuſatio.

In proceſſu Criminali locum habet, ac cum Actione, quoad eſſentiam, convenit. 158, 37. 1617, 2. 3.
Accuſatio quid ſit? 1617, 2.

Actio forenſis.

Actiones reales & in rem ſcriptæ, in rei hæredes, non tranſeunt, ſed hi, non qua hæredes, ſed qua poſſeſſores, conveniuntur. 122, 29.
Actionum forenſium natura & varietas generaliter explicata. 149. 1. ſeqq.
Actiones forenſes circa Imperantes regulariter non occurrunt. 150, 3. 4.
Actiones quo ſenſu ſint reales & perſonales 151, 8. ſeqq.
Actionum diſtinctio in nativas & dativas non eſt neceſſaria. 152, 13.
Actionum forenſium otioſa nomina Jurisprudentiæ ſunt moleſta. 155, 23. 24.
Actionum Concurſus per regulas quasdam expoſitus. 155. 25. ſeqq.
Actiones ſive Remedia poſſeſſoria generaliter explicata. 212, 1, ſeqq.
Actio forenſis durat 40 annos, ſi lite mota Actor deſiſtat. 244, 6.
De Actionum æquitate non dubitandum. 290, 12.
Actiones ratione ſervitutum competentes 400, 1. ſeqq.
Actionem parit hodie ſolus Conſenſus in permutationem. 432, 9.
De Concurſu diverſarum Actionum circa legata. 980, 16.
Uſus Actionum in controverſiis metallicis. 1092, 22.
Actiones intuitu molendinorum & molitorum occurrentes. 1098, 23.
Actiones in cauſis civilibus ceſſant in nundinis ſolennibus. 1275, 11.
Quænam Actiones contra Publicanos ſint comparatæ? 1337, 15. 16.
Actionis nomen num in libello ſit exprimendum? 1519, 5. 6.
Actionum cumulatio non ſtatim aſſerenda, ob allegationem nonnullorum, quæ ad aliud judicium pertinent. 1615, 22.

Digitized by Google

Actio ad Exhibendum.
Ejus hodie nullus uſus quoad res quæ vindicantur. 353, 22. 23.
Actio adjectitiæ qualitatis.
Hæc Actiones ſunt ſaltem nova nomina, eaque otioſa. 560, 33. 34.
Actio Ædilitia.
Ea ſuccurritur læſo contra Æquitatem & Edictum Ædilitium. 563, 4.
Illæ ſunt Actiones ipſæ ex Contractu. 564, 11.
Actio Æſtimatoria ſeu quanti minoris.
Quid ſit, quanto tempore præſcribatur, & quomodo cum redhibitoria concurrat. 564, 10.
Actio Aqua pluviæ arcendæ.
Quid ſit? 426, 22.
Quæ ad eam requirantur? 427, 23.
Quibus & contra quos competat? 427, 24.
Ejus finis & effectus. 427, 25.
Quousque damnum acceſſorium in hanc Actionem veniat. 428, 26.
Actio Commodati.
Eſt hodie utrimque directa. 508, 10.
Quid directa, quid contraria? 508, 11.
Nullo tempore præſcribitur. ibid.
Actio Communi dividundo.
Eſt ſpecies Rei Vindicationis. 352, 20, 21.
Actio Conducti.
Quid ſit, & quænam exigat. 477, 14. ſeqq.
Actio Confeſſoria.
Ejus natura, varietas & fundamentum. 400, 1. 2.
Competit ei cui ſervitus eſt conſtituta. 401, 3. 4. 5.
Ea utens Dominium prædii dominantis probare non tenetur. 401, 4.
Ea quidnam petatur? 401, 6.
Actio ad Deprecationem.
Ejus indoles. 325, 16.
Actio De Albo corrupto.
Hujus Actionis hodie nullus eſt uſus. 1057, 31.
Actio de Dejectis vel Effuſis.
Quid ſit? 615, 14.
Dejectio vel effuſio imputatur inhabitatori ædium. 615, 15.
Datur læſo & hæredibus. 615, 16. 17.
Pœna Juris Romani hodie ceſſat. 616, 18. 19.
Actio de eo, quod certo loco.
Eſt hodie nomen otioſum. 583, 7.
Actio Depoſiti.
Quid ſit? 514, 9.
Nullo tempore præſcribitur. ibid.
Datur deponenti & hæredibus pro rata, adverſus depoſitarium, ad rem cum omni cauſa, aliquando etiam cum uſuris recipiendam. 514, 10, 11. 12. 13.
Competit Creditori contra Judicem, apud quem debitor ejus debitum depoſuit. 649, 9.
Actio Diviſi.
Quo ſenſu aſſeri queat? 972, 15.
Actio Doli.
Subſidiaria hodie ceſſat. 104, 45. 623, 4. ſeqq.
Ejus Definitio, qualitates, ſubjectum, materia & contraria. 623, 4. ſeqq.
Actio Emphyteuticaria.
An detur? 372, 9.
Actio Emti.
Quid ſit? 447, 2.

Digitized by Google

Quando cum effectu inſtitui queat? 447, 3.
Datur Emtori adverſus venditorem. 447, 4.
Petitur ea res vendita, præciſe præſtanda. 447, 5.
Quomodo res in Emtione Venditione tradenda ſit, & quem effectum traditio habeat? 448, 6. ſeqq.

Actio Ex L. fin. C. de Edict. D. Hadrian. toll.

Quid ſit, unde oriatur, & quibus competat? 950, 5.
Quando ceſſet, vel præſcribatur? 951, 6.
Datur Legatario ad Legatum conſequendum. 978, 10.
Datur Donatario mortis cauſa. 985, 11.

Actio Familiæ Erciſcundæ.

Datur inter hæredem fiduciarium & fideicommiſſarium. 890, 21.
Quid ſit? 970, 9.
Circa eam fingitur fruſtra Quaſi Contractus. 970, 10.
Num in ea Actor adverſarium Cohæredem eſſe fateatur. 971, 11.
Ejus effectus, & quando præſcribatur. 971, 12.

Actio Finium regundorum.

Eſt Species Rei vindicationis. 352, 18. 19. 21.

Actio Funeraria.

Ea repetuntur ſumtus funeris, ſine animo donandi præſtiti. 936, 20.
Quoad ejus fundamentum fruſtra recurritur ad fictionem, cum oriatur ex vero conſenſu. 936, 21.
Ejus Subjectum & Objectum. 937. 22.
Coram quo Judice inſtituenda? 937, 24.

Actio Furti.

Quid? in Germania probabiliter non recepta. 592, 18.

Actio Hereditaria.

Actiones Hæreditariæ fuſius relatæ. 949, 1. ſeqq.

Actio Hypothecaria.

Ejus Doctrina generalis. 408, 12. ſeqq.
Comparatur cum Interdicto Salviano. 409, 18.
Ut differat à Pigneratitia? 545. 14.

Actio in factum ex Jure jurando.

Datur ei, qui Juramentum voluntarium præſtitit. 278, 18

Actio Injuriarum.

Æſtimatoria quid ſit? 323, 10.
Eſt potius rei perſecutoria, quam pœnalis. 324, 11.
Quamdiu duret? ibid.
Ex L. Cornelia de Injuriis. Actione vindicantur injuriæ reales. 324, 14,
Durat annos 30. ibid.
An adhuc hodie uſum habeat. 325, 14.
Actionum, quibus injuriæ vindicantur concurſus & moralitas 325, 17. 18.
An competat marito ob adulterium ab uxore commiſſum. 765, 26.

Actio Legis Aquiliæ.

Quid, & quotuplex ſit? 613, 7.
Ex Jure naturali & poſitivo deſcendit. 613, 8.
Quibus, contra quos, & ad quid detur 614. 9. 10. 11.
Pœna Juris Civilis hodie non obſervatur. 614. 12.
Ab Actione L. Aquiliæ differt Actio Damni Germanica, 615, 13.

Digitized by

Ea exigitur damni, incendio culpoſo dati, reſtitutio. 619, 4.

Actio Locati.

Quid ſit, & quid ea exigatur? 479, 21. ſeqq.

Datur contra Magiſtrum navis, ad collationem, ob jactum in mari factum, conſequendam. 1343, 15.

Actio Matrimonialis.

Quatenus remitti queat? 757, 16.

Actio Mutui.

Quid ſit? 495, 16.

Actio Negatoria.

Eſt ſpecies Rei Vindicationis. 402, 8.

Oritur ex Dominio libero. 402, 9.

Ejus Subjectum & Objectum. 403, 10. 11.

Actio Negotiorum geſtorum.

Directa & Contraria. 361, 10. 11. 12.

Actio ad Palinodiam.

Ea vindicantur Injuriæ verbales. 325, 15.

Actio Pauliana.

Ejus indoles & uſus plenius tradita. 1314, 1. ſeqq.

Ea nihil novi Prætor introduxit. 1314. 2.

Ex quo fundamento deſcendat? 1314 3.

Ejus Requiſita. 1315, 4.

Quibus & contra quos detur. 1315, 5.

Illa revocantur alienata, fructus & uſuræ. 1315, 6 7.

Quando præſcribatur? 1316, 8.

Ejus uſus & olim & hodie exiguus. 1316, 9.

Eam, ſi ad aliam debitoris fraudem, quam quæ alienatione fit, extendam? ejus uſus hodie eſt frequens, ſed non opus eſt iſta extenſione. 1316, 10.

Actio de Pauperie.

Quid ſit? 355, 3.

Ejus natura & fundamentum. 355, 4.

Cui, & ad quid competat. 355, 5. 6.

Ceſſat animali mortuo. 355, 7. 8.

Actio Pigneratitia.

Ejus Doctrina generalis. 408, 12. ſqq.

Directa, quid? & quando locum habeat? 543, 6. ſeqq.

Datur debitori adverſus creditorem 543, 7.

ad rem cum fructibus recuperandam, ac dolum & culpam præſtandam, aliasque præſtationes faciendas. 543, 8. ſeqq.

hæc nullo tempore præſcribitur. 544, 11.

Contraria quid ſit? 544, 12.

Ad quid detur? 545, 13.

Præſcribitur 30. annis. 545, 13.

Actionis pigneratitiæ ac hypothecariæ differentia. 545, 14.

Actio Poſſeſſoria.

Actiones poſſeſſoriæ peculiari præſcriptioni non ſubjacent. 227, 23. 24.

Actionum poſſeſſoriarum cum petitoriis comparatio generalis & ſpecialis. 228, 25. ſeqq.

Actio Præſcriptis Verbis.

Æſtimatoriam aſſeruerunt Romani tollendæ dubitationis gratia, non tamen contractum Æſtimatorium. 523, 4.

Actio præſcriptis verbis hodie potius dicenda erit Condictio ex moribus. 524, 9. 525, 13.

Actio Publiciana.

Oritur ex Jure reali præſumpto, ac ſurrogatur Rei Vindicationi, actioni confeſſoriæ & hypothecariæ. 417, 1. ſeqq.

Ejus Definitio & fundamentum remotum. 417, 2.

Oritur ex Dominio, ſervitute & pignore præſumto. 418, 3. 4.

Ad eam requiritur regulariter traditio, titulus, & bona fides, item dubia autoris conditio, & defectus vitii aperti, 418, 5. ſeqq.

Quibus & contra quos detur, & ad quid competat. 419, 8. 9.

Hodie Actionis hujus uſus non eſt neceſſarius, ſed voluntarius. 420, 10.

Actio quod metus cauſa.

Quid ſit? quibus & contra quos detur, quidque ea petatur. 601, 7. 8. 9.

In ea hodie quadrupli pœna ceſſat. 602, 9.

Actio de Receptis.

Quid ſit? 1350, 21.

Quænam circa eam probatio ſit neceſſaria. 1351, 21.

Actio Redhibitoria.

Quid ſit? ad quid tendat, & quanto tempore inſtituenda. 563, 8. 9.

Actio rerum amotarum.

Ea mota pœna corporis afflictiva vel ſuſpenſio locum non habet. 794. 23.

Quid ſit, & an locum hodie habeat? 752, 21.

Actio Reſciſſoria ſive Reſtitutoria.

Actionis Reſciſſoriæ ſive Reſtitutoriæ, qua reſtitutio contra Præſcriptionem obtinetur, nomen hodie non eſt neceſſarium. 247, 17.

Actio Revocatoria.

Competit Agnatis feudum revocantibus. 1439, 16.

Actio pro ſocio.

Quid ſit, & quænam ea præſtationes petantur? 489, 14. ſeqq.

Num ea peti poſſit rerum communium diviſio? 490, 17.

Actio ex ſtipulatu.

Hodie Condictio ex moribus dici poteſt. 206, 50.

Actio ex Teſtamento.

Ejus natura & fundamentum. 979, 11.

Qvibus & contra quos competat, & quid ea petatur? 979, 12. 13.

Actio de Tigno junctо.

Controverſiæ de indole hujus Actionis hodie otioſæ ſunt. 339, 38.

Actio Tutelæ.

Quid & quotuplex ſit? 819, 22.

Quodnam verum ejus ſit fundamentum? 820, 23.

Directa, competit pupillo adverſus Tutorem. 820, 24.

Datur ad rationes reddendas. 820, 26. 27.

Contraria, datur tutori adverſus pupillum. 821, 29.

Actio Venditi.

Quid ſit? 453, 27.

Quando cum effectu inſtitui poſſit? 453, 28. 29.

Datur Venditori adverſus Emtorem ad pretium conſequendum cum uſuris, & hæ quatenus debeantur? 454, 30. ſeqq.

Datur aliquando ad repetitionem ſumtuum. 456, 38.

Ea,

Ea, quando res vendita revocari poſſit? 456, 39. 40. 41.

Actio vi bonorum raptorum.

Quid ſit? 603. 12.

Actio humana.

Ejus explicatio generalis. 19, 1. ſeqq.
Sub Actionibus humanis comprehenduntur affectus & ſermo. 30, 46.
Ejus qualitas & quantitas moralis. 134, 1. ſeqq.
Actionum humanarum principium & libertas phyſica. 309, 2.
Dirigitur legibus divinis & humanis. 310, 3.

Actor.

Quatenus à Tutore conſtituatur. 818, 15.
Actoris privilegium quandoque operatur ſpeciale forum. 1063, 23. 24.
Actor quis ſit, & quinam eſſe poſſint? 1509, 12.
Nemo regulariter invitus agere cogitur. ibid.
Actor in Saxonia Electorali præſtat Guarandam & ſatisdationem pro reconventione & expenſis. 1529, 21. 22.
Actoris in primo Termino emanentis pœna. 1541, 2.
Actori, in concurſu creditorum, ſub pœna præcluſi jurium deductio injungitur. 1544, 11.

Actuarius.

Actuarii jure Civili Cancellarii nomine videntur indicati. 1510, 15.
Ejus officium in quo conſiſtat. 1510, 16.
In Electoratu Saxoniæ in criminalibus cauſis debet eſſe Notarius. 1510, 16.
Actuarii munere Judex fungi poteſt. ibid.
Quomodo ſit conſtituendus? 1510, 17.
Num Actus ab Actuario, qui non juravit, geſti, recte habeantur pro nullis? 1510, 17.

Actus.

Quid ſit? 398, 6.

Addictio in diem.

Ejus definitio & ſcopus. 467, 5.
Dupliciter initur. 467, 6.
Aliquando adjicitur emtioni puræ, ut conditio reſolutiva, hac pendente emtio valet, exiſtente reſolvitur. 467, 7. 8.
Exerceri nequit quoad acceſſiones ſolas rei venditæ. 468, 9.
Effectus contractus reſoluti ratione venditoris & Emtoris. 468, 11. 12.
Requiſita hujo conventionis. 469, 13. 14.
Conditione reſolutiva deficiente emtio manet firma. 469, 15.
Addictio aliquando adjicitur Emtioni per modum conditionis ſuſpenſivæ. 470, 16.
Addictio differt ab Auctione & Subhaſtatione. 470, 18.
Pacta Addictioni affinia. 472, 16.

Ademtio Legatorum.

Eâ legata in totum tolluntur, quomodo declaretur, & quis ejus ſit effectus. 914, 1. ſeqq.

Aditio hæreditatis.

Ejus indoles. 943, 18.
Diſtinguitur in Immiſtionem, Aditionem & Geſtionem pro hærede. 943, 19.
Quibus ex factis ea colligatur. 944, 20.
Fit pure accedente quandoque magiſtratus confirmatione. 944, 21.

Digitized by Google

Num fieri poſſit per Procuratorem & Tutorem? 944, 22.
Transmiſſio juris adeundi jure Romano male reſtricta. 945, 23. 24. 25.
Qualiter fieri debeat? 946, 30.
Jus adeundi hæreditatem quo tempore præſcribatur. 947, 31.
Quisnam ejus ſit effectus? 947, 32.
Quomodo fiat ab hærede fideicommiſſarii. 948, 37.

Adjunctio.

Adjunctione introducta communio quomodo ſolvatur? 337, 32.
Adjungens tenetur ſolvere pretium. 337. 33.

Adminiſtratio.

Tutorum, in pupilli utilitatem dirigenda. 815, 5. ſeqq.
Ex Adminiſtratione Tutorum, quæ jura & obligationes ſequantur. 818, 16. ſeqq.

Admiralitas.

Nomen Admiralitatis ex arabico & græco deducitur. 1360, 31.
Notat ſocietatem, ad commercii maritimi ſecuritatem initam. 1361, 32.
Certis legibus aliquando circumſcribitur. 1361, 33.
Eam deſerens de damno tenetur, accepti vero reſtitutionem non exigit. 1361, 34.
Notat etiam Collegium ab Imperante inſtitutum, quod totiq rei navalis ac præcipue commerciorum maritimorum curam gerat. 1361, 35.

Adoha.

Eſt præſtatio, qua ſervitia feudalia pecunia redimuntur. 1423, 16.
Ejus quantitas eſt dimidia pars reditus unius anni. ibid.
Ejus ratio quomodo computanda. 1423, 17. 18.

Adoptio.

Adoptione patria poteſtas deſinit. 776, 1.
Ejus indoles & diverſitas. 796, 11.
Eſt omnibus gentibus communis. 796, 13.
In Adoptionibus fictiones non ſunt neceſſariæ. 797, 13.
Quomodo Adoptio fiat. 797, 15.
Quinam adoptare & adoptari poſſint? 797, 16. 17.
Per Adoptionem agnatio conſtituitur, hodie etiam forte cognatio. 798, 19. ſeqq.
Adoptionis minus plenæ effectus. 799, 23.
Ejus uſus hodiernus. 799, 24.
Adoptiones Imperantium juri privato non ſubſunt. 800, 26.
Adoptione non acquiritur nobilitas. 1034, 13.

Adulter.

Adulter in adulterio deprehenſus, illæſa conſcientia occidi nequit. 136, 10. 763, 20.
An ducere poſſit adulteram? 710, 6.
An mitius puniendus, qui cum uxore, meretricio more vivente, ſe commiſcuit? 760, 8.
Ejus pœna quas ob cauſas mitigetur? 761, 12. 13. 14.

Adulterium.

Quando juſtam divortii cauſam præbeat? 743, 13.
Ejus indoles & varietas. 759, 4. 5.
An jure Romano abuxore, & in uxorem ſaltem committatur? 759, 4.

Com-

Committitur dolofo concubitu à Conjugibus & Desponsatis. 759, 6. 7.
Adulterii rea est uxor meretricio more vivens. 760, 8.
Quomodo puniatur secundum jusMosaicum, Romanum & Saxonicum Electorale. 760, 9. 10. 11.
Ejus pœna aliquando mitigatur, ob remissionem Conjugis, aliasque circumstantias. 761, 12. 13. 14.
In Adulterio an Confessio per Torturam extorta, majoris fidei habenda sit, quam voluntaria? 762, 14. seqq.
In Adulterio locum habet processus inquisitorius & accusatorius. 763, 18.
Adulterii reis quando pœna irroganda? 763, 19.
Adulterium Jure Romano etiam á privatis punitur. 763, 20.
Adulterii effectus, ratione Societatis Conjugalis, est ejus dissolutio, & amissio dotis & donationis propter nuptias. 764, 21. 22. 23.
An ob adulterium marito actio injuriarum competat? 765, 26.
Quanto præscribatur tempore? 765, 27.
Adulterii probatio negandæ filiationi non sufficit, 782, 13.
Ob adulterium quatenus dotalitium amittatur? 144, 17.
Vasallus, per errorem Dominum cucurbitans, an feudo privandus? 1492, 15.
Adulterii, desertioni accedentis, effectus. 1637, 15.

Advocatus.

Cum cliente de quota litis non recte pac scitur. 196, 11.
Ministris Ecclesiæ minoribus non licet esse advocatos, 1168, 22.
Advocatorum explicatio generalis. 1511, 19. seqq.
Advocatus constituitur mandato. 1511, 20.
Advocati requisita. 1521, 21.
Num causam famosi latronis, aut eam, quam scit injustam, suscipere possit? 1511, 22.
Advocati officium, hujusque neglecti pœna, 1512, 23.
Advocato debetur salarium, & hujus quantitas, 1512, 24.
Advocatus actorum retentione sibi prospicere potest. 1512, 24.
Ab Advocato differt Procurator Judicialis. 1513 25.
Officium Advocatorum quoad disputationem attestationum. 1560, 31.

Ædes. Ædificia.

Ædium privatarum violatio. 604, 16.
Si ædes vicinæ ob metum incendii diruantur, quis damnum refarcire teneatur? 618, 2. 3.
Domus, in qua falsa moneta, sciente Domino, formata, Fisco addicitur. 630, 15.

Ædilitium Edictum.

Datum ob læsionem ex vitiis rerum ortam. 562, 3.

Æmulatio.

An ex sola æmulatione aliquid fieri queat, vel id potiùs irritum fit? 1094. 7.
Jus exstruendi fortalitii cessare censetur, si ex sola æmulatione exstructio fiat. 1105, 17.
Æmulationis in impediendis nundinis an aliquis sit effectus. 1274, 8.

Æs

Digitized by Google

Æs alienum.

An Uſufructuarius omnium bonorum exſolvere debeat? 381, 14.

Æſtimatio.

Frumenti in herba depaſti, ſit ex præſenti tempore arbitrio paganorum. 357, 12.

Rerum æqualitas & inæqualitas quomodo æſtimanda? 369, 26. 27. 28.

Æſtimatio damni, Conductori ob ſterilitatem obveniens, quomodo inſtituenda? 481, 28.

Ex quibus circumſtantiis æſtimetur læſio contra Edictum Ædilitium? 563, 4. 5. 6. 7.

Æſtimatio in contractibus, venditionis & taxationis gratia fieri ſolet. 584, 10. 11. 12.

Cujus temporis æſtimatio in Contractibus ſit præſtanda? 586, 18.

An æſtimatio rei furtivæ Jurejurando in litem fieri poſſit? 591, 15.

Æſtimatorius Contractus.

Hic revera non occurrit, ſed hoc nomine mandatum, locatio vel venditio comprehenditur. 523, 2. 3. 4.

Ætas.

Ab ætate diſtinguuntur homines. 179, 9.

Tempus hominum dicitur ætas. 1109, 7.

In computanda ætate, poſt factam anno 1700. Calendarii mutationem, utrum computatio antiqua, an nova obſervanda ſit? 1110, 11. 14.

Affectus.

Species ſunt Actionum humanarum. 30, 46.

Affines.

Num ab inteſtato ſuccedere poſſint? 853, 35.

Affinitas

Ejus indoles. 722, 18.

Oritur ex concubitu, 722, 19.

Computatur ſecundum gradus Conſanguinitatis. 723, 20.

An dentur in affinitate gradus? ibid.

Generum affinitatis explicatio & inveſtigatio. 723, 21. 22 23. 24. 25.

Vitia vulgarium affinitatis, ſchematum & accuratior ejus repræſentatio. 724, 26 27. 28.

Affinitas quouſque impediat nuptias? 726, 33. ſeqq.

Affinitate ceſſante, ceſſat prohibitio nuptiarum. 727, 38.

Ager.

Agrorum alienatio in vicini diſtrictus poſſeſſores aliquando prohibita. 1030, 11.

Agger.

Aggerum natura, diverſitas, exſtructio, dominium, uſus & delicta in illis committi ſolita. 1077, 22. 24.

Aggeres naturales, quos provida natura poſuit, veteri Celtarum vocabulo, Dunæ vel Duni, *Sand-Duynen* dicuntur. ibid.

Aggratiatio.

An locum habeat in homicidio? 307, 15.

Agnatio.

Sui hæredis eſt vel naturalis, vel civilis. 909, 4.

Ob eam tumpitur Teſtamentum. ibid.

Digitized by Google

Alapa.

Apud antiquos Germanos junioribus memoriæ cauſa fuit impacta. 261,3.

Albinagii Jus.

In Gallia uſitatum, eſt priſtinæ hoſtilitatis veſtigium. 182, 18.

Alchymia.

Noxiis & illicitis commerciis annumerari debet. 1270, 21.

Alea.

Hoc nomine venire ſolent ludi fortunæ & mixti. 528, 3.

Alea prohibita Jure Romano & moribus Germaniæ. 529, 7. 8. 9.

Eſt delictum ambiguum. 634, 8.

Alienatio,

Pactum, ne dominus rem ſuam alienet, quatenus valeat? 198. 17.

Omnis alienandi facultas à libertate œconomica dependet. 312, 12.

Pignus alienare poteſt debitor & creditor. 411, 25. 26. 27.

Modus & effectus diſtractionis pignoris legitimæ & illegitimæ. 412, 28. 29.

Quatenus res dotalis poſſit alienari? 733, 12. 13. 14.

Quid obtineat circa alienationem Peculii adventitii? 789, 12.

Alienatio rerum pupillarium à tutore facta, quatenus valeat. 816, 8. 9. 10.

Fideicommiſſum univerſale, quatenus fiduciarius alienare queat? 887, 11.

Alienatione rei legatæ num legatorum fiat ademtio? 915, 4.

Alienatio agrorum, in vicini diſtrictus poſſeſſores, aliquando prohibita. 1030, 11.

Subſellia eccleſiaſtica familiaria & perſonalia, num poſſint alienari? 1158, 11.

Alienationis ſpecies eſt, conſtitutio Feudi. 1391, 1.

Alienatio Feudi, quotuplex ſit? 1430, 1.

Alienatio Feudi neceſſaria vaſallo permiſſa, quo pertinet transactio, ſententia & compromiſſum. 1430, 2. ſeqq.

Alienatio Feudi voluntaria Vaſallo regulariter non permiſſa. 1431, 8.

Alienationis Feudi illicitæ pœna. 1433, 15. 16. 17.

Alienatio Feudorum hæreditariorum, alienabilium & immediatorum, quatenus valeat? 1434, 19.

Alienatio Dominii directi Domini an valeat? 1434, 20.

Ob Alienationem metu litis doloſe factam, præter actionem realem, datur actio ad intereſſe. 1534, 10. ſeqq.

Alienatio Feudi aliquando revocabilis, & hujus quinam ſint effectus. 1587. 30. 31. 32.

Alimenta.

In Emtione Alimentorum ad dies vitæ querela læſionis enormis locum non habet. 567, 19.

Eduliorum furtum, ex famis neceſſitate factum, quomodo puniatur? 595, 6.

In alimentis quouſque transactio locum habeat? 670, 9.

Ad alimenta proli præſtanda ſtuprator tenetur. 769, 12. 13.

Infans expoſitus à quo ali debeat? 770, 15.

Uter ex parentibus alimenta liberis præſtare debeat? 784, 18. ſeqq.

Alimenta an etiam liberis illegitimis præſtanda ſint? 784, 21.
Alimentorum liberis præſtandorum nomine, omnes educationis ſumtus intelliguntur. 785, 22.
Aliquando liberi parentes alere debent. 785, 23.
Alimenta Clerico ſuſpenſo ſunt præſtanda. 1217, 5.
Incarceratus quomodo alendus. 1312, 24.
Alimentis æquiparatur das Sitzegeld. 1313, 24.
Alimenta filiis, ad ſucceſſionem feudalem inhabilibus, ex feudo in ſubſidium præſtanda. 1448, 24.
Propter alimenta ex feudo inhabilibus præſtanda, num tacita hypotheca competat in feudo. 1454, 8.
Alimenta arreſto conſtringi nequeunt. 1597, 7.

Allodium.

In materia allodiali uti poſſumus Jure feudali Longobardico. 70, 16.
Allodium quid ſit? 1381, 5.
Quænam res ad Allodium plenum pertineant. 1381, 6.
Qvæ res ſpectent ad Allodium minus plenum. 1382, 7.
Allodii & Feudi comparatio. 1382, 8.
In dubio res præſumitur allodialis non feudalis. ibid.
An regna aut Respubl. plane liberæ dici poſſint Allodia? 1382, 8.

Alveus.

A flumine relictus, cui cedere debeat? 333, 18.

Ambignitas.

Actus ambiguus in dubio negandus, aut contra autorem obſcuritatis explicandus, vel circa illum minimum ſequendum eſt. 167, 33. ſeqq.
In ambiguis litigantes ad ſortis judicium remittendi ſunt. 168, 37.

Ambitus.

Oblata pecunia factus, num in Conſcientia ſit illicitus? 131, 11.
Ambitus crimen circa munera committi ſolet, 1046, 7, ſeqq.

Amicabilis compoſitio.

In Conſiſtoriis imprimis tentanda. 1590, 4.

Amiſſio.

Quot modis amittatur poſſeſſio. 219, 15. 16.

Amoris.

Circa eam Jure Romano diverſi caſus ſunt diſcernendi. 594, 23.

Amſegetes.

Ita dicti olim ſunt viarum vicini. 1329, 13.

Amtſaſſii.

Quinam ſint? 996, 10.

Anatomia.

Medicis exercitia anatomica inſtituere licet. 1262, 20.
Anatomicis recte conceduntur cadavera punitorum. 1626, 33.

Angaria.

Angariæ & parangariæ debentur à ruſticis Domino Territoriali. 1012, 23.

Animalia.

Damni ab animalibus dati diverſitas, & veniens inde obligatio. 354. 1. ſqq.
Animal nociturum abigere & quandoque occidere licet. 357, 14.

Annona vexatio.

Quid ſit, & quomodo puniatur? 598, 16. 17.

Digitized by Google

Annotatio Bonorum.

Ea locum habet, ſi delinquens abſens ſit. 1628, 2.

Annui Reditus.

Num annuorum redituum uſuræ exigi poſſint? 579, 26.

Exigi poſſunt ultra alterum tantum. 579, 29.

Quoad moralitatem cum uſuris plane conveniunt. 580, 32.

An eorum emtor, ſi à venditore ex alia cauſa conveniatur, ob ſortem pro reditibus datam, compenſationem opponere poſſit? 658, 23.

Circa eorum præſtationes qvisnam ſtylus, antiquus an novus obſervandus ſit? 1110, 12.

Annus.

Annorum initium arbitrio hominum definitur. 1108, 6.

Annus œconomicus incipit à die Michaëlis, eodemque die finitur. 1176, 15.

Anni œconomici quatenus ratio habenda ſit, quoad diviſionem inter hæredes defuncti, & novum Paſtorem. 1176, 16. ſeqq.

Annus Gratiæ

Viduæ & liberis Paſtoris defuncti debetur annus Gratiæ vel integer, vel dimidius, ut in Saxonia. 1173, 7.

Currit ab obitu Paſtoris, ac viduæ & liberis, non aliis hæredibus ſalarium gratuitum præſtandum. 1174. 8. 9.

De modo dividendi tres ſunt ſententiæ, ſed maxime probabilis & in Saxonia recepta eſt, ut diviſio fiat in capita. 1174, 10, 11.

